


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
E
11
NAPOLI



COMMENTARII RESOLVTORII
DE EXAMINE ECCLESIASTICO, ET DISQVISITIONIBVS

Moralis, ac Practicę Theologiæ, Christianæ Philosophiæ, & Casuum Conscientiæ, qui in dies occurrere solent,

Tàm quò ad theoricam, quàm quò ad quotidianum vsum, & praxim, receptarum sententiarum, per quæstiones, & casus, ac propria principia, presse, sed luculenter conscripti.

AB HOMOBONO DE BONIS CREMONENSI CLERICO REGVLARI S. PAVLI, ac in Metropolitana Ecclesia Bonon. Pœnitentiario.

In quibus potissimum agitur { DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ; DE CONTRACTIBVS, de SIMONIA; DE TESTAMENTIS, & LEGATIS, DE RESTITVTIONE, DE CENSVRIS, & IRREGVLARITATE.

Non solùm Ecclesiast. & Regularib. sed & Magistratib. ac omnibus in vtroq; foro iudicia exercentibus, & cunctis Religionis Christianæ Cultoribus, summe vtiles, ac necessarij.

PARS SECVNDA.


AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. D. ALOYSIVM CAPPONIVM S. R. E. CARD. ET RAVENNATEN. ECCL. ARCHIEPISCOPVM.



BONONIÆ, Apud Nicolaum Tebaldinum. MDCXXVI. *Superiorum Permissu.*

Sumptibus Peregrini Golfarini.


Doctrina et pietas paruo hic clauduntur in orbe:
Qui dubitas magni perlege scripta uiri.



AD ALOYSIVM
CAPPONIVM CARDINALEM·
& Rauennatenſ. Eccl. Archiepiſcopum.

Peregrinus Golfarinus.



RANDE hoc opus Eccleſiaſtici Examinis altiſsimo elaboratum afflatu, atque omnium Eccleſiaſticorum votis expetitum: Has Chriſtianæ Conſcientiæ regulas Tibi magno Eccleſiæ Antiſtiti, qui viua es Chriſtianæ conſcientiæ regula, iure optimo, deberi omnes intelligunt. Accipe igitur, ò Romanæ Maieſtatis decus inſolitum, ò ſpirantem ſub veſte purpurea benignitatem, ò ſub humanis artubus ſplendidum probitatis ſpeculum, ò ſuper virtutum columnis extructam pietatis Regiam, ò inauditam, & indeficientem liberalitatis manum, ò quaſi adoratam gubernantium normam, ò Bononienſium recordationis dulcedinem nullo obliuionis amarore interituram, ò tuę Floræ roſam, & delitias, Accipe, & me ſub vmbra tua ſplendere ne dedigneris.




TYPOGRAPHVS LECTORI.



ENS Authoris erat ex Commentarijs de Ecclesiastico Examine vnum tantummodo corpus efficere; sed nos iustis ex causis in tres partes illa diuidere coacti sumus. Duas iam habes, in quibus planè uides, quomodo hic uir tanquam viuum Museum morales quaestiones, & Christiani officij rationes ex secretiori Musarũ adyto (etiam aliarum occupationum fluctibus obrutus) confictis casibus luculenter noua methodo dissoluerit. Quippe, peritorum iudicio, singulari scripsit ingenio, exquisita eruditione, eximia pietate, & religione, ac prudenti rerum vsu. Et cum quatuor sint, quae in vniuersum bonum scriptorem commendant, videlicet vtilis tractata materia, concinnus ordo, breuitas, & facilitas cum varietate coniuncta, Horatianum illud praestitisse uidetur,

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci,
Lectorem delectando, pariterq; monendo.

Tertiam Partem propediem lucem uisuram expecta: in qua eadem dicendi, & scribendi ratione, potissimum agitur de Articulis circa Ecclesiae Sacramenta, circa Parochos, Capellanos, Canonicos, Dignitates in Cathedralibus Ecclesijs obtinentes, Concionatores, & Episcopos.



IN

INDEX TRACTATVVM, Capitum, & Quæstionum.

Articuli, super quos circa Ecclesiæ Præcepta, quæstiones, ac casus formari poterant. Tractatus VIII.

CAP.

a 4 etiamsi

fit

TRA.

Quæst.

Quæst. 11. *An Vicarius Episcopi peccauerit, & in censuram inciderit, qui clericum negotiatorē, & res ex bonis patrimonialibus, & beneficialib. perceptas vendentem, dum Romam pergeret, beneficio priuauit. An voluntarie de fide dubitantem, & illam dubitationem ioco prodentem, absoluere valeat, vel absoluendi facultatem dare. Vtrum expellere possit fabrum prope ecclesiam religiosorum malleantem. Et an notarios in officio delinquentes punire, & suspendere ei fas sit. pag.* 344 *col.* 1.

Quæst. 12. *Vtrum peccet, & in excommunicationem incidat Confessarius, & confessiones ab audita inualida reddantur, si approbationem non habeat in scriptis, sub eiusdem censura pœna ab Episcopo præcipitur. An Episcopus interesse possit diuinis officiis in Ecclesiis regularium peragendis eum Baldechino erecto, & si ab eis impediatur, an eos excommunicare valeat. Nunquid Episcopus religiosum fugitiuum ab excommunicatione absoluere queat, simulque licentiam dare, vt ad laxiorem religionem transeat. Et an concedere facultatem vt Confessarius regularis ab excommunicatione absoluatur, si quam incurrit, ob absolutionem casus reseruati in religione, à quo absoluere non poterat, &c. pag.* 346. *col.* 2.

CAP. VII.

Quæst. 13. *An præcipiens aliquem Romipetam percuti, si mandatarius mandati fines excedēs occidat, simul cum ipso mandatario in Bullam Cœnæ* Domini *incidat. Et quid de restituendi obligatione. Et quid dicendum si quis ob æs alienum non solutum, sit excommunicatus, & soluere non possit. pag.* 348. *col.* 2

Quæst. 14. *Dubitans se esse excommunicatum, & cum tali dubio celebrans, an peccet, & irregularis fiat. An Parochus sacerdotem non approbatum, imò à suo* Episcopo *suspensum, ad sacramentorum administrationem delegare possit. An postmodum ab eo acta valeant. Item num hęredem illius, cuius confessionem in articulo mortis audiuit, de ęre alieno à defuncto contracto soluendo, admonere potuerit pag.* 352. *col.* 2.

Quæst. 15. *An bona fide tenens libros prohibitos, peccet mortaliter, & incidat in censuram, & an si postquam eos vetitos esse nouit, & alteri dedit ex Pontificiis Decretis, eum cui dedit, denuntiare teneatur. Num penes se habens Bibliorum libros, vel* Euangelium *vernacula lingua conscriptum, illud legere queat. Vtens potentis viri ope, vt facultatem legendi librum prohibitum ab vrbis Inquisitore obtineat, an in pœnas contentas in Bulla* Gregorii XIII. *de datis, & prę missis incidat, & num extraditionem facultatem cōcedentis illum librum legere possit. pag.* 356. *col.* 1.

Quæst. 16. *An satellites* Gubernatoris *Vrbis capientes Notarium Curiæ Episcopalis de homicidio imputatum, incidant in excommunicationem. Et an vi Iubilei extra cōfessionem, tam à Papali excommunicatione, quàm à casibus Episcopalibus absolui valeant. pag.* 359. *col.* 2.

Quæst. 17. *Mercator italus, an cum hęreticis extra patriam suam conuersando, lethaliter peccet, & in excommunicationem incurrat. Vtrum ecclesiæ præceptum ibi non obseruando sit à culpa excusatus. Num matrimonium cum hæretica contractū valeat. Vtrum infideles & hęreticos in commerciis decipere possit. An in circunstantiam copulæ cum fœminis hæreticis habitę confiteri teneatur, & cū vna illarū sit vxoris propria consanguinea, nunquid ab illa debitum petere possit. pag.* 364. *col.* 2.

Quæst. 18. *Medicus sciens aliquem duas vxores habere, plures blasphemare, & vetitis cibis in ieiuniorum diebus, & aliis comedere, & dixisse, carnis vitium non esse peccatum, an denuntiare teneatur. An cōiugem de inualiditate matrimonii, & morbo gallico, quo maritus putatiuus laborat, admonere cogatur. Num concionatorem dicentē, clericis decimas non esse soluendas, ad Inquisitionis officium deferre. An Parochus ex concessione* Episcopi *vestes sacerdotales benedicere, vel sacrare possit, &c. pag.* 368 *col.* 2.

CAP. VIII.

Quæst. 19. Literæ *monitoriales pro quanta rei subtractæ quantitate concedenda sint; an filius illis comprehendatur; & num scientes, & reuelare nolentes absoluendi sint, &c. An & quomodo denuntiandi sint illi, qui superstitioso modo medentur, applicando remedium vitiis, gladio, &c. pagina* 373. *col.* 1.

CAP. IX. De Suspensione.

Quæst. 20. *Regularis qui mulierem in monasteriū introduxit, &c. an in censuram inciderit, an celebrando, & alia sacramenta administrando irregularis sit factus, & qui possit ipsum absoluere, & dispensare. &c pag.* 377 *col.* 2.


Quæst. 21. *Vtrum Italus Episcopus Apostolorum limina per quinquennium non visitando, p. m. & in censuram incidat. Diœcesanam synodum absque peritorum consilio celebrando, an pariter peccet. Et an ab eo gesta valeant. Sacerdotes maius stipendium quàm ab Episcopi constitutione taxatū sit, accipientes, an delinquant, & in suspensionem ab eo latam incidant. Item nunquid Episcopus possit reducere, vel minuere numerum missarum*


in

CAP. IV.

CAP. IV.

Finis Indicis Tractatuum, Capitum, & Quæstionum.





DE EXAMINE ECCLESIASTICO, MORALIS, AC PRACTICÆ THEOLOGIÆ, Christianæ Philosophiæ, Casuumque Conscientiæ Disquisitionibus Resolutorij Commentarij.

ARTICVLI SVPER QVOS CIRCA ECCLESIAE PRAECEPTA, quæstiones, ac casus formari poterunt.

DE ANNVA CONFESSIONE. CAP. I.

PRAEVIAE INSPECTIONES.

ILLVD in primis præsupponẽdũ ĩ præceptorũ Ecclesię cognitionẽ, præter alia, de qb. hactenus egimus, mandata, tàm ex parte cõfessarij, quàm ex parte pœnitentis admodũ necessariam esse. Siquidem Legislator, ac Magister noster Christus, non solum Decalogi præcepta nos docuit. *Matth. c. 19.* sed & in vniuersum præcepit, quæ ad obedientiam Apostolicis; & Ecclesiasticis mandatis præstandam spectant. Hinc extant illę Euangelicæ sententię, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Si non audierit eos, dic Ecclesiæ, &c. *Luc. c. 10.* & *Matth. c. 18.* Quas dubium nõ est, fideles ad lethalem culpam obligare, etiam si transgressio ex legis, vel Legislatoris contemptu nõ fiat. *Suarez. de legib. lib. 4. c. 17. & seq.* Vnde diffinit in gñe peccatũ, vt sit recessus a regula diuina voluntarius, & per regulã diuinam, etiã humanæ, & positiuæ leges, ac præcepta intelliguntur, cũ oĩs potestas à Deo sit. *c. omnis ext. de censib. Tol. l. 3. c. 1.* iuxta & illud Callimachi, *Ex Ioue sunt Reges.* vt propterea, *& Tacit' in 4. Annal.* dixerit, Principibus summum rerum iudiciũ Dij dederunt, subditis obsequij gloria relicta est.

Hæc porrò præcepta fideles adiuuant, vt facilius Decalogi iussa custodiant, illosque ad sacramentorum vsum excitant, quibus gratiam, & virtutes recipimus, & conseruamus. Sunt fidei, humilitatis, & obedientiæ christianæ salutaria exercitia, honestam disciplinam, & popularem concordiam promouent, religionis pulchra existunt symbola, notas præbent demum, & indicia interioris nostræ pietatis, quibus ad ædificationem, bonis collucere, & mala præcauere oporteat, & vt vno verbo concludam, efficiunt, vt Apostolicus ille Canon, Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis, ad vnguẽ obseruetur. *1. ad Corint. 14. Canisius in summa doct. christ. c. 15.* Et cum fideles ad hæc seruanda præcepta teneantur, seruare autem ea probabiliter, & moraliter non possint, qui ea ignorent (voluntas. n. in incognitũ non fertur) hinc conficitur, eorum ignorantiã, vtpotè moralem causam peccandi, lethalem culpam constituere, qua de causa. *Ioseph. Anglesf. in flor. theolog. in 2. sent. d. 22. art. 2. diff. 1. & Sayr. in claui reg. l. 2. c. 1. num. 30.* docent eum, qui culpabiliter hæc præcepta ignorat, licet in Quadragesima, & in alijs dieb. ieiunet cõfiteatur, & semel in anno cõicet, peccati mortalis reũ esse, ob probabile delinquẽdi periculũ, cui ob eorum inscitiam se exponit.

Proinde confessionis initio ex prudentiæ præscripto tempus ab vltima cõfessione elapsum à Cõfessario interrogandum, & cognoscendum est, vt sciat, an pęnitens Ecclesiæ scita quò ad confessionem, & communionem seruauerit. Et certum est, vt pœnitens censeatur præceptum aliquod im-

pleuisse,requiri,vt id,quod præcipitur ex scientia legis egerit, hoc est actu, vel saltem virtute,sciendo sm legē sibi præscriptā id facere. Itē contra legis pceptū peccare,nō modo si illud sine causa transgreditur,sedēt si transgrediendi propositū habeat, aut de illius violatione delectet. &c. idē *Tol.l.3.c.17. Reginal.l.16.n.21.& seq. Azor.p.1.c.4.& seq.& alij.*

Hæc verò eadem præcepta quinque numerantur. Primo peccata sua proprio Sacerdoti quotānis cōfiteri. Secūdò sacrosanctā Eucharistiā in Paschate sumere. Tertio statutos festos dies celebrare,& sacrum eisdē festis andire. Quartò pscripta ieiunia obseruare. Quintò decimas,& primitias soluere. *Molf.tr.9. c.5.n.16.* Et qa spiritualis vita,qī baptismo inchoat, per confirmationem verò,& Eucharistiam perficitur,quæ viuorum sunt sacramenta, in hominibus dum in hac mortali vita degunt,vel frequēter amittitur,vel leuioribus culpis sæpè maculatur, hinc sacramenti pœnitentiæ necessitas consurgit,à quo primum Ecclesię præceptum initium sumit.

QVÆSTIO I.

Quomodo agendum cum eo, qui præceptum confessionis,semel in anno saltem faciendæ,ob inimicitiam trāsgressus est,& qui ignorans peccatū aliquod esse reseruatū, illud commisit; ac quomodo pariter cū eo agere debet,qui delictum aliquod perpetrauit antequam illius reseruatio publicaretur.&c.

BLasius dum in confessionis præludio interrogatur,quantum temporis transijt, ex quo peccata sua non est confessus, respōdit, tres annos trāsactos esse,quibus animam suam non expiauit, requisitus à Confessario, quęnam fuerit huius rei causa,& an sit vnquam ob hoc Ecclesiæ ingressu interdictus,vel excommunicatione perculsus, dixit, se per hoc tempus à confessione,& sacra Synaxi abstinuisse,eo quod quendam hominem, qui fratrē suū occiderat,odio prosequeretur,ac proinde ad huiusmodi pias actiones dispositus non esset. Item secundò cum ignoraret incestum ab Episcopo reseruari, cum sorore vxoris suæ turpiter se immiscuit. Tertiò cum ab eiusdem Episcopi Amanuensi intellexisset Decretum ab eo conditum, quo accedentes ad monasteria Monialium,& cum illis,siue alijs fœminis in clausura degentibus loquentes sine licentia inscriptis obtenta excommunicationis censura percellit, ante huiusmodi Decreti promulgationem ad quarundam sanctimonialium monasterium accessit,& cum puella quadā locutus est,vt ad matrimonium cum eo contrahendum eam induceret.

Quæritur primò,an mortaliter peccauerit,'quot peccata commiserit,& quam pœnam huius præcepti trangressorib.impositā subierit. Scdò an pœnitens iste odium, & indignationem ex animo euellere teneat,an ī opere,ac in effectu signa rācoris remouere, Tertiò an & in foro externo cōtra occisorē actionē remittere. Quartò nū si est interdictus possit eius confessionem audire. Quintò an ignorans incestum casum esse reseruatum,eo afficiatur. Sextò vtrum reseruatio ante promulgationem liget, & quō in praxi se gerere debeat Confessarius?

Respondetur supposito non paruam prudentiā, dexteritatem,& industriam Confessario opus esse in adiuuando pœnitentem præsertim in peccatis inueteratū ad confessionem legitimè faciendam, vt dixi in *1.par.tr.5.c.11.q.70.* Dico primo, Blasiū sex lethalia perpetrasse crimina,cum confessionem, & communionem toto hoc tpe quolibet anno omiserit,vt ex communi sententia ait *Bonac. de sacr. d. 5.q.5.p.4.nu.* 18. *& Petr.de Ocha in tr.de sacr.de confess.tr.2.q.8.* Absoluti verò iuris est, ratione Ecclesiastici præcepti,in qualibet anni parte potuisse peccata sua confiteri,quamuis quò ad cōionem, secus sit,vt tpe Paschatis eius pręceptū sit adimplēdum; ac propterea tunc ēt aīam suā expiare teneretur,'si lethalis culpæ se reū sēsisset, quò ad sacrā synaxim percipiendam dignè accederet.

Et qui anno præterito non est confessus, vel Eucharistiā non sumpsit, quàmprimum potest confiteri,& communicare tenetur, quia hic annus nō ad finiendam præcepti obligationem præfixus est. Licet secus sit de pręcepto confitendi,& communicandi in mortis articulo,quia eo elapso, non obligat, cum ob circunstantiam talis temporis latum videatur, videlicet ob vitandum imminens damnationis periculū, *Henriq.de euch.c.5.n.3.idē Bonac.l.1.n.29* Proindè à Confessario inculcandus pœnitenti æternæ suæ salutis neglectus,pœnitentiam contemnendo, quæ vnicum est remedium aduersus contractas post baptismum peccatorum sordes,ad æternum interitum trahentes. De quo monet Dominus Luc.13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Quippe hirundinis exemplo,quo pullos suos excrementa è nidis egerere docet, ut nitidi mundique degant, monemur peccata nostra per cōfessionem expellere; ac quid enim est peccatum,nisi fœtidissimum recrementum? quid nidus, nisi conscientia? quæ in nō confessis eorū fœtore inquinata est. *Aldr.l.17. de hirund.* Item urgebit ipsum esse sui morbi,& infirmitatis immemorem, quod cibū neglexerit,quo aduersus mundum,carnem,& Dæmonia,quæ diuersa mouent prælia confortetur.

Insuper se de hæresi suspectum reddidisse,si quidem sacramenta non recipere, Ecclesiæ præcepta non obseruare,quo tempore recipienda, & obseruāda sunt, iuxta Ecclesiasticas leges, & sanctiones, externa sunt hęresis signa,quæ malæ credulitatis suspicionē patiunt. *Fel.in c. abolendam ext.de hæret.*

Za-

Zanchinus de hæret. c. 35. Pegna in 3. direct. inquisit. comment. 24. Farinac. in tract. de hæresi q. 178. §. 2.

; Addere poterit cõfessarius Concil. Later. sub Innocentio III. celebratũ, hæc peccata sic detestari, ac abominari, vt eis inquinatũ velit viuentẽ ab ingressu Ecclesiæ excludi, & mortuum Ecclesiastica carere sepultura. *c. omnis, ext. de pœnit. & remiss.* De facto vero nulla pœna ipso iure communi imposita est, siquidem illa canonis verba arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & Ecclesiastica sepultura priuentur, pœnam ferendam indicant, & sentẽtiam condemnatoriam infligẽdã supponunt. Dixi iure communi, quia iure aliquo synodali posset esse inflicta pœna excommunicationis, vel interdicti ipso iure incurrenda, & tũc statim absque vllo hominis facto subiretur.

Addo eũ qui tantũ cõfiteri omittit, etiam si exterius cõmunicet, supradictam pœnã incurrere, patet ex textu, in quo pœnæ subijciuntur, qui vtrumque non egerunt: ideoque qui alterutrum omittunt, illas pœnas contrahunt. Qui autem ficte tantum confitetur, si non absoluatur, vel scienter ex malitia confessionem inualidam faciat, etiamsi defectus tãtum internus sit, eisdem censuris irretiretur, quia absolute actio illa externa mala esset, *vt per Suar. tom. 4. disp. 36. sect. 8. num. 3. & 4. & Filiuc. tom. 1. tr. 7. c. 3. num 72. Bonac. l. 1. de sacramen. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 4 num. 24. Coninch. d. 5. n. 72. Molfes. tr. 7. c. 10. n. 29.* Adiũget nõ propterea ab his noxis excusari, qđ inimicitias gerat, cum omnis conceptus rancor, & odiũ postquam liberet acceptam iniuriam a Christianæ religionis cultore statim sit dimittendum, ac extinguẽdum, etiam ante veniæ petitionem, ab offendente factam. Natura namque in inimico non est odio habenda, sed amanda, quatenus est nostri similis, & Dei imago; qua ratione ad eum diligendum natura duce compellimur. Quare cum Aristoteles a quodam reprehenderetur, quod iniquo, & sibi aduerso homini, nescio quid pecuniarum dono dedisset, sapienter respondit, se non homini, sed humanitati dedisse. Perfectum odium, *ait Cassiad. in Psal. 138.* est homines diligere, & eorum vitia semper horrere: nã vt in illa parte qua creatura Dei sunt, amandos esse nõ dubiũ est, ita in illa iniquitate abhorrẽdi sunt, in qua se polluerunt. Tria sunt, quæ nos ad misericordiam mouere debent, videlicet necessitas, quia vt habetur *Iacob 2.* Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiã. Secundo vtilitas, quia misericordes misericordiam consequentur. Tertio cõgruitas, vt cum homo ea indigeat, in alios etiam pius, & misericors existat, iuxta illud,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Hilar. in Dom. 1. post Pent. Felinus conf. 3.

Ad 3. q. dico quod cum ex iniuria tria oriantur. Primo odium, vel rancor in corde. Secundo exteriorum actionum subtractio, nempe salutationũ, eleemosynarum, conuictus, &c. Tertio actio in foro iudiciali pro iniuriæ, & illatorum damnorum satisfactione, vbi Confessarius pœnitenti suaserit, vt tria illa remittat, si nisi primum nempe rancorem condonare noluerit, salua religione poterit illum absoluere. *Zerola in praxi pœnit. c. 22. q. 12. Nau. conf. 1. de accusat. & conf. 3. de pœnit. & remiss. Tol. l. 4. c. 8. Carbo. de pacif. c. 47. & de restit. q. 14. Polyd. Ripa de act. in mortis art. c. 55. Et alibi docuimus præsertim sup. tract. 6. c. 24. q. 12. & seqq.*

Ad 4. q. respondendo dicimus, quod licet Blasius sit ab Ecclesiæ ingressu nominatim ab Episcopi generali Vicario interdictus, non tamen impeditur, quin in foro interno etiam in Ecclesia extra tempus celebrationis diuinorum officiorum a peccatis absolui possit, multo magis extra Ecclesiam, in quo casu ipsum interdictum statim absque vlla Iudicis opera relaxari, vel saltem a quolibet Confessario absolui posse est multorũ sententia ab vsu, & praxi alicubi cõprobata. *Archid. Domin. & alij in c. is cui, de sent. excomm. in 6. & in c. alma mater, vbi etiam Couarr. eodem tit. lib. 6. Benzonius de anno Iubilæi c. 15. Zerola in prax. pœni. c. 22. q. 17. dub. 29. Molfes. tract. 7. c. 21. num. 54. arg. Reg. l. 32. tra. 3. c. 29 n. 56. & Conin. de Interd. d. 17. dub. 6. n. 76. Bonac. d. 5. p. vlt. n. 6*

Ad 5. q. dico, vt aliàs in alia materia aduertimus, Blasium in casum reseruatum nempe incestum incidisse, etiamsi reseruationem ignorauerit: satis est enim illud peccatum lege diuina fuisse prohibitum, a cuius scientia ille excusari non poterat. Secus dicẽdum esset, vbi quod commissum est ex se peccatum non foret, sed malum quia speciali lege prohibitum sit, vt est accessus ad monasteria monialium bono fine, & recta intentione, sed sine Superiorum licentia. Aliud etiam censendum est de excommunicatione; siquidem qui delictum committit, quo excõmunicatio ipso iure lata est, quam probabiliter ignorabat, in excommunicationem ipsam nõ incidit, cum scientiam, contumaciam, & inobedientiam supponat. Proinde ad ipsum Blasium absoluendum, Episcopi in illa Diœcesi authoritate opus erit, & cum incestus in primo gradu affinitatis sit perpetratus, & facultas ad petendum ab vxore coniugale debitum necessaria sit, dispensatio quò ad hoc ab Episcopo, vel Deputatis procuranda est, vt scripsimus *sup. to. 7. c. 26. q. 108.* Ad quem locum pro hac materia Lectorem remittimus.

Ad 6. q., respondendo hanc resolutionem statuimus, scilicet Blasium ab excommunicationis pœna immunem esse, si antequam per edictum esset publicata, ad illud monasterium accesit, & cum puella, quæ ibi educationis causa degebat, illos sermones miscuit; nam ante promulgationem reseruationem censuræ, vel casus, quis non ligatur, cum lex humana neminem astringat, prius quam promulgetur, &

publici iuris fiat, *c. 1. ext. de postulat. pral. Suar. l. 3. de leg. c. 16. Salas d. 12. Sayrus in d. reg. l. 3. c. 5. Reginal. l. 13. num. 151.* Vnde antequam constitutiones alicuius Episcopi solemniter edantur, in quibus alicuius peccati facta est reseruatio, si id etiam sciret sacerdos absoluere posset, & pœnitẽs absolutionem, petere, *arg. Sayr. l. c. num. 1. Flor. de cas. res. p. 1. c. 3. num. 16.*

QVAESTIO II.

Quid agendum cum eo qui semel in anno in hebdomada Sancta sine debita attritione, vel contritione confessus est, & an licentia, vt quis absoluatur à reseruatis ad futura extendatur.

GRegorius genere nobilis accusat se quod cum in iuuenili, & virili ætate consisteret, & solutiorem vitam duceret, tãtum semel in anno in hebdomada sancta criminum labes expiare solebat, nec fœminarum, cum quibus turpem cõsuetudinem habebat, & quarum amore capiebatur, proximam occasionem relinquẽdi firmum propositum habebat. Et cum à Vicario Episcopi facultatem obtinuisset, vt a quibusdam casibus reseruatis, in quos inciderat absolueretur, post obtentam licentiam in fraudem, & mala fide, alia delicta reseruata eiusdem generis perpetrauit, nec postmodum illam fictionem confessus est, nunc eum de præteritarum confessionum validitate angatur, & scrupulo pulsetur, quæritur, quomodo consulere ei debeat Confessarius.

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REspondeo & suppono primo, quilibet fidelẽ ex Ecclesiæ præcepto, quæ ius diuinum ad tẽpus determinauit, si vsu rationis potitur, & peccati mortalis conscientia premitur, teneri saltem semel in anno suo proprio Parocho, vel cum eius expressa, vel tacita licentia alteri Sacerdoti confiteri. Quod quidem præceptũ non pręcise, vt supra dixi, in Quadragesima obligat, sed potest quolibet anni tempore impleri, quamuis ex laudabili consuetudine ob sacram Synaxim in Paschate sumendam, hoc pium officium præstari soleat *c. omnis vtriusque. ext. de pænit. & remiss. Baurot. in Catechismo histor. tom. 2. c. 4 tit. 12. & 13.* vbi refert etiam D. Gregorio Pontifici Maximo reuelatum esse, quẽdam ideo damnatum, quod propter inimicitias quas remittere noluit, corpus Christi saltem semel in anno recipere omiserit, & de hoc confessus non fuisset.

Secundo inter conditiones, quibus confessio prędita esse debet, tres ad eius essentiam requiri, nempe vt sit Primo lachrymabilis, vt scilicet pœnitens de præteritis peccatis doleat, & in futurum illa deuitare proponat *Conc. Trid. sess. 14. c. 4.* Hinc *Petrarcha de memoria c. 8.* Memento, inquit, peccati, vt doleas, memento mortis vt peccare desinas, memento diuinæ iustitię vt timeas, memento misericordiæ, ne desperes. Secundo vt sit integra, idest omnia peccata mortalia ab eo exprimantur, cum necessarijs circũstantijs, & numero. Tertio vt ea quæ ad animæ suæ salutem spectant pœnitens perficere paratus sit, &c. vt infra etiam dicetur circa art. de sacram. pœnitẽn.

Tertio suppono ex probabiliori DD. sententia, pro inualidam peccatorum cõfessionem, vt quia debita contritione, vel attritione carebat, vel quia integra ex ipsius pœnitentis culpa non fuerit, præcepto Ecclesię non satisfieri; siquidem Ecclesia annuam confessionem præcipiens eam iubet, quam Christus instituit, addita tantum, vt dixi, temporis determinatione. ex *Conc. Trid. d. sess. 14. c. 5.* Certum est autem Christum eam integram de omnibus peccatis mortalibus coniunctam cum sufficienti eorum detestatione instituisse; vnde sine ea Ecclesiasticum præceptum non adimpletur, sed eius violatione peccatur, nisi iusta causa interueniat, quæ excusat. Imo & sacrilegium committitur, insufficienter ad pœnitẽtiæ sacramẽtum perficiendum accedendo, ita vt etiam qui dolo, vel lata culpa, vel crassa ignorantia, inualide confitetur, in excommunicationem ab Episcopo loci in non confitentes semel in anno latã, incurrat. Sicut etiam in simili DD. dicunt, quando absolutio a casibus reseruatis datur per modũ indulgentiæ, confitentibus concessæ, vt in Iubileis fieri solet, tunc de summi Pontificis intentione, priuilegium, & fauorem illum concedentis, validam confessionẽ requiri, nec sufficere inualidã, ob aliquem essentialem defectũ, nec enim per illum reseruatio desinit, nec Superioris menti satisfit, &c. *Reg. l. 6. num. 55. & l. 8. num. 63. Coninch. disp. 5. dub. 9. num. 72. Molfes. tract. 7. c. 10. num. 29. Suar. tom. 4. d. 31. sect. 4. num. 22. Bonac. de pænit. d. 5. q. 5. p. 4. num. 25.*

RESOLVTIO CASVS.

HIs suppositis, dico Gregorium, nõ vanis scrupulis, qui non sunt admittendi, sed rationabili, & iusta dubitatione tangi, an præteritæ confessiones validæ sint, cum debita contritione, vel attritione carere videantur. Rectissime, vt aliàs obseruaui, contritio duas facies, sicut antiquitas olim Iano tribuebat, habere depingitur, alteram à parte anteriori, qua præterita respicit peccata, vt doleat, & ea detestetur, alteram in futurum prospicit, omnia vitare proponendo, quæ diuinam lædere possent Maiestatem. Supponimus vero ad confessionem eum accessisse, etiam si propositum non haberet proximas, ac mortales cum mulieribus delinquẽdi occasiones deserendi; nec integrũ confessum esse, cum a

reserua-

reseruatis casibus est absolutus, tùm quia licentia à pœnitẽte petita, vt à peccatis reseruatis absoluatur, ad præterita tantum extenditur, aliàs delinquendi materia daretur, tùm quia fraudem illam, & fictionem, in sacramentali confessione nõ expressit. *Vgol. de off. Episc. p. 1. c. 36. §. 8. Floren. de cas. reseru. p. 1. cap. 4. §. 3. & alij.*

ADIVMENTA A CONFESSARIO *animaduertenda, & pœnitenti danda.*

PRoinde a præsenti Cõfessario pœnitens suadendus est, vt generalem totius anteactæ vitæ confessionẽ instituat, tũ quia pteritæ validæ, ac legitimæ non censentur, tùm quod cum tantum semel in anno timore potius pœnæ Ecclesiasticæ, & infamię, quàm iustitiæ, & virtutis amore, in hebdomada sancta confiteretur, coacta, & latronis confessio, a Doctoribus appellatur: quia Innocentius III. *in c. omnis, de pœniten. & remiss.* præcipit, vt huius præcepti violator viuus ab Ecclesia arceatur, & mortuus Ecclesiastica careat sepultura: & in multis Diœcesibus contra non confitentes, & in Paschate non communicãtes pœna excommunicationis infligitur. Quam tamen pœnam communiter DD. negant esse ferendam in pueros, qui ante 12. annum annuæ confessionis legem non adimpleuerunt. *Bonac. de sacra. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. num. 3, vt in superiori q. diximus.* Isti qui semel in anno confitentur, ait *Tol. l. 6. c. 11.* vix tertiam partem peccatorum confitentur; & cum tempus confitendi aduenit, dolores parturientis sibi pati videntur, & magna angustia, & timore semper procrastinant vsque in diem vltimum Quadragesimæ. Quos vel *Tridentini Patres in Catechis. Rom. p. 2. sect. 58.* sic perstringunt. Magna fidelium pars est, quibus vulgo nihil longius videri solet, quàm vt dies illi, qui Ecclesiastica lege confessioni præfiniti sunt, effluant; tantum absunt a Christiana perfectione, vt vix peccatorum suorum meminerint, quæ Sacerdoti patefacienda essent, nedum cætera diligenter curent, quæ ad diuinam gratiam conciliandam vim habere maximã perspicuũ est. &c.

De quorũ numero fuit ille filius, de quo *Author Specul. exemp.* 28. refert, q per 30. annos eleemosynas pro defuncto parẽte erogauit, & preces pro eiusdem animę redemptione apud Deum fudit: cui pater ipse apparens dixit, se quidem in Purgatorio carcere detineri, sed opera, quæ filius faciebat, nihil sibi prodesse, eo quod illa in statu peccati mortalis ageret: cuius rei causam eam esse dicebat, quod semel tantum in anno, in hebdomada sancta confiteretur, & quidem propter formam, & in speciem tantum, absque vllo emendationis proposito. Filius autem hæc audiens, compunctus est, & serio animam suam expiauit, & breui pro patre suo eadem pia præstans opera, cito e Purgatorio illũ liberauit. Signum autẽ eorum confessionem inuoluntariam esse, ac proinde non animæ proficuam est, quod Primo fine vlla pene præparatione, & conscientiæ examine ad confessionem accedunt. Secundo quod impositam pœnitentiam nõ perficiunt. Tertio quod ad instar canum transacto Paschate, statim ad vomitum redeũt. Hac naui etiam vehuntur illi, qui serius confitentur, & articulum mortis expectant, vt propterea merito timere debeant, ne Cygno similes effecti à Domino condemnentur: ea .n. de causa Deus illum reprobauit, quia solum in mortis articulo canere solet. *Leuit. c. 11. Bess. Dom. 20. post Pent. Dauros. de exemp. tom. 3. c. 5. tit. 36. exemp. 9.* Et ideo omnes fere prudentes Episcopi in suis Synodis edicere solẽt, vt Parochi subditos suos admonere teneantur, vt tempore Quadragesimali cõfessionem vsque ad hebdomadam sanctam non differant. Qui vero semel tantum in anno parum salutis propriæ memores confiteri solent, nisi quotannis ante Dominicam palmarum cõfessi fuerint, ij sciant, se ad sacramentum pœnitentię non admissum iri, nisi post Resurrectionis octauam transactam. vt per D. Carolum in admonitionib. & instruct. confess. *Et habetur apud Acta Eccl. Med. p. 4.*

Vbi etiam hęc salubria monita non prętermittit: Quoniam cernere est negligentiam maximam in confessionibus rite faciendis sæpe numero committi, præcipue vero eo tempore, quo quidam repudiato à se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suę curam gerere putantur, vt potius veniant ad confessionem ex certa quadam agendi consuetudine, quàm quod peccatorum suorum cognitione eò perducantur, & vitam emendandi vera desideria susceperint: in vniuersum quidem ob summam commoditatem, quæ ex confessione generali redundat, tùm præsertim cum ex animo quisquam statuerit in posterum uitam in melius commutare, & totum se ad Deum conuertere: Confessarij pro cuiusque personæ qualitate opportuno tempore, & loco, ad generalem quandam confessionem pœnitentes exhortentur, ut per hanc proposita omni præterita uita sibi ob oculos, maiori cũ alacritate redeant ad Dñm, ac oẽs errores, qui potuissent in præcedentib. confessionibus accedere, resarciant. hæc ille. Atque his subscribit *Florentius Harlemius in Instit. vit. Christ. l. 2. c. 19. Lud. de Ponte de Christ. hom. perfect. p. 1. tr. 3. c. 7. Franc. Arias in Addit. ad profect. spir. c. 12. & alij.*

Porro tres potissimum sunt catenæ, quæ peccatores retardant, quo minus peccata sua sæpius in anno confiteantur. Prima est negligentia in rebus ad salutem pertinentibus, obliuio, & sopor humanum genus uitio primæ præuaricationis opprimens, & torpor pręstolandi, qua Diabolus plurimos constringit, ne dum sibi licet confiteantur, sed semper differant, coruinam uocem cras cras emittentes,

tentes,&c. Secunda est confitendi uerecundia,qua Diabolus retrahit,ne animæ sordes diluant, uel saltem ut illum pudorem euadant,efficit,ut omisso cõfessario medico sibi noto,prudente,ac perito,cui utiliter confiteri consueuerunt, ad ignotum aliquem accedant, apud quem non tantum suæ existimationis iacturam faciant,etiamsi minorem ex ea confessione fructum percipiant. Quod si id faciant, ut in aliqua peccãdi proxima occasione permaneant, inde non salutem,sed perniciem hauriunt. Tertia catena a confessione, & animæ expiatione retardans est satisfaciendi horror, sunt enim nõnulli, qui dum cogitãt,se oportere Deo,& proximo satisfacere, do lendo de preterito,quod est difficile,& proponendo in futurum cauere, quod difficilius est, & pœnitentiam ab Ecclesia, uel Sacerdote iniunctam necessario adimplendam esse,quod difficillimum eis uidetur,pusillanimes efficiuntur,& Diabolica tentatione superati sacramentalem confessionem auersantur, & in peccatorum fęce misere iacent.

Proponat ipsi Gregorio pęnitenti necessarium esse, ut in postetum pura sit eius intentio,quò scilicet ob Dei amorem, & ut ei placeat, & animæ salutem comparet,& ut malæ uitæ statum deserat,errata sua confiteatur, non ex consuetudine, aut ficto animo, metu, uel humana aliqua ratione adactus. Et cum bene ualet, sic conscientiam suam exonerare curet, ac si illa confessio ultima ei futura esset,&ita se quotidie præparet, ut in senectute, uel morbo non sit illi necessarium, grauia peccata expiare, sed pro leuibus tantum culpis pęnitentiam agere. Sæpe enim accidit, ut pœnitentiæ sacramentum quo tempore est magis necessarium,tũc minus accurate suscipiatur:cum illi qui morbo laborant,uel doloribus prępediti sunt, imperfectam peccatorum confessionem faciant,& ualde ægre contritionem uetam,ac perfectam in illis angustijs in se excitare queant. Sub uitę exitum,& supremo tempore uehementer sane insidiatur ueterrimus hostis,&multa insusurrat,quibus ægtum iam satis morbo fractum,& perturbatum co gat,si fieri potest,à spe salutis excidere,longam ei obijcit peccatorum seriem,quibus uitam respersit suã & sufficiens forte pœnitentiæ antidotum non appo suit: proinde instante illo tempore firma spes concipienda,& erigenda est:at dum tempus datur,egregia Deo seruitus exhibenda, uirtus colenda, pœnitentia agenda,& pro salutis propriæ negotio conficiendo sacramenta frequentanda. Nã teste *Platone l.* 1.*de Repub.* Quicumq; iuste,sancteque uitam exigit,dulcis eum spes comitatur,cor nutriens, & senectutem fouens. Item talem perquirat,& eligat Confessarium,qui cõscientia,& scientia præditus sit,qui eum in uiam salutis dirigere,& probe instruere sciat & possit,eos hac in parte imitans, qui aliquo corporis morbo laborãt,q a peritissimis medicis potius,q̃ ab indoctis consilium capere,& curari malunt. Tùm ueto in eius manu,ac arbitrio se humiliter cõstituet nihil sui sibi reseruans,ea omnia facere, & omittere paratus, quæ pro recipienda animæ suæ vita, is vel iussurus,vel vetiturus est. Illud addens,saluberrimũ esse,ac maxima commendatione dignum,vt cum idoneum adeptus est Sacerdotem, hunc, nisi forte certis,grauibusq. de causis non facile mutet, *Florent. Harlem. in instit. vita Christ. l.* 2. *c.* 21. vt dixi etiam supra *tr.*7.*c.*38.*q.*135.*& de statib.p.*1.*c.*17.

Pro practico autem casu annotãdum est ex communi sententia, Parochum non posse suis subditis prohibere, ne etiam tempore Paschatis approbato Confessario regulari confiteantur,seu etiam alij Sacerdoti seculari ab Episcopo admisso, vbi consuetudine a Prælatis tolerata sit vsu receptum. Ex quo sequitur, ut ab ipso Parocho illi Eucharistia non sit negãda,qui se dicit approbato Sacerdoti in Pascha. te esse confessum, ẽtsi forte illa confessio ex aliquo capite occulte inualida sit, mõ subditus sit fide dign⁹ nec publicus peccator. Alicubi tamen per Decreta, vel per vsum inductum est, vt Curati ijs fidem non præstent,nisi schedulam confessionis afferãt:quamquã si persona grauis,& honesta dicat, se ipsam attestationem amisisse,aut se illius oblitum fuisse, illi credere possunt, illumque ad Eucharistiam admittere,quia viro fide digno fides haberi potest,&c.vt ex communi tradit *Bonac. de sacram. d.*5.*q.*5.*sect.*2. *p.*4.*n.*34.*& Molfes. tr.*7.*c.*10.*n.*24. *Lap. alleg.*127.

CAP. II.

QVÆSTIO III.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum moniali, quæ ex vsu quodam,& pro forma confitetur. Quomodo item cum regulari sine actuali displicentia, & proposito cauendi venialia peccata confitẽti,&c. Et in quam pœnam moniales clausuram exeuntes, & Superiores opem,ac consiliũ præstantes incidãt.

VRsula sanctimonialis non solet singulis mensibus animam sacramentali confessione expiare, & dum venialia confitetur, ex consuetudine potius,quàm ex pietatis studio, & proficiendi desiderio,hoc facit, certum eundemque perpetuum habens confitendi modum, semper eisdem utens uerbis,non secus suam instituens confessionem,quã plerique orantes,non nisi Dominicam orationem,Angelicamque salutationem continuò, & constanter repetunt.

Item Aurelius regularis,ac claustralis uir,& sanctimonialium Confessarius,octauo quoque die, uel ipse uenialium culparum labes expurgare consueuit,de his tamen, ut uellet, se dolere non sentit, nec cauendi

cauendi in futurum propositum se habere animaduerit. Item cum d. Vrsula optaret ex curiositate videre solemnes supplicationes, quæ in die Corporis Christi in Vrbe fieri solent, consilio dicti Aurelij cōfessarij asserentis absque culpa saltem mortali id fieri posse, modo in Ecclesia muto clausuræ contigua ad uidendum persisteret, una cum alijs duabus socijs monasterij clausuram exiuit. Quæritur, quomodo Confessarius cum his se gerere debeat?

Respon. An monachi, & moniales semel in mense exomologesim facere, & sacram Synaxim sumere sub culpæ mortalis reatu teneantur, inter Doctores controuertitur; nam in *Clem. ne in agro. §. sane. de stat. Monach.* ita statuitur, singulis mensibus tàm in Monasterijs, quàm extra, sublata quacumque occasione, ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli monachi, & in prima Dominica mensis cuiuslibet, in Monasterijs semper communicent, nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorū non differant intimate, &c. Et ibi *gloss. in ver. mensib. ait*, Arctantur monachi singulis mensibus, ad quod fideles arctantur singulis annis: propter religionis enim perfectionem, aliquid debent ad pensum sanctæ institutionis adijcere. *Et in Conc. Trid. sess. 25. de regul. c.* 10. ita decernitur, Admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciāt, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo saltem salutari præsidio se muniant, ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas.

Qua in q̄stione uerior, & cōior est DD. resolutio, regulares, & moniales, quidquid in cuiuslibet monasterij constitutionibus cautum sit, de iure communi, & Decreto Concilij Trid. non præceptum iniungi, sed consilium suaderi, ut proinde lethalem culpā non contrahant, si singulis mensibus uenialium noxarum confessionem, & communionem omittant, &c. *Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 3. Suar. tom. 4. d. 36. sect. 5. num. 7. Zerula in praxi Episco. in ver. Moniales. §. 7. Suarez tom. 3. q. 80. art. 11. disput. 66. Henriq. l. 1. de pœnit. c. 4. n. 10. & l. 8. de Euch. c. 5. n. 3. Rod. tom. 1. qq. regul. q. 62. art. 1. Miranda de Monial. q. 10. art. 1. Vinal. in Cand. aur. de confes. nu. 52. Vasqu. tom. 4. q. 90. a. 3. dub. 3. Regin. l. 6. n. 105. & l. 29. n. 73. Megal. p. 1. instit. confess. l. 5. c. 6. n. 5. Molfes. tract. 7. cap. 10. num. 21. Longhus de cas. reser. reg. p. 1. sect. 3. art. 2. vt dixi in Comment. de hum. vit. stat. p. 1. c. 24. olliq. 1.* Quia tamen cōfessio ad Christianam perfectionem acquirendam optimum est præsidium, *vt per Blos. in Mon. spirit. c. 5. & Tol. l. 6. c. 11.* Sanctimoniales non solum singulis mensibus, sed etiam sæpius animas suas expiare deberent. Vnde DD. præsertim *Petr. de Ocha. de confiss. trac. 2. q. 41.* asserit ex communi, proprium Sacerdotem teneri ad audienda cōfessiones ex sola deuotione, & ex uenialibus tantum culpis factas, cum obligetur spirituali subditorum profectui prospicere, qui communiter ex frequentatione confessionis consequitur.

Porro maxime uetendum est, ne monialis ista recte confiteatur, præsertim cum interdum accidat, ut plus, minusve, quàm admiserit, exprimat. Et reuera, qui semper eodem confitentur modo, & exquisitis, elaboratis, aut artificio ex aliquo libello petito, & memoriæ mandato, confessionem instituunt, satis uerosimile est, numquā eos ante suam explorare conscientiam, non se prius dispicere, ac discutere, sed ex sola consuetudine ad sacramentalem confessionem accedere. Breuiter, & syncere prout in animo latent peccata aperienda sunt, cum bene subductæ rationis, & sanæ mentis sit, paucis, certis, liberis, ac grauibus uerbis rem absoluere; nugis, & quæ ad rem non faciunt, quæque à muliebri mente parum sana prodeunt, penitus proscriptis; simplicissima enim, & ab omni fuco abhorrens debet esse confitendi ratio, ut merito ætate sua etiam conquereretur D. Ambrosius, uix ullos esse, qui rite confiterentur, atque in eum usum editis libellis, fideles instruebat quo pio affectu, & quo pacto in hoc tā serio negotio uersari deberet. Quippe cauendū a religiosis, & alijs ne confessio, aut cōio in cōmunem usum pro forma inducatur, & in siccam, & languidam consuetudinem sine consideratione, & sensu conuertatur, atque fint uitulæ instar, quæ frumentum terendo sola assuetudine ducta eodem it, & redit. *Oseas c. 10.* Expendenda sunt peccata etiam uenialia, non publica, & communi lance, siquidem illa in foro mundi nihil grauant, nec æstimantur, cum sint mendaces filij hominum in stateris, sed uera lance sanctuarij, qua uiri sancti, & illustres personæ usa fuere, quæ ut peccatorum etiam leuium qualitatem dignoscerent, de Cœlo lucem hauserunt. Vnde est illud B. Laurentij Iustiniani apophthegma, crebris sermonibus usurpatū, Dei serui non esse, a magnis peccatis cauere, id non esse cæci secularis hominis, sed patria uita esse, ne charitas refrigesceret. Nec abludit illud D. Gregor. Nazianz. in præceptis, & monitis uirginibus sacris carmine conscriptis,

Ergo caue ne vel labes tenuissima mentem
Inficiat, minimasq́ etiam procul abyce noxas.

Sanchez l. 1. de præcep. c. 5. num. 4. postquam dixit, interpretatiuum censeri contemptum, quo quis uenialia paruipendit, ut nullum uitare proponat, merito deducit, propositum committēdi omnia uenialia, & sola mortalia uitandi, quāuis contemptus formalis desit, esse mortale peccatum, præsertim in materia periculosa.

Ad secundi casus propositi partem dico, quod licet nec laicis, nec religiosis necessariū sit, ueniales culpas confiteri, *vt diximus & sup. tract. 5. c. 3. q. 23.* ea tamen sacramentali confessioni subijcere multū commodi

commodi, & vtilitatis afferre dubium non est, Primo ob humilitatem, & erubescentiam, quæ est magnæ satisfactionis pars. Secundo, quia conscientiæ puritas cõseruatur, & a grauibus criminibus anima præseruatur, nam à minimis neglectis periculum est in maxima prolabendi, & ex Gregor. Nazianz. *Qui paruis obuius ibit, is nunquam præceps scelera in grauiora feretur*. Et vt ad *Mon. Cister. ait D. Ansel. ep. 6.* Certissimum est quod in multis Ecclesijs experimento didicimus, quia in monasterio vbi minima districte custoditur, ibi rigor monachorum inuiolabilis manet, ibi pax inter fratres; vbi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur, & destruitur. Tertio ex vi, vt dicunt, sacramẽti, & ex opere operato, diuina confertur gratia. Quarto propter consilia, monita, & documẽta, quæ Confessarius præbet, homo in via Domini magis proficit. Quinto secura conscientia redditur, cũ fieri possit, vt pœnitens erret, existimando esse peccatum veniale, quod est mortale, animam lethali morbo inficiens: vt merito Regius Propheta precatus fuerit, Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. *Psal. 18. Concil. Trid. sess. 14. c. 5. & can. 6. Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 3 Sylu. in ver. confessio 1. q. 13. Nau. c. 21. num. 34.*

Sed quando d. Aurelius leues, ac veniales culpas Ecclesiæ clauib. subdit, tenetur saltẽ de aliquib. aliquem dolorem, seu displicentiam, vel explicite, vel implicite concipere, & cauendi in futurum propositum excitare. Et dolor sufficiens cum Sacramento, est dolere, quod non satis, seu vt velit, doleat; nam Deus cor respicit, & pauperis desiderium exaudit, atque votum pro opere ab eo reputatur, *c. magna, de pœnit. dist. 1. Suarez tom. 4. dispu. 20. sect. 6. nu. 6. Viual. in cand. aur. de contrit. q. 9. & de confess. q. 58. Hẽriq. l. 3. de pœnit. c. 8. num. 7. Roder. p. 1. c. 54. num. 5. Graff. l. 1. decis. aur. c. 6. & c. 10. Et dixi in d. Commẽt. de stat. p. 1. c. 17.*

Ad 3. q. dico, Vrsulã, & duas sorores, quæ primã monasterij clausuram egressæ, in Ecclesiam ad cernẽdas publicas supplicationes quadam curiositate ductæ, Confessarij consilio se contulerunt, à peccato mortali, & ab excõmunicatione Papæ reseruata excusari posse, si id bona fide, & simplicitate fecerunt; siquidem pœna imposita contra præsumentes, non videtur ab his incurri, qui cum ignorantia etiã crassa, sed absque dolo, & contemptu actum faciunt, *vt per Sanchez l. 3. de matrim. disp. 18 num. 7. & Riccium in praxi fori eccles. resol. 19. Duar. l. 2. in Bulla can. 1. q. 36.* Idque eo magis quod cum in Ecclesia muro primę clausuræ contigua perstiterunt, monasterij septa egressæ non censentur; vt requirere videtur Bulla Pij V. incip. Decori. Eadem ratione ab hac censura immunis erit Confessarius, qui ad sic exeũdum consilio suo causa extitit, præsertim quod tantum Superiores, vt sunt Episcopi, Generales Religionũ, Prouĩciales, & domorũ Præfecti, quò ad monasteria sibi respectiue subiecta, licentiam monasteria egrediendi cõcedentes, comprehenduntur in d. cõstitutione. Cæterum difficile admodum Aurelius Confessarius a lethali culpa excusari posse vr, qui temerario suo consilio huiusmodi excessui causam prę buit. Nihilominus, quia vsus, qui in rebus moralibus diffiniendis attendendus est, in mulris Diœcesibus extat, vt primam clausuram moniales exeuntes excommunicatæ censeantur, nec eas releuat, quod bono fine pedes efferunt, idcirco vt tutior eligatur pars, ad abundantiorem cautelam absoluendę erũt, quam absolutionem Episcopus impendere poterit, siquidem sacrę virgines ob quemlibet enormem excessum, quia extra claustrum exire nequeunt, nec Romam scribere tenentur, ab Ordinario liberari debent; qua facultate tanquam a Papa delegati etiam in exemptas fungũtur: licet enim Generali, vel Prouinciali Præfecto subsint, ob reuerẽtiã tamẽ Episcopalis culminis ipsis Ordinarijs hoc indultũ est. *Nal. v. moniales, n. 9. Choch. de iurisd. ord. ĩ exẽpt. p. 2. q. 45*

QVAESTIO IV.

An Parochus possit suam iurisdictionem delegare, seu licentiam alteri alienę diœcesis Sacerdoti dare, vt ouium suarum confessiones audiat in sua Ecclesia Parochiali. Nunquid Confessarius formam à suo Episcopo prę scriptam non seruans ualide absoluat. Subditus extra territorium legem ferentis peccans, quando pœnam legis incurrat. Vtrum aduenę tempore Paschali in aliena diœcesi confitentes, ac communicantes, Ecclesię præcepto satisfaciant, & quid de Sacerdote celebrante?

Geminianus Sacerdos à suo Episcopo ad cõfessiones audiendas approbatus, cum Bononiã negotiorum causa, ab ipso suo Ordinario venia non petita, contra suum edictum se contulisset, à Sebastiano Parocho, & amico rogatus, Paschatis tempore, eius Parochianorum, absque alia Bonon. Archiepiscopi facultate, reconciliationes in subsidium audiuit, ac inaduertenter à quodam casu reseruato absoluit, & in eiusdem Parochi Ecclesia S. Eucharistiam administrauit. Et cum in propria diœcesi sit à suo Episcopo sub hac forma approbatus, Concedimus tibi facultatem audiendi confessiones quorumcunque ad te accedentium, de licentia tamen Rectorum, Franciscum, & Bernardum Murinenses, quos socios pro conficiendis negotijs sibi asciuerat, hic Bononię (ubi etiam Confessarij tàm seculares, quàm regulares sub hac conditione ad excipiendas confessiones admittuntur) in æde D. Marię de Vita; ad quam magnus populorũ pro gratijs impetrandis

ttandis sit concursus, eodem Paschali tempore in sacramentali confessione audiuit, nulla à Parocho, cui illa Ecclesia subiecta est, petita licentia. Cum autem extet constitutio ab Episcopo ipsius Geminiani lata, qua cauetur, vt Sacerdotes qui solenioribus diebus, sine Ordinarij facultate absunt, & tam in Diœcesi, quam alibi alea ludunt, sint ipso facto à diuinis suspensi, ipse tàm à peccatis, quàm à censura, antequam celebraret, à Confessario hic exposito absolutus fuit. Vnde ex hoc proposito casu hæ quæstiones sunt excitatæ. Prima est, an Sebastianus Parochus subditorum suorum confessiones, seu reconciliationes Geminiano, inconsulto Bononiensi Archiepiscopo, committere potuerit; & an absolutio super casu reseruato impensa valeat. Secundo nunquid etiam Geminianus à suo Episcopo approbatus, valide absoluere non valuerit, cum præscriptam à suo Episcopo formam non seruauerit. Tertio num eidem Geminiano à suspensione, si quam contraxit, à simplici Confessario extraneo, & in aliena ditione, absolui licuerit. Quarto, vtrum Geminianus, Franciscus, & Bernardus, tam ij confitendo, &c. quã ille celebrando, Ecclesiæ præcepto, quò ad annuam confessionẽ, & Paschalem communionem, satisfecerint, & quid Confessarius in præsenti casu his quæstionibus inuoluto facere debeat?

Respond. Cum suppositionibus, & fundamentis, quæ alibi iecimus, hic opus esse non videatur, ad propositarum dubitationum resolutionem properandũ duximus. Et quidem ad 1. q. dico, Sebastianum suorum subditorum confessiones Geminiano in aliena tantum Diœcesi approbato demandare non potuisse, siquidem quilibet Ordinarius in sua ditione hoc separatum ius Confessarios pro suis ouibus determinandi habere censetur, & per consequens approbatio in vno loco facta, ad alium non extenditur, prout ẽt sacrã Cardinalium Congregationẽ declarasse fertur. & sic resoluit ex probabiliori sententia *Beiap. 1. respons. casu 16. Regius casu 61. Gutierez l. 1. can. qq. c. 27. Molfes. tr. 7. c. 14. num. 67. & c. 16. n. 21.* Proinde dicendum est, illas confessiones inualidas esse, nisi de venialibus culpis certis factæ essent, cum absoluti sit iuris, in sacerdotij receptione, ratione venialis peccati, & mortalis rite confessi, & etiam respectu cuiuscumque peccatoris, in articulo mortis iurisdictionem conferri. vt ait *Graffius cons. 10. tit. de pœnit. & remiss. nu. 15. Reginal. l. 6. n. 93. & l. 8. n. 35.* Dixi aũt certis, &c. qa simplex Sacerdos à suo Episcopo non approbatus, in illa Diœcesi à peccatis, de quibus dubitat, an mortalia, uel uenialia sint, absoluere non posset. Sicut etiam dicimus, dum quis mortalibus non grauatur, sed tantum leuibus culpis aspergitur, ab annuæ confessionis præcepto excusari, sed solum ad Confessarium accedere teneri, illiq. significare, se Dei gratia lethali crimine non vrgeri, & per consequens talis obedientia quo ad præceptum ad implendum sufficeret. Secus si dubitaret an mortalia essent, quia ut certiorem regulam amplectatur, & Ecclesiasticæ præceptioni satisfaciat, sub dubio probabili ratione concepto, ea confiteri tenetur, ut communiter Doctores sentiunt. Qui etiam alterum casum afferunt, nempe quando quis tantopere ad aliquod ueniale peccatũ afficitur, ut timeat, se per illud ad mortale inducendum, nisi confitendo fortiter talem affectum compescat; nam alioqui ad ipsum mortale peccatum saltem interpretatiuo assensu consentiret.

Quod aũt spectat ad errorẽ, quẽ Geminianus audiendo subditos Sebastiani cõmisit a casu referuato absoluẽdo, dico teneri cũ prudẽtia. penitẽtẽ de ipso errore certiorem facere, cauendo, ut sine sigilli confessionis uiolatione, & sine scandalo hoc fiat, aliàs in bona fide eum relinquere debet. *Suar. tom. 4. d. 32. sect. 6. Reginal. l. 8. nu. 3. & seq. Bonac. de sacr. d. 5. q. 7. puncto 6. Regius casu. 65.* vt etiam tactum est in *Comment. de cas. reser. p. 1. c. 1. vers. Quid autem agere.* Vbi etiam resoluimus, quod absoluens à casu reseruato, à quo non potest, à graui crimine non excusetur; si tamen bona fide per incogitantiam, uel obliuionem hoc agat, in pœnas à Clemente VIII. latas non incurrit, cum ad illas contrahẽdas prælertim excommunicationem, ausus, & præsumptio requiratur, vt est communis DD. sensus.

Ad 2. q. dico, quod si de peccatis uenialibus ab eo absolutis loquamur, sicut Ecclesia directe eorum confessionem præcipere non potest, ita nec Episcopis illis modum, uel formam præscribere integrum est. Sed quo ad mortalium confessionem, dicendum esset, eorum absolutionem supra dicta ratione inualidam fore, quod à carente iurisdictione, in aliena Diœcesi sit impensa, qua si munitus fuisset, licet aliqui sentirent per illa uerba concedimus tibi facultatem audiendi quoscumque ad te accedentes, de licentia tamẽ Rectorum, &c. conditionatam formam importari, & hunc sensum effici, si Parochus consenserit; nam ablatiuus absolutus conditionem inferre videtur: alij tamen probabilius existimant, facultatem audiendi confessiones, per hanc loquendi formulam proprie conditionatam non reddi, sed tantummodo indicari modum, ex æquitate, & ecclesiastica disciplina seruandum. *Bonac. l. c. d. 5. q. 7. p. 4 §. 1. nu. 18.*

Tertiæ quæstionis nodus sic dissoluitur, Sebastianum non leuiter peccasse, quando contra Episcopi statutum, & eo inconsulto, paschali tempore abfuit, & aleis lusit; certum est enim in transgressione præceptorum, quæ & clericis, vel simplicibus sacerdotibus imponuntur, in duobus potissimum casibus peccatum mortale inuolui. Prior casus est, quando talis transgressio violationem diuinæ legis sub mortali obligan-

obligantis incluserit, vt contingere potest transgressioni ecclesiasticarum sanctionum, præsertim *Conc. Trid. sess. 25. c. 14.* prohibitionis cohabitandi cum mulieribus, aut quando coniunctum habuerit præcepti Ecclesiæ cōtemptum, seu talem temeritatem, qua sine iusta causa, tale preceptum nihili penditur; aut demū quādo scādalū adest, vt cōtingere potest, cū clericus cū habitu indecenti incedit; aut cum suspectis mulieribus versatur, ludis, vel choreis incumbit, canes, & accipitres in venatione insequitur. ex eodem *Conc. Trid. sess. 22. de reform. c. 1.*

Posterior casus est, quando clericus ab Episcopo suo sub pœna excommunicationis prohibetur, vt aliquid non faciat, quod ab Ecclesia etiam sit prohibitum, vt quod sine proprij Episcopi licentia tali, & tanto tempore non absit, longam peregrinationem non suscipiat. *c. magna. ext. de voto.* Idemque dicendum de pœnis suspensionis, & interdicti, cū ob peccatum à iure, vel homine infliguntur, de quo dubitandum non videtur, cum notabiliter grauent, & difficile remedium habeant, quandoquidem regulariter ab homine late reseruari solent, & tantum ab Episcopo, vel ab eo Deputatis relaxari valent. *Vasquez 12. disp 158. c. 5. Reginal. l. 15. n. 49. & l. 3. tr. 3 nu. 7. Bonac. de legib. d 1. q. 1. puncto 7. §. 4. num. 30.* Vbi colligit legem sub lethalis culpæ reatu obligare Primo ex legislatoris intentione. Secundo ex verbis præceptiuis. Tertio ex grauitate materiæ. Quarto ex communi hominum æstimatione, & consuetudine. Quinto ex graui corporali, vel temporali pęna. Sexto ex spirituali animaduersione, vt est excommunicatio, suspensio, & interdictum.

Hinc conficitur Geminianum pręter grauem admissam culpam, suspensionis reseruatæ censura irretitum, in quam ob discessum ab vrbe inconsultò Episcopo incidit, (quidquid sit quò ad aleæ ludū, ob quem Episcopi statuto in aliena Diœcesi non ligari multi contendunt) à simplici Confessario absolui nō potuisse, cum illa etiam extra ferentis territorium liget, quando delictum in ditione, & iurisdictione legem ferentis inceptum est, quamuis in aliena postea consumetur. Hinc vt loquitur *Sayrus l. 1. de cēs. c. 7. num. 10.* si Episcopi statuto cautum sit, vt qui in suis Ecclesijs intra duos menses non resederit, excommunicatus sit, clericus vltra constitutum tempus in alieno territorio absens, in excommunicationem incurret, quia licet contumacia in alieno territorio consummata sit, quia tamen in Diœcesi legislatoris inchoata fuit, excommunicatus erit, *arg. c. proposuisti, ext. de foro compet.* Aliàs regulariter, & simpliciter loquendo, statutum Episcopi extra suam Diœcesim subditum non ligat: hinc si statuat, vt qui furatur, vel aleis ludit, excōmunicatione percellatur, si eius subditus extra ditionem furetur, aut aleis ludat, aut etiam eadem in loco exempto eiusdem territorij faciat, in excommunicationē ab ipsomet Episcopo latam non incidet. vt habetur in *c. fin. tit. de constitut. l. 6.* & apud eundem *Sayr. l. c. nu. 9. arg. Bonac. de cens. d. 1. q. 1. p. 11. nu. 14. Filiuc. tr. 11. c. 5. nu. 153.* Vnde ad sciendum quomodo Confessarius cum aliqua censura innodato se gerere debeat, hanc breuem, & generalem doctrinā obseruare cum par est, nam si censura alteri reseruata non sit, potest ab ea, & à peccatis, dispositum absoluere; sin autem sit reseruata, impediri quidem, ab eius relaxatione, nō tamen ab absolutione à peccatis, nisi ea sit excommunicatio, quæ à participatione omnium Sacramētorum excludit; vel interdictum personale speciale, de quo in *c. alma mater. de sent. excomm. l. 6.* Quamquam non ita impediat, quin probabile sit, quod vrgente necessitate, ob graue scandalum, aut imminēs vitæ periculum, possit quis manente ipsa excommunicatione, si aliàs dispositus sit, à peccatis absolui. vt per *Suarez tom. 4. d. 3. sect. 3. Reginal. l. 8. c. 6. nu. 87. Bonac. de sacr. d. 5. q. 7 p. 5. §. 3. nu. 8.* & nonnullos alios recentiores.

Ad 4. q. breuiter dico Geminianum Mutinēsem Sacerdotem in æde D. Mariæ de Vita nuncupata confitendo, & per celebrationem communicando, Ecclesiæ præcepto satisfecisse; nam quò ad confessionem, etiam si vigeat obseruantia *c. omnis vtriusque sexus. ext. de pœnit. & remiss.* quo cauetur, vt quilibet sua peccata saltem semel in anno fideliter cōfiteatur proprio Sacerdoti (cui tamen plerisque in locis per vsum derogatum est,) cum sacerdoribus, & in sacrificio celebrando, & in ministerio ei adhibendo, exoluendis precibus, & alijs sacris functionibus obeundis, animi puritas necessaria sit, & quantum per humanam imbecillitatem cōceditur, optimam, & rectissimam conscientiam habere debeant, si illā peccato inquinatam sentiant, vt obuium remedium in promptu eis sit, eam vbique, & apud quoslibet Confessarios expiare posse conueniens fuit. *Zerula in praxi pœnit. c. 15. q. 2. Gambarup. de cas. reseru. c. 2.* Et quod ad communionem pertinet, quamuis omnes fideles postquam ad annos discretionis peruenerūt, ex eadem sacra sanctione, ad communionē à proprio Parocho saltē semel in anno accipiēdā obligētur, Sacerdotes tamen annuæ sacræ Eucharistiæ sumēdæ, quouis in loco, tēpore Paschatis celebrant, satisfacere censentur, cum præceptum communicādi in propria Parochia ex recepta consuetudine non ad sacerdotes, sed ad laicos, & alios qui de manu aliena sacrosanctum Christi corpus sumunt, extendatur. *Henriq. l. 3. de sacr. Missæ, c. 23. num. 2. Sauer. Eucharistia nu. 11. Roder. in summa p. 1. c. 64. nu. 2. Bonac. l. c. d. 4. q. 7. p. 2. nu. 7.*

Porro quod attinet ad Franciscum, & Bernardum, qui peccata sua Geminiano confessi sunt, & de eius manu communionem Paschali tempore Boniæ

noniæ extra propriam Diœcesim, & Parochiã sumpserunt, dicendum est eos obligationem de annua confessione, & comm mione, impleuisse, vt propterea satis sit si Geminianus cum socijs in patriam reuersus, de confessione, & communione ab ipsis Bononiæ facta, simplici verbo testetur. nã non solum Parochus, sed & Sacerdos simplex, & confessarius, tàm sæcularis, quàm regularis non tantum in suo oppido, vel ciuitate, vbi est approbatus, suos subditos, sed vbicumque repertos, etiam extra Diœcesim absoluere potest, cum hoc ad forum externum nõ pertineat. *Sanchez l. 3. de matrim. d. 34. Azor. p. 2. l. 3. c. 12. q. 11. Henriq. l. 3. de pænit. c. 7. nu. 1. & l. 8. de Euchar. c. 55.* Idemque de Eucharistia suis subditis ex tacita licentia, in aliena Ecclesia præbenda, dicendum est; nam licet regulariter mortale crimen sit, Eucharistiam sine iurisdictione, aut facultate ministrare, hoc tamen intelligitur, cum alienis ouibus exhibetur, vel quando probabilis præsumptio consensus Parochi non accedit; non autem quando extra propriam Diœcesim sibi subiectis sacra communio præbetur. Sicut etiam in Ecclesijs religiosorum, qui ex priuilegio omnes ad se accedentes, excepto Paschatis die, communicare possunt, sufficit, vt Superior, vel Aedituus sacerdoti sæculari ad id licentiam concedat. Et (ut obiter etiam hoc dicam) quò Pastori liceat alicui Sacerdoti veniam dare, communionem suis subditis administrandi, nulla Episcopi approbatio requiritur, sicut in cõfessione; quia nullo iure exprimitur, & ratio est, quia in dante communionem non ea industria, & scientia requiritur, qua in audiente confessionem opus est, nec etiam tantum periculum imminet, ne illud munus minus idoneo committatur, &c. *Coninch. de minist. Eucharist. q. 82. art. 3. Vasquez tom. 3. d. 219. c. 2. & sequ. Molfes. tr. 2. c. 10. nu. 47. & seq.*

QVÆSTIO V.

An qui aliquod peccatum, tùm ob pudorem, tùm ne complicem pandat in Confessione celauit, Ecclesiæ præcepto satisfecerit, & illud nacta opportunitate cõfiteri, quàm primum teneatur. An matrimonium mortis metu contractum validum sit, Num qui in Quadragesima in articulo mortis confessus est, & communionem sumpsit, teneatur in Paschate iterum confiteri, & communicare?

EManuel Parochus rutalis, cum in sermonibus, quos ad populum diebus Dominicis habere solet, sæpe admoneat, saltem semel in anno in Paschate ex Ecclesiasticis sanctionibus proprio Sacerdoti, & Rectori, vt pecoris sui vultum agnoscat, confitendum esse, Lucius rusticus eius subditus, vt ei, licet inuite, pateret, tùm ob pudorem, tùm ne complicem infamaret, peccatum incestus in confessione subticuit, quod cum Euphemia cognata, vxoris suæ sorore (cum qua in eadem domo cohabitat) pluries perpetrauit, atque vt illa idem faceret suasit, & solum alia peccata venialia ambo eidem suo Parocho sunt confessi. Quæritur an Ecclesiastico præcepto satisfecerint, & statim oblata opportunitate, illud suppressum crimen alteri Cõfessario aperire teneantur, vel potius vsque ad sequens Pascha expectare possint: & quomodo Confessarius se gerere debeat? Item cum ipsa Euphemia sit ab Emanuele è domo dimissa, & à suo fratre Bernardo à militia domum reuerso, cum Anselmo turpe commercium habere sit deprehensa, mortem vtrique minatus est, nisi inter se matrimonium contraherent, quod re ipsa præstiterunt, at paulo post ipsa Euphemia in Quadragesima cum in lethalem morbum inciderit, & animam suam sacra confessione expiarit, & communicauerit, nunc etiã quæritur, an illud matrimonium metu mortis initum sit validum, & cum postmodum conualuerit teneatur iterum in Paschate confiteri, & Eucharistiam sumere.

PRAENOTIONES, ET SVPPOSITA.

REspon. Supponendum est inter alias conditiones, quibus legitima confessio prædita esse debet, requiri, vt sit integra: siquidem Christum Dominum ex illis verbis, *Ioannis 25.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, obstrinxisse fideles ad recensenda in confessione omnia, & singula lethalia peccata, quorum conscientiam habuerint. constat ex *c. omnis, de pænit. & remiss. & Conc. Trid. sess. 14. c. 5.* Qui quidem defectus tunc contingit, cum aliquis prudens, & sciens, confiteri omiserit, secundum speciem, & numerum, peccatum aliquod mortale, aut de quo probabiliter dubitat, an tale sit, vel aliquam circumstantiam de necessitate exprimendam; aut qui quidem talia omnia peccata sit confessus, sed dedita opera alicui Confessario, à quo aliquod illorum ob verborum obscuritatem, vel ob attentionis defectum, non bene intelligebatur. Huiusmodi quippè est maligni spiritus ingenium, qui confessionem ob pudorem impedire conatur, vt illũ mox confessionis tempore restituat, quem in peccandi occasione abstulit; quandoquidem vna lethalis culpa præ rubore non expressa in causa est, cur & reliquæ maneant, & nouum aliud sacrilegij crimen accedat. At quid facilius, vel pro grauissimorũ peccatorum remissione, pro quibus & singulis æternis Inferni pœnis addici merebatur, quàm ad Sacerdotem accedere, & ei sub arctissimo confessionis sigillo enũtiare? Vbi namque ille illa verba protulerit, Ego te absoluo à peccatis tuis, pœnitens ab omni criminum nexu liber est, ac veluti sentẽtia Iudicis

dicis innocentiæ restitutus; adeo vt silere tunc Dæmon cogatur, nec ea flagitia ad diuinum tribunal arguere valeat. *Anton. Mol. in Instruct. Sacerd tract. 5. cap. 1. §. 1.*

Verumtamen non omnis defectus inualidā confessionem reddit, sed ille tantummodo, cuius nulla est iusta causa, vtpote procedens, vel ex malitia, vel ex pusillanimitate, vel ex pudore, aut verecundia, vel ex omissione examinis conscientiæ, & huiusmodi. Et quod idem integritatis defectus ex iusta causa contingens confessionis validitatē non impediat, patet, quia tunc excusationi datur locus ab obligatione præcepti de integre confitendo, eo quod lex diuina positiua non adeo stricte obliget, vt illam quis seruare teneatur, quacumque in contrarium vrgente necessitate; aut quocumque alio concurrente præcepto; cum Christi lex ad integritatem confessionis rationi consentaneam astringat. Vnde sequitur, peccatum quod rationabiliter tacetur, & irrationabiliter explicatur, non esse confessionis à Christo institutæ materiam. *vt per Regin. l 6. n. 151*

Porro talis causa censetur esse, Primo obliuio, siue ignorantia inuincibilis, quando nimirum quis præmissa diligenti conscientiæ discussione, vnius, aut plurium peccatorum à se commissorum non recordatur, per talem enim defectum confessio inualida non redditur, vt colligitur ex *Conc. Trid. sess. 14 c. 5.* Quod si postmodum in memoriam redeant, ea siue eidem, siue diuerso Sacerdoti sunt debito tempore confitenda, ac si de nouo perpetrata forent, prout expressit *Sot. communniter receptus in 4. sent. d. 18. q. 2. art. 5.*

Secunda huiusmodi causa est impotentia integre confitendi, siue ea proueniat ex parte pœnitentis, siue ex parte Confessarij, vt cum alteruter morbo oppressus, aut ille dicendi, aut hic omnia audiendi, potestate caret, nec alterius Confessarij copia suppetit. *Graffius l. 1. Decis. aur. c. 26. num. 6. Filinc. tr. 7. c. 5. nu. 118. Bonac. de sacr. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. n. 18.*

Tertia causa aliquod peccatum in confessione subticendi est periculum imminens, hoc est quando ex confessione alicuius peccati graue damnum animæ, aut corporis, aut famæ subsequeretur, nam tali casu crimen illud omitti posset, de reliquis, siue mortalibus, siue venialibus confessione facta; & ratio est, quia lex positiua etiam diuina legi naturę, cui huius modi damni vitatio innititur, cedit, cui Christus derogare noluit; confessionis autem integritas à lege tantum positiua diuina descendit. Quò fit, vt pœnitens personam, cum qua peccauit, nominare non debeat, nec peccati circumstantiam confiteri, quādo absque infamia tertiæ personæ fieri nequit: cum naturalis ratio dictet, non tātum propriæ, sed etiam alienæ vitæ, & famæ consulendum esse; id quod locum habet, quando talis infamia iudicio prudentis viri notabilis fuerit. Idem censendum quando simile damnum ex parte Confessarij timeretur, vt quia sigillum non esset seruaturus, vel proximum infamaturus, seu ex fragilitate ad aliquod graue peccatum inducendus. *vt per DD. supracitatos, & Suar. tom. 4. d. 23. sect. 2. Reginald. l 6. nu. 156. Molfes. tr. 3 c. 12. num. 35.*

Secundo suppono Confessionem sacramentalem esse legitimam delinquentis secretam accusationem suorum delictorum, coram Sacerdote iurisdictionem in eum habente, spe veniæ consequendæ. Diximus legitimam, vt aduertatur ad confessionem non quamlibet accusationem sufficere, sed ad eam quasdam cōditiones requiri, de quibus infra in materia de pœnit. *tract. 13.* Secunda pars nempe illorū verborum secretam accusationem suorum delictorum, eas confessiones excludit, quæ coram Iudicibus in foro externo fiunt; & quorundam abusum corrigit, qui vt aliquod proprium peccatum in sacramentali confessione detegant, multa, simul aliorum crimina narrant, vt viri vxorum, & è contra serui dominorum, &c. quæ omnino tacenda sunt, quādo propria (quæ tantum sacramentalis confessio manifestare debet) sine illis sufficiēter explicari possunt. Illam quoque narrationem explodit, si iactabunda sit, aut se ipsum excusans, culpam in Dæmonem, corporis constitutionem, vel in sodales transferens; qualis est etiam nimia exageratio, & falsa peccatorū impositio, vt contingit legenti ex aliquo libro confessionis formulam, non habita ratione, quorum sibi sit conscius. Sicut etiā alibi aduertimus

Tertio loco dictum est coram Sacerdote, &c. vt innuatur, confessiones factas absenti per literas, aut internuntium inualidas esse, nec confessionis nomē mereri. Item oportere confiteri Sacerdoti, & non nisi proprio, qui de iure ordinario est Parochus *d. c. omnis, de pænit. & remiss.* quo loci pręscribitur, vt singuli fideles semel in anno proprio Curato, vel alteri Confessario de eius licentia confiteri teneātur. Cui tamen iuri in hac parte per contrarium vsum scientibus, & permittentibus Episcopis derogatum est. *Zerula in praxi pæn. c. 15. q. 2. Molfes. tr. 7. c. 10. n. 24*

Et sane vt ait his verbis *D. Thomas opusc. 19. contra impugn. relig c. 4.* Quidam sunt, vt experimento inuētum est, qui à confessione desistūt, si non possint alijs, quàm suis Superioribus confiteri, quandoque ob verecundiam, quia erubescunt confiteri illis peccata, cum quibus quotidie conuersantur, quādoque vero quia suspicantur Sacerdotes sibi esse inimicos, & propter multa alia. Quare optima ratione *Conc. Trid. sess. 25. c. 10.* statuit, vt monialibus præter ordinarium Confessarium, alius extraordinatius ab Episcopo, vel alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, cui si volunt, confiteri possint. *Graffius l. 1 aur. decis. c. 13. num. 73. Vgol. de officio Episcopi p. 1. c. 21.*

c. 21. §. 1. Eodem prudenti consilio motus Clemens VIII. decreuit, vt Superioribus regularium subditorum confessiones audire non liceat, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint. *vt per Quar. in ver. casus reseruati. Corrad. in respon. cas. consc. q. 17. Molfes. tr. 7. c. 20. nu. 11.*

Quarto loco & in postrema parte additum est, spe veniæ consequendæ, quia si alio fine confessio instituatur, veluti ad cõsilium capiendum, vel ad turpitudinem perpetrandam, confessio censenda non est, & cum Ecclesiæ clauibus non subijciatur, sigilli etiam sacramentalis obligationi obnoxia non est, vt communis est tàm Theologorum, quàm Canonistarum sententia.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

HIs sic pro faciliori, & breuiori casus resolutione præmissis, dico Primo, si Emanuel, & Euphemia rustico pudore principaliter victi (qui ipsis agricolis, & pueris, puellisque familiaris esse solet) mala fide incestum illum in confessione celarunt, sacrilegium perpetrasse, nec Ecclesiæ præcepto satisfecisse, cum absoluti iuris sit, nec diuino confessionis præcepto satisfacere illum, qui dedita opera, ex defectu integritatis, sine iusta causa imperfectam confessionem facit, ut nos etiã de hoc aliàs egimus.

Si vero ex intrinsecis principijs, & proprio naturali iudicio, siue alienis rationibus ducti, existimantes se legitimam non aperiendi causam habere, peccatum illud incestus subticuerunt, ne cum alterius infamia complicem detegerent, sicut resoluendum est, Ecclesiasticam legem de annua confessione adimpleuisse, ita etiam fatendum est, eos statim ac occasio se obtulerit, crimen illud confiteri non teneri; & ratio quidem satis euidens est, quia per talem confessionem diuinum præceptum seruatum est, ergo etiam Ecclesiasticum, quod solum diuinum determinat. Et cõfirmatur, quia ita se habet peccatum ex causa omissum, sicut oblitum, at hoc secundum omnes satis est, si legitimo tempore manifestetur, ergo & illud. &c. *Filliuc. d. tr. 7. c. 6. n. 126. Molfes. d. c. 10. nu. 38. Bonacid. 5. q. 5. sect. 2. §. 4. num. 21. Coninchius disp. 5. dub. 8. nu. 66. & alij.* Accedit quod valde probabilis sit sententia multorum authorum validis rationibus firmata, licet communis ei repugnet, pœnitentem detractionis peccatum admittere, si cõplicem in sacramentali confessione detegat. Videatur pro prima *Nau. c. 7. nu. 2. Graffius l. 1. Decis. c. 51. nu. 34. Vincent. in Cand. aureo de confess. nu. 59. Io. Med. de confess. Rannes 22. q. 33 ar. 8. Arrag. q. 73. art. 2. Sà ver. confessio. nu. 17.* Pro secunda *Henriq. l. 2. de penit. c. 9. Reginald. l. 6. num. 157. Bonac. de contract. d. 2. q. 4. p. 4. Molfes. tr. 7. c. 12. nu. 35. Filliuc. l. c. nu. 128. & c. 11. num. 339. Reginus in respons. cas. consc. casu 36. & alij.*

Quomodo vero cum his incestuosis nouus Confessarius in praxi gerere se debeat, constat ex dictis supra *tract. 7. c. 26. q. 108.* Ex quo loco haurietur, quia Emanuel turpiter se cum vxoris suæ sorore immiscendo, ius petendi debitum amisit, ab Episcopo, vel ab eo deputatis dispensationem, vbi est vsus, vt petatur, postulandam esse, *c. ex literis, ext. de eo qui cogn. consang. vxoris suæ.* Deinde propinquas peccandi de cætero occasiones semouendas esse, ob ipsius cum Euphemia cohabitationem, propter quam probabiliter credere potest, in hoc delictum fere semper in posterum se facile præcipitaturos, nisi ad inuicem separentur; non enim sufficit hirundines expellere, nisi nidus destruatur. Et vt arbor excisa repullulat, euulsa non virescit, ita malum si penitus tollatur, non renascitur. In proximis delinquendi occasionibus fugiendis imitandi sunt Græci, qui capta Troia, non ante quieuerunt, quàm Astianax Hectoris filius enecaretur, veriti ne semine hoc superstite, Troia instauraretur, denuoque rebellaret.

Quatuor tñ cõcurrentibus, conditionib. etiã si cohabitent, absolui poterunt. Prima est vera contritio præteritorũ peccatorum. Secunda verum propositum in posterum non peccandi. Tertia credulitas, quod Deo iuuante, non peccabunt. Quarta quod aliqua rationabilis causa subsit ab illa occasione se non abstinendi, vt puta, quia separatio scandalum pareret, modo statuat se nunquam cum ea sola locuturum, &c. *Nau. c. 3. nu. 5. Graffius l. 1. c. 28. nu. 3. Zerola in praxi pœnit. c. 25. q. 17. & alij communiter.* Exciperem tamen, nisi adsit assiduitas cum illa delinquendi, cum qua in eadem domo versatur, vt si bis tantum, vel semel in mense peccet, &c. nam si sępius in mense in idem incestus flagitium incidat, & iterum recidendi ob inolitum vsum periculum immineat, nullo pacto absolutio ei impendenda est, nisi eam fœminam expellat, præsertim si ipse sui iuris sit, & si aliàs abstinere promisit, & nunquam abstinuit. *Lopez in instruct. consc. p. 1. c. 78. Corrad. in respons. cas. consc. q. 15.* Quippe ea est humana naturæ post antiquum casum labefactatæ infirmitas, vt vafro Diabolo communi hoste suadente, ac fomite impellente, & ad peccatum inclinante, ad grauia quæq; crimina, maxime si in consuetudinem inducta sint, facile in præceps feratur, nisi ratione, & Dei gratia compescatur, aut aliqua vi, vel fræno quodã in officio contineatur. Consuetudo, ait *D. Aug. l. 8. confess. c. 5.* aduersum me pugnacior facta erat, quoniam volens quò nollem perueneram. Consuetudo, vt inquit *Plut. l. de tuend. vales.* tantum ualet vt præter naturam sit, vt ipsa velut in naturam quodãmodo transeat, & vt loquitur Iuuenalis.

Sic canis à corio vix ab sterrebitur vncto.

Homo per incestum equo,& mulo, in quibus nō est intellectus similis efficitur, vt his verbis ostendit *D. Anton. 2.p.tit.5.c.5.§.1.* Equus est fortis,& impetuosus; ita incestuosus impetu; tanto fertur à libidine, quod non attendit ad aliquam parentelę reuerentiam, dummodo suam libidinem sequatur; sicut nec equus attendit, si qua equa sit mater, vel soror, nata ex eadem matre, vel patre. Mulus dum dominus suus confidit in eo, dum se ei appropriat, trahit calces; ita incestuosus non per corpus tantum recalcitrat spiritui, sed quod peius est, quia amico suo, & benefactori non parcit, nec patri, uel matri abutēs aliqua consanguinea, vel affine, in hoc notabiliter iniuriando,& lædendo honorem suum. hæc ille.

Ad 3.q. dico matrimonium Euphemiæ cum Anselmo mortis metu contractum inualidum esse, cum metus ille sit ab extrinseco,& in constantem virū,& multo magis in fœminam cadat, & ad idem met cōiugium ineundum extorqueatur, vis enim & metus matrimonio maximam libertatem requirenti omnino repugnat. Secus si Bernardus ipsius fœminæ frater, eos ob delictum perpetratum, vel ob violentam suspicionem vellet eos occidere, & ipsi sponte, & à nemine coacti, vt mortem euaderent, libere inter se contraxissent, illud enim subsisteret, quia iniuria comminatæ necis, cum ad matrimonium extorquendum non incutiatur, per accidens ad illud se habet. *Sanchez l. 4. de matr. d. 12. n. 14. Molfes. tr. 4. c. 10. num. 64. & seq. Bonac. q. 3. p. 8. Filiuc. tract. 10. cap. 4. num. 103. & alij.*

Ad 4.q. huic annexam dicimus, quod cum Euphemia in mortis periculo constituta in Quadragesima, iuri tantum diuino satisfecerit, quod iubet vt quilibet in mortis articulo confiteatur, & sacra synaxi se reficiat, tempore etiam Paschali, supposita lethali culpa, confiteri,& sacram Eucharistiam sumere tenetur, vt ecclesiasticum impleat præceptum. Idem *Molfes. tr. 7. c. 10. nu. 16. & seq.* Vnde etiam licet è contra aliqui senserint, eum qui illo anno in Paschate confessus est, & communionē percepit, diuinum mandatum de communicando in mortis articulo; si tunc contingat, sat impleuisse; reuera tamen ex communiori sententia,& confiteri,& sacrū Christi corpus per modum viatici sumere astringitur, vt concilia, ecclesiasticę sanctiones,& fidelium consuetudo,& praxis comprobant; nisi paulo ante exitum per octo, vel decem dies confessus fuisset,& communicasset, & postmodum nullo criminis remorsu vrgeretur,& puram conscientiam haberet. *Henriq. l. 8 de Euch. c. 4. Suar. d. 69. sect. 3. Coninch. q. 80. dub. 3. Idem Bonac. de Euch. d. 4. q. 7. p. 1. nu. 2.* Quod etiam in re simili resoluimus infra *tr. 13. de artic. circa Eucharistiam.* Ad quem locum lectorem remittimus.

QVAESTIO VI.

Vtrum votum emissum si tale peccatum euitetur, obliget; & an pallium ex voto altari promissum, de viliori, vel pretiosiori materia intelligendum sit, an regularis à peccato blasphemiæ, & incestus absoluere valeat; num asserenti se confessum credēdum sit. Numquid in Paschate Eucharistiam in religiosorum templo sumens, Ecclesiæ præcepto satisfaciat.

Mauritius cum ludendo in blasphemias prorumpere, & cum vxoris suæ sorore rem turpem habendo, se in incestum præcipitare soleret, vouit se pallium altari D. Caroli in ecclesia suæ Parochiæ sito facturum, si eius auxilio, beneficio, & intercessione peccatum blasphemiæ,& incestus euitaret; cum autem in Domini nostri natalitijs, apud suum Curatum sacra confessione animam expiaret, fatetur se bis, & ter iterum in eadem peccata incidisse, qui ipsum Mauritium ad voti adimpletionem obligat, & astringit; hic tamen ad id se non teneri prætendit, quod voti nuncupati non sit adimpleta conditio. Vnde cum ex hoc inter eos esset orta simultas,& dissensio, tempore Paschatis, animo satisfaciēdi ecclesiæ præcepto, die Iouis sancti in quadam ecclesia Fratrum Mendicantium, Lactantio Sacerdoti religioso ad confessiones audiendas exposito confitetur, à peccatis absoluitur,& ab eodem voto tribus aureis exactis, & propriæ ecclesiæ applicatis liberat. Et insuper in eodem templo ipsomet die Iouis sancti sacram Eucharistiam sumpsit, nec postea in die Paschatis in propria Parochia communionem recepit; lata fuit per Episcopum excommunicatio contra eos, qui illo anno in Parochiali Ecclesia non communicarūt; at Parochus non obstante, quod Mauritius asserat, apud Fratres Mendicantes se peccata confessum esse,& absolutum, simulq; synaxim sumpsisse, contra ipsum acriter procedit, Quæritur quomodo in hoc casu se gerere debeat Confessarius?

Respondeo, in hoc casu plures inuoluuntur difficultates. Prima est, an votum emissum, si tale peccatum euitetur, obliget. Secundo supposito quod valeat, an pallium voto promissum de viliori, vel pretiosiori materia intelligendum sit. Tertio, an Lactātius regularis Confessarius Mauritiū à peccato blasphemiæ, & incestus absoluere potuerit; & an illud votum in propriæ ecclesię commodum commutare. Quarto, an simplici assertioni Mauritij asserentis se esse confessum, & communicasse credendum sit. Quinto, vtrum in huiusmodi religiosorum templo communicando, ecclesiæ præcepto satisfecerit, ita vt excommunicatione ab Episcopo lata nō afficiatur?

Quò ad 1.q. cum nil pro principijs,& præuijs inspectionibus præmittendum occurrat, resolutoria

more

mote nostro respondendo dico, Mauritium à voti obligatione non eximi, si nil laboris, & studij impenderit, ne in illa blasphemiæ, & incestus peccata incideret, adhuc enim eo tenetur, quamuis ab illis præseruatus non sit, quia per eum tunc stetisse dicitur, quominus cõditio impleretur; & sibi recidiuum imputare debet, à quo se tueri, & auertere noluit, sed scienter, & sua sponte, se in peccata præcipitauit, periculis se obiecit, & delinquendi occasiones non declinauit. Peccandi enim occasio propinqua, ac ideo euitanda est illa, qua sine peccato, nisi cum magna difficultate vti non possumus, prout in casu nostro, quò ad blasphemias est ludus, & quò, ad incestũ cõuersatio cum affine, id est sorore vxoris, erga quam impuro, & inconcesso amore afficitur. Siquidem sicut intra silicis venas ignis latet, qui ferro ictus excutitur, ita peccatorum semina, & cupiditatis ignis in membris quidem nostris delitescunt, quæ oblatis occasionibus excitantur, ob quas proinde in crimina ruimus. Sapienter sanctus Vulstanus in Anglia Episcopus, cuidam sæpius in eadem peccata relabẽti respondit, Opportunitas, vt video, latronem facit, ideo consulo, vt mundo vale dicas & religionem ingrediaris, & sic vitiorum opportunitate, & occasione carebis. Præsto est nobis semper diuina gratia, quam Deus per se, & Sanctorum suorum intercessione largitur, nisi ex parte nostra obicem ponamus; propterea hic locum habet illa iuris regula; In iure ciuili receptum est, quoties per eum cuius interest, conditionem non impleri, non fiat, quò minus impleatur, subinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, &c. *l. in iure. ff. de reg. iu. c. cum non stat. de reg. iu. in 6*, Perinde namque esset, ac si verbi gratia Petrus aliquid voueret, si Antonius in domum suam ingrederetur, & deinde ipsi Antonio sæpius ad se venienti fores occluderet, ne in domum intraret, &c. Quæ tamen resolutio intelligenda est, nisi aliud de vouẽtis mente, & intentione constet, cum votum ab illud nuncupantis voluntate dependeat, & vim assumat; super quã à cõfessario ipse Mauritius interrogãdus est, vt ex communi ait *Sayrus l. 6. d. reg. c. 8. n. 4. Sanchez l. 4. de præcept. c. 23. n. 49. Graffius conf. 4. tit. de voto. Nald. ver. votum. n. 33. Suarez l. 4 de voto. c. 17. n. 11. Bonac. de legib. d. 4. q. 2. pun. 2 nu. 7. & alij communiter.*]Vt autem notat *Graffius l. 2. decis. aur. c. 21 n. 8.* Qui nunquam blasphemare, aut adulterari vouet, ita voto astringitur, ac si ieiunare, [aut orare vouisset,] quare si id quod promisit, culpa sua non seruet, duplici pœna puniendus erat, nam & voti, & præcepti trãsgressor fuit, *arg. Vasquez. p. 2. d. 98. c. 3.*

Ad 2. q. an dato quod votum valeat, materia ex qua pallium voto promissum soluendum est, debeat esse vilis, mediocris, vel pretiosa, vt ex serico, & ex velo auro cõtexto, &c. dico quod quãdo qualitas rei promissæ, aut materia ex verbis non est determinata, arbitrio vouentis relinquitur, modo bona fide, & sine fraude procedatur, iuxta illud *Malach. 1.* Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum (intellige integrum, & sine vitio) & votum faciens immolat debile Domino. Hac ratione qui vouit dare oleum ecclesiæ, non tenetur dare optimum, sed quod in eo genere diuino cultui sufficiat. Qui. Deo promisit vinũ pro missæ sacrificio dare, si purũ, & decẽs pro tali vsu tribuat, licet non optimum sit, satisfacit. Sic qui votum nuncupauit, panem pauperibus dandi, satis est communem illis dare, non meliorem, vel optimum. Qui denique religionem indifferẽter vouit, satisfacit, si quacumque ingrediatur, in qua saltem regularis disciplina seruetur. *Suar. tom. 2. de religio. tr. 2. c. 7. n. 21. & de voto c. 8. nu. 9. & 10. Fillinc. tr. 26. c. 4. q. 5. & 6. Valentia 22. d. 6. q. 6. p. 4. Sanch. l. 4. de præcep. c. 13. n. 5. Nald. in ver. minim. um.*

Vbi idem dicunt de circumstantia quantum, vt scilicet quando quantitas ex intentione, vel verbis non est determinata, in ipsius vouentis prudens arbitrium hoc conijciatur. *vt patet ex c. ex parte. ext. de cẽsib. & ex regula. In obscuris. de reg. iu. in 6. & l semper in obscuris, vbi Dec. & Cagnol. ff. de reg. iur.* Vnde *& Menoch. l 4. de præsumpt præsumpt. 106.* latissime multis allegatis probat, ad deprehendendam testatoris in his legatis incertis, mentem attendendam esse ipsius testatoris consuetudinem, & morem patriæ, in qua testatur, dignitatem legatarij, patrimonij vires; & tandem concludit, quando his omnibus perpensis circumstantijs, res dubia manet, intelligẽdum esse legari, quod minus, vel quod mediocre est. communiter enim dici solet, quod promissio in genere mediocritatem dicit, quando scilicet in his quæ ambigua sunt, datur gradus maximus, medius, & infimus. Sic ergo in votis censendum est, cum tàm legata, quàm vota ex liberali vouentis, aut legantis voluntate, ortum habeant, & sint priuata lex ab ipsis profecta, & iuxta illam præsumptam voluntatem dijudicanda sint, &c. *arg. Mant. de coniect. vlt. volun. l. 6. tit. 3. nu. 32.* Hic autem obiter annotandum est, quod si calice, aut sacra veste, ex voti obligatione, vel ex spontanea pietate, ecclesiæ suppellectilem augere libet, nec proprium nomen, nec domus, vel familiæ insignia apponenda sunt, nisi ad id causa aliqua grauis alieno potius, quam facientis iudicio permoueat. Id quippe (cum nulla subest rationabilis causa, qualis esse posset, vt qui monimenta illa vident, pro his quorum sunt, crebrius apud Deum preces fundant,) vna ex parte vanitatem, & ostentationem olet, à qua religiosis maxime operibus abstinendum est, cum apud Deum meritum detrahat, & opera mercede euacuet. Ex altera nihil aliud hoc videtur, quàm eius quod Deo offertur, dominium sibi retinere, & vendicare, appositis siquidem gentilitijs insignibus, Reges, Principes, & Respubl. domi-

nia sibi comparare solent, ac his veluti proprietatis symbolo vti. Hinc tãta laus Cõstãrini Imperatoris quod ex tot templis à se cõstructis, nulli prorsus nomen suum insculpi passus fuerit, nempe vt Deus qui in abscondito videt, ei redderet, nec aliquãdo ei diceret: Recepisti mercedem tuam. *Chauas. de prud. lib. 1. cap. 9.*

Ad 3. q. sic respondeo, dicendo, Primo, quod absolutio publicæ blasphemiæ atrocis, ab Episcopis reseruari solet, ea potissimum ratione, quod peccatum publicum grauiorem deformitatem, & enormitatẽ, quàm secretum, secum inuoluit. Imo delictum publice factum ex leui atrocius efficitur, tùm quia publicus delinquens ex iniquiori contemptu peccasse videtur; tùm quod cum aliorum scandalo, & offensione perpetratur. Quo nomine nonnulli Doctores considerant loci notorietatem, vt dicunt, ob scandalum, iniuriam, uel perenssionem aliàs leuem, grauẽ efficere. Ab occulta uero blasphemia, siue priuata, proprio Parocho, uel alij Confessario, siue sæculari, siue regulari absoluere integrum erit. At blasphemia hæreticalis simpliciter reseruata, propter suam enormitatem, ipsa reseruatione afficitur, etiamsi publica non sit. Proinde cum hoc negotium à iurisdictione pendeat, Lactantius uidere debuit, ne facultatis limites excedens, actum nullum redderet, excommunicationis censuram subiret, & æternis supplicijs se manciparet. *Lazar. de blasphem. q. 9. & 10* Quinimo etiam si absoluendi ab ea facultatem ab Episcopo, seu ui priuilegiorum habuisset, si Mauritius esset blasphemare assuetus, & nulla de præteritis confessionibus secuta esset emendatio, absolutionis beneficium ei suspẽdere debuisset, cum facilitas ueniæ incentiuum tribuat delinquendi. Quod & in alijs uitijs, ut in periurijs, ac delictis carnalibus obseruandum est. *Henriq. l. 1. de pænit. c. 24. Graffius l. 2. decis. aur. c. 20. Tol. l. 3. c. 18. & alij communiter.*

Secundo dico quod cum incestus pariter regulariter Episcopo sit reseruatus, ab eo Lactantius Mauritium, qui toties cũ uxoris suæ sorore se immiscuit, nisi facultate munitus esset, absoluere nõ potuit; licet cum per huiusmodi delictum iure ab uxore debitum petendi se priuauerit, super ipso impedimento, uirtute priuilegiorum, si ijs eius religio potitur, dispensare ei integrum fuisset, ut per *Sanch. l. 8. de matrim. d. 16. & Molfes. tr. 4. c. 12. n. 41.* In eo absoluendo perspicere debebat, an semotæ essent propinquæ iterum delinquendi occasiones; quod singulariter in peccatis carnis aliàs obseruandum esse admonuimus, & maxime incestus, propter consanguineorum, & affinium cohabitationem, quæ in hac parte summam Confessarijs difficultatem afferre solet; nec enim sufficit hirundinem expellere, nisi nidus destruatur, & ut loquitur *D. Cyp. l. 1. ep. 11.* Nemo diu tutus esse potest periculo proximus, nec euadere Diabolum seruus Dei poterit, qui se Diaboli iaculis implicauerit. ut ẽt diximᵘ sup. *tr. 7. c. 26. q. 108*

Tertio loco dicimus Lactantium non rectè egisse, imo peccasse, cum uotum, uel promissionem à Mauritio factam de conficiendo pallio altari S. Caroli in sua parochiali ecclesia sito, in pecuniam propriæ ecclesię applicandam commutauit; si enim uotum illud ualuit, cum à Parocho, uel Oeconomo sit acceptatum, & per consequens illi altari acquisitum sit ius, ab eo auferri nequit. Hinc in *Clem. 1. tit. de priuileg.* sub certis, & grauibus pœnis religiosis præcipitur, ne legata, uel debita, aut male ablata incerta sibi, aut alijs singularibus fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudicium fieri, aut erogari procurent. *Angles in florib. theolog. in q. de voto. Clar. in ver. donatio q. 13. Vgald. in append. ad Cand. aur. tr. 14. nu. 16. Lessius l. 2. c. 40. dub. 11.* Si autem votum validũ non fuit, iniustitiam pariter commisit, alteri quod suum est tollens, & auaritiæ morbo se laborare palam ostẽdit, *Graffius de testam. conf. 1.* Addo insuper quod etsi habens facultatem commutandi votum ex multorum probabili sententia, possit etiam commutare pœnam, in quam vouens ob voti violationem incurrit, attamen illam nec per hoc sibi ascribere licebit. *Bonac. de leg. d. 4. q. 2. p. 7. §. 4. n. 18.*

Ad quartam quęstionem qua quærebatur, an Parochus Mauritio sibi subdito asserenti se in ecclesia Mendicantium confessum esse, & communionem sumpsisse, fidem præstare teneatur, respondendo, mihi dicendum videtur, vt aliàs tetigimus, quod quando confessio ad externam ecclesiæ gubernationem pertinet, vt est annua confessio, ipse Curatus dicenti se præceptum adimpleuisse, credere non tenetur, nisi homo fide dignus sit; vt ecclesiæ vsus testatur: solent enim multis in locis, tàm confessionis, quàm communionis schedulę exigi. *Bonac. de pœnit. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. n. 36.* Imo quamuis pœnitenti asserẽti ab hoc, vel illo casu reseruato esse absolutum, fidem adhibere debeat, quia secundum omnes, vnicuique pęnitenti pro se, & contra se credendum est; aliud tamen censendum est, si casus publicus esset, aut pœnitens aliqua censura innodatus: illis enim casibus Pastor fidem præstare non astringitur, nisi aliquo scripto documento id comprobet. Quippe Parochus, Confessarius, & quilibet Superior, oculatam manum gerere debẽt, illud tenendo, ob quorũdam hominum improbitatem, non temere credere neruos esse sapiẽtiæ, cum credulitas sit deceptionum mater. *Io. Chapau. de cas. reser. c. 13. Ioannes Medina C. de confess. q. 14. Sanchez l. 3. de matrim. disp. 37 conclus. 1. Nald. ver. Eucharistia num. 18. Tiraquell. de temp. pænit. causa 51. Alciat. emblem. 16.*

Ad quintam quæstionem illam resolutionem afferimus, Mauritium ex probabili sententia, confessione, & communione in religiosorum ecclesia facta

paschali

paschali præcepto satisfecisse, nec in excommunicationem ab Episcopo latam incidisse; nam cuilibet Sacerdoti Fratrum Minorum, & aliorum Ordinum Mendicantium, ac simul ijs, qui eorum priuilegijs per participationem gaudent, per Pontificia indulta concessum est, vt quouis anni die, præterquam in die Paschatis resurrectionis dominicæ, & in mortis articulo, nisi necessitas vrgeat, sacrosanctum Domini corpus, etiam Rectorum licentia minime requisita, sęcularibus ministrari possit. Et cum summi Pontifices tantum diē resurrectionis excipiant, & exceptio regulam firmet, & per Eucharistiam sumptam per dies octo ante, vel post Pascha, præcepto Ecclesię de Communione sumenda satisfiat, manifestum fit hoc præceptum per eos adimpletum fuisse, qui in aliqua Mendicantium ęde, animo ecclesiastico pręcepto satisfaciendi, sacram synaxim sumpserūt, nec teneri ad iterum in die, vel infra octauam Paschatis communicandum in Parochiali Ecclesia, satisque illis esse, vt nullam censuram, aut pœnam subeant, fidem, vel schedulam ostendere, & exhibere se à prædictis fratribus sacram Eucharistiā recepisse. Quod etiam illa ratione confirmatur, quod ex æquo obligat ecclesiasticum præceptum de confitendo semel in anno, ac de communicando in Paschate, vt patet *ex c. omnis, ext. de pœnit. & remiss.* Vbi vtrumque simul præcipitur. Immo vultum sui pecoris cognoscere, quæ est proprij Parochi cura, magis ex administratione sacramenti Confessionis, quàm Communionis desumitur; & vtrumque vt à Parocho fiat, sub excommunicationis pęna solet ab Episcopis pręcipi, & tamen qui religiosis (etiam inuitis Parochis) peccata sua confitentur, in censuram aliquam non incidunt, & præcepto de annua confessione satisfaciunt, &c. *Beia p. 4. respons. casu 4. Sorbus in compen. Priuileg. Mend. ver. communicare. Roder tom. 1. qq. regul. q. 56. art. 3. & nonnulli alij.* Nec obstat si dicatur esse hæc priuilegia sublata per non vsum, cum nullibi in monasterijs religiosorum communio paschalis fidelibus administretur, nec isti ecclesiasticum præceptum adimplere putent, nisi in sua Parochia sacrosanctam synaxim sumant, & regularium priuilegia eatenus à Summis Pontificibus confirmantur, quatenus sunt in vsu, respondetur enim, quod licet priuatorum priuilegium regulariter per non vsum decennij tollatur, secus tamen est in regularium priuilegijs, cum hæc non singulis fratribus, sed vniuerso eorum ordini sint concessa, ideoque neque regulares eis renuntiare possunt, neque per contrarios actus illis præiudicium afferre. *vt per Abb. in c. cum accessissent, ext. de constit. & c. accedentib. ext. de priuil.* Imo ad hoc vt in eis aliquod priuilegium per non vsum amittatur, Primo requiritur scientia priuilegij, & voluntas eo non vtendi. Secundo, vt occasio illud adhibendi se obtulerit. Tertio quod quadraginta annorum, vel vt alijs placet, sexaginta spatio religio in communi eo vti noluerit. *Beia l. c. & Molfes tr. 9. c. 12. nu. 83. Nald & Galetus, in ver. priuilegium. Miranda in Man. Prælat. tom. 2. q. 42. art. 4. Roder. 1. to. 1. q. 7. art. 3. 4. & 5. Suar. l. 8. de leg. c. 34.*

Sed quamuis omnia prædicta iuris puncto adhęrēdo, iuxta doctrinam eorum, qui de priuilegiorum interpretatione agunt, in speculatione vera esse possint, contrarium tamen in praxi, propter scādalum, & multa incommoda, quæ consequi possent, & ecclesiasticum ordinem, de quo Apost. 1. *ad Cor. 14.* peruertere, tenendum puto. Vnde resolutiue dico, quod tuta conscientia, & absque maximo culpæ periculo, atque etiam excommunicationis incursu, de qua in *clem. 1. de priuileg.* Fratres Mendicantes communicationis priuilegio fruentes, modò eo vti non possunt, neque paschali tempore (excepta confessione) laicis Eucharistiam ministrare, cum Parochi id nimis ægre ferant, & Episcopi quàm maxime contradicant, &c. *vt per Mirandam tom. 1. q. 42. art. 2.* Eis tamē ex multorū sententia licet, sæculares in eorum ecclesijs in die Paschatis communicare; si postea vel ante, vel post octo dies, ab Eugenio IIII. concessos, in propria parochia Eucharistiam sumāt. *vt per Suar. 3. p. d. 72. sect. 3. Henriq. de Euchar. l. 8. c. 55. Barthol. ab Ang. dial. 4. de Euch. nu. 270. & seq. Bonac. de sacr. d. 4. q. 7. p. 2. n. 9. Filliuc. tr. 4. c. 3. q. 7. Molfes. tr. 3. c. 8. n. 44. & tr. 7. c. 10. n. 24.*

Verumtamen Parochus si esset æqui, ac boni cultor, & amator, ex quadam pia ecclesiæ interpretatione ratum habere deberet Mauritii sui subditi in religiosorum ecclesia factam communionem; præsertim cum bona fide id egerit, ipsorum regularium dictis nitendo, qui asserebant per illam, ecclesiastico præcepto satisfieri, nec per hoc excommunicationis censuram ab Episcopo latam subiri. Sicuti etiam ratum habere solet, cum sui Parochiani extra paschale tempus ob solam deuotionem, & pietatis intuitu voluntarie sacram Eucharistiam sumunt, cum nihil sibi noceat, & multū sibi subditis ꝓsit, & sub hac ratihabitione nullū peccatū subsit, nec dānū immineat.

Aequitas enim quam philosophi epicheiam nominant, idest iustitiam pensatis omnibus particularibus circumstantijs, misericordię dulcore temperatā, iuris rigori præpōderat; de qua intellexit q dixit,

Ipsa etiam leges cupiunt vt iure regantur.

Et Sapiens, Noli esse nimis iustus. *Prou, c. 30.* alioqui summa iustitia summa iniustitia fit. Omnia mādata Dei æquitas, idest cum æquitate pensanda, & sentiendum de Deo in bonitate. *Sap. c. 1.* Vnde homo à legis obligatione excusatur, non solum quando certo scitur, verum etiam quando probabiliter creditur, casum aliquem sub lege non comprehēdi. *vt per Salas de legib. d. 21. sect. 10. num. 24. Suar. l. 6 de legibus, c. 7. & 8. Bonac. d. 1. eodem tit. q. 1. punct.*

§.2. *Roder. tom. 2. quæst. reg. q. 46. artic. 2. Mirandam tom. 2. q. 25. art. 23. Beiam l. c. casu 14.*

QVÆSTIO VII.

An religiosi Confessores ab Episcopo non approbati sæcularium qui sunt de familia suorum Monasteriorum cõfessiones audire possint, & tempore Paschali Eucharistiam eis administrare. An liceat inducere improbum ministrum ad sacramenti pœnitentiæ administrationem. Num matrimonium celebratum coram Sacerdote ad tempus approbato, eo tempore elapso, valeat. Vtrum regularis Parochus incidat in casus ab Episcopo reseruatos.

GAbriel regularis vir, cum ad annum viua voce, & oterenus esset ab Ordinario approbatus, vt in quodã Oratorio ruri sito, proprio suo Ordini, & Monasterio subiecto, confessiones audire, & alia iura Parochialia exercere posset, tempore approbationis elapso, Federici laici, qui sibi deseruiebat, & apud se degebat, Confessionem excepit, & sacram Eucharistiam tempore Paschatis ei administrauit, & postmodum eius matrimonium cum Iustina initum, bona fide celebrauit, cum tamen idem Gabriel esset ante lethali crimine infectus, vt pore cum ipsam sponsam, ad turpia sacrilege sollicitasset, & carnalem copulam cum ea tentasset. Vnde hæc circa præsentem casum quæruntur. Primo, an Federicus Gabrieli cõfitẽdo, & in illo Oratorio ab eius manibus sacrosanctam Eucharistiam sumendo, ecclesiæ præcepto satisfecerit, maxime cum vehementer suspicaretur cum in statu peccati mortalis iaceret. Secundo, an matrimonium illud valeat. Tertio, an ipse Gabriel inciderit in casum reseruarum ab Episcopo positum contra filias spirituales, etiam extra actum confessionis, & locum ad eam deputatum sollicitantes, & à quonam absolui debeat?

Respondeo. Pro euidentiori huius casus resolutione, ad memoriam reuocandum est, quod aliàs retulimus, & supposuimus. Ad validam sacramenti pœnitentiæ administrationem, ordinis, & iurisdictionis potestatem requiri; hac enim necessario in primis Confessarius muniri debet, suum vt rite, & valide officium exerceat; nihilque magis conducit, quã discernere, quousque ipsa iurisdictio se extendat, cũ omnis Iudex intra sui territorij, ac ditionis limites continere se debeat, diligenterque cauere, ne vt dicunt, in alienam messem falcem mittat; siquidem ipse sacramenti pœnitentiæ minister contrario tramite pergens, lethali culpa animam propriam sauciaret, non rectum iudicium, & sententiam, quò ad pœnitentes ferret, & absolutio, quam eis impenderet, nulla, & inualida foret, confessioque reiteranda. Hinc sequitur Sacerdotem, vt valide hoc ministerio fungatur, debere esse per examen, aut alia ratione ab Episcopo, vel eius Vicario approbatum, vt sancitur in *Conc. Trid. sess. 23. c. 15.* Ordinarius tamen cẽsetur aliquem sufficienter approbare eo ipso, quod sciens, & volens, alicui animarum curam ad tempus mandat, etiam si examini illum non subiecerit, modo ipsum idoneum ad hoc munus obeundum existimet. Atque hac ratione clarescit, cur inualida sit absolutio, si tempore administrationis eiusdem sacramenti, sacerdos actu approbatus non sit, quia iurisdictio ordinaria, vel delegata quò ad essentiam ad absoluendum, sicut & sacerdotalis character exigitur. Idem procederet in matrimonio, si coram Parocho, & duobus testibus non celebretur, vel si simplex Sacerdos confirmationis, vel ordinis sacramẽtum conferret. Alia vero sacramenta, quia ex eorum natura huiusmodi iurisdictionem non requirunt, & sacri Canones factum non infringunt, valida forent, & sic Baptismi, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis administratio valeret, quamuis in obedientiæ iura peccaretur, si à non Parocho fieret. *Graffius l. 1. decis. aur. c. 17. Molfes. tr. 7. c. 14. n. 73. & alij.*

Vbi annotandum est, alium esse proprium Sacerdotem, & alium legitimum, proprius enim est Parochus, qui ordinariam potestatem habet, *c. omnis, ext. de pœnit. & remiss.* legitimus vero est omnis ab Ordinario approbat⁹, qui delegata auctoritate fungit, vt innuit *Cõc. Trid. de pœnit. sess. 14. c. 7.* Atq; ita si loquamur de laicis, & sæcularibus clericis, hodie de communi cõsuetudine, vbique fere recepta, Episcopis scientibus, & permittentibus, cuicumque Cõfessario appr baro, siue sæculari, siue regulari sua peccata confiteri possunt, & solum in propria Parochia, vel in Cathedrali ecclesia, vel alibi de licentia Parochi, fideles in Paschate sacrosanctam Eucharistiam sumere tenentur. *Zerula in praxi pœnit. c. 15. q. 2. Molfes. l. c. c. 10. n. 24.*

Vnde secundo loco præmitto, ordinariam iurisdictionem primo, priuatione dignitatis, vel officij, cui annexa erat, subinde amitti, nam destructo principali, accessorium corruit: quamobrem ex resignatione Parochialis beneficij, iurisdictio, quæ ei cohæret, extinguitur.

Secundo potestatem delegatam lapsu temporis, ad quod vsque concessa fuerat, cessare, nam facultas vltra concedentis voluntatem non extenditur. Ex quo fit consequens, regularium etiam Confessariorum iurisdictionem à iure, vel à Papa eis tributam per ipsam Ordinariorum approbationem restringi, seu dilatari, iusta enim atque legitima subsistente causa, posse Episcopos eam ad certum locum, & tẽpus, siue personas contrahere, ac limitare, ex communi tradit *Barbosa de Episcopo Alleg. 25. nu. 32. & resoluimus sup. tr 1. c. 9. q. 49.*

Tertio per reuocationem concedentis facultas expirat,

expirat, nam res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Et explorati iuris est, etiam iusta existente causa, ad confessiones ipsas pertinente, facultatem, vel simpliciter regularibus concessam, ab eodem concedente suspendi, ac retractari posse. vt ibi *nu.* 34, ait idem *Barbosa; & Bonac. de sacr. disp.* 5 *q.* 7. *p.* 4 §. 1. *num.* 7.

Quarto iurisdictio tàm ordinaria, quàm delegata, per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem, aut etiam per interdictum ab officio, vel facultate impeditur, modo qui huiusmodi censura constringitur, vitandus sit, proinde absolutio ab eo Sacerdote extra mortis articulum collata, inualida est, nisi error communis, & titulus coloratus, per quem auctoritas conferatur, interueniat, vt ex dictis de matrimonio passim apud Doctores constat; est enim communis, & vera resolutio, tàm in Parocho, quàm in Iudice, & Confessario, communem errorem, licet lateat veritas, ius facere, & huiusmodi personis facultatem tribuere, & sufficere, vt contrahentes, confitentes, & huiusmodi in bona fide sint constituti, *ex l. Barbarius ff. de officio Præsidis*; cum alijs cumulatis *per Sàchez l. 3. de matr. disp.* 22. *Bonacina de matr. q.* 2. *p* 8 *Gutierrez c.* 62. *Marc. Ant. Gen. ī Praxi Neap. c.* 61. *& alijs per nos adductis tra.* 5. *c.* 4. *q.* 19.

Ex hoc tamen non sequitur, eum qui facultatem absoluendi per annum ab Ordinario acceperat, licet elapso eo tempore amplius approbatus non sit, valide absoluere, si communi errore admissus censeatur, siquidem hic sufficiens coloratus titulus adesse non videtur, cum potius formæ datæ aduersari cēseat, *vt ait idē Bonac. l. c. n.* 29. *cōtra Hēriq. l.* 6. *c.* 6.

Tertio pro præuia inspectione recolendum est, & à nobis pluribus alijs in locis animaduersum est, vbi Regulares ecclesias cum animarum cura habent, Episcopos habita ratione ad ipsam curam, eadem iurisdictione, qua in sęculares clericos, in eosdē religiosos fungi, atq; ideo eos visitare, corrigere, & in illos cēsuras ferre posse, &c. *c.* 1. *de capell. monac. c.* 1. *eod. tit. l.* 6. *Conc. Trid. de regul. c.* 11. *Roder. in qq. reg. tom.* 1. *q.* 36. *art.* 4. *Vgol. de officio Episc. p.* 1. *c.* 20. §. 4.

Quinimo ex Constitut. Greg. XV. incip. Vniuersi, quæ confirmat Bullam Pii IV. ordinarii locorum omnium regnorum, sicut & hæreticæ prauitatis Inquisitores procedere posse, & seuere animaduertere in regulares, qui personas ad inhonesta perpetrāda, occasione cōfessionis, siue extra, in Confessionario induxerint. *vt etiam per Barbosam p.* 3. *de Episc. Alleg.* 105. *nu.* 60.

Vnde verum esse conspicitur, quod sancti admonent Patres, quod quanto Confessarii auctoritas sublimior est, tanto quoque suo vsu difficilis occurrit, & ipsi Confessario periculosa, de animæ enim tàm propriæ quàm alienæ salute agitur, & ruina ei sæpe paratur, si nempe in sui muneris functione, ea non vtatur, qua decet pietate, dexteritate, & diligentia. Eò sane eloquia illa diuina resonant, quæ audientem non parum afficere debent, nam dicitur 2. *Paralip. c.* 19. Videte Iudices, quid facitis, non enim hominis exercetis Iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. *Et Apost. ad Rom.* 2. In quo alium iudicas, te ipsum condemnas. Profectò negotium hoc tàm arduum, quàm difficile est, ac proinde caute tractandum, ita vt illud Hippocratis in hanc rem iure afferri possit. Ars longa, vita breuis, iudicium difficile, experimentum periculosum. Siquidem anima longe corpore præstat, & animæ morbi, vt sunt peccata, multo cognitu, & curatu, quàm corporis difficiliores sunt; & huius difficultatis variæ dignoscuntur causæ, non enim solum quia circa hominum mores, seu actiones, quæ infinitæ, & incertæ sunt, versatur, ita vt de ipsis non certa scientia, sed rudis tantum experientia haberi soleat; sed omnium maxime rei difficultas ex eo pēdet, quod iudicium ipsum iuxta Canones, Cōciliorum decreta, Pontificum constitutiones, aliasq; Ecclesiasticas censuras componendum sit, quę nō semper, & vbique eundum vsum sortiuntur, nam ut ipsa ad mores spectant, non parum pro temporum diuersitate uariantur; quandoquidem ista de moralibus quæstionibus, Christianis officijs, & casibus cōscientia doctrina (quæ nonnisi post multos annos, & ingentes labores acquiritur) duplici fundamento nititur, nempe uel Theologiæ scholasticæ regulis, uel Pontificum beneplacitis; & licet primum propter sua principia facile menti hæreat, secundum tamen difficile est, cum à solis Canonicis Decretis pēdeat, & Pontificijs sanctionibus fulciatur; propterea nulla alia via, quàm per cōtinuum studium possidetur; & ne propriæ iurisdictionis, & facultatis fines excedantur, libri de casibus conscientiæ, & practicæ Theologiæ quæstionibus agentes, diurna, nocturnaque manu terendi sunt.

RESOLVTIO.

His sic præiactis, ad primam qōnē respondendo dico, Federicum, qui Gabrieli regulari viro parochialia iura in illo Oratorio exercenti confessus est, ecclesiæ præcepto non satisfecisse, cum, ianno elapso eius facultas expirauerit, & ut præmisimus, illo tempore transacto, non censeatur amplius approbatus, ac proinde non ualide absoluat, *Bonac. de sacr. disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 4. *n* 34. *& de matr. q.* 2. *p.* 8. *nu.* 29. Et certum est religiosos sacerdotes confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & ipsorum monasteriis deseruiunt, absque Episcopi approbatione, quæ in scriptis, uel oretenus detur, audire non posse, ut resoluit *Barbos. p.* 2. *de Episc. Alleg.* 25. *n.* 49 Cum autem ex parte ipsius Federici culpa non adsit,

sit, hinc fit, quod in censuram non incideret, si contra eos, qui non sunt confessi, infligeretur. Neque peccasse censendum est, cum ipsum Gabrielem suspicas in statu peccati mortalis iacere, ad sibi sacramēta ministranda induxit: siquidem nulli iniuriam facit, qui suo iure utitur, ac proinde nec peccat, si rationabiliter eodem iure utatur, prout merito ille existimatur, qui extrema necessitate compulsus, id agit, qualis est, quam in mortis articulo constitutus patitur, qui de sua contritione diffidens, ab improbo sacerdote confessionem suam audiri petit, & sacram Eucharistiam sibi administrari. Idem resoluendum est, si in necessitate positus, non extrema, ut exempli gratia se constituendi in Dei gratia, die aliquo solēni, aut lucrādi Iubileum, aut implendi aliquod præceptum ad mortale obligans, petat à Parocho suam excipi Confessionem, aut Communionem dari, ad quod is ex officio tenetur; nec quia id peccādo præstabit, necessarium est alium suo iure cedere, quia tale peccatum ex malitia ipsius oritur. Absente autem necessitate, & detrimento, charitas exigit, ut ab huiusmodi inductione abstineatur. Doctrina est *Caiet.* quem omnes communiter sequuntur *in 3. p. ubi Suar. disput. 18. sect. 1. Reginal. de officio pœnit. c. 25. Nald. in ver. peccatum, num. 15. & 16.* Porro de recto errore, Federicus iterum confiteri teneretur, nisi tantum leuibus culpis aspergeretur, cum uenialia peccata etiam in Paschate quis confiteri non cogatur. Vnde qui ea tantum habet, ab annuæ confessionis præcepto excusatur, sed solum ad Confessariū accedere tenetur, illique dicere se Dei gratia lethali crimine grauatum non sentire, cum uenialis culpæ multis aliis modis deleri possint, & illis octo præcipue, qui duobus his uulgatis carminib. continentur,

Confiteor, tundo, conspergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per has venialia pono.

Idest per confessionem generalem, quæ præcipue in missa fieri solet, per tunsionem pectoris, per aquā benedictam, per contritionem, per orationem Dominicalem, per benedictionem Episcopalem, per sumptionem Eucharistiæ, & eleemosynam. *Concil. Trid. sess. 14. c. 5. Hostiens. in summa tit. de pœnit. & remiss. §. de quibus peccatis. Azor. p. 1. l. 4. c. 11. q. 5. Reginald. l. 6. num. 105.* ut etiam insinuauimus *tr. 3. c. 3. q. 32.* Sicuti etiam dicimus, uenialibus tantum noxis inquinatum, ad confitendum non astringi, ut Indulgentias, & Iubilea consequatur, modo in Bulla uenialium etiam culparum confessio in specie nō exprimatur: sicut enim ecclesia in Paschate id præcipere non solet, ita etiam summus Pontifex eam confessionē ad indulgentiam lucrādam nō requirere censetur. *Bonac. de sacr. disp. 6. q. 1. puncto 5. nu. 7. BenZonius de Iubileo l. 5. c. 15. dub. 6.* Quæ tamen firmata assertio intelligitur, dum sumus in claris, lethiferis nos criminibus carere: secus si ambigeremus, an mortalia essent, quia tunc sub dubio ea confiteri teneremur, ut certiorē regulam amplectamur, & ecclesiæ præceptum impleamus. Atque idem de Iubileo, & in aliis huiusmodi casibus iudicandum dicimus: vbi illud apophthegma cōsiderādum monemus, quod sicut sæpe morbus, qui dolore vacat, periculosissimus est: ita fere sunt peccata, de quibus parum conscientia est anxia. *Molfes. tr. 7. c. 10. n. 22.*

Eadem ratione consequenter resoluendum uidetur, Federicum, qui Gabrieli religioso seruiens, in Oratorio in Paschate, communionem sumpsit, ecclesiastico præcepto non satisfecisse, tùm ex congregatione Cōcilii, teste *Emanuele Sà in ver. Eucharistia nu. 9. & Bonac. de sacr. disput. 4. q. 7. pun. 2. n. 10.* tùm quia *in c. omnis utriusque sexus, ext. de pœnit. & remiss.* decernitur, sacrosanctam Eucharistiam à proprio Sacerdote administrandam esse; siquidem in eius administratione, præter ordinis potestatem, iurisdictio etiam requiritur, ita ut lethalis sit culpa, illud sine eadem conferre, quia est alienum ius in re graui usurpare, idque per se lòquendo, cum animarum periculo, & contra pacem, & debitam gubernationem, & ecclesiæ ordinem; imo quò ad religiosos præter mortale peccatum, est etiam annexa excommunicatio maior quæ ipso iure incurritur, & Papæ reseruatur. *clem. 1. vbi Card. & alij, tit. de priuileg. Tab. ver. communicare, n. 58. Syl. ver. Eucharistia 3. nu. 6. Nau. c. 21. num. 52. Tol. l. 6. c. 17. Lapus Alleg. 127. Tusch in ver. credulitas nu. 23. concl. 1071.* Hęc autē assertio nempe Eucharistiam tempore Paschatis in propria Parochia sumendam ab his, qui religiosis inseruiunt, restringenda est ad eos, qui in monasteriis, aliisve locis à cura Parochorum exemptis degunt: nam qui inibi uitam ducunt, licite communionem sumere possunt, & ecclesiæ præcepto satisfaciunt, tùm quia à Parochia exempti censentur: tùm quia sicut ibi inconsultis Parochis sepeliri possunt, ita etiam ibi sacramenta, ut in casu nostro, percipere posse uidētur, ut colligitur *ex Sanchez l. 3. de matr. disp. 23. n. 12. Bonac. de sacr. d. 4. q. 7. p. 2. n. 10.*

Ad secundam qōnē dico ualidum esse matrimonium à Gabriele celebratum, quamuis eius authoritas, parochiales functiones exercendi expirasset; nam Parochus, ut sæpe dictum est, censura affectus etiam nō toleratus, ualide matrimonio assistit, cum ut DD. aiunt, hæc assistentia non sit actus ordinis, qui est ei inhibitus: & ualent gesta per eum, qui uero titulo caret, sed communi errore titularis habetur, *per l. Barbarius ff. de officio Prat.* Nec mortaliter peccat Parochus, qui lethali noxa astrictus, matrimonio assistit, aut sponsis benedicit, nam non est essentialis sacramenti matrimonii minister, nec ipse formam profert, sed ijdem contrahentes ministri censentur, & consequenter coniugium in peccato mortifero contrahentes, ut quia debita contritione careant,

careant.

fateant, & confessionem omittant, grauiter delinquunt, non quatenus ministrant, sed quatenus sacramentum recipiunt, cum ad gratiam, quam alioqui susciperent, obicem, & impedimentum ponant. *Possevinus de officio Cur. c. 5. n. 40, Bonac. de sacr. disput. 1. q. 3. puncto 2. §. 1. nu. 10. & de matrim. q. 4. p. 4 nu. 6. & Sanchez l. 2. d. 6.* Gutier. c. 83.

Ad tertiam quæstionem respondendo dicimus, Gabrielem religiosum cum Iustinam filiam suã spiritualem ad turpia extra confessionem sollicitauit, in casum ab Episcopo reseruatum non incidisse, ac proinde à suo Confessario absolui posse: siquidem Sacerdotes regulares, etiamsi Parochi officio funguntur, quò ad casus reseruatos, suorum Superiorũ, & proprii ordinis dispositioni subiiciuntur. *Feder. de Senis cons. 95. Tusshus in ver. absoluere, concl. 45.* Si tamen in administratione sacramenti pœnitentiæ eos delinquere contigerit, facultas audiendi cõfessiones ab Episcopis subtrahi poterit, cum in his, statutis, quæ animarum curam concernunt, eos ligari, communiter DD. tradant, *ex Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 11. Io. Franc. Leo, in Thes. for. eccles. p. 2. c. 18. nu. 105. Mar. Ant. l. 1. var. resol. resol. 17. Graffius l. 2. de cas. reseru. c. 12. nu. 17. & cons. 6. tit. de pænit. & remiss. Vgol. de officio Episcopi p. 1. c. 20. §. 10. Roder. in qq. reg. to. 1. q. 36. ar. 4.* & per nos annotatũ est *in Comment. de cas. reseru. p. 2. c. 4. casu 3. sect. 3.* Sicuti etiam vt supra, & alibi sæpe retulimus, Ordinarii locorum, & hæreticæ prauitatis Inquisitores procedere possunt, & seuere animaduertere in regulares, qui ad inhonesta perpetranda, confessionis occasione, vel in loco ad audiendas confessiones deputato, pœnitentes induxerint, uel sollicitauerint, cum preter horrendum sacrilegii crimen, quo se conspurcarunt, de hæresi ualde suspecti reddantur, ut proinde sic sollicitati eos ad uiolatæ religionis Censores deferre teneantur. *Barbosa de Episcopo p. 2. Alleg. 105. nu. 60. Molfes. tr. 7. c. 24. Roder. in qq. regul. tom. 2. q. 27. art. 1.* ut dictum est supra *p. 1. tr. 7. c. 20. q. 109*

An autem si Gabriel aliquo casu in sua religione affectus sit, & facile absolutionem obtinere nequeat ut scandalum, & infamiam euitet, possit in Paschate, vel alio tempore inculpate celebrare, à multis dubitatur. Hoc autem ei licere resoluimus *in d. Cõmen. de cas. reser. p. 1. c. 4. §. quartus, & postremus*. In quo tamen casu diximus, quod si confessarii alicuius inferioris copiam haberet, aliqua peccata non reseruata confiteri deberet; siquidem ab his peccatis directe, à reseruatis uero indirecte absolueretur, cum obligatione tamẽ ea postea Superiori cõfitẽdi. *Tol. l. 6. c. 16. Vgol. de offic. Episcopi, p. 1. c. 16. §. 1. Lazar. de monit. sect. 4. q. 18. Roder. in qq. regul. tom. 1. q. 21. art. 4. idem Molfes. l. c. c. 21. n. 7. Bonac. de sacr. pœnit. d. 5. q. 7. p. 4. §. 3. Reginal. l. 8. nu. 87. c. 6.*

CAP. III.

QVÆSTIO VIII.

Confessionem, & Communionem in Paschate omittẽs quot peccata committat. An Medicus, & Parochus infirmum confiteri renuentem deserendo peccent; Vtrum nomen Iesu in morte proferens etiam si in notorio peccato decedat, Ecclesiastica sepultura donari debeat, & an testi circa hoc credendum sit. Sepulturam in morte non eligens in quonam sepulchro tumulari debeat, &c.

GErardus cum ob quandam perniciosam animæ propriæ incuriam, & prauam acediam in Paschate non esset confessus, nec sacram synaxim sumpsisset, paulo post in grauem, ac periculosum morbum incidit, & cum ab utroque medico tàm spirituali, quàm corporali suaderetur, ut saluti suæ consulens, ex Christiano more, & iuxta sanctę Romanæ Ecclesiæ ritum, sacra confessione animæ suæ sordes elueret, sacrosanctam Eucharistiam susciperet, & de rebus temporalibus disponeret, & nihilominus ipse tempus tempori (vt dicitur) dans, hęc pia officia differret, medicus ut Pontificiis sanctionibus obtemperaret, quæ iubent, ut nisi liquido de facta confessione sibi constiterit, tertia die ulterius ad ægrotum non accedat: Parochi etiam suasu, & consilio eum deseruit, & ab eiusdem cura se subtraxit; unde post biduum domesticis pene non aduertentibus sine sacramentorum præsidio ex hac uitā decessit. Quæritur Primo quot peccata iste infelix Gerardus commiserit. Secundo, an tàm Medicus, quàm Parochus eum sic deserendo, aliquam culpam, & Ecclesiasticam maculam contraxerint, uel potius laudabiliter fecerint. Tertio an ipse Gerardus ecclesiastica sepultura carere debeat, uel potius ea donari, cũ famula nomen Iesus eũ pronuntiasse audierit, & an ei soli præstanda sit fides. Quarto cum sepulturam non elegerit, in quonam sepulchro sit humandus. & quid in proposito casu sint boni confessarii partes?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REspondeo, Suppono Primo, iure antiquorum canonum *in c. cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* Medicis districte præcipi, ut ad medendum infirmo in lecto iacenti uocati, eum ante omnia moneant, & inducant, ut confiteatur. Quod Decretum innouauit Pius V. in Constit. incip. Supra gregem dominicum, atque noua illa lege ad usum reuocauit. Additque insuper præceptum, ne medici ultra tertium diem ægrum uisitent, nisi per Confessarii scriptum, ipsis de infirmi confessione fides fiat, nisi Confessarius ex iusta causa longius tempus infirmo

conce-

concedendum iudicet, & Collegiis, ac Vniuersitatibus præcipit, ut cum medendi licentiam alicui concesserint, aut ad Doctoratus gradum eum promouerint, ab eo hæc seruandi iuramentum exigant. Et quidem hæc Decreta sub lethalis culpæ reatu obligare non est dubitandum, quia Innocentius III. *in d.c. cum infirmitas.* grauibus uerbis utitur, dicēs Districte præcipimus; atque transgressoribus grauem pœnam imponit, nempe ut ab ecclesiæ ingressu arceantur. Et Pius V. perpetuam infamiam, ac gradus priuationem, & à medicorum cætu eiectionem, ac pecuniariam pœnam arbitrio Ordinarii taxandam addidit. ut ex communi tradit *Sanchez l.3. de præcept. c.16. Bonac. de legibus, disp.4. quæst.1. puncto 16. Fillius. tr.7 c.2.* vt & ego dixi *in Commen. de stat. p.2. c.8.*

Id autem cum pie in primis tùm sapienter præceptum esse res ipsa demonstrat: Primum quia sæpe fieri perspicuum est, ut morbis non tàm à nobis contractis, quàm immissis à Deo, sceleribus nostris infenso uexemur: at tùm eo nobis opus est medico, qui iteram morbi radicem in ipsa hærentem anima per confessionem, ac pœnitentiam extrahere, ac stirpitus euellere possit, eisdem nos uerbis compellans, quibus in Euāgelio languidum illum cui sanitatem attulerat, affatus est Dominus: Vade, & noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat, *Ioan. cap.5.* Atque huc spectat illud Sapientis *Eccles c.38.* Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Deum, & ipse curabit te. Qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici. Morbi quidem, & aliæ calamitates alias interdum ob causas à Deo immittuntur, ut uel ad Dei gloriā, sicut de cæco à natiuitate Christus dixit *Ioan. cap.9* Vel ad iustorum probationem, & laudem, ut de S. Iobo, Tobia, & multis aliis, in sacris Codicibus clarum est: attamen ut plurimum, ut dixi, non nisi ex peccatis nostris ortum accipiunt; atque ita unumquemque de sesu, isque afflictionibus cogitare par est; & si de aliorum calamitatibus aliter sentire, & magis ad probationem, & coronam, quàm propter peccata, & uindictā illas à Deo inflictas esse iudicare debemus, ne in temerario contra proximum iudicio grauiter peccemus. *vt per Staplet. in Prompt. moral. in Domin. 18. post Pent.* Deinde & secundo loco supradictæ sanctionis iusta causa agnoscitur, quia usu uenire plerumque uidemus, ut dilata in illud tēpus confessionis mētio, cum morbi ui grauius periculosiusque cōflictari incipimus, haud secus quàm denunciatio mortis à laborantibus accipiatur; quàm rem tanta sæpe illorum conturbatio sequitur, ut deterius multo plerique habere ex eo consueuerint: quod incommodum recte anticipatione sacramenti uitatur. *Scribentes in d.c. cum infirmitas.*

Secundo, suppono, quod ubi animæ periculum timetur, mora, & dilatio deuitāda est, *vt ait glo. in c. fin. ext. de pœnit. & remiss.* In hoc enim serio negotio mora sæpe numero periculosa est,

Et semper nocuit differre paratis. *Et Hesiod. l.2.*
Ad cras rem differre nocet, tempusque futurum.

Specul. de Aduoc. §.6. vers. vel clerici. Cagnol. in l in condemnatione, §. vnicuique. ff. de reg. in. In omnibus sane mundi negotiis conficiendis, ait quidam christianus Sapiens, illud adagium locum habet. Festina lente, ad pœnitentiam vero propera. Echinnus hoc difficilius parit, quò diutius differt, succrescentibus in dies aculeis. *D. Augustinus* vir grauissimus *Hom.13. in Apocal.* ostendit, eos, qui resipiscentiam suam differunt, incertissima quadam spe nitidum longiorem semper uitam sibi pollicentur; quæ quidem innumeris hominibus sempiterni exitii causa fuit, quotidieque est, quemadmodum idem his uerbis alio loco testatur, *de verbis Domini serm.16.* Nemo Deum timens sub uerbis eius non se corrigit, nisi qui putat quia plus habet uiuere. Ipsa res est, quam solent dicere cum dicunt, cras, cras, & subito ostium clauditur. Remansit foris cum uoce coruina, quia non habuit gemitum columbinum, cras, cras, corui vox. Quod argumentum prosequitur etiam *D. Gregor. Nazianz. in orat. de baptismo.* Et tragico, formidabilique exemplo comprobat *D. Gregorius Papa Hom.12. in Euang. & l.4. Dialog. c.38.*

Tertio præmittendum à nobis est, in medico in primis desiderari scientiam, nam sicut Parochi (valet enim argumentum à medico spirituali ad corporalem) præter examē de eorum doctrina sumptum, habent præscriptos Canones, Decreta Conciliorū, aliasque Constitutiones, quibus in munere suo obeundo hærere debent, nec suo arbitratu alia temere aggredi; sic medicos oportet non rudes, ac imperitos ad curationem accedere, sed theorice, ac practice omnia nouisse, quę ad officium suum rite exequēdum necessaria sunt. Et vt ait *Card. Flor. in c. ad aures, ext. de ætate, & qualit. & Ripa in tract. de peste.* Medicus tria scire debet, nempe præterita, primo vnde morbus originem traxerit; secundo præsentia, videlicet in quo statu, & gradu ægritudo existat; tertio futura, an scilicet curabilis sit, vel mortalis, & quæ remedia ad illam profligandam sint adhibenda. At tanta est hodie quamplurimorum hominum temeritas, ut cum uix summis, ut aiunt labris, medicinalem artem degustarint, & prima ipsius elementa nouerint, artem sine dubio difficillimam, cum diuina offensione, animarum suarum interitu, necnon multorum iactura, profiteri audeant; ut propterea eorum imperitia culpæ annumeretur, & qui sciens se idoneum non esse Doctoris gradum in ea petit, & qui scienter admittit, lethali scelere se obstringat *Nau. c.25. nu.55. Siluest. Ang. & Tab. & Sa in ver. Doctor. Abb. & alij in c. tua nos, ext. de homicidio. Codronchius de Christ. ac tuta med. rat. l.1. c.1.* Vnde & tuti

medicus ficut & Confessarius semel approbatus ex causa imperitiæ reprobari potest, *Grattan. in discept. for. c. 167. nu. 44. Tusch. ver. medicus, concl.* 158.

Secundo sicut Parochi animabus curandis instituti, assidue illarum saluti inuigilare debent, nec quidquam prætermittere, quo illarum incolumitas adiuuari possit, cum tamen sciant, recte uiuendi subsidium à Dei auxilio, & prouidentia pendere: sic medicos ad curanda corpora constitutos obstringi quacumque possint industria, morbo laborantibus opem ferre, sibi nihilominus persuadentes, felices successus non à sua curatione, sed à Dei gratia agnoscendos. Vnde idem *Abb. loc. cit. & Oinot. in §. praterea. Instit. de lege Aquilia.* quatuor ponit requisita, ad hoc ut infirmi mors medico non imputetur. Primo, ut illud officium sibi conueniat, quia clericis interdictum est. Secundo ut sit peritus, & medicinæ regulis inhæreat, cum hæ ab experimentis ortæ sint, *ut ait Arist. in proemio Metaph. & Boer. decis.* 323. Tertio, ut secundum artem suam omnem diligentiam adhibeat, nec ægrum deserat. Quarto, ut eum de his informet, quæ ægritudini aduersantur. Et vt ait *Codronchius l. c. c.* 4. Medicus valde negligens in studendo, visitando, morborum signa animaduertendo, vel in consulendo dum opus est, grauiter peccat, & aliquando ad damna tenetur, & irregularis euadit. Hinc grauem culpam contrahit medicus, si ambitionis, vel quæstus causa, plures curas suscipit quàm eis satisfacere possit, per nos *in Comment. de stat. p. 2. c.* 8. Sane qui anxie nimis ægrotorum multitudinem ambiunt, laborare se probant ambitu, & auaritia, esseque turconis hominis ventri similes copiosissimis cibis inhianti, sed digerendis impari. Tertio quemadmodum Curatus probitate, ac pietate pollere debet, cum monitis, exemplis, & piis precibus alios ad Christianam perfectionem promouere debeat: ita etiam medicus Christianis moribus præditus esse debet, ac fidelis, qui officium suũ esse sciat, quod docet *Celsus l. 3. c.* 4. tuto, celeriter, ac iucunde curare; nec quidquam ægroto suadeat, quod in animæ iacturam vergat, sed cum necesse est ęgrum ad confessionem hortetur, & inducat, ei mortem nuntiet, & ad disponendũ domui suæ moneat. Gñaliter pronũtiauit *Philemon apud Stob. serm.* 100.

Neque medicus vllus si diligenter circumspicias,
Amicos suos bene valere cupit.

Hine medicus lucri causa morbum protrahens, opportuna remedia non adhibens, morbum augẽs, præter grauem culpam, ad restitutionem tenetur. *Codronch. l. i. c.* 10. idem *Grat. in d. discept. forens. c.* 439. *num.* 18. & nos *in d. Commen. de hum. vita stat. par. 2. cap.* 8.

Quapropter pro quarto supposito annotandum est, quod cum eò adducta sint tempora nostra, ut maxima malorum pars à medicis originem trahat, vel quod nimis multi sint, vel quod negligentes, vel quod ambitione, quæstuve corrupti, cauenda est eorũ multitudo, quæ vt Menander dixit Adrianũ Cæsarem perdidit; & certis medicis vtendum, sicut etiam certis libris inhærendum; & non quibuscumque, sed iis, qui vsu multo, atque experientia magis docti sunt quàm libris. Ad quod significandum Aesculapium barbatum finxit Antiquitas; nam vt Plinius ait, Discunt medici periculis nostris, & experimenta per mortes agunt. Cæterũ si eã medicinam adeo colimus, quæ tanta incertitudine nititur, & qua sæpe inutiliter, & non sine ingenti nostro damno utimur: quid censendum de ea, quę nobis omnino necessaria est, quamque fere semper salubriter ad medicamẽta adhibemus? Duas enim medicaminum officinas, vt Origenes in *Psal.* 37. docet, Deus condidit, alteram pro infirmitatibus in agris; alteram pro animi languoribus in sacrarum scripturarum pratis, vt proinde magna sit ignorantia, si homo rebus omnibus vtiliter cum Raphaele pro medicamentis vti nesciat. Et quidem eius exemplo ad animæ medicamentum, & antidotum necessaria sunt cor piscis, & ipsius fel, & iecur. Cor quidem pœnitẽtia contritum, quo semper vtiliter vtimur; quod tantæ efficaciæ est, vt omnem ab anima languorem statim tollere valeat: quod Dauid suo exemplo nos docuit, qui cum primum suæ culpæ pœnitere cępit, post illam vocem pœnitentiæ peccaui, statim a Dei vate audiuit, Et Dominus transtulit peccatũ tuum. En ait *D. Ambros. l. 2. de pænit.* quantum tres syllabæ valeant. Fel etiam dolorum, & afflictionum symbolum, vtilissimum animæ antidotum est, quod vt Isaias loquitur, dat intellectum, & sicut chilidonia hirundinibus, hominibus visum restituit. Iuuat quoque animam iecur, quod amoris, & desideriorum sedem significat, si tamen super mortificationis carbones ponatur, sicut Angelus Tobiam docuit, sic enim etiam canit Ecclesia,

Lumbos, iecurque morbidum,
Adure igne congruo.

Prodest tandem ad animæ medicinam ipsemet piscis, per quem Dæmon designatur, nimirum ipsius Dæmonis exenteratio, exenteratur autem, vt ex glossa morali ait Iustinianus, in *Tob. c. 6. vers.* 21. *in docum.* quando eius dolositas aperitur. Et vt ad rem nostram hoc transferamus, versutissimi hostis hic mos est, vt semper in salutis procurandæ via dilationem obijciat, præsens tempus sibi poscat, Deo futurum, sibi ætatis florem, Deo senectutem, sibi voluptates, Deo corpus effœtum, atque ad omnia inutile. Cui malo, vt remedium afferamus, humanæ vitæ fragilitas, & mortis horæ incertitudo ob oculos ponenda est, quandoquidem vitæ curriculo confecto, nulla procurãdæ salutis copia superest, vt ait *D. Greg. Naz. in or. de bapt.*

RESO-

RESOLVTIO CASVVM, AC DVBITATIONVM.

HIs sic præiactis, dico Primo, Gerardum cum Confessionem in anno, & Communionem in Paschate sine iusta causa omiserit, atque ideo duplex præceptum irreligiose violauerit, à cuius legis, & obligationis tanquam omnibus notæ non excusatur, duplicis peccati, vt etiam alibi dixi, reum factum esse, cum certum sit, ecclesiasticam legem in re graui ex sui natura ad lethalem culpam obligare; est enim præceptum iussio Superioris, aut legis imperantis aliquid ex necessitate faciendum, vel fugiendum. *c. fin.* 14. *q.* 1. *Silu. in ver. præceptum*. Et legitimum quemque Legislatorem legibus suis nõ ad pęnam solum, sed & ad culpam obligare posse, ita vt eas infringentes in conscientia, & coram Deo rei fiant, docet *Apost. ad Rom.* 13. scribens, humanarum legum contemptores Deo repugnare, & sibi ipsis damnationem acquirere. Et sæpe inutilis esset præceptio, si obligandi ad culpam facultas deesset; eo quod pęnam plerique non metuunt, & se armorum, vel amicorum potentia, seu diuitiarum ope, effugere posse credunt; culpam autem exhorrent, quia etiã in Dei tribunali per illam sontes se esse considerant. Et quidem loquendo nunc de communibus ecclesiæ præceptis, ad lethalem culpam semper ea astringere expedit, maximi enim ponderis sunt; & in his de grauibus rebus agitur, & cum Ecclesia in mote non habeat, exterioribus pœnis propositis, filios suos ad parendum inducere, necesse ei fuit ad culpam, & censuras recurrere iuxta tradita *per Chanas. de pruden. l. 2. c. 7. & per Carbonem l. 7. de legibus disput.* 3. *Suar. eodem tra. l. 4. c.* 18. *Molfes. tr. 8. c. 7. & tr.* 10. *c.* 1. *Bonac. de sacram. d. 5. q. 5. p. 4. num.* 18. *& Sayr. in Clau. reg. l. 3. c. 7. Regin. l. 6. n.* 34. & per à nobis adducta *supra trac. 7. c. 1. in Prælud.* Imo cum in mortis articulo de iure diuino homo, tàm ad Confessionem, quàm ad Communionem obligetur, huius etiam duplicis præcepti trãsgressor duplici culpa se Gerardus ipse implicasse videtur. *Fillinc. tr. 7. c. 3. num.* 32. idem *Molfes. tr. 3. c. 8. num.* 4.

Alio etiam reatu, & pœna inuolui uir iste potuit in testamenti omissione, quando post eius mortem multa damna consecuta fuissent; quandoque enim lethalem culpam testamenti prætermissio secum affert, cum scilicet id necessarium esset, quò ad æs alienum, quod nisi in eo, vel codicillo exprimeretur, & solui præciperetur, vel non solueretur, vel non nisi cum magna molestia, & sumptibus creditorum; vel ad aliqua manifestãdum, ex quorum ignoratione damnum alicui inferretur, nec aliunde his malis sufficienter occurri valeret. Vel quando scandala, odia, & lites verisimiliter orirentur, nisi testamentum conderetur. &c. *Molina de iust. tr. 1. disput.* 135. *Zecchius in summa mor. c. 58. num.* 23. *Possen. de officio Cur. c. 13. nu. 6. Ala de aduoc. q. 68. Codronch. lib. 1. de tut. med. rat. c.* 19. vt etiam tradidi in arte *diiudicandi infirmos, p. 2. c. 1. & in Comment. de hum. vita stat par. 2. cap.* 8.

Ad secundam quæstionem dico, pro Parocho, & Medico, vt Gerardum renuentem, vel sine causa cõfessionem differentem deserendo, non peccauerint, ac ideo pœnam vllam non meruerint, nec contraxerint illud. Primo facit, quod ex præfata Pij Quinti Cõstitutione aperte colligi videtur, medicum capitali crimine grauari, periurio ẽt teneri, ac quibusdam alijs pęnis subijci, si ægrotum non deserat, qui adscripto tridui spatio confiteri tenuat. Et lex quãtumcumque dura est seruanda, etiamsi iniquitas per eam induci videatur, quia donec per Superiorẽ tollatur, executioni mandanda est. *Roland. a Valle l. 2. cons. 99. Bald. l. 5. cons.* 459. Et lex scripta æquitati non scriptæ præfertur. *l. placuit, vbi Bart. & alij C. de iudicijs.* Ac vbi clara sunt verba legis, non est vlterius dubitandum, neque de ratione quærendum. *Decian. l. 1. consil. 2. Surdus cons.* 53. *Tusch. ver. lex, conclusio.* 262.

Adde vnicuique persuasum esse debere, Summũ Pontificem nihil pręcipere, quod charitatis legi dissentaneum sit, quis enim non videt, optimo consilio in pœnam delicti ægrotantis iussum fuisse, vt qui nolit tanquam bellua animæ sanitatem admittere, nec etiam corporis curationem eum recipere conueniat: vel etiam hoc mandatum fuisse, vt hac necessitate compulsus ad confessionem confugiat. Sunt namque plerique flori illi Indico similes, quem tristem arborem vocant, qui, vt legitur, nisi post Solis occasum floret: vel sicut vespertiliones, qui nusquam nisi in tenebris uolant: sic, inquam, illi nonnisi in aduersitatum nocte uirtutibus florescunt, uel se ipsos supra se cœlestia petentes leuant, iuxta illud *Psalm.* 83. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Verba, & herbæ, ut est in adagijs, improbo puero fenis poma diripienti, ab arbore descendere non persuaserunt, ac depellendi virtus in lapidibus inuenta fuit: ita sæpissime cum natura, & gratia malos non urgeat, pœnarum formido ad officium cogit. *Codronch. de tuta, ac Christ. med. rat. lib. 1. cap.* 17.

Secundo quod quatuor potissimum sunt, quæ à legis humanæ transgressione excusare solent. Primo metus grauis, & in constantem uirum cadens. Secundo impotentia. Tertio Superioris dispensatio. Quarto eius legis inuincibilis ignorantia, ut ait *Reginald. l. 16. c. 2. nu.* 12. Vnde & *Zerula in praxi pœnit. c. 8. q.* 5. Inter causas, quæ à peccato mortali excusant, ignorantiam, siue facti, siue iuris ponit, ut si quò ad primam, quis hominem occideret, putans feram, uel auem, adhibita diligentia interficere: uel

quò ad

quò ad secundam, si quis ignoraret aliquam legem præcipientem, seu prohibentem, absconditam, vel abstrusam, seu male intellectam, vt sunt aliquæ Extrauagantes, & Bullæ Summorum Pontificum, vel Pragmaticæ alicuius Regni, vel Episcoporum statuta, siue ecclesiasticæ censuræ. Etiam *Bonac. de legibus d. 2. q. 8. p. 3. num. 22.* addit ex communi, Ignorantiam, quę respectu iuris diuini, uel naturalis, culpabilis mortaliter diceretur, put uerbi gratia ignorantia à lethali culpà contra sextum præceptum admissa non excusat, habita ratione iuris humani tantũmodo uenialẽ fieri, modo adsit bona fides, siquidem humanæ leges utpote benignæ, adeo strictam obligationem inducere non censentur. Vnde cum res valde sit ambigua, & inter Doctores controuersa, an ex Bullæ tenore, & solido intellectu æger relinquendus sit, etiam si confiteri recuset, uel uana spe lapsatus differat, cum alii negent, alii affirmant, uterque medicus excusandus uidetur, si circa legis ueram intelligẽtiam errauerit, ex illa uulgata positione, quod lex quæ dubia est, & multiplices interpretationes admittit, præcise ad decisionem causarum allegari non potest; quod enim multis, ac uariis modis intelligitur, ignorari dicitur. *Felin. in c. 1. ext. de constitut. & in Proemio Decret. num. 2. Iaf. in l. 1. ff. de transact. Crauetta cons. 619. n. 11. Decian. cons. 8. nu. 35. Tusch. ver. lex. concl. 273. & ver. ignorantia. concl. 12. Mascar. ver. errans in iure cõcl. 640.*

Ex altera parte, Medicus, & Parochus, nec à culpa, nec ab irregularitate immunes ab aliquibus valde probabiliter censentur, cum Geratdum morbo ingrauescente conflictatum impie deseruerunt, & tã spirituali, quàm corporali medicamento destitutũ, in tàm apertum animi, & corporis discrimen coniecerunt; nam in temporis mo nento, ita ægrotus repente morbo aggrauatur, ut ex tempore de medio à morte tollatur, ita ut facræ confessioni locus non detur, ac proinde utriusque hominis tàm interni, quàm externi unus atque idem sit interitus. Quandoquidem Decretum illud Pontificium uti ualde rigidum merito temperandum est, ut intelligatur editum ad terrorem, & ad continendos homines in christiano officio; uel nisi ex desertione medici æger in probabili mortis periculo constituatur: tunc enim & si pertinax sit, in renuenda confessione, deserendus non est, quia contra charitatis ordinem esse uidetur, in ea necessitate corporis, & animi non subuenire, qui forte desperans, uel à Diuina gratia alienus obibit: & forte medico non deserẽte, ad pristinam sanitatem restitutus, ad meliorem frugem se recipiet. Cum *D. Ambrosius in Psal. 36.* morbum ultutum officinum appellare non dubitauerit. *Et Greg. Nazian. ep. 66.* referat, quod cum Philagrii hortatu, qui aduersa ualetudine laborabat, in explanatione *Psal. 72.* de piorum calamitatibus, atque impiorum rebus secundis longam orationem habuisset, ille repente lecto exurgens Deum ita alloqui cæpit, Gratias tibi ago Pater, quod de nobis etiam inuitis, & repugnantibus, bene merearis, ac per externum hominem internum purges, atque per contraria nos ad beatum finem ducas. Hinc multi illud Euãgelicũ, Tolle grabatum tuum, & ambula, *Marci c. 9.* ad Christianæ uitæ perfectionem traducunt, ad quam æger sanirati Dei gratia instituturus, celeri, ac solido gressu tendere debet. Sicut corporis uulnera, ait *D. Chrysostomus lib. de Sacerd.* fiunt curatu difficilia: sic natura comparatum uidemus, ut animi morbi si exasperes, magis rebellent, atque incrudescant, dominorumque suorum peccata augeant. *Buseus in arte medica, in ver. impatiẽtia in morbis.* Vnde quod supra dictum est, legem etiam duram seruandam esse, procedit, quando est certa, & sine dubio, aliàs in re dubia, in benigniorem partem fit interpretatio: nec etiam procedit, quotiescumque ex uerbis legis simpliciter intellectis, iniquitas resultaret: tũc enim à verbis receditur, & mens, & ratio, quæ est anima legis, seruatur *l. is. §. aliud ff. de excusat. tut. Bellam. cons. 9.* Quinimo ex communi sententia, medicus in exhibendis ægro medicamentis, opinionem, magis ipsi ægrotanti salutarem sequi tenetur: & si quidem aliquod medicamentum certum sit, illud exhibendum postposita contraria opinione, & probabiliori speculatione: si dubium, tunc præbendum, quod secundum probabile placitum profuturum creditur. *Filliuc. tr. 21. c. 4. n. 151.* Atq; ita ob has rõnes sẽtiũt *D. Anton. 3. p. tit. 7. c. 2. §. 4. Ang. ver. medicus nu. 8. Sylu. q. 3. Armilla num. 1. Tab. ver. medicina q. 11. Nauar. c. 25. num. 62. Cenedus in collect. ad ius can. collect. 163. Suar. tom. 4. d. 35 sect. 3. num. 4. Roder. p. 1. c. 246. Graffius p. 1. decis. l. 2. c. 14. Sanchez l. 3. de precep. c. 18. Bonac. de leg. d. 4 q. 1. puncto 16. Filliuc tr. 7. c. 2. n. 34. & alij.* Et etiã tradunt, in hoc euentu nostro, ægrum non esse deserendum, etiam atrẽto motu Pij V. cum præsumi non debeat, quidquam charitis legibus aduersum statuere voluisse, &c.

Nec ignorantia inuincibilis in Parocho, & medico dari posse uidetur, ut scilicet iuste ignorare potuerint, talem desertionem ægroti confessionẽ respuentis, uel sine causa differentis, illicitam esse, cum ino huiusmodi ignoratio, uel inscitia crassa, & supina censeatur, & quilibet ea nota habere debeat, quę ad eius statum, & officium pertinent. Vnde olim Seruio Sulpitio uitio datum fuit, quod ius ignoraret, in quo assidue uersaretur. *D. Thomas 12. q. 76. art. 1. & 2. Pompon. in l. 2. ff. de orig. iu.* Et ut tradit *Reginal. l. 16. num. 13.* Ignorantia quæ contrauenientem præcepto à peccato excusat, duobus modis contingit. Primus est cum in eo qui ignorat, nulla omnino præcessit dubitandi ratio, aut notitia, qua induceretur, ad existimandum quippiam certum esse peccatum,

vt vsu venit quibusdam simplicibus putantibus pietatẽ esse agonizantes in lecto uoluere, ut citius moriantur, cum tamen id de se sit peccatum cõtra præceptum non occides, sed à quo in tali casu per ignorantiam excusantur, quam humana industria uincere nequiuerunt, cum nec quidem de hac re unquã in mente dubitauerint. Secundus modus est, cum post dubitationem, aut confusam cognitionem facta diligenti examinatione, an aliquid sit, uel non sit illicitum, contrarium ve alicui præcepto, probabilibus rationibus appareet licitum esse, nec ulli præcepto repugnare, licet res aliter se forte habeat: quæ ignoratio probabilis dicitur, & quò ad effectum excusandi à peccato inuincibili æquiparatur, siquidem homo tunc ex iudicio prudenti agit, &c. Quæ quidem ignorantia, & inscitia, ut dixi, in medico dari non potuit, & multo minus in Parocho, qui in his quæ ad animæ salutem spectant, Gerardum ægrotum deserere non debebat, nec contrarium agendo, conscientiam suam probabilibus rationibus fundare, ac munire poterat. Quippe parum Christianis ouibus prospera ualetudine certantibus prodest Pastoris solertia, si ingrauescente in his morbo, uel adueniente mortis tempore, in quo de summa salutis agitur, illas debitis, ac necessariis subsidiis destituat. *Tol. l. 5. c. 5. Pascuinus de officio Curati c. 13. Bassus de cura anim. p. 4. c. 12.* ut diximus etiam in *Commen. de hum. uita stat. p. 1. c. 14.*

Ex quibus positionibus illud mihi probabiliter etiam resoluendum uidetur, Medicum qui publico, uel priuato stipendio conductus, officium suum non præstiterit, & ex cuius negligentia, uel ignorantia Gerardus interiit, irregularem effectum esse, cum ex supradictis, in cura perseuerare teneretur, nec eo prætextu excusandum esse, quod ille peccata sua confiteri noluerit, ut tradit *Auol. de irregul. l. 2. c. 12. & l. 5. c. 3. § 5. Henriq. de irreg. l. 1. c. 12. nu. 7. & Sayr. l. 7. c. 4. num. 5.* Multo minus ab hac irregularitatis labe immunis erit Parochus, cuius suasu, & hortatu, cum tanta tãm animæ, quàm corporis iactura Gerardum ægrum deseruit.

Ad tertiam quæstionem respondendo, qua quærebatur, an Gerardus sepultura donari debeat, dico quod licet de iure sepultura multis deneganda sit, inter quorum album illi referendi sunt, qui semel in anno non sunt confessi, nec in Paschate sacrosanctam Eucharistiam sumpserant. *c. omnis, ext. de pænit. & remiss.* Excipitur tamen nisi mortis tempore contritionis signa ostenderint. *Syluest. uer. sepultura. q. 11. Abb. cons. 81. Tusch uer. sepultura, concl.* 188. *Nau. cons. 5. & 6. tit. de sepult. Graffius cons. 1. eodem tit. Vgol. de officio Episcopi c. 17 nu. 4. Gennen. in praxi Neap. c. 76. Molf. p. tr. 13. c. 9.* Vnde cum Gerardus in extremis constitutus, ancillæ testimonio nomen Iesu, quod est contritionis, ac pietatis indiciũ, pronuntiauerit, conficitur, Christiana, ac ecclesiastica sepultura priuãdum non esse. Nec dubium est, quin pro huius rei fide famulæ suæ honestæ feminæ assertioni standũ sit; siquidẽ in ciuilibus, & moralibus, unus rãtum testis fide dignus probat, ita ut plene ei credẽdum sit, maxime cum nulli præiudicium fit, ut quod quis sit baptizatus, quod ecclesia sit cõsecrata, uel cum aliquod peccatum impediendum est, ut matrimonii illiciti, uel de consensu partium, ut cum quis dicit se confessum, uel de eius licentia Confessarius asserit pœnitentem esse emendatum, &c. nam quilibet præsumendus est bonus, & verax, quamdiu malus, & fallax nõ probatur, aliàs humana fides periret, si in his casibus illi non crederetur, qui prudenter fidelis iudicaretur *gloss. & DD. in c. nuper, ext. de testibus, Salon & alij in 22. q. 69. art. 2. Graffius l. 1. Decis. aur. c. 26. nu. 26. Armilla in ver. consecratio Ecclesiæ, num. 2. Sà in ver. testis num. 1. Nau. cons. 5 de success. ab intest. & de testibus consil. 61. Decius cons. 56. Farinac. de testib. q. 63. n. 28.*

Ad quartam dubitationem pariter respondetur, quod si Gerardus adultus, & sui iuris aliam sepulturam non elegit, in sepulchro maiorum suorum sepeliri debet, *c. 1 de sepult. l. 6. Tusch. ver. sepeliri, concl. 189. Oldrad cons. 25. & 257. Zerola in praxi Episcopali ver. sepultura. Tholos in syntag. iu. l. 2. c. 13. Molfes. tr. 13 c. 8. nu. 26.* & plures alii, qui hoc probant, de omnibus sepulchra maiorũ suorum habentibus, etiam si casu in aliena parochia moriãtur, quia adhuc in antecessorum suorum monumentis, quæ implicite elegisse præsumũtur tumulandi sunt, at propriis sepulchris non fruentes, de iure communi propriæ parochiæ, ubi uiuentes sacramenta susceperint, reliquuntur, *c. 1. ext. de sepult. c. 1. 13. q. 1. c. is qui, eodem tit. l. 6. Mar. Anton. l. 1. resol. 112. casu 59. & Tusch. l. c.* Vt autem electio sepulturæ probetur, satis est, ut quouis modo Iudici constet, uel per testamentum, uel per testes etiam singulares, aut per Cõfessarii dictum, cui in hoc fides præstatur. Sepulchrum quoque familiæ, uel hæreditarium, resolutũ est, ex inspectione litterarum ipsi sepulchro inscriptarum probari. *Mascar. de probat. ver. sepultura, conclus. 1297. Riccius in Praxi sepult. Decis. 664. Gennen. in Praxi Neap. d. c. 76. num. 8. Molfes. l. c. num. 32.*

CONFESSARII IN PRAESENTI CASV PARTES.

Confessarii ergo partes erunt, ex prænotionibus, & præuiis inspectionibus, supra adductis, medicum instruere, quomodo in futurum circa ægrotos se gerere debeat.

Primo, ut per se, uel per alium ægrotum morbo graui laborantem, uel tali infirmitate uexatum, ut non ex delitiis, nec ex solo podagræ impedimento,

sed

sed ex se lectum petat, & morale periculum subsit, ne morbus grauis fiat, moneat, & inducat, vt medicum aduocet animarum, quò postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur, cum cessante causa, nempe peccatis, ob quæ sæpe morbi à Deo immittuntur, cesset effectus. *d. c. cum infirmitas, ext. de pænit. & remiss. & patet ex Constitut. Pij V. incip. super gregem*. Quæ tamen sanctio, ut diximus, non adeo strictè obligat, ut ipse medicus postmodum infirmum deserere teneatur, si confiteri nolit, & morbus ingrauescat, ne miser patiens tàm animæ, quàm corporis iacturam faciat. Cum præceptum humanum ad aliquid agendum datum contra charitatis legem non obliget.

Secundo, si medicus probabile mortis periculum præuideat, tenetur per se ipsum, uel per Parochum, uel per domesticos, aut per alios mortem ipsam nũtiare, ut conscientiam exoneret, & sacramentis se muniat. Culpa uero medici dictam admonitionem prætermittentis casu quo teneatur, ex communi DD. sententia, lethalis est, cum sit in re graui, ac in maximum proximi detrimentum: à qua tamen excusatur, si omittat, eo quod constet, illud monitum non profuturum, uel eo adhibito, ægrum in peius ruiturum, ut patet ex dictis de correctione fraterna, vbi illud à *D. Hieronymo* repetitum est *epist. 107.* & à *Salustio in proemio belli Iugurt.* Frustra niti, neque aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Cui consonat illud *Seneca ep. 29.* Magno viro tentandum non est, quod succedere non possit. & illud *Eccles. c. 32.* Non effundas sermonem, vbi non est auditus. Secus tamen est, si tantum dubitet, an admonitio profutura sit, quia in dubio tenetur quispiam notabile proximi damnum vitare. *Beia p. 1. casuum consc. casu 11. Sanchez l. 3. de præcept. c. 16. Codronchius l. c. l. 1. c. 19. Molanus de pys testam. c. 48.*

Tertio loco confessarii munus erit, Parocho suas obligationes ad memoriam reuocare, inter quas illa est præcipua, ut sub lethalis culpæ reatu, teneatur cuilibet morienti ex sua parochia, vsque ad extremum uitæ spiritum assistere, si eum sciat hinc decedentem, aliqua mortali noxa irretitum, nec confessum, nec ulla cõtritionis signa dedisse. Et ut summũ illudque irreparabile damnum, iamque imminens malum auertat, ac omni quo potest modo, dum adhuc halitus superest, obligari ad illius salutem procurandam; quod si eum deserat, operamque suam eo tempore deneget, à quo æternitas pendet, reum se damnationis illius pro virili parte se constituere. Nec enim dubium est, quin in morte tria potissimũ grauissima incommoda insint. Primum quod acerba, atque vt Sapiens *Eccles. c. 41.* dicit, amara est, nõ modo ipsa, sed vel ipsius memoria. Secundũ quod periculosa ob infestas Dæmonum tentationes, qui tùm maxime sæuiunt, hominesque in omni parte versant. Tertiũ quod horribilius est, propter illud tribunal, illudque districtum iudicium, quod quanto magis quasi tangitur, tanto vehementius tormidatur. Verum ad has Dæmonum artes eludendas, & impetus frangendos, plurimum posse proprii Sacerdotis opem, tùm multis exemplis declaratum fuit, tùm hac ratione comprobatur, nam cum Parochus tanquam custos illius animæ à Deo constitutus sit, si ab ipso pro illius salute auxilium imploret, ut eam non tradat in manus inimicorum eius; profecto credendum est, misericordiarum patrem, illius preces exauditurum. Hinc *Dionysius Carthus. de quatuor nouissimis, de iudicio animæ art. 37.* Pastor, inquit, ac custos, & medicus animarum, tunc præcipue curet adesse migraturo, pro quo ipse coram Domino rationẽ reddere obligatur, &c. *Beia l. c. Possen. de officio Cur. c. 13. Baffus de Cur. anim. p. 4. c. 12 & 13. Graffius l. 1. decis. aur. c. 26.*

Quarto, Ad Parochi etiam curam spectabit, ad auertenda multa incommoda, quę euenire possunt, ægrum hortari, vt testamentum condat, cuius omissio, vt suo loco aduertimus, lethalem culpam secum inuoluit, si ad auertendas lites, quæ inter hæredes oriri possent, vel ad æs alienum soluendum, necessarium foret, eique suadere debebit, vt illud post sacramentalem confessionem, & in statu gratiæ conficiat: nam cum testatores multa ad pias causas disponere soleant, vtique talia legata in peccato mortali relicta, ad æternam salutem, & ad purgatoriam satisfactionem nihil proficiunt. Missæ vero quando illo vitam functo celebrabuntur, ex offerentis quidem applicatione, si sit in Purgatorio opem afferet, uirtute autem testamenti, nil pium relictum ei proderit. Quod si forte diuinæ gratiæ expers testatus fuerit, ei consulet, ut post confessionem omnia pia legata rata habeat, illaque denuo Deo offerat, ut sua misericordia nouum consensum admittere, & acceptare dignetur. *Nau. c. 26. num. 36.* Idem *Beia p. 1. casu. 57. Ala de ada. p. 1. q. 58. Salon. 22. q. 5. de dominio, art. 5. & alq.*

Ab ipso autem Parocho sui subditi admonendi erunt, ut sani, vel saltem initio morbi testamenta condantur, tùm vt commodius id præstent, tùm etiam quia ab intestato successuri, ne quid alijs à testatore relinquatur, aduentum tabellionis, ac testium arcere solent, quod qui faciunt, præter grauissimam culpam, qua se obstringunt, quæ testatorem velle alicui relinquere intelligebant, restituere tenentur, vt optime docet *D. Anton. p. 3. tit. 10. c. 1. §. 2. & Salon. l. c.* Et quod peius est, qui fraude, vel dolo nititur ne infirmus testetur, hęreditatem amittit, quam ab intestato expectabat, & ad alios propinquos deuoluitur *l. 1. C. si quis aliquem test art prohibuerit.*

buerit. Quæ lex cum iusta sit, ad obuiam fraudibus eundum, in conscientia obligat. Sane integrum est, conditurum testamentum aliqua honesta via rogare, vt sibi non alijs bona relinquat, at fraude, vel dolo impedire, ne tabulas, vel testamentum conficiat, nequaquam licet. Quouis quidem tempore libera est testandi facultas, etiam eo die quo morimur, & post sumptum Viaticum, & Extremam vnctionem, contra populi tum quorunda n errorem, modo sana mens perstitat. Cæterum quia circa exitum, an mens sana fuerit, facile difficultas mouetur, potissimum quando testatoris iudicium nonnulli conuellere volunt, & facile animaduertimus, multum turbatos esse, qui sunt per Iudicis sententiam ad laqueum, vel gladium, adducuntur, vt non mirum sit, turbatiores sæpe esse eos, qui ex morbo franguntur, quique ex ante actæ vitæ meditatione, necnon ex Dæmonum insidijs, multifariam contristantur, non male monuit, qui dixit, Dispone, & debes ante morbum, sæpe quis efficitur infirmitatis seruus, & seruus testari nō potest. Nam teste *Seneca ad Lucilium ep. 78*. Tria hæc in omni morbo grauia sunt, metus mortis, dolor corporis, & intermissio voluptatis. Quò pertinet similis admonitio in statutis synodalibus alicubi facta, quibus Parochis præceptum est, vt clericos, & laicos adhortentur, ne testamenti confectionem ad mortis angustias differant, sed mentis compotes testentur. *Mol. l. c. c. 47*. Et quid obsecro, ait *Iustin. in Tob. c. 4. vers. 22. in decum.* nocumenti affert de rebus suis quantocyus disponere? an necessaria mors post testamentum? Nonne in testatoris manu situm est, quandiu viuit, si expedire cognouerit, testamentum quotannis innouare? Vide quæ diximus infra *tract. 9. à tit. de testam.*

Tandem Confessarij, & Parochi partes erunt, testatorem moribundum admonere, vt spirituale testamentum cum temporali admisceat, & familiæ suæ monita salutis præbeat. Sic Tobias boni testatoris vicem gerens, ea quæ filij sui animam ditare poterant, ipsi sua vltima voluntate legauerat; bona vero quæ fortunæ dicuntur, quibus corpus commode in vita sustentatur, eidem postremo in testamento reliquit. Quin etiam insigniores veteres legimus ante mortem parum, aut nihil de temporalibus bonis, multa de anima salute dixisse, quippe cum scirent, maximam filijs hæreditatem obuenire, si bene ac probe in via salutis edocti relinquātur *D. Anton. 3. p. tit. 10. c. 1. §. 2. Iustin l. c.* Et quò ad hanc materiam, & argumentum videri possunt, quæ tradidimus in *tract. artis adiuuandi infirmos p. 2. c. 5. & in Comment. de stat. hom. vita, p. 2. c. 28.*

CAP. IV.

De Communione in Paschate facienda.

QVÆSTIO IX.

Quid agendum cum proprio Parochiano, qui confitendo, excommunicationem, qua ligat° erat, subticuit, & in ea Eucharistiam in Paschate in sua Parochia sumpsit; & dubitans an copula cum uxore in nocte praecedente habita Communionem impediret, in confessione hoc non aperuit, &c.

Marcus vir rura vitam degens, & tātum semel in anno sacram Eucharistiam sumere solitus, cum frumentum ab Ecclesiastica ditione extraxisset, & tempore Paschatis, in quo in propria Parochia (vt Pastor, & animarum Curator, pecoris vultum cognoscat) sacrosanctam Eucharistiam quilibet fidelis sumere debet, proprio Sacerdoti peccata sua confitēs, cum sciret se ab excommunicatione, q̄ propter hoc contraxit, absolui nō posse, illam subticuit, ea mente, & proposito, vt postea Pœnitentiario (a quo longe aberat) illam aperiret, & ab eadem liberaretur; & sic ligatus ad sacram Communionem accessit. Et cum nocte præcedenti cum propria vxore copulam habuisset, dubitans an hoc Communionem impediret, id quodam prauo pudore retardatus in ipsa Confessione non expressit. Quæritur an huiusmodi Confessio sit valida, & an per eam Ecclesiasticum præceptum adimpleuerit, & an si non satisfecit, teneatur iterum confiteri, & Eucharistiæ sacramentum suscipere, quidque consulere debeat ei Confessarius?

Responsio, Suppono pro varijs temporibus, variam etiam olim fuisse obligationem sacram synaxim sumendi, nam Primo omnes fideles quotidie communicabant. Secundo creditur facta determinatio pro singulis Dominicis, de quo expressum preceptum non extat. Tertio statutum est, vt ter in anno Natali scilicet Domini, Paschate, & Pentecoste fideles ad augustissimum Eucharistiæ Sacramentum accederent. *c. etsi non frequentius. de consf. d. 2.* Tandem crescente fidelium numero, & charitate refrigescente statutum est, vt saltem singulis annis, ne pusillis laqueus injiceretur, omnes hoc cœlesti pane reficerentur. Ex quo patet huius præcepti ratio, vt scilicet esset certus modus ius diuinum implendi, & simul humanæ fragilitati accommodatus foret. Ex quo etiam colligitur, neminem vi ecclesiastici præcepti, etiam si regularis, vel monialis sit, ad maiorē frequentiam sub lethalis culpæ reatu obligari. *Fill. tract. 4. c. 2. q. 8.* Hinc constat, vt dixi, præceptum sumendi Eucharistiam à iure diuino manare, ecclesiam vero illud interpretatam esse, vt clericis, & lai-

cis

cis non conficientibus, sub specie tantum panis communio daretur, & tempus etiam determinasse: nam patet Primo *ex c. omnis, ext. de pænit. & remiss.* ex iure Canonico, & ecclesiæ mandato, omnes Christi fideles in paschate sacrosanctam Eucharistiam sumere debere, nisi proprii Sacerdotis consilio ob aliquā rationabilem causam, ad tempus ab eiusmodi perceptione abstinendum duxerint. Quod munus qui tunc temporis non obierit, ex cōiori sententia certū est, teneri statim, vt commode poterit, id præstare, nec posse tuta conscientia, vsque ad alterum anni proximè consequentis Pascha differre. Quò etiam fit, vt etsi sæpius intra annum aliquis sacrosanctam Eucharistiam sumpsisset, non dicatur præceptum adimpleuisse, sed à Dominica palmarum, vsque ad Dominicam in albis inclusiue illam suscipere teneatur. [Etsi in peccato mortali constitutus esset, quamuis confiteri non cogatur, vt confessionis obligationem expleat; siquidē satis est in qualibet anni parte animam suam expiare; deberet tamen confiteri, vt debito modo ecclesiæ præcepto de Euchatistiæ sacramento recipiendo satisfaciat, vt omnes docent *Azor. l. p. 1. l. 7. c. 30. q. 5. Suarez tom. 3. disput. 66. sect. 2. Reg. l. 29. num. 73. Vasquez tom. 4. in 3. p. q. 90 art. 3. Molfes. tr. 7. c. 10. num. 23.*

Secundo Suppono. Procrastinatæ, & omissæ sanctæ Cōionis causas duas esse potissimas, alterā vitæ licentiam, & dissolutionem, & inde timorem, ne ad damnationem sumatur; alteram immoderatam caducarum rerum cupiditatem, & solicitudinem, dum pluris fit præsentium rerum vitrum, quàm æternorum bonorum margaritum, nam inanem illam excusationem, & vanum prætextum, quo quidā aiunt, se à diuina Communione abstinere, vt se sanctius ad illam comparent, clare refellit *S. Cyrillus Alex. l. 3. in Ioannem c. 37.* Recusatio, inquit, huiusmodi quamuis ex religione proficisci videatur, & scandalum facit, & laqueos instruit; quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè viuendi iactis fundamentis, magna fiducia ad sumendam vitam concurrere, &c.

Tertio apud Doctores constitutum esse, pœnitentem maiori, vel minori excommunicatione irretitum, absolutionis à peccatis omninò incapacem esse, quandoquidem vtrique proprium est, à passiua sacramentorum participatione excludere. *c. si celebrat. de cler. excomm. minist. Tol. l. 3. c. 18.*

Quarto ob vrgentem necessitatem vitandi probabile mortis periculum, aut graue scandalum, inferiori Sacerdoti licere aliquando bene dispositum absoluere, etiamsi aliquo casu reseruato, cui excommunicatio sit annexa, innodetur, &c. quam sententiam satis probabilem ait *Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 3. n. 6. & Reg. l. 8. c. 6. n. 86. Bonac. de sacr. pænit. d. 5. q. 7. p. 5. §. 3. nu. 8. & nonnulli alij.*

Quinto extra hunc casum licet inter Scribentes disceptetur, vtrum absolutio impēsa à peccatis antequam excommunicatio tollatur, valeat, resolutio tamen illa ab omnibus fere probatur, pœnitentiæ sacramentum excommunicato bona fide confitenti collatum, ab excommunicationis vinculo non absoluto, subsistere, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. *Caiet. in summa in ver. absolutionis impedimenta. Sot. in 4. dist. 22. q. 1. ar. 1. Nau. c. 9. num. 4. & in c. fratres. num. 48. de pænit. dist. 5. Vival. de absolut. num. 77. Graffius l. 1. decis. aur. c. 18. Angles in flor. theol. q. de confessione, diff. 7. Bonac. de sacr. pænit. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 3. num. 5.*

RESOLVTIO.

His suppositis dico Primo, Marci pœnitentis validam esse confessionem, & ecclesiæ præceptum adimpleuisse, nec teneri iterum confiteri, & sacram synaxim sumere, quando etiam si sciret se ob extractionem, in excommunicationem incidisse, ignorabat tamen sacrilegium esse, absolutionem à peccatis petere, antequam ab huiusmodi censura liberaretur; cui nihilominus iniungendum est, vt ad superiores Iudices accedat, vt ab ea absoluatur, &c.

Secundo dico, pollutum ex coniugali actu, si ex vehementi voluptate, & nimia carnis concupiscentia hoc fecit, consultissimum esse à sacra Communione mane sequenti abstinere, quia animi parum ad res diuinas tractandas dispositi argumentum est. Si ex pura prolis intētione, consilium bonum est. Si cum bona mente tantum reddendo, non petendo debitum, liberum est sanè facere, quod quis velit; tunc enim copula illa iustitiæ actus fuit. *c. testamentum. dist. 6. Sanchez l. 9. de matrim. d. 13. Suar. in 3. p. d. 68 sect. 2. Coninch de Euchar. q. 80. art. 7. Beta p. 1. casu 8. Molfes. inf. citat. num. 56. Filliuc. tract. 4. c. 8. q. 8.* Vnde si Marcus dubitans, an hoc in confessione non exprimendo lethalis esset culpa, & ad Communionem accessit, ratione conscientiæ erroneæ, sacrilega culpa animam propriam sauciauit, nec ecclesiastico præcepto de Confessione, & Communione in Paschate facienda satisfecit, iuxta regulas traditas à nobis de conscientia erronea, & dubia *sup. tr. 5. c. 10 q. 63. & seq.* At quidquid sit de confessione, ex communi Theologorum sententia, præceptum, de communione seruauit, quamuis indignè Eucharistiam sumendo, lethaliter peccauerit. *Azor. p. 1. l. 7. c. 40. q. 3. & c. 41. q. 12. Molfes. tr. 3. c. 8. num. 8. Bonac. de sacram. d. 4. q. 7. p. 2. num. 12. & d. 5. sect. 2. p. 4. n. 23*

Porro ad pœnitentium legitimos Iudices pertinet; Saluatoris exemplo veniam petentem benigne excipere, errantem reducere, ignorantem docere, afflictum subleuare, ad frequentiam Communionis hortari, & impensæ absolutionis beneficij, si peta-

tur, in scriptis testimonium dare, siquidem absolutio ab excommunicatione per literas absoluentis, vel per testes in foro exteriori probanda est. *Masca. de probat. vol. 1. concl. 12. Capeuill. de cas. reseru. c. 13 prope finem. Calder. consil. 168. Tusch. ver. Pœnitentiarius, conclus. 161.*

QVÆSTIO X.

Quid faciendum cum muliere, quæ ob metum mariti, qui de eius violata fide suspicabatur, aufugit; quid item cum viro, qui à proprio Parocho in Paschate à communione repulsus est, eo quod cum coniuge non cohabitet, &c. Vtrum maritus vxorem è domo expellere possit ob dotem non solutam.

STephanus plebeius cum Liuiam puellam in vxorem sibi coniunxisset, & post celebratum, consummatumque matrimonium, colloquia commiscentem cum quodam iuuene in loco suspecto cõperisset, dum baculum, quo eam percuteret, arripere vellet, fuga illa sibi consuluit, & in paternã domum se recepit. Cum autem paschali tempore apud quendam religiosum ordinis D. Francisci, ipse Stephanus peccata sua sit confessus, & in die Paschatis in propria ecclesia sacræ Eucharistiæ sacramentum suscepturus esset, à Parocho repulsus est, eo quod sui Episcopi synodalibus constitutionibus cautum sit; vt coniuges qui simul non cohabitant, à sacramentali absolutione, & communione arceantur, & cæt. Hoc facto Vicario generali, & Pœnitentiario relato, & fide data, vt quam primum fieri poterit, præstita cautione de ea nõ offendenda, illam coniugem suam reuocare, & sibi adiungere procuret, facultatem concesserunt, vt in Cathedrali ecclesia sanctissimam Communionem sumeret. Cum autem ipsam Liuiam in domum recipisset, post aliquod transactum tempus, ob dotem à fratribus suis nõ solutam, eam vult expellere, & cohabitare renuit. Quæritur, an ecclesiæ præcepto satisfecerit, & quid in reliquis ei consulere debeat Confessarius?

Respond. Dico iuuenem Liuiam non potuisse per illud colloquium de adulterij crimine argui, cũ semel hoc visum sit, nec ipsa vmquam sit admonita; ac proinde in neutro foro licere eam occidere, vel grauiter cædere, nec etiam ab ea diuertere; debet enim coniux innocens moraliter de adulterio certus esse, & nemo in dubio præsertim leui suo iure, & possessione priuandus est, iuxta tradita per *Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 41. & Mascar. de probat. concl. 61. & seq. vol. 1. Farinac. tom. 4. q. 143. §. separatio. Gutierez de matrim. c. 129. Sanchez l. 10. d. 12*

Secundo dico, dictum Stephanum ecclesiastico præcepto satisfecisse, non ea ratione, quod Vicarius ex causa ei cognita, simulque Pœnitentiarius ex epicheia declarare possint dispositionem *c. omnis, de pænit. & remiss.* præcipientis confessionem proprio Parocho faciendam, & communionem in Paschate in propria parochia suscipiendam esse; sed ea potissimum, quod cum rationabilis subest causa, vnicuique de diœcesi integrum sit, sacramenta omnia in Cathedrali ecclesia, vtpote matrice accipere, vt tradit *gloss. & DD. in c. 3. de officio Archip. Sà in uer. sacramenta. Bonac. de Euchar. d. 4. q. 7. p. 2. nu. 12. Tusch. in uer. Cathedralis, concl. 131. Molfes. tr. 7. c. 10 num. 24.* vbi ait Decretum *d. c. omnis*, quò ad Confessionem per vsum sublatum esse, & solum in propria parochia, vel in ecclesia Cathedrali singulos fideles in Paschate sanctam Communionem sumere, vel alibi de licentia Parochi; posse tamen singulis Confessarijs approbatis ab Ordinario sua peccata confiteri, vt docent omnes, & est nota praxis, ac cõsuetudo, quæ ius commune in hac parte sustulit, scientibus, ac permittentibus omnibus Episcopis, vt sæpius alibi pro loci, & materiæ opportunitate aduertimus.

Quò ad secundam quæstionem dico, quod licet aliqui DD. senserint, maritum ob dotem sibi non solutam, vxorem expellere, & à se abdicare posse, atque ei alimenta denegare, vt *Mantica de Tacit. & ambig. l. 12. tit. 17.* & alij apud *Sanchez de matrim. l. 9. d. 5. num. 11. & Tusch. in ver. maritus, concl. 100.* nihilominus tutior, mitior, & in praxi receptior est opinio, maritum vxorem ob dotem sibi non præstitam, à domo ejicere non posse, nec cohabitationem, & alimenta illi subtrahere; sed ei integrum esse per viam iuris vxoris parentes, vel fratres ad promissam illam dotem simul cum fructibus soluendam cogere, siquidem cohabitatio, & mutuus conuictus, nõ ex dotis solutione, sed ex ipso matrimonij contractu oritur; maxime quod coniugi quæ culpa caret, iniqua conditio inferri nequit. *Sanchez l. c. Molf. tr. 4. c. 13. num. 23. Reginal. l. 31. num. 304. Mar. Anton. Gen. in Pract. eccles. q. 703. & alij communiter.*

IN PRAESENTI CASV CONFESSARII PARTES.

PArtes Confessarij erunt, mutuos eorum animos conciliare, vrgendo à maritali officio alienum esse, vxorem atrociter, & acriter verberare, etiamsi fortasse errauerit, aut quippiam fecerit, vel dixerit, quod ipsi displiceat. Crudelem medicũ merito dixeris, qui elleboro defatiget, quos panacea herba restituere posset, qui digitum dolore obsessum plane amputet, cum miti pharmaco dolorem lenire valeret. Extrema primò nemo tentauit loco ait Seneca. Omnia prius consilio, quam armis experienda, admonet Comicus. Ne Deus quidem nisi lente ad vindictam procedit. Quis nostrum adeò rigidus

gidus suorum errorum censor est, vt si qua vel incuria, vel dedita opera lapsus sit, non sibi ignoscat, & tacite accusanti conscientiæ se excuset? Vxor vero adeo non tantum corpore, sed & animo marito cõiungitur, vt Apostolus se ipsum odio habere dicat, qui vxorem suam odit, vt ad *Ephes. c. 5.* propterea & cognoscendi, & ignoscendi locus datur, &c. Marci Aurelij Imperatoris consilium fuit, vxorem sæpe admonendam, reprehendendam raro, violentis manibus numquam tractandam, nisi peruicacia patientiã rũpat, iuxta ea q̃ à nobis tradita sunt in *Comment. de hum. vita stat. p. 2. c. 19.* Vnde Marcus Cato Censorius qua multis vxorem expertus fuit molestã, impotentem, atque superbam; quisquis tamen vxori manus inferret, eum nõ aliter, quàm qui Deorum simulachra temerasset, insectandum, & detestãdum esse affirmabat. Et Ropertus Holchot super *Sap. lec. 54.* scribit, vxorem regendam esse mansuete, non cum tyrannica austeritate, verbis, non verberibus, amore, non timore, dulcedine, non amaritudine. *D.* etiam *Chrysost.* in priorem *Apostoli ad Cor. ep. Homil. 25.* Vos viros, inquit, admoneo, nullum sit tam magnum peccatum, quod ad verberãdum vxorem vos compellat, & quid vxorem dico? ne seruam quidem verberare, & manus in eam inijcere viro libero est tolerandum. Veteres Ethnici Iunonis sacrificijs fel non adhibebant, sed è victima exemptum, iuxta arma infodiebant, vt ostenderent bilem, odium, & amaritudinem, à coniugali iucunditate sequestrandam esse. *Tiraq. l. 8. connub. Tusch. ver. maritus, conclusio.* 88. *Oldrad. consil.* 95. *Bald. l. 5. consil.* 464. Negari tamen non potest, quin si à marito admonita se emendare recusat, ei non liceat ex graui necessitate, & causa leuiter castigare. *Sot. l. 5. de iust. & iu. q. 2. ar. 1. Nau. c. 14. n. 19. Tol. l. 5. c. 2. Sayr. su cl reg. l. 7. c. 7. n. 8. Tusc. ver. vxor concl.* 386. *Reg. l.* 20. *n.* 47

Ipse Confessarius vrgebit maritum, & vxorem esse vnam carnem, & diuinæ, atque humanæ domus socios, & sibi mutuum amorem, & subsidium debere, & alterum alterius onus ferre debere.

Econtra vxorem admonebit, vt turpitudinis admissæ suspicionem à viri mente euellere studeat, vt in posterũ non solum à malo, sed etiam à specie mali caueat. Qua ratione Caius Sulpitius vxorem repudiauit, quod aperto capite foris fuisset; lex, inquiens, tibi meos solos præfinit oculos; quibus formam tuam approbes, his ornamenta comparato, his esto speciosa; alijs velle formosam videri suspicione, & in crimine hæreat, necesse est, &c. Item vxorem teneri cum viro suo cohabitare, nam abeo sine causa seiungi, graui non caret culpa, cum matrimonium sit maris, ac fœminæ coniunctio indiuiduam vitæ consuetudinem retinens teneri tamẽ cũ marito operari, ut à parentibus, vel fratribus promissa dos ad onera matrimonialia ferenda ipsi marito soluatur. *Tol. d. c. 2. Sanchez l. 9. d. 4. q. 2. Regin. l. 20. num. 48. Angles in q. de matrim. tit. de soluendo debito, difficu. 3. Bonac. de matrimon. q. 4. puncto 6. num. 20. & alij communiter.*

QVAESTIO XI.

Quomodo se gerere debeat magister nouitiorum cum nouitio, qui alterum sacrilege percussit, & non ieiunus ad sacram Eucharistiam accessit, & an ipse tyro si ex causa in Paschate a communione arceatur, precepto satisfaciat; & an ipse magister de hoc delicto extra confessionem inquirere possit, &c.

EVsebius monachus nouitiorum magister, cum Lucium tyronem tempore paschali in sacramẽtali confessione audiret, & intellexisset eum Georgium socium suũ, & pariter nouitium alapis percussisse, & in præterita Communione ad sacrosanctam Eucharistiam non ieiunũ accessisse, eũ nec absoluere uoluit, nec sacra synaxi reficere: & per notitiam, quam per ipsam confessionem habuit, ad inquirendum particulariter de sacrilega percussione, ut huiusmodi delictum puniret, extra pœnitentiale forum processit: ac inter pœnas, quibus publice in eum animaduertit, per duos menses sacræ Eucharistiæ perceptione priuauit. Quærit an Lucius in censurã aliquã inciderit, vtrũ post aliquem cibum sumptum communicans lethaliter deliquerit, & obligationem confitendi, & communicandi in paschate adimpleuerit, & an ille tyronum Magister, sic inquirendo, ac puniendo, rite, ac iuste fecerit, & quomodo his omnibus consulere debeat Confessarius?

Respondeo, supposito nouitios, quò ad Confessionem, & Communionem sui magistri dispositioni subiectos esse debere, ex Decreto Clemẽtis VIII. incip. Cum ad regularem disciplinam, apud *Quar. uer. monasteria, & Molfes. tr. 7. c. 14. num. 80.* Dico ante alia Lucium annuæ confessionis, & communionis legi satisfecisse, nam ut *ex c. omnis*, constat, licitum est ab Eucharistia in paschate abstinere ex proprij Sacerdotis consilio, ergo & confessionis, & communionis præceptum impleuit, etiamsi à peccatis non absoluatur, & sacrum dominicum corpus non sumat, quando absolutio, & communio in aliud tempus eiusdem Magistri arbitrio differtur. Secus dicendum esset, si proximam delinquendi occasionem deserere, aut non posse se à peccando in posterum abstinere, aut se de peccatis non dolere asseret, &c. *Azor. p. 1. l. 7. c. 40. q. 4. & c. 41. q. 3. Bonac. de pœniten. d. 5. q. 5. p. 4. num. 24. Fernand. p. 2. c. 8. S. 4.* Secundo dico dictum Lucium alapis socium suum percutiendo, culpam mortalem, & excommunicationem contraxisse, *ex c. si quis suadente Diabolo, 17. q. 4.* Nisi dicamus externam illam percussionem esse

leuem,

leuem,& venialem, vel ex actus imperfectione illatam esse, in quo casu alibi asseruimus, quem ab illa censura excusari, cum ad illam incurrendam tria requirantur. Primo ut fiat manuum iniectio, idest vt res suum effectum sortiatur. Secundo ut fiat suadēte Diabolo, idest ut sit animus iniuria afficiendi, & illa res illata sit adeo illicita, vt sit mortalis. *Mar. Ant. l. 3. resol. 11. Ricc. in Praxi fori eccles. decis. 460 Sanchez l. 2. de praecep. c. 8. num. 7. Gutierez l. 1. can. qq. c. 5. nu. 13.* Tertio ut in ecclesiasticam personam fiat; quo tamen nomine etiam nouitij censentur, ut proinde canonis priuilegio gaudeant. *c. monachi, c. cum illorum, de sent. excomm. Sayr. de cens. l. 3. c. 26. num. 5. Bonac. disp. 2. q. 4. puncto 1. num 6.* Vtcumque sit, cum leuis percussio hic agnoscatur, etiā si maiori parti Collegi, post delicti inquisitionem à Magistro factam, nota facta sit, integrum erit eidem Eusebio magistro, uel monasterij Praefecto, ab huiusmodi uinculo absoluere, si quidem à iure cōmuni sic monasteriorum Praepositis id eis conceditur. *c. cum illorum, c. canonica, ext. de sent. excomm. Mar. Ant. Gen. in Curia Neap. prax. c. 98. Graffius conf. 8. de sent. excomm.* Imo hodie fere omnes religiosi ordines priuilegio gaudent, ut Prelati ab enormi quoque percussione absoluere ualeant, ne alioqui si ad Apostolicam sedem mittendi essent, uagandi illis occasio tribueretur. Idem *Sayrus l. c. num. 12. Naldus in ver. nouitius. Tusch. ver. Abbas, concl. 16. nu. 10. & in ver. absoluere, conclus. 43.*

Tertio dico si ad sacram Eucharistiae mensam factī ignorantia laborans accessit, quia scilicet aliquid per modum cibi, uel potus deglutisset, & huius rei tempore communionis oblitus esset, &c. à peccato mortali immunis esse potest: actualiter enim omnium reminisci, humanam facultatem excedit, ideo illa obliuio, & inconsideratio ignorantiae inuincibili aequiparatur. *Caiet. & Medina 1. 2. q. 6. art. 8. Vasquez disp. 107. c. 3.* Sic ex communi resoluit *Bonac. de legibus d. 2. q. 8. puncto 3. num. 28.* à peccato eum excusari, qui pręceptū aliquod ob facti ignorātiam, uel inaduertentiam, quae ipsius culpa contigit, non adimplet. Vt si uerbi gratia quis culpabiliter sacrū in die festo omittit, quo tempore edictum de blasphemis ad uiolatae religionis Iudices deferendis enuntiatur, nam licet contra legem audiendi Missam deliquerit, non tamen contra praeceptū denuntiandi blasphemos peccauit, cuius inuincibilem ignorantiam habet, cum nulla eius pręcesserit cogitatio: Ob iuris uero ignorantiam, idest si ieiunium naturę ad communionem percipiendam requiri nesciuisset, difficile admodum à mortali culpa excusaretur, nisi esset rusticus, uel plebeius indoctus, cum omnibus adultis notū sit, ad huius sacramenti usum quatuor necessario exigi. Primo cordis munditiam, hoc est ut secundum suam conscientiam, praemissa diligenti contritione, & confessione, se lethali culpa carere putet. *Conc. Trid. sess. 13. c. 7. Suar tom. 3. disp. 66. sect. 1. Reg. l. 29. num. 100. Vivald. de Euchar. nu. 104.* Secundo naturale, ut dixi, ieiunium, in quo includitur abstinentia ab omni cibo, & potu, cuiusuis minimae quantitatis, etiam per modum medicinae sumpto, ita ut saltem à dimidia antecedentis diei nocte, vsque ad illud tempus, quo Eucharistiam accipimus, nihil omnino comederimus, aut biberimus modo ab extra post mediam noctem adueniat, & per modum cibi, uel potus, ex intētione sumatur, nisi tamen per modum Viatici in mortis articulo hoc sacramentū sumendum esset. &c. *liquido, de cons. dist. 2. c. nihil, 7. q. 1. c. ex parte, ext. de celebr. miss. Copinch. q. 80. art. 8. Henriq. l. 8. c. 50. nu. 4.* Tertio, debita aetas requiritur, ut. s. cōicaturus ad annos discretionis, parentum, & Confessarij iudicio, diffiniendos peruenerit. *c. omnis, ext. de poenit. & remiss. Conc. Trid. sess. 13. can. 9. Sot. in 4. d. 12. q. 1. art. 9.* Quarto. Mentis, & animi deuotio, vt scilicet tanti sacramenti dignitatem consideret, & propriam infirmitatem pensitet, ut cum timore, & amore se dignum quatenus sibi licet, exhibeat, pio sensu illa proferēs uerba, Domine non sum dignus, &c. Sicut enim si optime affecto, & praeparato animo Eucharistiam aliquis sumat, amplissimis coelestis gratiae muneribus ornatur, ita è contra si imparatus, & indeuotus accedat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda, & detrimenta accipit. Sic cibi, qui ore accepti, in stomachū bene affectum illabuntur, corpora alunt, & sustentant, qui vero in stomachum vitiosis humoribus plenum infundi solent, graues morbos efficiunt. Hinc apte canit Ecclesia, *Mors est malis, vita bonis, &c. Scortia de sacrif. Missa l. 1. c. 10. Iustin. in Tobiam, c. 6. vers. 2. doc. 2.*

Ad tertiae quaestionis partem dico, Eusebium nouitiorum Magistrum, ex auditis in confessione, non potuisse de sacrilega illa Lucij nouitij percussione inquirere, cum, ut pluries diximus, ex notitia per confessionem habita, in foro externo procedere non liceat, ita enim Superior, vel Confessarius se gerere debet, ac si nihil audiuisset, ut inter alios tradit *Sanchez l. 3. de matrimon. dis. 16. & Regin. l. 3. num. 29.* Cum autem nunc ex Decreto Clementis VIII. incip. Cum ad regularem disciplinam, Tyronum magister plenam, & absolutam potestatem circa eorū institutionem, ac nouitiatus regimē habere debeat, partes eius erunt, ipsum Lucium à vinculo excommunicationis in foro interno absoluere, & post condignam poenitētiam peractam, ad Communionem admittere, omnem adhibendo diligentiam, vt ipse reus, & alii nouitii in regulari disciplina sedulo exerceantur, & illicitas passiones, & uitia ad quae natura per peccatum labefactata procliuis est, per mortificationem cohibeant, cum morales philosophi optimae

mæ educationis rationem, ut eam existimauerint, quæ uirtutes illas insereret adolescentis pectori, quibus uir factus esset in Ciuitate, ac Republica usurus.

DOCVMENTA A CONFESSARIO OBSERVANDA.

ET si autem, ut supra diximus, sacra Eucharistia mundo corde suscipienda sit, prudens tamen Confessarius à luteo homine Diuinam, aut Angelicam puritatem exquirere nō debet, sed satis esse poterit ea probatio, ut de præteritis culpis doleat, & in futurum pie, ac iuste uiuere proponat, & sic deuotus accedere censebitur; deuotio enim nō est dulcis appetitus delectatio, sed promptus animus ad opera diuini cultus explenda, ut ait *D. Thomas, & ibi Caiet. 2.2. q. 82. art. 1. Catechis. Rom. tit. de Euchar. D. Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 8. idē Caiet. in ver. communio. Graffius in decis. aur. l. 2. c. 38. Reg. l. 29. num. 124. Barthol. ab Ang. dial. 4. de sac. Euch. num. 339. & seq. Molfes. tract. 3. c. 8. & alij.* Et Concilia, & Patres satis præparatum eum censent, qui facta probatione, sine lethalis culpæ conscientia ad diuinam mensam accumbit; simulque admonēt, ne Sacerdotes à Missæ celebratione ob uenialia peccata, quæ ex humana miseria in se experiuntur, scrupulose desistant, ut proinde etiam Confessarij, & Parochi munus sit frequentem Confessionem, & Communionem pœnitenti suadere, & ad spirituale profectum inducere.

Quod enim crebra confessio, & Eucharistię sumptio, si debita ratione fiat, plurimum conducat ad consequendam Christianæ uitæ perfectionem, & sint præcipua, & spiritualia Christiani hominis arma, ostendit *ex D. Gregorio Baron. tomo 11. anno Domini* 1074. & late prosequitur *Madridius in tract. de frequenti vsu Euchar.* Et licet hucusque diuersę fuerint sententię, an hoc sacramentum sæpius in anno sumendum esset, hodie tamen *Catechismus Rom. de Euchar. & Conc. Trid. sess. 22. c. 6.* hortantur fideles, ut si fieri posset, quotidie ad hanc sacram mensā accederent, ut aduertimus in *Comen. de Hat. p. 1. a. 24.* & tradit. etiam *Vival. de Euchariſt. num. 147. Henriq. c. 53. Duar. in Catechis. l. 1. t. 3. c. 5. tit. 17. Ant. Molina in instruct. sacerd. t. 7. c. 3. §. 4.*

Quod si pęnitens sit sæcularis, & unus ex illis, qui contenti annua Communione, de saluberrimo sacramento non amplius cogitant, & obliti panem uiuificum manducare, quanto magis corpore pinguescunt, tanto magis eorum animæ arescunt, Confessarius efficiat, ut ipse pœnitens intelligat se ipsū multū decipere, & longe à Dei regno abesse, annua enim Communio ab uniuersali Decreto sancita est, non ut nisi semel per annum fiat, sed ut semel saltem per annum ad eam accedatur, nisi ab ecclesia exturbari, & Sathanæ tradi uelint. Itaque isti non filiali amore, sed seruili timore Dominum suum in sacramento recipiunt, & paulo post ad porcorū siliquas, ad mundi uoluptates, ad temporalia lucra, & ad fugaces honores ambiendos redeūt, ut merito in morte cum diuite Epulone audituri sint, Memento fili, quia recepisti bona in uita tua. Propterea prudentis Confessarii partes erunt, ut dixi, suasione frequētis Confessionis, & Communionis pœnitentem ad Deum trahere, paulatim tamē huiusmodi spirituali exercitio assuefaciendus est, siquidem ut ait *D. Gregor. hom. 15. in Ezech.* Nemo repente fit summus, sed in bona conuersatione à minimis quisque inchoat, ut ad maiora perueniat. *Et D. Bern. serm. 3. in Cant.* In ascensu ad uitam unitiuam, eandem rationem teneri iubet, ut per gradus ascendatur, qui sunt uia purgatiua, & illuminatiua; quæ quia facilior cæteris est, & utilior, minima dici potest, & exinde docet, hos tres gradus in tribus osculis exprimi, quorum primum pedibus infigitur cum Maria Magdalena, quæ ad pedes Domini lachrymis lota peccatorum sordes diluit. Secundum manibus Saluatoris datur, à quibus anima per illuminationem, & bene uiuendi rationem subleuatur. Tertium à bore sponsi accipitur, cui per charitatem unitur, de quo dicitur *Cantic. 1.* Osculetur me osculo oris sui. Atque huc spectat ille Hippocratis probatus aphorismus; Quæ lōgo tempore extenuata sunt corpora, sensim reficere oportet, hoc est à tenuibus refectionibus inchoandum est, & paulatim cibus augendus. Quod & in spirituali medicina obseruandum est; diu enim ieiunus animus à spiritus, & uirtutis cibis, paulatim reficiēdus est, ut pficiēdi uires acquirere possit, &c.

QVAESTIO XII.

Vtrum Parochus fœminam de veneficis artibus suspectam ad Cōionem in Paschate admittere potuerit. An laesus ob aliquod indiciū suspicans eā Eucharistia in sortilegys conficiendis abusurā, mortaliter peccauerit, & num cum tali suspicione, vel dubio communicans sacrilegium commiserit. Num puer in mortis articulo à Parocho communicandus sit. Vtrum Sacerdos in mortali peccato existens possit ex precepto de audiendo sacro, & communione sumenda satisfaciat, cum sola contritione celebrare, vel potius Sacerdoti non approbato confiteri?

EVsebius Parochus, cum in die Paschatis multis spirituali mensæ accumbentibus, sacrosanctā Eucharistiam administraret, Eugeniæ fœminæ & si de artibus superstitiosis, & veneficijs sibi, & nonnullis suspectæ, illam præbuit: at Iosephus uir pius, cum ante altare maius breui cōmunicaturus oraret, post diuinā escā in ore ab illa sumptā, sudariolum naribus, & ori admouere ipsā uidit, qui propterea sum-

pta sacra synaxi, impie abusutam eam suspicatus est & cum huiusmodi dubio, anxia mente communionem suscepit. Eidem fœminæ altero anno cum sacrũ Domini corpus in Paschate non sumpsisset, Rector consuluit, ut ad adimplendũ præceptũ, sequens paschale tempus expectaret. Insuper Cornelio ipsius Eugeniæ ex filia nepoti nouem annos nato, in mortis articulo Eucharistiæ sacramentũ denegauit.

Tandem cum ipsemet Eusebius peregrinaretur, & in itinere (cum dies festus paschatis adesset) Gabrielem sacerdotem à suo Episcopo non approbatum, obuium haberet, cum animã suam lethali culpa grauatam sentiret, quò celebraret, & ecclesiasticum præceptum adimpleret, ei peccata sua confessus fuit. Ex qua facti specie, hæ difficultates resoluendæ consurgunt. Prima est, an Eusebius admittendo Eugeniam ad communionem peccauerit. Secundo, an Iosephus suspicando illam fœminam sacra Eucharistia abusutam, temerarii iudicii crimine se contaminauerit; & num cum tali dubio ad cõmunicandum accedens sacrilegium commiserit. Tertio, numquid eidem Eugeniæ, quæ alia vice ecclesiæ præceptum non adimpleuerat, consulendo, ut ad alterum annum communionem differret, tuta conscientia, & salua religione, id facere potuerit. Quarto, vtrum in ius diuinum, ac ecclesiasticas leges peccauerit, cum Cornelió puero in mortis articulo sacrosanctũ Christi corpus non præbuit. Quinto, an eidem Eusebio in itinere integrum fuerit Gabrieli simplici sacerdoti, vt de sacra Communione in Paschate sumenda, & de Missa in die festo audienda obligationi satisfaceret, confiteri, vel potius cum sola contritione celebrare debuerit?

PRAEVIAE INSPECTIONES.

Respon. Pro clariori huius casus, & huius facti speciei resolutione præmittendum videtur. Primo duplicem obligationem in ministro sacramenti Eucharistiæ considerari posse, vnam ratione officij, ex iustitiæ legibus debiti, quæ Parochis, & animarum superioribus Rectoribus conuenit, & consequenter hæc tantum subditos respicit. Alteram ex charitate, quæ omnes licite ministrantes, respectu cuiuscumque in necessitate existentis, comprehendit: & pro hac applicanda sunt præcepta charitatis, de quibus alibi diuersis in locis à nobis dictum est. Et quidem quò ad priorem obligationem certi iuris est, proprium Pastorem teneri hoc sacramentum ministrare, quoties oues rationabiliter, & opportune petunt, quandoquidem Parochi non solum ad necessaria, verum etiam ad vtilia, & opportuna animarum saluti à subditis aluntur, & ideo nõ solum in mortis articulo, & tempore Paschali, sed & festis diebus, & alijs factum facere, confessiones audire, & diuinum pabulum gregi suo cum petit, & indiget, præbere eos oportet. Sæpe tamen excusari possunt, vel propter rationabilem occurrentem causam, vel quia alios coadiutores, vt regulares habent, ad quos oues suas remittere eis integrum esset. Nunquam tamen in dispensanda sacra Eucharistia difficiles esse debent, quin potius subditorum deuotionem, & pietatem adiuuent, & quò ad fieri potest, alliciant. *Suarez tom. 3. disp. 72. sect. 3. Reginal. l. 29. num. 96. Filliuc. tr. 4. c. 9. q. 8. Bonac. de sacr pœnit. d. 5. q. 7. p. 4. num. 23.*

Ex parte etiam sacramenti tantum sub specie panis rite consecrati, non sub vtraque, nec sub altera vini tantũ specie, Eucharistia à Parocho ministrãda est; & contrarium facere, ex suo genere lethalis esset culpa. *ex Concil. Trid. sess. 21. c. 2. & can. 2. Catechis. Rom. de sacramento Eucharistia, §. Quod vero.* Quamuis necessitate diuini præcepti, sacerdotẽ sub vtraque specie conficere oporteat. *Suarez* cum communi *in 3. p. d. 43. sect. 3. & Henriq. l. 8. c. 44.*

Secundo debiti ritus seruandi sunt, tùm ex rei natura, vt scilicet omnia ordinate fiant; tùm ex ecclesiæ ordinatione, vt non ministretur tempore, & loco interdictis; non in priuata domo, sine facultate, & approbatione Episcopi; non sine necessarijs vestibus, vt superpellicco saltem & stola. In quibus deficere, ex suo genere lethali culpa non caretet; nam & Ethnici solo naturali lumine ducti, sicut suo modo templa, sacrificia, & sacramenta habuerunt, ita etiam ad suas sacras actiones peculiares vestes, & suo modo sacratas adhibuerunt, quod scite expressit *Virgil. lib. 12. Aeneid.* cum dixit, *Puraque in veste Sacerdos, &c. Turrecrem. in cap. ecclesiastica, dist. 23. Graffius l. 2. decis. aur. c. 41. Bonac. de sacram. disp. 4. q. 5. p. 2. num. 8. Chapauilla de Euchar. q. 26. & alij communiter.*

Denique non sine debito cultu, apparatu, & cæremonijs, vt luminis accẽsi, confessionis generalis, communis absolutionis, & aliarum precum. Quæ tamen secluso scandalo, & contẽptu omittere, mortale peccatum non esset, sed ob aliquam irreuerentiam, saltẽ veniale. *Suar. d. 72. sect. 4. Filliuc. l. c. q. 9.*

Tertio ex parte ministri præter ordinis, & iurisdictionis potestatem, conueniens dispositio necessaria est, vt in statu gratiæ sit constitutus; nam licet dispensans, vt sic non conficiat, attamen sola dispẽsatio grauissimum est ministerium, ad quod sancte perficiendum, specialiter Sacerdos consecratur, & peculiarem gratiam accipit. Eò autem grauius erit peccatum, quò peior, & iniquior erit ministrantis status, vt si publicus sit peccator, excommunicatus, &c. in quo vltimo cum sit ordinis actus, irregularis etiam fieret, vt in specie *Nau.* docet, *c. 27. num. 247. & Filliuc. num. 271.* Et vt multi volunt, ex illo duplici capite lethalis culpæ, & censuræ, peccatum cũ duplici

duplici notabili malitia, & deformitate contraxisset. *Molfes.tr.3.c.8.nu.88.cum Suar. Regin.& alijs.* Ex quo fit, Sacerdotem conscientia peccati mortalis grauatum, teneri antequam Eucharistiam administret, se ad gratiam per cōfessionem, vel saltem per contritionem præparare, cum confessio necessaria non sit, quando alijs sacram synaxim præbiturus est, secus quando eam est suscepturus. *Rodriquez in summa p.1.c.68.num.10. Bonac.l.c.num.3,* qui etiam *d.1.q.3.puncto 2.§.1.nu.15.* cum nonnullis Doctoribus tenet Sacerdotem pluribus sacram Eucharistiam in peccato mortali administrantem, tot peccata committere, quot hostias pluribus distribuit.

Quarto videre debet Parochus, quibus nam Eucharistiam exhibeat, cum subiecti, vel sumentis dispositionem obseruare debeat, illam enim existenti in peccato mortali, dare non tenetur, quia ad fidelem dispensatorem pertinet, non dare sanctum canibus, nec alterius delictis communicare.

Vnde ex communi doctrina, quando peccator publicus, & manifestus est, & communionem petit, ei deneganda est, *c. pro dilectione. de conf. dist. 2.* Item si non est publicus, sed infamatus, seu suspectus, si cum alijs communicantibus publice petat, ea subtrahenda non est, *c. si sacerdos. ext. de officio ordin.* Eadem est ratio, quando crimen est occultum, & publice postulat. Manifestum, notorium, aut publicum hoc loco intelligimus, quod est tale per sententiam in iure latam, aut propriam confessionem in iudicio factam, aut cum delictum est ita publicum ex rei euidentia, vt nulla tergiuersatione celari valeat. vt est verbi gratia meretrix in lupanari, aut cōcubinarius amasiam domi alens, &c.

Suspectum autem dicitur, quando infamia est de aliquo crimine, de quo tamen aliquo illorum trium modorum non constat. *c. tua nos. ext. de cohabit. cler. & mul.*

Post pœnitentiam vero populo notam, ita vt de vitæ emendatione constet, etiam publicis peccatoribus communio deneganda non est. *c. 1. ext. de pœnit. & remiss.*

Aetatem quoq; Eucharistiam sumpturi, vt superius dixi, expendere debet Parochus, pueris enim nondum ratione vtentibus, eam administrare non conuenit, siquidem neque sacrum à communi, & profano pane discernere sciunt, neque ad eum accipiendum animi pietatem, & religionem habetent, quæ necessaria est afferre. Sed qua ætate pueris exhibenda sit, nemo melius hoc constituere potest, quam pater, & sacerdos, cui illi peccata confitentur; ad illos namque pertinet, explorare, & à pueris percunctari, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & gustum habeant. *Cōcil. Trid. sess. 21. c. 4. Catechis. Rom. l. c. Azor. p. 1. l. 7. c. 41. q. 10. Suar. p. 3. tom. 3. d. 70. sect. 1.*

In mortis autem articulo, sicut pueri rationis vsu potientes fidei, & sufficientis reuerentiæ sacramenti capaces, diuino præcepto communicandi, prout alij obligantur, ita & Pastores hoc sacramentum ministrare tenentur, quandoquidem nec commodiorē, neque meliorem dispositionem ad illud recipiendū propter instantem necessitatem expectare possunt. Et in eis etiam illa Christi verba locū habent *Ioan. c. 8.* Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. *Chapeuilla l. c. q. 9.* Vbi tamen addit ratione vius, & praxis puetos, & puellas ante duodecimum annū à communione etiam mortis tempore excusari. Hominibus quoque amentibus, qui tunc à pietatis sensu alieni sunt, etsi sacramentum minime dare oporteat, si tamen antequam in insaniam inciderint, piā & religiosam animi voluntatem præ tulerint, licebit eis in vitæ fine illud præbere, modo vomitus, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum sit. *c. qui recedunt. 26. q. 6. & omnes communiter.*

RESOLVTIO CASVS, AC QVAESTIONVM.

His sic præiactis, ad casus, & quæstionum annexarum resolutionem deueniendo,

Primæ quæstioni, ac dubitationi sic respondendum puto, dicendo, Eusebium Parochum Eugeniæ fœminæ, alibi, vt ipsa aiebat, confessæ, de veneficijs tamen suspectæ, Eucharistiæ sacramentum dum ad sacram mensam accumbebat, ministrare licite potuisse, si tantum probabili, non autem violenta suspicione laborabat; cum enim *ex gloss. & alijs Canonistis in c. dixit Dominus, 32. q. 1.* triplex sit suspicio, nempe temeraria, quæ nullo probabili fundamento nititur; probabilis, quando ad generandum dubiū, non vero ad iudicandum simpliciter de peccato alterius sufficiens intercedit ratio; & violenta, quę verisimili ratione deponi non potest, vtpote quæ moraliter rem certam facit, quando nihil in cōtrarium adest, ideo scientiæ æquiparatur, secundo modo suspectis hoc sacramentum denegandum non est, cum tantum dubitationem inducat, & in dubio melior sit bonam famam possidentis conditio, & vt habetur *in c. fin. ext. de præsum. vbi DD. & Henriq. l. 8. c. 16. n. 5* Qui non probatur sufficienter malus, præsumendus est bonus. Multo minus ad aliquem repellendum satis esset temeraria, eò magis quod vt supra dictum est, à Parocho non est ei Eucharistia denegāda, qui in Paschate verbo, vel schedula scripta attestatur, se approbato Sacerdoti confessum esse, modo publicus nō sit peccator, &c. *Bonac. de sacr. d. 5. q. 5. sect. 2 p. 4. num. 36.* Potiori etiam ratione ei integrum fuisset, tali fœminæ sacrum cibum dispensare, si per solam confessionem illam in mortali peccato versari

intel

intellexisset, nam vt alias sæpe præsertim in materia sigilli confessionis diximus, Nullo modo ad regimen externum scientia ex confessione habita vti licet. *Chap. q.* 13. *Coninch. q.* 80. *art.* 5. *num.* 37. Secus esset quando publica, & vehemens vrgeret suspicio, & præsumptio illam mulierem veneficijs, & superstitionibus deditam esse, ac proinde in statu grauis, & scandalum præbentis peccati iacere, tunc enim iu ste à communione reijcienda esset, donec de rei veritate, innocentia, & emendatione legitime constet, &c. Et qui illam sacrosancta Eucharistia in sortilegijs extra sacramentalem confessionem abusam fuisse sciret, cum de hæresi valde suspecta reddatur, ad violatæ religionis censores deferre teneretur. *Farinac. in praxi crim. q.* 20. *num.* 83. *& de hæresi q.* 181. *num.* 19. *Camillus Gallinus l.* 2. *de verb. sign. c.* 15. *&* 16. Quippe Dæmonis persuasio est maxime erronea, & saluti perniciosissima, sacramenta aliquid ad magicos effectus producẽdos valere; ad nihil enim conducunt, nisi ad id ad quod instituta sunt, cum vim, & energiam à diuina institutione habeant, nimirum, ad peccatorum remissionem, ad hominem in gratia perficiendum, & per illam eundem hominem cum Deo in hac & futura vita coniungendum. *Paulus Grilandus de sortileg. q.* 3. *nu.* 16. *&* 18. *Chapanilla de cas. reseru. casu* 21. Addo ex probabili, & pia sententia, in praxi amplectenda, non videri denegandum esse hoc sacramentum in mortis articulo non solum quando leuis adest suspicio, verum etiam quando vehemens intercedit præsumptio, nam infirmi, ob denegatum sibi sacrum hunc cibum grauissimi dãni periculo exponũtur, modo tamẽ aliqua bonæ dispositionis signa exhibeant, vel peccatum negẽt, &c. *Suarez tom.* 3. *d.* 57. *sect.* 6. *Chapanil. q.* 2. *Reginal. l.* 29. *num.* 55. *Idem Bonac. d.* 1. *q.* 6. *p.* 4. *nu.* 9 *& alij recentiores.*

Ad secundam quæstionem dico Iosephum cum Eugeniam post sumptam Eucharistiam manum, & sudariolum naribus, & ori admouere videns, eam sacramento ad veneficia conficienda abusuram suspicatus est, reum lethalis flagitij factum non esse, & à temerario iudicio excusatum. Iudicium enim temerarium, vt peccatum sit æterna morte dignum, tria requirit, primo vt sit certum, & deliberatum, secundo vt sit de re graui, tertio vt ex leuibus coniecturis consurgat. Vnde si in iudicio temerario cum reflexione, & deliberatione sententia firmari debet quanto magis in suspicione id fieri oportet. Et sicut cogitatio speculatiua, & quæ affectus, electionisque est expers, peccatum non est; sic etiam vitio caret speculatiua suspicio, quæ electionem, siue actionem liberæ voluntatis præcurret, vt propterea communiter scribentes ex *August.* in ea verba Apostoli prioris ad *Corinth. c.* 4. Nolite ante tempus iudicare, &c. hanc his verbis afferant positionem, Si ergo suspicationes vitare nõ possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, idest diffinitiuas, firmasque sententias continere debemus. Quibus verbis indicatur, suspicionem culpam esse leuem; nam vitare non posse, ad humanam tentationem pertinet, sine qua vita ista nõ ducitur. Nec immerito *gls.* in illud *Psal.* 118. Ampata oppr obrium meum, quod suspicatus sum; Maximum, inquit, humanitatis vitium est suspicio. Quod *Alex. Alensis in* 2. *p. summæ, q.* 117. *membro* 2. interpretatur pro labe naturæ pro miseria pœnæ, & ad malum propensione; prout *gloss.* super illud *Psalmi* 4. De necessitatibus meis erue me, ait, Infinitæ sunt necessitates, vt nescire cor alterius, suspicari bonum de amico infideli, malum de amico fideli, &c. *Caiet. in summa ver. iudicium temerarium. Comitulus l.* 4. *respon. mor. q.* 46. & à nobis traditum supra. *tr.* 6. *c.* 25. *q.* 118. *ac trac.* 7. *c.* 33. *q.* 131. Et vt ait *Cicero ad Quintum fratrem, & Simancas in Cathol. institut. tit.* 50 *num.* 28. vt quisque est vir optimus, (qualis Iosephus in nostro casu supponit) difficillime esse alios improbos deliberate suspicatur, at malus celerrime adducitur, vt bonum etiam virum cõdemnet in rebus dubijs, & incertis; qualis hæc sudarioli ad nares, & os appositio, nisi aliud argumẽtum concurrat, censeri debet, &c.

Vnde fit, vt quando viri timentes Deum, delicatioris conscientiæ, & maxime scrupulosi sinistras de proximo cogitationes passi sunt, & dubitant, an lethali noxa se obstrinxerint, interrogari debeant, an si tũc aduertissent, illud temerarium iudicium esse, & mortale peccatum deliberate consensissent; sique negatiue respondeant, putandum est à mortifera culpa immunes esse, quia vel nullus voluntatis consensus adfuit; vel certe si quis fuit, non plene deliberatus, nec ad mortale sufficiens. *Sayr. in Cl. reg. l.* 12. *c.* 3. *num.* 8. *&* 15. *Reginal. l.* 24. *nu.* 25. *Bonac. de contract. d.* 2. *q.* 7. *p.* 1. *num.* 10. *& alij communiter.*

Atque hinc etiam colligi potest, Iosephum talis temerarij iudicij dubio, vel potius scrupulo agitatum, non peccasse, cum sic perturbatus ad sacram Eucharistiam sibi vim inferendo accessit; nam licet verum sit, dubitantem se mortaliter peccasse, vel peccato consensisse, ante communionem teneri adhuc confiteri, hoc tamen de vere dubio non de scrupulo, vel suspicione leui ratione innitenti intelligendum est. Et nisi illa dubitatio ex iusta causa deponatur, &c. vt post *Sanchez l.* 1. *de præcep. c.* 10. *n.* 66 *&* 79. *Bonac. de sacram. d.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *nu.* 12. *& seqq.* Vbi etiam ex communi addit, laicum qui præmissa confessione peccatorum, cum alijs Eucharistiam sumpturus est, sed postquam ad linteum accessit, alicuius peccati obliti recordatur, recedere nõ teneri, nec Confessarium adire, si infamiæ periculo se exponeret, indicando se alicuius lethiferæ culpæ conscientia grauari, cum peccatum veniale Domi-

nici corporis sumptionem non impediat. Tunc vero scandalum sequi dicatur, quando detrahendi, temere iudicandi, vel proximum infamandi occasio datur; non autem quando admirationis alicuius tantum ansa præbetur, & hoc diligenter aduertendum est, cum multi admirationem cum scandalo confundant. hæc ille.

Ad tertiam quæstionem dico, Eusebium Parochum irreligiose fecisse, cum Eugeniæ consuluit, vt ad alterum annum sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem differret; siquidem idem iuris est de huiusmodi præcepto, quod de annua peccatorum confessione facienda, at qui semel illam omitteret, ex communiori, & probabiliori sententia, post illum annum exactum, peccata confiteri deberet, cum primum daretur occasio. Vtrumque enim preceptum quamuis præcise per solam affirmationem datum esse videatur, id tamen tacitam continet negationem, ne videlicet vltra annum peccatorum confessionem, & ne vltra Pascha sacram Eucharistiç communionem differamus, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab huiusmodi perceptione abstineamus, iuxta *c. omnis, ext. de pænit. & remiss.* Et certe si liberum esset, communionem in vno Paschate omissam, vsq; ad aliud Pascha protrahere, non esset in ecclesia vsus, vt qui eam prætermittit, præcepto singulis annis communicandi, per censuram satisfacere cópellatur. *Azor. p. 1. l. 7. c. 41. q. 5. Chamar. de Euchar. c. 10 dub. 2. Reginal. l. 29. num. 75. Barthol. ab Ang. dial. 4. de Euch. §. 106. Suarez tom. 3. disp. 70. sect. 2. Bonac. disput. 4. quæst. 7. puncto 2. num. 14.*

Ad quartam quæstionem dicimus eundem Parochum imprudenter egisse, & culpam saltem venialem admisisse, quando sacra mysteria Cornelio puero in mortis articulo constituto denegauit, cum ex principijs, & claris supra prætextis, Pastores eo tempore, in quo de summa rerum agitur, pueris, si sufficientem vsum rationis ad peccandum habeant, & pœnitentiæ sacramenti sint capaces, Eucharistiæ sacramentum administrare debeant. Et fere omnes DD. conueniunt, anno nono, vel decimo, & deinceps dari posse, si vel per se, vel ex aliorum instructione, aliquo modo sint apti. Ratione tamen consuetudinis, qua in multis locis recipit, vt nec quidem in mortis articulo pueri communicare teneantur, nisi vsque ad eam ætatem, in qua sani obligantur; Pastor hic ab omni culpa excusari posset. Consuetudinem enim tanquam alteram legem, & omnium iurisdictionum originem, & formam, semper in humanis actionibus inspiciendam, & sequendam esse sæpe alias admonuimus. *Zambran. in decis. aur. cas. consc. in mortis articulo de Euchar. c. 3. dub. 3. Ghapau illa quæst. 9.*

Ad quintam quęstionem respondendo illa assertio, & resolutio mihi firmanda videtur, Eusebium, vt præcepto de audienda Missa in die festo & communicando in Paschate satisfaceret, cessante scandalo, & infamia, nec cum sola contritione, neque confessione Sacerdoti non approbato facta, iure celebrare potuisse; si quidem maius est præceptum de pure & absque lethalis peccati labe celebrando, quàm de communione sumenda, & auscultando sacro, quod celebrans adimplere vellet. Nec in necessitate constitutus esse censetur, nam vt omissa confessione, quis celebrare, vel Eucharistiam sumere valeat, duo simul concurrere debent, nempe vt idonei, & approbati Confessarij copia desit. Secundo, vt celebrandi, vel se communicandi grauis necessitas vrgeat. Et qui ratione scandali vitandi, vel alia de causa communicare, uel celebrare cogitur, confessionem præmittere non tenetur, si Confessarij approbati penuria laboret, etiam si non ab Episcopo admissi copiam habeat. *Sot. in 4. dist. 12. q. 1. ar. 4. Suarez 3. p. disp 66. sect. 4. ad finem. Reginal. l. 29. n. 104. Graffius l. 1. decis. aur. c. 12. num. 10. Molfes. tract. 3. c. 8. num. 49. Bonac. de sacram. disput. 4. q. 6. puncto 1. num. 24. & 25. Ragucius in Lucerna Paroch. de Euchar. q. 24.* Et hæc opinio ut ait *Suar. l. c.* securior est, & regulariter consulenda, quia minus periculi, & spiritualis incommodi secum inuoluit: nihilominus contraria sententia, quam graues auctores tuentur, uidetur etiã probabilis, & potest quis si uelit in praxi illam aliquãdo sequi, præsertim si forte multo tépore, Communione, uel Missę sacrificio, ob eandem causam priuandus esset. &c.

CAP. V.

De Missa audienda.

QVÆSTIO XIII.

Quid cum eo faciendum, qui in Missa de præcepto sine necessitate cum socijs colloquia miscet, iniunctas pœnitentias persoluit, & apud Confessarium per sacramentalem confessioné reconciliationẽ facit, &c.

ANastasio eo quod in adimplendo præcepto de sacrosancto Missæ mysterio in diebus festis audiendo, à suo Confessario pro pœnitentia iniunctũ est, vt quolibet die festo & & profesto, sacro per annum interesset, & quotidie officium Beatę Mariæ Virginis reciraret, ipse vero dum Missam audit, cum socijs per magnam & notabilem partem colloquia miscet, uel iniunctas sibi preces, & alias ex deuotione persoluit, & eodem tempore peccata sua confitetur; nunc alteri Confessario hæc refert, quæritur, an tàm ecclesię, quàm prioris Confessarij præcepto satisfecisse dicatur, & quid cõsilij ei dãdũ sit?

RESPONSIO, ET SVPPOSITA.

ANte respõsionẽ. Suppono hoc præceptũ audiẽdi sacrũ, partim diuinũ, partim humanũ esse, diuinum quidem, cũ naturali admixtum, quod dictat vt fideles publice certis diebus diuino cultui vacent; & præcipue ad recolendam passionis Christi memoriam, quæ in ipso sacrificio refertur, ac ad ipsum Christum in hoc realiter præsentem, offerendum Deo Patri, in remissionem peccatorum, & in gratiarum actionem pro beneficijs ab eo acceptis. Humanum vero, quia illius determinatio ad dies festos colendos tanquam tempus, in quo ipsum implendum sit, ab ecclesia descendit. *c. omnes fideles. de consf. dist. 1. c. conquestus. ext. de ferijs.* Quò fit vt cum istud tertium præceptum eò tendat, ut uacãtes Deo ei debitum cultum impendamus, merito Ecclesia à Spiritu sancto edocta, in obseruatione festorum, Missæ auditionem, quæ est excellentissimus externus Dei cultus, quo eius filius tanquam holocaustũ offertur, præcipuum locum habere voluerit.

Aduertendum tamen, quod si ex aliqua causa, incidenti dies festus in alium diem transferatur, fideles in illo die, in quem festum est translatum, Missam audire non tenẽtur, cũ hoc quò ad diuinum officium celebrandum, non quò ad præceptum seruilibus nõ vacandi, & audiendi Missam factũ censeatur, sicut ex cõmuni praxi constat, vt per *Suar. tom. 1. de relig. l. 2. de dieb. festis c. 31 in fine. Molfes. tract. 3. c. 17. num. 16. & alios.*

Secundo, Audire Missam non esse eius verba intelligere, quod rustici idiotæ facere nequeunt, nec Sacerdotem celebrantem videre, quod cæcis non conceditur, nec verba audire, quod surdis denegatur; sed esse tùm mente, tùm corpore interesse, iuxta illud etiam Ethnicorum dictum, Fauete linguis, ostium obdite prophani. Mente quidem interesse censetur, qui ad Missam venit animo attendendi, nec postea voluntarie distrahitur, nec in his, quæ cum attentione ipsa consistere nequeunt, se occupando. Corpore vero præsens esse dicitur, qui sic adest, vt aliquatenus cognoscere possit, quid Sacerdos celebrans faciat. Domi autem existens sacrum quod fit in ecclesia audire non potest, vnde qui domi è regione, verbi gratia, fenestræ, vel portæ ecclesiæ Missam audit, vel videt, non dicitur præsens esse, & per consequens non satisfacere censetur, vt communis est DD. consensus. Et si etiam fatentur eum qui sinistro animo nempe videndi mulieres, & ecclesiam adit, & ibi sacro interest, quamuis peccet, præcepto tamen satisfacere. At vt ait *D. Chrysost. homil. 72. in Ioannem*, Quæ vtilitas in mundicia corporis, anima coinquinata? Sicq; colligitur *ex DD. vt D. Ant. 3. p. tit 9. c. 10. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 1. Suar. 3. p. tom. 3. d. 88 sect. 3. Azor. p. 1. l. 7. c. 3. Syl. Tab. & alijs Sũmularijs in ver. Missa. Nau. c. 21. nu. 2. Tol. l. 6. c. 6. Reg. l. 19. num. 12. Molfes. tr. 3. c. 17. Bonac. de Euchar. d. 4. q. vlt. p. 11. Henriq. de sacr. Missa l. 9. c. 25. Coninc. q. 83. art. 6. dub. 1. Barth. ab Ang. dial. 5. §. 768. & sequen. & 831. Nau. c. 21. n. 6. Fillincius tr. 5. c. 7. q. 6.*

CASVS, ET QVAESTIONVM RESOLVTIO.

HIs sic præiactis, dico quò ad primam quæstionis partem, quod licet ex communi sententia, in satisfactionem iniungi possit opus aliàs præceptum, ut Missæ auditio in die Dominico, ieiunium in Quadragesima, Canonicarum horarum recitatio aliàs ad hoc munus astricto, quandoquidem hęc opera pœnalia sunt, & à Confessarij uoluntate dependent, & consequenter pœnitens potest eodem actu duabus obligationibus satisfacere. Sicut etiam si Iubileum à Papa concessum, in maiorem hebdomadam inciderit, si quis in feria quinta Cœnæ Domini Eucharistiam perciperet, eodem tempore, & Iubilei præscriptioni, & ecclesiasticæ legi de Christi corpore in Paschate sumendo, satisfaceret. *Conin. l. 1. qq. mor. q. 38.* qui tamen tempore Missæ notabiliter colloquitur, ita ut attentio necessaria subtrahatur, præceptum ecclesiæ adimplere non censetur. Vt quò ad primam partem testatur *Suarez 3. p. d. 38. sect. 6. Reg. l. 7. num. 28. Sanchez l. 2. c. 14. nu. 5. Conin de pænit. disp. 10. dub 8. Vasq. q. 94. art. 3. dub. 6. Bonac. d. 5. q. 5. sect. 3. p. 2. & alij.* Quò ad secũdam *Nau. c. 21. num. 6. Azor. c. 5. q. 1. Suar. d. 88. sect. 3. Idem Conin. q. 83. art. 6. dub. 1. num. 298. Barthol. ab Ang. dial. 5. de Missa. §. 821. & alij.*

Quod attinet ad secundum, & tertium quæstionis caput, illam assertionem constituo, Anastasium qui iniunctas in pœnitentia preces, uel alias ex deuotione recitauit, & breuiter sua peccata confessus est, dum Missæ interesset, præcepti obligationi satisfecisse, per illam rationem quã affert *Reg. l. 19. n. 14. Molfes. tr. 3. c. 17. nu. 45. & Bonac. infra citand.* quod vtraq, actio in Dei cultũ dirigit; & ideo licet difficile sit recitantem diuinũ officium, dum ad uerba, uel ad sensum uerborum attentionem habet, simul etiã ad ea attendere, quæ à Sacerdote rem sacram faciente proferuntur, nihilominus utraque actio ad eundem finem recognitionis diuinæ excellentiæ pie tendit, & per consequens utraque iuuatur deuotio. Sic in simili, ut dixi, fatentur omnes, satisfactionem posse imponi de operibus aliàs debitis, puta ut clericus beneficio donatus horas canonicas omittere solitus, eas recitet, laicus uigesimum primum annũ agens, ieiunia ab ecclesia indicta transgredi assuetus, pro pœnitentia illa obseruet; & tunc non adimplendo duo lethalia peccata committit. Primo, quia ecclesię præcepto non satisfacit. Secundo, quia pœnitentiam à Confessario iniunctam non exequitur.

ut per

ut per *Zerulam in praxi pœnit. c.* 25. q. 12. Sicuti etiā uouens ieiunare ſingulis ſextis ferijs, per unicam ieiunij actionem uoto, atque præcepto eccleſię, ſi in illam feriam incideret, ſatisfacere cenſeretur. Et ſacra Romana Pœnitentiaria ſi ob aliquam diſpenſationem, ſatisfactionem alicui iniungat, puta ut ſingulis menſibus confiteatur, & communicet, ſi in illis diebus eccleſiaſticum pręceptum coincidat, eodem menſe bis confiteri, & ſacram Euchariſtiam ſumere non tenebitur, cum per unicam actionem utrique obligationi ex pręſumpta Superioris mente ſatisfacere ſatis probabiliter dici poſſit. *Sanchez l. 8. de matrim. d. 34. num. 38. Nald. in ver. ſatisfacere, num. 6. contra Reginal. l. 31. num. 217. & Bonac. de legib. d. 1. q. 2. p. 2. num. 13.*

Quamquam quod ad priorem noſtram aſſertionem ſpectat, ut ait idem *Reg. l. 19. nu. 14. & Molfeſ. tr. 3. c. 17. num. 45. Fillius. tom. 1. tr. 8. c. 1. num. 13.* Cum nulla neceſſitas urget, ad maiorem ſecuritatem, & tutioris partis electionem, curandum eſt, ut utrique obligationi tàm audiendi ſacrum, quàm pœnitentiam perſoluendi, ſnum tempus aſſignetur, pręſertim, cum multi Doctores non deſint, qui ualidis rationibus cōtrariam ſentētiam tuentur, &c. vt *Suarez d. 88 ſect. 6. Azor. c. 7. q. 8. idem Bonac. d. 4. q. ult. p. 11. num. 25 & ſequ.* & *Sanchez l. 1. de præcept. c. 14. num. 11. Scortia de ſacrificio Miſſae. 30. num. 10. & alij oſtendunt.*

IN PRAESENTI CASV CONFESSARII PARTES.

PArtes Confeſſarij erunt pœnitentem admonere, ut diuina officia in eccleſia pro animi affectu audire ſtudeat, & pręſertim Miſsam, cui ſi poteſt ſingulis diebus intereſse deberet, uerbis enim ſatis exprimi non poteſt, quanta ex eo ſacrificio dimanet in animas, & corpora fidelium utilitas, quanta cœleſtium chariſmatum copia. Per illud namque deuote aſtantibus culpę ueniales remittuntur, & pro mortalium remiſſione diſpoſitio impetratur, & gratia ad bene uiuendum, & ad omnia pericula, etiam corporalia, & temporalia uitanda, & auertenda cōparatur. *ex D. Auguſt. l. 22. de Ciuit. Dei. c. 8. & D. Anton. in 3. p. Chron. tit. 9. c. 10. §. 2. Negron. in regul. commun. reg. 2.* Sed quod dolendum eſt, nunc plerique Chriſtiani circa templum frequentandum, & Deum colendum anxie quęrunt, teneantur ne quotidie ſacrum audire, aut ſępius in anno quàm ſemel confiteri, &c. quaſi magnum aliquod detrimentum accepturi, aut iugum aliquod iniquum ſubituri, ſi aliquod Deo obſequium, ſupra id quod prorſus neceſſarium eſt, pręſtarent. Ad ea quę per ſe pia, ſancta, ac ſalutaria ſunt, pręceptum, obligationem, cēſuram, expectare Chriſtianus non debet; ſeruile hoc eſt, & ad veteris teſtamenti filium pertinet, non noui, nunc enim libere iuſtitiæ ſeruimus: bonus filius nō expectat, vt ſenere à parentibus aliquid pręcipiatur, ſed cognita eorum uoluntate, omne iuſſum anteuertit, ſed & ſi ſerui tantum eſſent, non filij, hęc tamen ultro facere deberent, nemo enim eos famulos aleret, qui nil niſi iuſſi facerent. *Stap. in Dom. 1. poſt Epiph. Benzonius de Iubileo l. 5. c. 12.*

Simulque oſtendere debebit Confeſſarius, quāta attentione, deuotione, & reuerentia ſit audienda Miſſa. cum ut monemur in præfatione, corda tunc ſuſtollenda ſint. Ad hæc quanta reprehenſione, & obiurgatione impudentes illi fideles digni ſint, qui dū cœleſtes uirtutes tremunt, in ipſa Miſſa loquuntur, rident, deambulant; contra quos inuehitur *D. Chryſoſt. hom. 15. in ep. ad Hebr. & Conc. Trid. ſeſſ. 22. in Decreto de obſer. & euit. in celebr. Miſſæ. Bernard. Senen. tom. 4. de ſerm. 37. de amore incarnat. & Fernandez in c. cum frangitur. de conſ. diſtin. 2. p. 6. dub. 1.* Ipſemet Chryſoſtomus ſacrorum tempore populum ſuum luſtrans, & indecorum illum, & ruſticum morem carpens, ſi quem inueniſſet in vnicū genu procidiſſe, baculo alterum eminens percutiebat, ut omnes diſcerent, unico ante Deum non ſubſidere, qui mille ſi tot haberent, coram mundi Regibus in terram ponerent. Deum adorare eſt eius Maieſtatem ſuſpiciendo ſe profunde ſubmittere, & ſubiectum fateri. Hoc ſola mente efficiunt Angeli, quia corporis expertes ſunt, nobis autem contraria de cauſa, genuum flexiones, capitis inclinationes, & alias corporis deiectiones addere incumbit, ut quò ad utramque partem eum colamus, & internū adorationis actum teſtemur. *Chanas. de prud. l. 1. cap. 9.* Idem *D. Auguſt. ſerm. 252. de tempor.* Inter varios abuſus, quos ipſe corrigere ſtudebat, eos pariter inſectatus eſt, quos ex negligentia quorundam Chriſtianorum ſenſim illabi cognoſcebat, eoſdemque ipſo ſui ortu conuellendos curauit, nimirum de illis, qui ſacris intereſſe negligerēt, qui ut antequam abſoluerentur, recederent, quive ſermones in eccleſia miſcerent. Sed & eos qui de Miſſarum prolixitate conquerebāur, ſic perſtrinxit: Adhuc quoque quod ualde dolendum eſt, conqueri uobiſcum uolo, quia ſunt aliqui, & maxime potentes huius mundi, qui cum ad eccleſiam ueniunt, presbyterum cogunt, ut Miſſam contrahat, & ad eorum libitum cantet, nec propter illorum gulam, & auaritiam eccleſiaſticum morem ei ſequi licet, &c. Certe hæc ante peracta myſteria diſcedētium impatientia intolerabilis eſt, plenaque ſcandali, apud Ethnicos etiam condemnata, qui niſi illis abſolutis, & publica præconis uoce dimittebantur. Ludouicus Galliarum Rex, quo tempore myſteria, vel officia perſoluebantur, nullius admittebat colloquium, niſi aut neceſſitas cogeret, aut euidens utilitas id expoſceret, ſed neque

sic tamen, nisi breuiter, & succincte, ne ipsius lachrymæ, & pietas interturbarentur. sciebat enim teste *D. Chrysost. hom. 61. ad Pop. & D. Greg. l. 4. dial. c. 58.* consecrationis potissimum tempore quodammodo cœlos aperiri, & Angelos de cœlo descēdentes cum summa admiratione, & reuerentia prostratos astare *arg. Conc. Trid. sess. 22. decreto de obseruandis in Missa*. Sanctus Elzearius Comes Ariani, qui continentissime per totam uitam cum Delphina coniuge uixit, rebus diuinis ita addictus erat, ut non contentus esset, si ipse quotidie Missę sacrificio magno religionis studio præsto adesset: sed etiam familiam suam uniuersam curabat, unam ad minimum nullo intermisso die, integram deuote audire. *Surius in vita S. Ludou. 25. Aug. & in vita S. Elzearij 27. Septem. Dauer. tom. 2. c. 4. tit. 8. & tom 3 c. 5. tit. 32. Fornar. in Instr. Confess. l. 2. tr. 1. c. 8.* Quippe vt cœlestem mercedem reportemus, & ut opera nostra meritoria sint quatuor potissimum conditionibus vestiri debent. Primo recta intentione, ut Dei gloriam, nostramq; salutem ante oculos proponamus: nam intentio operi nomen imponit, & si arboris radix corrupta est inutiles et fructus producit. Secundo diligentia, & feruore; nam qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. *Prouerb. cap. 18.* Tertio in Dei gratia confici debent; opera enim in peccato mortali facta meriti sunt expertia. Qui tamen Missam in statu peccati mortalis existens audiret, ecclesiæ pcepto, ut dixi, satisfaceret, put ex terminis notum est. *Barthol. ab Ang. dial. 5 de Missa. §. 831.* Vbi etiam in *num. seq. ait ex D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 2.* eum qui lethali crimine grauatur, multo intuitu non debere Christi corpus respicere, sed se indignum reputare, &c. Quarto ipsa opera perseuerantia muniri oportet, cum bonum incassum agatur, si ante uitæ exitum, & terminum deseratur. *c. incassum. de pœnit. distinct. 3.*

QVAESTIO XIV.

Quomodo in Oratorijs Pontificio priuilegio ad celebrandum concessis, peccari contingat. An in his contra concedentis mentem sacrum audiendo ecclesiæ præcepto satisfiat. An inducens improbum Sacerdotem ad ibi celebrandum peccet, &c.

Martinus nobilis, ac patritius uir, habet ruri Oratorium, Episcopi auctoritate extructū, in quo Pontificio priuilegio (cum sit proprio palatio coniunctum) conceditur, ut sacrum ipse simul cū sua familia audire possit, exceptis solemnioribus festis, ut die Paschatis, Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, &c. in quibus diebus Summi Pontificis mens est, ut in uicina Parochia Missa audiatur, nunc injicitur sibi scrupulus, quod & in his exemptis diebus in eodem sacello sacro interfuerit, & ibi alios etiam extraneos rusticos non sibi subditos admiserit, & ad ibi celebrandum aliquando quendam Sacerdotem, quem lethali crimine infectum esse probabiliter sciebat induxerit. Quæritur, an peccauerit mortaliter, tàm Pontificiis præceptionibus nōn obtemperando, quàm Sacerdotem illum in malo statu constitutum ad immolandum impellendo: Et an tàm ipse, quàm eius domestici, & extranei sacrum ibi audiendo, ecclesiastico præcepto satisfecerint, &c.

Respon. Primo difficile excusari potest à graui culpa Martinus, qui sciens, & volens, Papæ præceptum in re seria uiolauit, sacrum in eo sacello temporibus ab eo seclusis audiendo, cum posset in Parochiali ecclesia commode hoc officium explere; sicut & ab eadem noxa non sit immunis, si extra casum necessitatis potens alium habere, & aliter suæ utilitati spirituali consulere, ac prouidere, malum illum, ac improbum Sacerdotem ad celebrādum induxit, cooperando ut instar Iudæ proditoris indigne diuinum panē sumens, iudiciū sibi manducaret. &c. *Nauar. in c. 1. §. Sacerdos num. 7. de pœnit. dist. 5. Sanch. l. 1. de precept. c. 7. Nald. ver. inducere*. Quippe impius, & scelestus homicida est, qui alterum ad committendum lethale crimen induxit, & uitā animæ, quæ est diuina gratia priuauit. *c. noli putare de pœnitent. dist. 1.* Defleamus scelera nostra, ait *D. Greg. Turon. l. 1. de glor. martyr. c. 86.* cum nos mundos esse nescimus, & ad ipsum altare Domini accedētes, audenter sanctum eius corpus, & sanguinem cum sumus actu in anima polluti, potius ad iudicium sumimus, quàm ut ueniam consequamur. *Dauer. in Catechis. histor. tom. 3. c. 5. tit. 28. Iustin. in Tob. c. 6. vers. 2. docum. 2.*

Scdo (qdqd de culpa sit) ecclesiæ præcepto satisfecerūt tā ipse, q̄ eius familia (cuius tā noīe rustici, vel socij prope eius domum habitātes, atque eidem subditi non comprehendi censentur,) imo & alij externi præceptum adimpleuerunt. Præceptum namque adimplere dicitur, vt supra dictū est, etiam qui cum peccato mortali rem diuinam audit, vt est cōmunis omnium sententia, teste *Azorio p. 1. l. 7. c. 6. q. 1. Barth. ab Ang. dial. 5. de Missa. §. 831.* Et licet olim fideles sacrum in propria Parochia audire iuberentur, hodie tamen per contrariam consuetudinem uidentibus Summo Pontifice, & alijs Prælatis sublatum est, & satis est, ut res sacra audiatur in loco per Prælatum deputato, siue sint ecclesiæ, seu oratoria in ecclesijs, vel secus eas. *Barbosa de Episcopo p. 2. alleg. 24. num. 10.* Vnde quando in aliquibus priuilegijs exprimi solet, saluo semper iure Parochiali, hęc clausula intelligitur de decimis, seu primitijs, vel obuentionibus, quæ eidem Parochiæ competunt, & vt in die Paschatis in Parochia, vel alibi de Rectoris

licentia

licentia Euchariſtiam ſumant, non autem de alijs intelligenda eſt, puta quod non liceat ſacrum extra ipſam Parochiam audire,&c. *Riccius in Deciſ.aur. Neap.deciſ.152. Rod.in qq.reg.tom.1.q.22.art.7.* Facultas tamen celebrandi in oratorijs priuatis domibus coniunctis,uel contiguis, ibique Miſſam audiẽdi ab Apoſtolica Sede hodie concedenda eſt,ut pluries ſacra Congregatio Cardinalium peculiari edicto Bononienſi Archiepiſcopo reſcripſit, & ſic vbique ſeruari mandauit. vt habetur apud eundẽ *Naldum in ver, Miſſa.num. 31. & Molfeſ.tract.3.c.17. nu.70. Quar.in ver.Miſſa. Riccium in Praxi fori eccleſ.deciſ.538. Barboſam l.c. Alleg.23.* Et cauſam edicto dedit,tùm quod Parochialium eccleſiarũ frequentia minuitur,cum *Conc.Trid.ſeſſ.24.c.4.* fideles hortetur Miſſas in Parochijs audire,& ibi uerbũ Dei percipere; tùm & quod tremendum illud myſterium intra domeſticos parietes plerumque tanta cum irreuerentia peragitur,ut nihil fere inter profanam,& diuinam domum intereſse uideantur, &c. ut notaui in *Comment.de ſtat p.1.c.15.* Cũ autẽ in Pontificijs priuilegijs conceſſis contineatur, ut in priuatis oratorijs ſacrum audiri poſſit,exceptis ſolemnioribus feſtis;ſolemniores feſti, ut dixi, dies ij dici uidentur, feſtum Natiuitatis Domini,Paſchatis,Pentecoſtes,& Aſsumptionis Beatæ Mariæ Virginis,iuxta *c.alma mater.de ſent.excomm.in 6.Graffius p.2. deciſ.l.2.c.13. DD.in c.ſi quis etiam, de conſ.diſt.1. Molfeſ.tract.3.c.17.num.70.*

Animaduertunt etiam DD. quod dum ſic celebrandi Summi Pontificis licentia adeſt, Epiſcopus illam impedire,& eo minus reuocare poteſt. Verum ei fas eſt,oratoria viſitare,& quidquid corrigẽdum inuenerit emendare, nempe ut locus decens ſit, veſtimenta, & alia ornamenta celebrationi huius ſacrificij ſint accommodata. Licentias uero proprias, uel ab anteceſsoribus ordinarijs conceſsas, reuocare,ac limitare ei integrum eſt, vt pluries ſacra Cardinalium Congregatio cenſuit.

Porro Miſsa à quolibet Sacerdote etiam malo, licite,& valide audiri poteſt,modo extra caſus à iure exceptos non inducatur, nec à iure prohibeatur, nam aliqui à celebratione arcentur, ut excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti uitandi, & per conſequens illorum ſacrificijs intereſſe non poſſumus,ex diſpoſitione Concilij Conſtantienſis. *Bonac.de Euchar.diſp.4.q.vltima, puncto 12. Sayr.lib.4 de cenſ. cap.1.nu.5. Barthol.ab Ang.dial.5.de Miſſa.§.800. Vgol.de officio Epiſcopi cap.9.§.1.p.1. Fernandez in c.omnia.1.q.1.p.10.dub.5. & alij DD.communiter.*

QVÆSTIO XV.

An vidua ob mariti mortem per multos menſes excuſetur à præcepto audiendi Miſſam. An per turpes actus in ſe admiſſos amittat tutelam filiorum, & legatum ſibi factum cum conditione ſi honeſte, & caſte vixerit.

LVcretia ex nobili proſapia nata, & in florenti ætate uidua relicta,cum unius pueri,& puellæ prole, iam ſeptem ſunt tranſacti menſes quod ob uiri obitum,cauſa luctus,& triſtitiæ,domi ſe cõtinet,& à Miſſę auditione,& ob id eccleſiæ ingreſſu abſtinet,quæ tamẽ rheda incluſa ad aliqua negotia conficienda aliquando pergere ſolet. Et cum nouiſſet ter inuiſere ædem Beatæ Mariæ,quæ de Vita dicitur, & à Cõfeſſario eãdẽ ſemel viſitandi pœnitẽtia iniuncta eſſet,non cogitans de uoti, & pœnitentiæ adimplemẽto,eam ſepties inuiſit. Item cũ filiorũ tutrix inſtituta ſit,cũ legato mille aureorũ, & cõditione,ſi honeſtè,& caſtè vixerit,diù à procaci nobili adoleſcente ſolicitata,ſæpius ſe impudice tangi permiſit. Quæritur Primo an excuſetur à præcepto audiendi rem ſacram feſtis diebus. Secundo,an pręcepto tàm adimplendi uotum,quàm perficiendi pę nitentiam ſatisfecerit. Tertio,an per illos turpes actus tutelam amittat. Quarto,an in foro conſcientię legatum mille aureorum ſibi à coniuge factum reſtituere teneatur? Suppoſita

Reſpon. Viduæ nomen ſonat colligatam,& mutam,quorum utrumque mortuis conuenit,ſed præcipue uiduis, quod ligatæ eſſe debeant ad domus angulum, ut ſe inde mouere poſſe non uideantur, neque domo egredi. Deinde quod ſilentium ita ſeruare debent,ut pene mutæ æſtimari poſſint. Vnde & Phidias Veneris ſtatuam effinxit,quę pede teſtudinem premeret,ut ſignificaret,duabus maxime rebus honeſtam matrem ſane commendari,ſolitudine,& taciturnitate; illæ enim probro affici ſolent, quæ loquaces ſunt, atque huc illucque curſitant. *Alciat.emb.195.* Contraria his duabus uiduarum uirtutibus *Apoſt.1.ad Tim.c.5.* duo alia uitia opponit dicens: Diſcunt circuire domos,non ſolum otioſæ,ſed & verboſæ,& curioſæ,loquentes quæ non oportet. *Pineda in Comment.in Iob c.24.verſ.21.* Verumtamen non ita ſolitudini, & ſilentio deditæ eſſe debent,vt quæ ad Dei cultum,& animæ propriæ ſalutem ſpectant,temere negligant.

Multis quidem de cauſis excuſari quis poteſt à religioſo officio,& pia lege Miſſæ ſacrum audiendi. Primo timore, ne damnum aliquod ſpirituale ſibi, vel alteri inferatur: qua ratione excuſari poſſint matres, quæ ſe domi continent, ne filiarum pudicitia periculo exponatur. Secundo corporale detrimentum,vel proprium,vel alienum,ut eximuntur infir-

mi, vel eis seruientes serui, qui dominorum verbera timent, si domum solam relinquant, uxor ad euitandas mariti rixas, si adueniens præparatum prandiū non inueniat, & qui res domi seruant, ac custodiūt, ne à furibus surripiuntur, &c. Aut quodlibet iustum impedimentum, & rationabilis causa, & quod uis est motiuum recto humano iudicio consentaneum, ut qui ob indecentem vestem domo exire nequit, &c. Tertio consuetudo, ob quam puellæ ex latibus egredi non solent, uiduæ, ne si foras prodeunt, leuitatis notam subeant: Siquidem ut ait *Roder. tom. 2. qq. regul. q. 46. art. 3.* Neque Deus, neque ecclesia, suis præceptis nos obligare ad uix possibile, aut nimis difficile, quod moraliter & ciuiliter impossibile dicitur, intendit, alias Christi iugum suaue non esset. Neque Dei, nec ecclesiæ intentio est, suis præceptis sic obligare, quod quis ea implendo, fatuus, vel inurbanus, seu inciuilis appareat; neque consulere, ut homo in suis actionibus se habeat, ut aliis risui, vel admirationi sit. Et in his quæ iure humano prohibentur, præscripta, & legitima consuetudo, quæ legem tollit, & eam interpretatur, excusare solet. Et in quolibet casu facere prætermittens, quod lex præcipit, à mortali peccato excusari potest, si hoc faciat homo uirtute epicheiæ, sine contemptu, ratione alicuius periculi, necessitatis, vel circumstantiæ: putans se non peccare, &c. hæc ille. Vnde *D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 2. Sylu. Rosella Ang. Tab. & Armilla in ver. Missa. Nau. c. 21. num. 4. Bonac. de sacram. d. 4. q. vlt. pun. vlt. num. 25. Filliuc. tr. 5. c. 7. q. 12. & alij supra citati*, iustam, & legitimam peccati excusationem fatentur esse, si ad breue tempus, nimirum ad unum mensem, vel etiam duos; uidua domi reclusa Missam non audiat; non tamen si ad septem, vel octo menses, seu ad annum: vel si ad alia negotia egredi domo solet, &c. Attamen dubitari non potest quin pro dignitate, & nobilitate personæ maiori, aut longiori tempore, ex recepta cōsuetudine à Prælatis tolerata continere se domi queat, mō ob alias causas, ut dixi, nō exeat. Verum nonnulli post multa in fauorem huius cōsuetudinis adducta, uiduam ipsam commendant, quæ hoc usu posthabito, ad sacrum audiendum citius accederet, & pro defuncti mariti anima preces apud Deum funderet, atque Prælatos hortantur, ut hanc abusionem potius, quā consuetudinē extirpare, & funditus tollere conētur.

RESOLVTIO.

Proinde mihi Pº dicendū uī Lucretiam à grauì culpa non excusari, si per multos mēses à Missæ auditione abstineat, cum tamen aliquoties ad sua negotia conficienda prodire non vereatur, &c.

Ad secundā quæstionem dico, quod eum hæc uidua ad ædem D. Mariæ de Vita pluries accesserit, nec satisfaciendi intentionem excluserit, uirtute, ac interpretatiue eam habuisse, ac per consequens, tàm uoti, quam pœnitentiæ præcepto satisfecisse censenda est; siquidem ad satisfaciendum præcepto non est opus, ut intentione actuali illud adimplēdi præstetur, sed sufficit intentio, & animus faciendi opus quod præcipitur. Vnde etiam si hæc mulier dū ecclesiam illam uisitauit, & uoti, & pœnitentiæ oblita, est, adhuc tamen humano modo uirtualiter opus præscriptum præstitit. *Sanchez l. 1. de precep. c. 13. num. 9. & Bonac. de legibus disp. 1. q. 1. p. 10. num. 11. Molfes. tr. 10. c. 1. nu. 30. Naldus in ver. preceptum, num. 1.* Hinc si quis immemor, aut ignorans esse diē festum, sacrum humano, ac libero modo audiret, ecclesiæ præcepto satisfaceret. Sic in simili resoluit *Comit. l. 1. respons. q. 39.* Si Indulgentia plenaria his sit concessa, qui verbi gratia Nonis Augusti D. Mariæ templum confessionis, & Eucharistiæ sacramentis expiati inuiserint, eos qui Calendis Augusti his sacramentis vsi fuissent, de Indulgentia huiusmodi actu nil cogitantes, eisdem non repetitis, Indulgentiam ipsam consequutos esse, modo factum ratum habuerint, & postmodum illam Indulgentiam lucrari intenderint, & reliqua, quæ omitti non possunt, sint executi. &c.

Ad tertiam quæstionem respondendo dico, uiduam hanc, quæ inhonestos tactus in se admisit, quidquid sit de foro externo, in conscientiæ iudicio ante Iudicis sententiam, per luxuriosam uitam, nedum per fornicationem, aut impudicos contactus, tutelam non amittere: nullus enim est conuincēs textus, & si multi Doctores aliter senserint. Quod vel ipsa experientia testatur, siquidem nullus est Confessarius, qui uiduæ fornicanti, vel se turpiter tangi patienti, absolutionis beneficium negauit, cum tamen uiduas in id crimen labi non rarum sit. *Sanchez l. 7. de matrim. disp. 90. num. 16. Mantica de coniect. vlt. volunt. l. 11. tit. 19. Grat. in discept. foren. tom. 1. cap. 5.*

Ad quartam quæstionem dico, Lucretiam quæ illius iuuenis petulantis amplexus, oscula, vel impudicos tactus in se uolens excepit, lethaliter deliquisse, & in foro poli absque ulla sententia ab illo met legato se abdicare debere, nisi per hoc eius honor, & fama, omni alia uia tentata, periclitaretur. Quod intelligitur, quando toties hæc fœmina in hos actus lapsa esset, ut boni uiri arbitrio, impudica ac inhoneste uiuens dici possit, siquidem per unicum, uel alium actum huiusmodi lasciuū, hoc legatum, non perdi censendum esset, ut per *Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 40. num. 38. Graffium l. 2. decis. aur. c. 11. num. 58. Molfes. tract. 2. de suc. disput. 95. Sayr. l. 8. cl. reg. c. 2. num. 8. Corrad. in respon. cas. conscien. q. 93. & q. 209. Sanchez l. c. d. 91. num. 40.* ut etiam tetuli in *Comment. le Stat. p. 2. cap. 26.* Quibus

addo

addo uiduam ementem intra annum luctus, post mariti mortem, præsumi emere de pecunijs uiri, ut turpis quæstus suspicio euitetur. Imo hoc procedit, etiam si post annum emerit, dummodo in administratione bonorum, & in cura filiorum remanserit. *Rolan. à Valle l. 2. conf. 86. Boer. decis. 81. Mascar. ver. vidua. concl.* 1408. Illud etiam est singulare ait *Tholos. in syntag. iu. l. 36. c. 9. num.* 11. stupri, vel turpis peccati accusationem, in uidua ab hæredibus mariti institutam, non priuare eam dote, qua priuaretur, si adulterium uiuente marito commissum esset. Obseruat quoq; *Menoch. l. 3. conf.* 278. mulierem, cui à marito legatū relictū est, quamdiu castè, & honestè uixerit, si secundo nubat, illud amittere, nec amplius recuperare, etiam si denuo uidua efficiatur, nā ius semel extinctū amplius nō reuiuiscit.

MVNVS CONFESSARII.

PArtes Confessarij erunt, hanc uiduam ad Christianæ perfectionis culmē euehere, proponēdo, quod etsi uiduitatis status uiris, & mulieribus communis sit, propria tamen eius perfectio, multo magis in fœmineo eminet sexu, ut pote quod eius status grauissimus est, & laboriosissimus, ideoque tàm Apostoli, quàm sacri Doctores, ad eas omnia sanctitatis documenta dirigunt, quæ de hoc argumento tradunt; præcipue vero *Apostolus Paulus*, qui 1. *ad Tim.* 5. duo uiduarum genera distinguit, quasdam vere uiduas appellans, quarum uita sui status excellentiæ consentanea est. Alias vero quasi nomine tantum uiduas compellans, dicens, uidua quę in delitijs est, uiuens mortua est; quam uiduarum priuilegijs, eis à iure concessis non gaudere, manifestum est. vt per *Tuschum in ver. vidua. concl.* 203. Proinde tres regulas ei seruandas tradet. Prima est carnalis concupiscentiæ mortificatio, ac repressio, præsertim quod ob alias expertas sensus uoluptates acrius earum stimulis vrgetur. Secundo, humanæ conuersationis deuitatio, cum uiduarum proprium sit silētium, solitudo, & ædium custodia. Hinc ille,

Vidua quæ multum loquitur, passimque vagatur,
Si quid agas, quærit, appetit illa marem.

Tertio est pietatis amplexus, debent namque in eo statu religiosis operibus incumbere, Deum colere, & familiæ suæ bene præesse, in Dei timore eam instituendo, *vt l. c.* admonet *Apostolus*: idque exemplo multarum insignium mulierum, quæ in eximia uitæ sanctitate uiduitatem seruarunt, de quib. locuti sumus in *d. Cōment. c.* 26. vbi inter alias adduximus, Fœnicem se cremantem cum verbis appositis, sola facta solum Deum sequor, symbolum fuisse Bonæ Galeatij Mediolanensis Ducis matris, religiosissimæ fœminæ, quo post obitum mariti, soli æterno Deo, pietatisque operibus se dicasse innuebat, &c. Monebit ut diuina officia in ecclesia deuote audiat, & Missæ singulis diebus si potest, interesse studeat, de qua re S. Monica à *S. Aug. l. 9. confess. c.* 13. singulariter commendatur. Et ad mentem redigat, quod ex Gotschalco ex ordine Eremit. refert *Scortia l. 2. de Missa c.* 20. Dæmonem cuidam Perusiæ collum fregisse, quod nedum profanis, sed nec festis diebus Missam audire vellet, illique dixisse; quia noluisti audire Missam in Dei templo, audies lamentationes in Inferno.

CAP. VI.

De Festis obseruandis.

QVAESTIO XVI.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum tonsore, & chirurgo, qui in die festo in arte sua laborat, & ne à curia Episcopalis satellitibus capiatur eis pecuniam dare solet, &c. Et qui eisdem diebus festis monasteria monialium pro sua artis, & muneris exercitio, nempe pro extrahendo sanguine, &c. absque licentia in scriptis ingredi solet, & pecuniam à particularibus monialibus accipere?

LVcas tonsoris artem in quadam ciuitate exercens, etiam si Episcopi edicto cautum sit, ne tonsores in festis diebus non modo capillos, sed nec barbas amputare audeant; & iubeatur ut acribus pœnis per satellites in illud uiolantes animaduertatur: ipse tamen ne capiatur, & in carcerem detrudatur, cum in delicto deprehenditur, eorum manus pecuniæ unguento perungere solet. Cum autem de hac re sæpius a Confessario sit admonitus, ac reprehensus, excusationem illam affert, quod talis est in Ciuitate consuetudo, & si vellet ab huiusmodi seruili opere in festis abstinere, magnum sentiret incommodum, & ad se homines aduentantes ad aliū tonsorem diuerterent. Item sanctimonialium monasteria festis etiam diebus, pro chirurgiæ officio exercendo, absque licentia in scriptis ingredi solet, & pecuniam pro mercede à particularibus monialibus accipere. Quæritur quomodo in hoc casu se gerere debeat Confessarius?

RESPONSIO, ET PRAECOGNITA.

SVpponendum Primo, Dei cultoribus non sufficere diebus festis sacro mysterio interesse, nisi etiam ex diuinæ, & ecclesiasticæ legis præscripto, ab omni sordido, & illiberali opere abstineatur. Quoniam enim festi dies instituti sunt, ut utriusque sexus Christi fideles rebus tunc spiritualibus præcipue vacent, sanctæ pietatis officia exerceant, & religionis munera, abdicatis nefarijs operibus, illicitisque negotiationibus obeant, ac commodius unusquisque

quisque tàm interno, quàm externo cultu Deum colat, Sanctos eius veneretur, & laudet, regio canēte Vare, Laudate Dominum in Sanctis eius. Ideo & si nullus dies sit, imo nec ulla hora, qua non recte quorumcumque Dei beneficiorum fieri memoria debeat: attamen sancta mater Ecclesia nostræ salutis admodum sitiens, Sancti Spiritus edocta magisterio, certos dies instituit, qui cæteris essent tantorum commemoratione beneficiorum insigniores, qbus irē cū Christiana, & religiosa mēte, curis alijs quibuscumque vacu fideles ardentius reuocarentur; & dies tàm à sancta Matre Ecclesia, quàm ab Episcopis in sua diœcesi speciatim indicti pie ab eis colerentur *Filliuc. tr. 27 c. 6. nu. 82.* A qua obligatione ne regulares quidem exempti sunt, licet quò ad ritus celebrādi Missas, aliaque diuina officia, suis institutis relinquendi sint. *Conc. Trid. sess. 25. de ref. c. 12. Vgol. de officio Episcopi p. 1. c. 20. §. 2.*

Vt aūt aduertit *Sayr. l. 7. Cl. reg. c. 3. n. 15. & Chauas. de prud. l. 1. c. 9.* Si in aliquo loco sint multi dies festi ex consuetudine obseruandi, Episcopi prudētis mun⁹ est, aliquot ex illis abrogare, quādoquidē vbi dierum festorum tanta est multitudo, unum horum duorum malorum eueniet, vel quod ullus dies festus, prout fieri debet, non colatur; vel vt illi qui ex deuotione sunt, exactius & perfectius obseruentur quàm qui ex uniuersali ecclesiæ præcepto in honore habentur. Quod autem dierum festorum nimia multitudo eorum cultum impediat, experientia patet, quia pauperes non possunt sine magna iactura, & incommodo familiæ eos obseruare. Imo laborantes in die festo ex necessitate, ut pro uictu familię comparando, excommunicationem ab Ordinario loci latam non contrahit; cum necessitas licitum faciat, quod aliàs esset illicitum: dummodo ad uitandum scandalum, quatenus fieri potest, secrete hoc faciant, & ipsa necessitas præsertim de consilio Confessarij manifesta fit. *Molfes. tr. 11. c. 17. num. 83. Regin. l. 19. num. 50. Graffius l. 2. decis. c. 34. num. 30. Bonac. de leg. d. 5. q. 1. p. 3. num. 13. Filliuc. tom. 2. tr. 27. cap. 11. quæst. 3. & aly.*

Secundo suppono opera seruilia, quæ in diebus festis exerceri prohibentur, ea sola vetita censeri, quæ proprie talia sunt, non quæ metaphorice, & per quandam similitudinēm seruilia dicuntur, ut peccata, quibus Dæmoni seruitur, & homo ei obstringitur. Opera ergo mechanica, quæ proprie seruos decent, interdicta cēsentur, ut fodere, arare terram, ligna scindere, segetes secare, uineas potare, suere, domos ædificare, & huiusmodi corporalibus operibus uacare, de quibus fit mentio *Leuit. c. 23.* cum dicitur, omne opus seruile non faciatis in eo, eo quod mentem nostram à diuino cultu, qui finis est præcepti, impediunt polluunt. Ad quod illud *Tibulli* spectat *l. 2. ep. 1.*

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso uomere cesset opus. &c.

Thesaur. decis. 39. Et olim apud Ethnicos contra irreligiosos, & impios circa festa actio intēdebatur: sicuti etiam duo angues in templis pingebantur, ut homines deterrerentur, ne quid profanum, & indecens in eis committeretur. *Thol. l. 31. syntag. in c. 10 Azor. p. 2. l. 1. c. 27.* vbi testatur apud Romanos dies festos denuntiari solere, ne quid seruile in eis ageretur, & præcepti negligentes mulctari solitos, & cæt. Et quamuis quoduis peccati genus hoc loco speciatim non inhibeatur, maxime tamen peccata diebus festis fidelibus uitanda esse nemo dubitare debet, quod illa non solum animum à diuinarum rerum studio auocant, sed etiam nos à Dei amore, & gratia, præsertim si lethalia sint, prorsus seiungunt.

Liberalium vero artium opera, ut studere, lectiones habere, scribere, transcribere, & sic de alijs, permittuntur, etiam si ob lucrum, & mercedem fiant, quod enim sua natura licitum est, ex soluta mercede illicitum fieri nequit. *DD. in c. fin. ext. de ferijs. D. Thomas 22. q. 122. art. 4.* & ex multorum sententia refert *Sayrus l. 7 Cl. reg. c. 2. num. 3. & num. 13. Reg. l. 19. num. 30. Molfes. tr. 11. c. 17. nu. 42. & seq. Suarez tom. 1. de relig. l. 2. c. 24. num. 3. Azor. par. 2. lib. 1. cap. 27. quæst. 4.*

RESOLVTIO CASVS, AC QVAESTIONVM.

His præhabitis, Dico Primo Lucam à mortali culpa non excusari, nec talem consuetudinē ei suffragari, cum Ecclesiasticę legi aduersetur, & Superiores reclament, & ei obsistant. Siquidem cōsuetudo tunc à peccati labe eximere posset, si expressim, vel tacitè à locorū Ordinarijs permittatur; tūc verò tacitè permitti dicitur, cum eam Prælati comperta m habent, nec tamen corripiunt, nec illam seruantes puniunt, cum tamen commodè plectere possent, nam si reprehendant, aut debitas pęnas exigāt, ea consuetudo uim non habet, sed abusus est, & corruptela. *Caiet. in v. festorum violatio. Syl. in v. Dominica q. 1. D. Ant. 2. p. tit. q. 17. §. 1. Azor. p. 2. l. 1. c. 26. q. 10. Viual. de consc. contra leg. hum. num. 25.* Alij vero cum à culpa liberum ex alio capite esse uolunt, nimirum ex occasione cessantis lucri, qd. s. nobiles mane tondendi ad alios barbitonsores accedunt, & cæt. *Sanchez lib. 1. de precept. c. 7. num. 34. Nald. in ver. peccatum num. 16.* Vel quoniam artifices pauperes, vel rustici alijs diebus profestis ob laborū occupationes, ad eos non ueniunt; & tempore profano ipsi tonsores otio, & inertiæ uacant. *arg. c. licet ext. de ferijs. Fernandes in theolog. mor. p. 1. c. 7. §. 1.* Verum nisi graui necessitate premantur, & aliter se, & familiam alere nequeant, cum non excusandum censerē, nisi

nisi cessante scandalo, tacitâ saltem Episcopi permissione id fiat.

Secundo dico, officiales Episcopi, qui ad accusandum, & capiendum homines delinquentes, ac in pœnam lapsos deputantur, & ex officio obligantur, mortaliter peccant, si conniuent, & accepto munere, vel pecunia muti fiunt. Insuper turpiter acceptum fisco Ecclesiæ, vel Christi pauperibus restituere tenentur; non tamen pœnæ, quæ fisco obuenisset, si idem Lucas ab Episcopo, vel Vicario condemnatus fuisset, obnoxius erit. *Bonac. de contract. disp. 1. q. 2. p. 11. nu. 10. Sayr. l. 10. Cl. reg. tr. 11. c. 15. nu. 13. Fauft. de restitut. disput. 4. quæst. 120. & seq.* Idem dicendum est, quando deprehendentes aliquos alloquentes sanctimoniales, sine licentia in scriptis obtenta, ob acceptam pecuniā dissimulāt, & tacent, nec iuxta edicti formam eos capiunt, neq. in carcerem detrudūt *ijdē D D. & alij magis cōiter.*

Quò ad tertiam etiam quæstionem dico Primo Lucam à peccato, & à transgressione diei festi, excusari ratione necessitatis corporalis, ex hoc enim capite immunes sunt medici, chirurgi, tonsores, seu emissores sanguinis, aromatarij, & alij huiusmodi, Et quæ in die festo ob necessitatem fieri possunt, eadem cum quæstu, & lucro exercere licet; vnde & medici, & alij artifices, quāuis ex necessitate in festo operas suas præstent, non tamen ea gratis facere tenentur. vt aliàs dixi *per Sayr. l. 7 Cl. reg. c. 2. n. 13. & 17.* de communi testantē. Vbi etiam addit, quando Episcopus sub pœna excommunicationis præcepit, vt nemo diebus festis seruilia opera exerceat, ille qui necessitate compulsus operatur, illa censura non afficitur, quod etiā ex *Nau. c. 13. nu. 15. Graffio l. 2. decis. aur. c. 34. nu. 31. & cōi alibi annotauimus.* Secundo dico, quod ad ingrediendum monialium monasteria duabus conditionibus fulciri debet, nēpe Primo rationabili, necessaria, & manifesta causa, vt expressē constat *ex c. periculoso, de stat. reg. in 6.* quod *Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 5. & Gregor. XIII. in Constit. incip. Vbi gratia* innouarunt. Et *gl. in d. c periculoso, ver. causa.* exemplum ponit in medicis, barbitonsoribus, sartoribus, carpentarijs, vbi illis eguerint, & alijs similibus. Secundo opus est superioris licentia in scriptis obtenta, Episcopi quidē p. Monasterijs sibi, vel immediate Sedi Apostolicæ, subiectis; alterius vero regularis Prælati, pro exemptis, vel ēt vtriusque, vbi in loco sic vsu sit receptū. *vt Conc. Trid. & Greg. XIII. l. c. & Pius V. in Bulla sua incip. Decori.* explicarunt, ac præceperunt. Sentiunt vero nonnulli, *vt Ioannes de la Cruz, de statu relig. l. 1. c. 5. dub. 2. & Barbosa in remiss. ad Conc. d. c. 5. & Nau. commen. 4. de regul. num. 60. Miranda de sacris monial. q. 2. art. 2.* non opus esse licentia in scriptis pro casibus communiter occurrentibus, vt pro ingressu medici, chirurgi, confessoris, artificum, & aliorum, quorum repētina opera passim sunt necessaria, potest enim Superior hanc generalem licentiam Prioristis, vel ipsarum monialium confessoribus committere, vt in similibus casibus ipsi licētiam concedant. Vel dici potest non esse necessariam licentiam Superioris expressam, nec etiam in his verbotenus datam, sed Præfectę ex præsumpta Antistitis voluntate illam ei impertiri licet, iuxta doctrinā *D. Thoma 22. q. 147. art. 4.* dicentis, non requiri Superioris dispensationem, quando causa non seruandi legem est euidens, aut Superior adiri nequit, maxime si cōsuetudo ita se habeat. Verum vsus alicubi vt hic Bononiæ huic sententiæ repugnat, vbi nomina eorum, qui ex necessaria causa monialium septā ingredi debent, in tabulis apud Abbatissam, & Ostiariam notata remanere oportet. Videatur *Azor. p. 1. l. 13. c. 8. q. 6. Sanchez de matrim. l. 3. d. 35. nu. 10.*

Tertio dico, quod licet ipsi Lucæ pro operis in monasterio exhibitis, dictis particularibus monialibus mercedem de expressa, vel tacita Præfectæ licētia accipere: nam etsi per Clementis VIII. Constit. incip. Religiosæ Congregationes, regulares vtriusq; sexus donare prohibeantur, id tamen de donis gratiosis, non autem remuneratorijs licitis, vt & iuri naturæ consentaneis, intelligendum est: modo munera data merita non excedant; nam quatenus meritos labores superant, ad donationem proprie acceptam reducuntur, ita vt donatarius accipiens restituere teneatur, nec ante factam realem restitutionem à Confessario absolui queunt. *Roder. tom. 2. qq. reg. q. 47. art. 3. Bonac. de contract. d. q. 12. p. 1. Mald. 22. tr. 2. c. 10. dub. 1. Megal. in Instit. Confess. p. 2. l. 2. c. 11. q. 1. n. 4. Gratian. in discept. for. to. 2. c. 202. & alij cōiter,* vt dixi in *tract. 9. in art. de donat.* Et sic praxi cōi obseruatur, vt particulares moniales de redditibus annuis sibi assignatis, annuentibus Superioribus, medicis, chirurgis, & alijs, à quibus sibi opera, & obsequia præstantur, aliquid mercedis, & pecuniæ tribuant.

CONFESSARII MVNVS IN PRAESENTI CASV.

Officium porro Confessarij erit, pœnitenti Lucæ festorum dierum in primis dignitatem, atque obligationem, qua vnusquisque ad eos colēdos tenetur, explicare, atque hoc modo filialem amorem in eo excitare, & Christianam pietatem cōfirmare. Deinde vt rationes, atque argumenta ad exempla traducat, quibus timor ei incutiatur, ne in posterum sacros dies violet; simulque veræ sanctificationis rationem doceat. Deos genus humanum miseratos dicebat Plato, quod laborum remissiones illis statuerent, solemnia videlicet festa. At Christianis alio in vsu eorum est institutio, vt his videli-

cet omnium largitori Deo gratiæ agantur. Vnde tanta religione eadem obseruasse legitur Thomas Morus, vt his etiam dum in carcere solus degeret, melioribus vestibus sibi allatis indueretur. Mirantibus vero cur solus cum esset, id faceret, respondit, Non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festa colo, & honeste induor. Volebat certe non interno mentis tantum, sed & externo corporis splendore dies festos celebrari. *Staplet. in eius vita.*

Quo ad internum cultum docebit Confessarius, vel Parochus, festos dies sanctificari, si peccata deuitentur, & quò ad fieri potest, sacra Eucharistia suscipiatur, si sacrum integrum pio mentis affectu audiatur, si concionibus intersit, doctrinæ Christianæ scholas frequentet, Ecclesias visitet, &c. Non est tamen præceptum in die festo sacram concionem audiendi, nec vt populus Christianę doctrinæ intersit, sicut Missam audiēdi pręceptio, & obligatio extat, prout communis DD. sententia tenet, & vniuersalis fidelium sensus, & vsus confirmat. At licet pro omnibus tale pręceptum non adsit, attamen pro cuiusque necessitate personalis obligatio esse posset, vt si quis fidei mysteria, & quæ ad salutem necessaria sunt, ignoraret; in quo etiam casu potius concioni, quàm sacro, si vtrumque præstare non potest, interesse deberet. *Graffius p. 1. decis. aur. l. 2. c. 34. num. 8. Suar. l. 2. de relig. c. 16. num. 6. Filliuc. tr. 27. c. 8. nu. 132. Bonac. de legibus d. 5. q. 1. p. 2. num. 27. Barthol. ab Angelo, dial. 5. de Missa, §. 774.* Quò vero ad externum festorum dierum cultum attinet, monebit, hortabitur, & minabitur etiam, vt ab omni seruili opere abstineat, & in hoc Episcopi Pastoris edictis pareat. Grauis enim, & seria est festi obseruandi obligatio, ad lethalem culpā ex suo genere obligans, nisi leuitate materię, boni viri arbitrio, ab ea eximatur, cum ad religionis virtutem pertineat, & ad diuinum cultum ordinetur; & olim tàm Deus in veteri lege hoc delictum puniebat, quàm Ecclesia in noua excommunicationis etiam pœnam infligere solet. *vt per Suar. tom. 1. de relig. l. 2. c. 31. & Filliuc. tr. 27. c. 11. q. 1.* Vt proinde nec à mortali peccato excusetur, qui in die festo ecclesiæ agros colit, vel lapides ad ædificandam Ecclesiam curribus gerit, &c. cum enim hæc per se seruilia opera sint, nec proprie ad Dei cultum, nisi remotissime spectent, à noxa nō eximuntur, si in festis diebus exerceantur, nisi forte fiant vrgente necessitate, vel Episcopi facultate, aut Parochi licentia, vbi consuetudo inualuit, vt illam concedere valeat. Quando autem festi dies incipiant, & terminētur, regionis vsus seruandus est, quo attento, multis in locis à media nocte vsque ad mediam sequentem noctem, vt in ieiunio contingit, incipere consueuit. *Filliuc. c. 5. q. 11. Bonac. de legibus disp. 5. quæst. 1. puncto 1. num. 6. & puncto 3. num. 6.* vt infra dicemus.

Inter alia exemplum illud Confessarius proponeret, quod in gestis Sācti Sulpitij Bituricensis Archiepiscopi legitur de uillico illo, cuius manus dum in die festo rustico operi vacare intendit, statim aruit, cuteque, ac neruis tabescentibus, manui securis adhæsit, donec sancti uiri precibus est liberatus. *Card. Paleot. in Arch. Bonon. p. 6. de dierum festorum obseruat. Fabian. Iustin. super Tob. vers. 6. docum. 3. Daur de exemplis tom. 2. c. 4. tit. 2. Chauas. de prudent. lib. 1. cap 9.*

Quò ad satellites, & officiales attinet, illos admonebit, fixum in ipsorum animis illud esse debere, Deo in primis seruiendum, propriam conscientiam non fallendam, ac munus illis assignatum fideliter exequēdum. Non solum ad priuatum cuiusque bonum, sed etiam ad uniuersalem totius ecclesiæ, ac Reipublicæ tranquillitatem ualde necessarium est, ut omnes in suo statu, & officio pacati sint, & iustè partes suas expleant. Nam sicut omnes morbi, & naturalis corporis dolores, ex aliqua membrorum disiunctione nascuntur; ita omnes fere rerum publicarum miseriæ, ex defectu coniūctionis earum partium oriuntur, aut quod homines rectè officium suum iuxta propriam vocationem non obeant; aut quod ea non contenti, ad id quod aliorum est proprium, etiam cum eorum detrimento aspirent, &c.

Tandem quò ad tertiam partem, admonendus erit Lucas, ut cum debita licentia, eo modo quo supra præscripsimus, ad sacratum uirginum monasteria accedat, & ibi confecto negotio, statim exire studeat; & ob obsequia præstita, religiosæ paupertatis memor parua mercede sit contentus. & sciat per pias ad Deum preces pro salute benefactorum à religiosis fusas, beneficia temporalia compensari, & etiam vinci.

QVAESTIO XVII.

An in die festo proficiscens ad locum, vbi hoc festum non seruatur, possit seruilia exercere, & teneatur Missam audire. Et an peregrini sine licentia Episcopi in cuius Diœcesi confitentur, absolui possint à casu reseruato, &c. Item an Episcopus possit dare licentiam piscandi in die festo, exacta aliqua pœna in pium locum eroganda.

ANselmus, & Fabritius piscatores, cum sciunt aliquem diem festum in propria Diœcesi coli, solent ad locum vbi festum non obligat, causa expiscandi, & seruilem suam artem exercendi, & lucrandi accedere; cum autem ibi in quodam die festo indulgētiam à Papa concessam lucrari veline, & Anselmus blasphemiam atrocem in sua Diœcesi reseruatam, in quam ibi incidit, confiteatur, quæ tamen vbi nunc repetitur, reseruatione non est affecta

Confes-

Confessarius ob hoc ei absolutionem denegat.

Item cum proprio Episcopo conuentionē, & pactū inierūt, vt cū in posterū laborandi in propria ditione facultatem cōcedet, partem lucri in vsus pios erogare teneantur, nimirum vt aliquid impendant ad oleum emendum, vel quippiam aliud simile in rem, & bonum alicuius templi, oratorij, vel sacelli. Quæritur, quid in his tribus casibus respondere debeat Confessarius?

RESPONSIO.

PRimo eis significandum non delinquere, quia festi lex exitum à loco vbi obligat non prohibet, nec extra eum etiam illius loci incolam astringit, *c. 2. de constitut. l. 6.* Addunt tamen aliqui teneri ante profectionem sacrum audire, quia cum profectus est, iam huic præcepto astrictus erat. Verum magna probabilitate non caret, quod alij docti viri senserunt, eum ad audiendam Missam non teneri, si intra opportunum tempus ad audiendum, & hoc munus explendum; scilicet ante meridiem sit ad locum peruenturus, in quo id festum non obseruatur; quia in proprio oppido, vsque ad illud tempus poterat hoc officium differre, quando autem ad alium locum contendit, ac peruenit, iam ab eo præcepto exemptus est, &c. Quæ sane opinio licet probabilis, & satis rationabilis sit, in praxi tamen contraria tanquam tutior, præsertim ante factum, esset consulēda, & amplectenda. *Sanchez l. 3. d. 18. q. 2. num. 21. Henriq. l. 9. de Missa c. 25 nu. 2. Suarez l. 2. de relig. c. 14. nu. 21. Nald. in ver. Missa nu. 17. & ver. festum, num. 8. Vict. in addit. ad Tol. l. 4. c. 25. in fine. Bonac. de Missa d. 4. q. vlt. p. 12. num. 4. Nau. c. 13. nu. 5. Roder. p. 1. c. 122. nu. 1. Lopez p. 1. c. 52. Graffius l. 2. decis. c. 34. num. 25. Fernandes p. 1. c. 7. §. 1. Fillius tr. 27. c. 7. q. 5. Sà in ver. festum, num. 8.*

Ad secundam quæstionem dico, Anselmum posse vbi nunc confitetur, ab atroci blasphemia absolui, & imperite iniusteque Confessarium agere, si absolutionem deneget, cum pœnitens iudicandus sit vt incola illius Diœcesis, & iuxta forum loci, vbi moram trahit; *vt per Suar. tom. 4. disp. 30. sect. 1. & tom. 5. d. 41. sect. 2. Vasq. q. 93. art. 1. dub. 4. Reginal. l. 8. num. 68. Bonac. de sacram. d. 5. q. 7. p. 5. §. 2. nu. 9. & communiter alij recentiores, & dixi supra tr. 5. c. 4. q. 28.* Vnde valde probabilis est eorum sententia, qui tenent aduenas, & peregrinos ligari legibus loci, in quo morantur, quia dum alibi moram trahūt suorum locorum leges seruare non tenentur, ergo astringi debent statutis locorum, vbi degunt, & morātur, iuxta illud, *Si fueris Romæ Romano viuito more*, & ibi ieiunare, audire sacrum, festa seruare, & sic de alijs, quæ ciues, loci, & incolas obligant: nam sicut peregrini patriæ oneribus leuantur, ita par est, grauari oneribus loci, vbi ad tempus manent: nam qui commodum sentit, & onus sentire debet, *reg. qui sentit, de reg. iur. in 6.* Quippe Deus in hac vita amaro dulce commisceri vult: nec venalis est, vt aiunt, sine ossibus caro; non sunt hædi dīuidēda onus & commodum, qui dulce sentit, amarum etiam degluriet. Pingebant olim veteres mulierem tenentem vtraque manu fauum mellis, ex quo absynthij planta nascebatur, per quod significare voluerunt, dulci amarum permisceri; Vnde & *Tob. c. 3. vers. 22.* Nō delectaris, inquit, in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem, & fletum, exultationem infundis. Quò illud etiam spectat. *Ipsa dies quandoque parens, quãdoque nouerca.* Quo innuitur, non omni die bene esse posse, sed isto bene, atque alio male: inde translatum, quod matres bene liberis volunt, nouercæ priuignos oderunt. Atque hac opinione m peregrinos scilicet locorum legibus obligari tenent *Suar. l. 3. de leg. c. 3. Salas de leg. d. 14. sect. 4. Molfes. tr. 9. c. 8. nu. 34. Fillius tr. 27. c. 7. num. 117. contra Sanchez l. 3. de matrim. d. 18. q. 2. & Bonac. de leg. disp. 1. quæst. 1 puncto 6. & alios.*

Ad tertiam quæstionem respondendo dico, aperiendum à Confessario, absque simoniæ vitio, huiusmodi facultatem dari non posse, si pecunia, aliudve temporale commodum, à piscatoribus petatur tanquam datæ facultatis pretium; neque enim spiritualia priuilegia vendi possunt. Sicut etiam ei cum quo dispensatur in ieiunijs, matrimonialibus denūtiationibus, & alijs legibus, non licet ei aliquam pecuniæ mulctam imponere, fabricæ ecclesiæ, vel alijs pijs operibus applicandam. Si tamen quo ad ipsas denuntiationes causa haberet originem à delicto, vt à concubinatu, vel uirginis defloratione, & huiusmodi, tunc non ob dispēsationē, sed in delicti pœnitentiam, Ordinario integrum esset aliquam pecuniariam pœnam pijs locis erogandam iniungere. Attamen in proposito casu fas erit Episcopo dummodo scandalum absit, & alij non offendantur, ex causa id facere, nec enim facultatem, aut priuilegiū laborantibus in die festo vendit, sed cultum, & honorem, quem ipsi Parochiani piscatores diebus sacris, ac festis tribuere debent, in aliud opus pium, & religiosum commutat. Cęterum si illi graui inopia conflictati sic piscari, & laborare cogerentur, quidquã ab eis exigere nō liceret, &c. *DD. in c. licet. ext. de ferijs. Suar. tom. 1 de relig. l. 2. de festis dieb. c. 33. num. 2. Reg. l. 19. num. 54. Molfes tr. 4. c. 7 num. 34. Sanchez l. 3. de matrim. d. 10. num. 9. Azor. p. 2. l. 1. c. 28. d. 1 1. Possen. de officio Cur. c. 12. nu. 17.* Quidquid dicat *Riccius in decis. cur. Archiep. Neap. decis. 199.*

QVAE-

QVAESTIO XVIII.

Quid agere debeat Confessarius cum matre familias quæ filias, & ancillas ad opus seruile in diebus festis exercendum cogit, &c.

Barbara nobilis matrona, cum duas puellas filias habeat, ad fugandum, & euitandum otiū, audita Missa, ac diuinis expletis officijs, precibusq; recitatis, quædam ingenij, & industriæ opera, acu conficere præcipit. Rursus cum tres famulas, vt sibi inseruiant, domi alat, non tantum diebus profanis, temporis, ac otij impendit, quod industijs, ac proprijs vestimentis resarciendis sufficiat, vt propterea hoc illiberale opus festis diebus agere cogantur. Quæritur, quid cum hac matrefamilias facere debeat Confessarius?

RESPONSIO.

Ratione tùm consuetudinis, tùm ob vitandum otium, Satanæ puluinar, quod in animę, & corporis detrimentum redundat, has puellas filias, à præcepti sanctificandi festa transgressione excusari. Siquidem inter adiumenta, quæ ad tuendam castitatem à Sapientibus excogitātur, otij declinatio potissimum enumeratur. Hinc *Ezech. cap. 16.* Ecce, inquit, hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius. Et Ouidius,

Otia si tollas periere cupidinis arcus.

Glos. in c. nunquam. de consec. dist. 5. Vt propterea Diogenes Sinopeus dixerit, amorem esse vacantium, id est otiosorum occupationē. & vt ait *Alciat. emblem. 114.* & refert etiam *Tusch. in ver. amor, conclus. 327*

Amor iucundus labor est lasciua per otia.

Et iure Canathus Sycionius Statuarius Venerem sedentem, & otiosam effinxerit, quod sedentaria vita otio vacans, luxum, atque libidinem alat; nam cum ingenium, atque animum alijs occupationibus vacuum, ac desidem inuenit, statim sese infert, ac titillat, turpitudini perpetrandæ fenestram aperit, ac voluptatibus continuò immergit. Hinc *D. Augustin. in Psal. 32. conc. 1.* Obserua, inquit, diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delitijs, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim vtique tota die foderent, quàm tota die saltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere seruili, id est peccato. Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. *Ioan. c 8.* Circa quam rem nonnulla alia scitu non iniucunda retuli *in Commens. de hum. vitæ stat. p. 2. c. 25.* Atque hanc quæstionem sic resoluit *Sylu. in ver. Dominica num. 7. causa 4. Nald. ver. festum num. 7. Philiarcus tom. 1. de officio Sacerd. l. 3. cap. 23. Laur. Guad. in thesauro doctr. Christ. super 3. præcep. Decal. Sà in ver. festi dies, num. 6.* & colligitur etiam *ex Suarez tom. 1. de relig. l. 2. c. 26. nu. 5. & c. 28. n. 5.*

Ad secundam dubitationem respondendo, illud tanquam certum apud Doctores constituo, Non solum naturalem necessitatem ab intrinseco illatā, sed etiam domini præceptum, vel metum, quæ eandem indigentiam, & causam inducit, à festi violatione exeusare, nisi uis, vel iussio in iniuriam, vel cōtemptum festi, aut religionis inferatur: tunc vt ex materia de legibus constat, ob nullum metum contra ecclesiasticam legē agere licet, iuxta illud, Malo mori, quàm fœdari. Hinc sancti Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis vox erat, Malo in ardentissimum rogum insilire, quàm peccatum ullum sciens in Deum meum admittere. & D. Anselmi Archiepiscopi quoque Cantuariensis. Si hinc peccati horrorem, inde Inferni dolorem cernerem, & necessario in alterutrum immergi deberem, prius Infernū, quā peccatum appeterem, vt apud *Surium in eorum vita.* Aristotelis pronuntiatum fuit, *in 3. Ethicorum* Melius est mori, quàm aliquod contra bonum uirtutis facere. & Ciceronis *in 3. offic.* Nil turpe faciendum bono uiro, etiam si ex omni parte lateat, &c. Sic bonus ille senex Eleazarus dixit, *2. Machab c. 6.* Præmitti se velle in Infernum potius quàm legem Dei sui transgredi.

Porro multis ex causis opera alioqui seruilia esse iure citra peccatum mortale permissa, omnes fatentur. Primo quando opus quod fit, paruum est, & exiguum, ut si quis per unius horæ quadrantem aliquid operis efficiat, utpote si tonsor barbam unius tondeat, & si sutores aliqđ modicum temporis spatium in vendendis calceis insumātur; ac mulieres aliquid parū suerent, & cætera huiusmodi. Sicut enim ex paruitate materię contingere potest, ne quod ad Missam audiendam attinet, mortale peccatum cōmittatur, ita etiam accidere potest, ut ab eodem sit excusatio, quod spectat ad abstinendum ab actibus prohibitis in die festo. At iudicium de huiusmodi exiguitate, ut in alijs materijs prudentis, & boni uiri arbitrio relictum est, quia enim omnia lege comprehendi non potuerunt, recte factum est, dum Sapientis iudicio multa commissa sunt. ut per *Menoc. in proemio de arbit. Iud. & Graffium de arbit. Confess.* Secundo necessitatis causa multa opera seruilia iure in die festo permittuntur, quę quidem necessitas, vel est respectu eorum, quæ ad Dei cultum non nisi sacro die peragi queunt, ut opportunas res ad sacrū faciendum, diuinaque officia celebranda præparare, vel est cuiusque propria, vel aliena; priuata item vel publica. Rursus est corporis, vel animi. Quo etiā nomine uis illata, metus, vel Superioris iussum intelligitur, modo, ut dixi, in ecclesię cōtemptum, vel odium non tendat. Huc spectat causa pietatis, & chárita-

charitatis in proximum, qua multa medicis, & chirurgis conceduntur, ut ægrotis medeantur. Non enim tam seuere sancta mater Ecclesia opera in die festo aliàs illiberalia prohibet, ut velit ea cum aliquo nostrarum rerum damno, à nobis prætermitti. Addo etiam religionis fauorem, ob quam, in causa hæresis, licet in die festo sententiam ferre, cum hoc ad defensionē fidei, & animarum salutem tendat, &c. *Mar. Anton. l. 3. resol.* 49.

Tertio ex consuetudine à Prælatis tolerata multa seruilia opera fiunt, qua excusantur, verbi gratia, in aliquibus locis, nundinæ, & mercatus, qui tamen per Bullam Pij V. incip. Cum primum, sublati uidētur, ut per *Genuēsem in praxi Cur. Neap. c. 62. Quar. in ver. dies festi.* Excusantur nihilominus Fabri ferrarij, qui alicubi fractos uomeres agricolarum reficiunt, ut die sequenti summo mane, ad laborandum exire possint, &c. huiusmodi.

Quarto Episcopi dispensatio, vel facultas in uillis à Parocho concessa; sicut enim Episcopus potest ex causa aliqua, festos dies indicere, & statuere, ut quò ad principium, vel finem tali modo seruentur, ita etiam iusta subsistente causa, ei integrum est, in aliquo dispensare, & dispēsationem Parochis communicare, *vt per Sayrum l. 7. Cl. reg. c. 2. Tol. l. 4. c. 25. Azor. p. 2. l. 1. c. 28. Reg. l. 19. c. 3. nu. 48. Suar. l. 2. de relig. c. 32. Molfes. tr. 1 l. c. 17. Graffium l. 2. c. 34.*

Porro duo in praxi à confessionis ministro obseruanda sunt, Primum, quando alicubi solet adesse Ordinariorum præceptum, ut nemo sub pœna excommunicationis, vel casus reseruati, in diebus festis, seruilibus operibus incumbat, huiusmodi præcepta intelliguntur, quando transgressio culpam mortalem, non autem venialem secum traheret, ut si, verbi gratia, quis per paruum temporis spatium, ut per horam laboraret; vel etiam si vrgente necessitate, ipsum festum uiolaret, &c. in quo etiam casu ab omni culpa excusari censetur. Secundum quod in obseruatione festi quò ad initium, & finem, regionis consuetudo seruanda est; nam quamuis antiqui Canones à primis vesperis, à seruili opere cessandum statuerint, & more Romano, dies à media nocte incipiat, & ad sequētem mediam noctem terminetur, attamen cum huiusmodi præceptum quò ad diem, & horam determinatam, à iure positiuo descendat, & consuetudo sit optima legum interpres, recepto Ciuitatis vsui standum erit, donec aliud ab Episcopis per eorum synodales constitutiones decernatur, &c. ut ex citatis DD. colligitur, & *Beia in respons. cas. conscien. par. 1. casu 2. Azor. 2. p. lib. 1. cap. 18. quæstio. 19. Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 31. num. 4. Bonac. de legibus disput. 5. quæstio. 1. puncto 1. num. 6.*

CONFESSARII MVNVS IN PRAESENTI CASV.

Mvnus Confessarij erit dominorum, ac matrumfamilias obligationes pœnitenti huic Barbaræ ad mentē reducere, & casus, in quibus grauiter delinquere eas contingit, proponere, ut Primo si in procurandis his, quæ ad spiritualem ipsorum salutem pertinent, notabiliter negligentes sint, ut quod Christianam doctrinam addiscant, semel saltem in anno confiteantur, & Eucharistiam sumant, & vt illis in periculosa ægritudine, hæc eadem, & alia Sacramenta ministrentur. Secundo si sacrum in festis audiendi facultatem non concedant; & in eisdem in casu non concesso laborare cogāt. Neque sibi blandiri debent, quasi culpæ expertes sint, & dicant, non ego, sed seruus meus, vel ancilla ligna cædunt, suunt, terram colunt, &c. quia quod quis per alium facit, per se ipsum facere uidetur: & Pilatus Christum flagellis cæcidit, non utique proprijs, sed suorum ministrorum manibus. Nam sicut religiosorum Prælati, lethalis culpæ rei fiunt, si propria culpa dant causam, vt subditi peculium teneant, ita patresfamilias, & matresfamilias à peccato non excusantur si seruis suis impedimenta non remouent, quò festos dies colere, & sacro interesse possint. *Sanchez l. 7. de precept. c. 22. nu. 26.* Tertio si uictui necessaria non suppeditent, vel nimis in eos sæuiant. Quarto si eorum peccata non corrigunt, si famulos, vel famulas increpent, vel accusent, quasi otiosas, & operarum studium abijcientis, si suis precibus recitandis deditas uideant, cum magis gaudere debeant, eo quod sua pietate suæ familiæ bona impetrare valeant: non expedit humanam deuotionem heu sat cito suo pondere ruituram vrgere, vt cadat, & deficiat. Proinde Confessarius ex sanctorum Patrum sententijs dilucidum faciet, quis dierum festorum finis, fructusque sit, nimirum Primo, fidei, & spiritualis lætitiæ incrementum. Secundo conscientiæ emaculatio. Tertio bonorum operum exercitatio. Quarto memoria beneficiorum Dei, & gratiarum actio. Quinto Sanctorum deprecationis pro nobis impetratio. Sexto meritorum communicatio. Septimo eorundem imitatio, nam & D. Bernar. in sermone Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, fideles hortatur, ut in Sanctorum festiuitatibus tria uigilanter considerent, Primo auxilium Sancti nostras miserias agnoscentis, & pro nobis orantis. Secundo eius exemplum, ad dextram, & sinistram non declinantis, sed in sua conuersatione regiam uiam tenentis. Tertio confusionem nostram quod cum ille Sanctus ex eodem luto sit formatus, eius vestigia non sequamur, & cæt. *Gisbertus de vita Eccles. cap. 128.*

CAP. VII.

De Ieiuniorum obseruatione.

QVAESTIO XIX.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui in diebus ieiuniorum nimis comedit, & plus iusto in prandio se cibis infarcit, & consilio Medici ipsum ieiunium sine causa soluit, carnes comedendo, &c. Quid item agendum cum Medico hac concedente, & asserente, ieiunium corporibus nocere. & an vxor ob metum mariti ieiunium frangere possit.

MElchior ciuis satis fortunæ bonis abundans, dum aliàs ex ecclesiæ præcepto ieiunare soleret, ne abstinentiæ afflictionem sentiret, tantum una comestione consumebat, quantum duabus faceret. Nunc etiam cum quotidie mendosa fame vrgeatur, & stomachi debilitatem sibi sentire uideatur, hoc medico suo refert, qui cum impius sit, & parum Deum timens, indiscussa, & non examinata causa, respondit, tempore Quadragesimæ eum ad ecclesiastica ieiunia seruanda non teneri, nec solum lacticinijs, & ouis, sed & carnibus posse tuta conscientia vesci, idque eo magis ait, quod ipse carnis nō agitur uitio, qui ieiunandi finis est: subinde addēs, & affirmans, vel sacra ieiunia corporum officere valetudini. Sicque huius praui medici consilio, Patochi testimonio bona fide confirmato Quadragesimam uiolauit, & uxorem suam Luciam minis, & metu illato, sæpius illud transgredi fecit. Quæritur, quid tàm cum Melchiore, quàm cum Medico, & vxore ipsius Melchioris agere debeat Confessarius?

RESPONSIO, SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

AD duplicis huius insignis quæstionis solutionem, quę utinam his miseris temporibus necessaria non esset, præmittendum est Primo, Ieiunium dici à quodam intestino, quod sic uocatur, quia ut plurimum est uacuum, subtile, & exinanitū, cibū nullum retinens, sed ad in. riores partes transmittens. Hinc ieiunus dicitur, qui necdum cibum, vel potum sumpsit, quasi adhuc à cibo vacuus. Per translationem vero dicere solemus, ieiunum animum, nempe languidum, & imbecillum; ieiunam orationem, nimitū frigidam, & indoctam, quæ nihil, vel parum eruditionis habet. *Graffius l. 2. decis. aur. c. 37. n. 1. Iodocus in thes. theol. in ver. ieiunium.*

Secundo ieiunium quadruplex esse, nempe Primum spirituale, abstinere à peccato, & ab illicitis sæculi uoluptatibus, de quo *in c. ieiunium. de consec. d. 5. & apud D. Bern. serm. 3. in Quadr. ac I holos. in syntag. iu. l. 3 1. c. 7.* vbi etiam probat Ethnicos, qui serius philosophati sunt, existimasse, corporis ieiuniū ad expianda delicta, & purgandas animas valere, & hoc adhiberi, ut melius spirituali ipsi ieiunio obsequatur. Secundum est morale, vel philosophicum, quod in recto, & moderato cibi, & potus vsu, iuxta temperantiæ normam, consistit. De quo Plato loquens aiebat, Tria esse uitæ saluberrima, citra saturitatem vesci, otia fugere, & à Venere abstinere. Et eius solemne præceptum erat, In die aut semel comedatur parce, aut bis parcissime. Quod quidem de iure naturali sub culpę lethalis reatu, is etiam seruare tenetur, qui à carnis tentatione, petulantia, & superbia, probabiliter se uictum iri credit, nisi cibi, potusque parcitate se præmuniat *vt per D. Thom. 22. q. 147. art. 3 & Nau. conf. 3. de pœnit. & remiss.* Non tamen uidetur audiendus *Fernandes in summa p. 4. c. 12. §. 6.* qui dicere ausus est, fœminam grauidam, quæ carnis stimulis, ad incontinentiam lacessentibus vrgetur, teneri etiam cum prolis, vel fętus discrimine, & extinctione ieiunare, si existimat se eos non nisi abstinentiæ macie, & debilitatione superaturam: nam cum alia remedia, ut orationem, sacramentorū frequentationem, pia consilia, & alia huiusmodi adhibere possit, non debet tantæ iacturæ ipsam prolem exponere. Tertium naturale, quod omnimoda abstinētia cibi, & potus absoluitur, quo Eucharistiam sumpturi arctantur. *c. liquido. de consec. dist. 2.* Quartum ieiunium ecclesiasticum nuncupatur, quod ab ecclesia pro certis diebus, ac temporibus, ac præscripto ciborum genere, ab ecclesia præceptum est, & ob quatuor potissimum causas institutum. Primo ad compescendam carnis tyrannidē, cum sine Cerere, & Baccho frigeat Venus. Secundo ut hominis mens ad superna eleuetur. Tertio ad satisfactionem, uindictam de peccatis, & culpis sumēdam. Quarto ad meritorum consecutionem, & spiritualium charismatum augmentum, &c. Quos fines ecclesia in Missæ præfatione his verbis explicat. Corporali ieiunio uitia comprimis, mētem eleuas, uirtutem largiris, & præmia: ut proinde qui huius ecclesiastici ieiunij obseruantiam, vel eius fructus negaret, hæreticus censeri debeat. *Val. tom. 3. disp. 9. l. 2. p. 1. Lessius l. 4. c. 2. dub. 2. Tol. l. 6. c. 2. Bellarm. tom. 3. de bonis oper. l. 2. c. 7.* Rursus sex hominum genera esse, qui diuersa ratione ieiunant, & in hoc carmine continentur,

Abstinet ager, egens, cupidus, gula, simia, uirtus. qui versus declaratur à *Bernardino Busto p. 1. serm. 4 par. 2. & à Tossign. in Dict. concionat. ver. abstinentia.* ut dixi supra *tract. 3. c. 4. q. 46.*

Tertio supponēdum, ad huius ieiunij essentiam, ut aiunt, tria requiri, Primo ut à carnium vsu abstineamus, & in Quadragesima ab his omnibus, quæ semen-

fementinam carnis originem trahunt, ut lacte, caseo, & ouis, iuxta regionis vsum, &c. Secundo ut unica utamur refectione, serotino excepto ientaculo. Tertio hora nona, vel sub meridie comedamus.

Quarto, Hoc ieiunium uel descendere à communi ecclesiæ lege, ut est ieiuniū Quadragesimæ, Quatuor temporum, & Vigiliarum; uel ex generali consuetudine, ut est illud Pentecostes; uel ex usu particulari, ut sunt localia ieiunia, quæ in certis locis, aut ex uoto, aut peculiari Antistitis præcepto, pie, ac religiose seruantur. A quibus tamen obligationibus ad lethalem culpam astringentibus, impotētia, necessitas, & melioris boni pietas, excusare solent, quæ in his uersibus comprehenduntur:

Aeger, inops, pragnans, laborans, vetus, infans.
Si ex his fueris, non ieiunare teneris.

Caiet. & alij Summularij in ver. ieiunium. Nau. c. 21. num. 13. Tol. l. 4. Azor. p. 1. l. 7. cap. 28. Val. p. 5. Less. dub. 6. Rod. in summa p. 1. c. 23. & in qq. regul. p. 2. q. 100. Reg. l. 4. c. 7. Molfe. tract. 10. c. 4. Bonac. de legib. disp. 10. q. 1. Beia p. 1. casu 45. Regius casu 6.

Adde etiam dispensationem iusta ex causa concessam, etsi enim eum causa iusta est, certa, ac euidens, nulla dispensatione opus sit, si tamen dubia, & incerta sit, Superioris auctoritas necessaria est, qui quidem in illa Diœcesi regulariter est Episcopus, & eius Vicarius, & ex delegata facultate, uiri ad hoc deputati, & quando ad eos facilis non patet accessus est etiam Parochus. Imo etiam si ad superiorem sit aditus, multi uolunt, ipsum Curatum subditum suum à ieiunio eximere posse, vbi talis vsus uiget. *Bonac. de leg. d. 10. q. 1. p. 2.* Quò ad religiosos uero hæc facultas penes suos Superiores residet, qui quasi Episcopalem iurisdictionem in sibi subiectos habent. Qua facultate simplex Confessarius, & corporalis Medicus carent; licet eorum consilium, iudicium, uel sententiam sequi liceat, quandocumque in causa dubia, & incerta, senserint aliquem lege ieiunij solutum esse. Est etiam communis sententia eum, qui aliquot Quadragesimæ dies non ieiunat, cum possit, & cibis non Quadragesimalibus uescitur, nō obstante licentia obrenta, lethali culpa se obstringere; siquidem ieiunium quod in totum impleri nō potest, ex ea parte qua licet seruandum est. Cauendū est sane ne caro astuta uulpes, q̄ egere se fingit, nos decipiat; simulque recolendum, carnis castigationem, corporalesque pœnitentias, non solum religiosis, uerum etiam secularibus necessarias esse, imo hos illis magis egere, cum in mundo in maiori periculo uersentur, ut prosequitur *D. Chrysost. l. 3. aduer. vitup. vit. monast. & Labata infra citandus, ac Platus de bono status religios. l. 1. c. 5.*

RESOLVTIO.

HIs suppositis, dico Melchiorem, qui semel in diebus ieiunij comedendo tantum cibi usque ad ingluuiem sumpsit, ut nullam carnis afflictionem sentiret, imo tot cibarijs, & condimentis usus est, ut impense gulam irritarit, & libidinem excitarit, quò ad substantiam, ecclesiæ præcepto satisfecisse, merito tamen & ieiunij fructu frustratum esse, si nō ex toto, saltē ex parte, & grauiter peccasse. Sicut etiam si in peccato mortali constitutus ieiunasset, licet apud Deum non meruisset, nihilominus ecclesiæ iussa adimpleuisse diceretur, iuxta illud theologicum axioma, Finis præcepti non cadit sub percepto. Et ecclesia nihil aliud de ieiunio statuit, quàm ut semel in die, certa hora comedatur, & à quibusdam cibis abstineatur, nec qualitatē, quantitatemque ciborum determinauit, ob discrimen quod in hominibus quò ad eas cernitur, nam quod uni multum est, alteri paucum existit, & si unus uili cibo uti possit, alteri delicatiores necessarij erūt, &c. *Io. Medina tract. 4. de ieiunio q. 5. Couar. l. 4. var. resol. c. 20. num. 11. Lessius dub. 2. num. 10. Regin. l. c. num. 163. Vgol. de officio Episcopi p. 1. cap. 9. num. 7.*

Nihilominus regulariter admonendus est ieiunās, ut temperate, ac sobrie cibum, & potum sumat: ad quid enim nisi ad carnis superbiam terēdam institutum est? quomodo eam domare, & compescere potest, qui quāuis semel in die comedat, tūc tamē ciborum copia, ac suauitate, & præstantia se infarciat, ac ingurgitet? Non ita quidem veri ieiunatores. Dauid. *Psalm.* 108. hoc nos docuit, cum ait, Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum, hoc est, id ieiunio meo effectum est, ut genua mea præ debilitate tremerēt, ac labarent. Imo Christus Dominus postquam ieiunauit, esurijt, hoc est eousque ieiunium protraxit, quò vehementer esuriret, ut ita nos ieiunium colendum esse doceret, ut scilicet esuriem, ac debilitatem patiat, & non ut nonnulli faciunt, qui plus uno prādio vescuntur, & insumunt, quàm alij tribus; unde non esuriem, sed grauedinem, & indigestiones, inde experiuntur, & morbos sibi accersunt, *c. ne tales. de cons. dist. 5. vbi D D. Labata in v. ieiunium. Prop.* 8

Quò ad alterum quęstionis caput medicum tangens, illud profero præclarū, ieiuniorum in ecclesia religionem, quisquis recto mentis oculo intueri velit, illa conseruationi sanitatis corporis conferre, ad morbos depellere posse, nedum, quod sanctissimum est, curandis animis salubriter instituta esse cognoscet, ut merito Horatius ceci nerit,

Aspice nunc tenuis victus, quæ quantaque secum
Afferat, in primis vt valeas recte.

Quò spectat illud Nazianzeni, Ieiunamus, quia nō ieiunauimus. Hinc nonnulli perhibent, Galenum

centum, & quadriginta annos uixisse, tantaque in cibo, & potu abstinentia vsum, ut ad satietatem nūquam comederit, aut biberit, nec crudum quidquā gustauerit, unde factum sit, ut citra ullam omnino affectionē, sola senectute defecerit. Et quamuis aliqui sint medici, & præcipue impius Eusebius hæreticus, cuius asseclam se hic noster esse demonstrat, qui ieiunia detestentur, non est mirandum, cum D. Ambrosius asserat, contraria diuinæ conditioni esse præcepta illa medicinæ, quæ à ieiunio reuocāt, &c. *c. contraria. de cons. dist.* 5. Propterea mortali crimini se astrinxit, & scelesté egit hic medicus, qui ieiunijs corpora destrui asseruit, imo si errorem in intellectu habuit, pertinaciter hoc astruens, hæresis labem contraxit, & in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam incidit. *Parisius cons.* 169. *Farinac. de hæresi, q.* 178. §. 2. *num.* 80. Atque adeò quęcunque transgressiones ob hanc pestiferam persuasionem fiunt, ei ascribuntur, ita ut eos, quibus à recto tramite deflectēdi causa fuit, omni studio ad veritatem reuocare teneatur. Lethalis insuper culpæ reus factus est, si nulla necessitate vrgente, vel legitima subsistente causa, facultatem vescendi carnibus, & lacticinijs, atque soluendi Quadragesimam concessit. Nec à casu reseruato immunis est, si peccatum hoc in illa diœcesi, ut est Bononiæ, reseruetur; siquidē boni, ac religiosi medici munus est, veniam soluendi ieiunium ab eo petentis conditionem, & causam perscrutari, & id tantum indulgere, quantum, & quatenus opus est, nam ecclesiasticum præceptum, ut dixi, si non potest in totum, saltem in partem seruandum est: si enim cuipiam ob aliquod sanitatis impedimentum potestatem vescendi ouis dare cogitur, si vires alioqui validæ sint, & nulla appareat ratio, quæ eum à ieiunio excuset, non debebit eundem ab ecclesiastici præcepti obseruatione eximere. Quod quidem ieiunium consistere posse cum ouorum, & lacticiniorum comestione (quidquid sit de carnium esu) communis est Doctorum sententia *Codronchius de tuta ac Christ. med. ratione, l.* 1. *c.* 26. *Reg. l.* 4. *c.* 150. *Molfes. tr.* 10. *c.* 3. *num.* 36. *& c.* 4. *nu.* 31. *Azor. cap.* 10. *q.* 3. Nec illa conuincit ratio, quod Melchior nullis carnis stimulis vrgetur, &c. multi enim sunt alij ieiunij fines, satisfactio, ut dictū est, p peccatis, mentis in Deum eleuatio, meritorum, & diuinæ gratiæ augmentum. Propter quos etiam uiri perfecti ab huiusmodi ieiuniorum lege non eximuntur. *Sayr. in Cl reg. l.* 3. *cap.* 7. *num.* 13. *Vill. in notis ad Tol. l.* 6. *c.* 2. *Rodriq. in sum. p.* 1. *c.* 196. *cōcl.* 3.

De eo autem quod tertio loco quærebatur, an Lucia uxor Melchioris ex eius metu verbera minātis, ecclesiasticū ieiunium frāgens, peccauerit mortaliter, & an sit à Confessario absoluenda; &c. distinctionis fœdere utendo dico, quod si Lucia nouerit, vel crediderit uirum suum Melchiorem minis obseruationem ieiuniorum sibi prohibuisse in Dei, & Christianæ religionis contemptum, nullatenus ei parere debuisset, cum mortem potius subire teneretur, debemus enim potius, ut superius diximus, quęlibet mala pati, quàm malo consentire, *l. isti quidem. ff. quod metus causa, c. sacris, de sent. excomm. c. ita ne.* 32. *q.* 3. Et ut inquit Liodes Oenonis filius apud Homerum *l.* 21. *Odyss.* Multo melius est mori quàm usuus peccare. Vnde si hæc mulier secus in posterum facere intēdit, absolutione non est digna. Si autem uir ille non est hac labe infectus, sed gulæ deditus, vel alia de causa, uult sociam in cœna, tunc mulier non peccat, & ab absolutione arceri non debet, quoniam pro cuiusque humanæ legis obseruatione, in his quæ de se non sunt mala, sed tantum mala quia prohibita, non tenetur propriam uitam exponere, nec dura verbera pati. *Corrad. in respons. cas. consc. q.* 2. *Sanchez. l.* 1. *oper. mor. cap.* 18. *& l.* 7. *de matrim. disp.* 5. *Bonac. de legibus disp.* 2. *q.* 8. *puncto* 2. *Duard. in Bulla Cœnæ Domini, l.* 1. *c.* 2. *q.* 2. *Filliuc. tract.* 11. *c.* 8. *q* 14. Et regulariter etiam in foro exteriori, qui inuiti ac coacti delinquunt, utpote ui metuve compulsi, ne uitam, aut bona amittant, sunt leuius puniendi, *ut per Tiraq. in tract. de temp. pœnis, causa* 36. *& Farinac. eodem tract. q.* 97. *Menoch. l.* 2. *de arb. ind. casu* 135. *& seq. Bertazzol. l.* 2. *cons.* 266. *& Grammat. decis.* 18. qui duo postremi aiunt, ad excludendum delictum in dubio metum præsumi. De quo tamen articulo uideatur *Mascar. de probat. vol.* 2. *concl.* 153. *& Tuschus in ver. metus concl.* 223. *& seq.* vbi uolunt quod allegās metum, vel quod metus fuerit causa delicti, vel contractus, probare debet, quia metus, & dolus in dubio non præsumitur. At in foro conscientię, quicumque metus etiam minor iusto est causa principalis actus, sine quo nō fieret, illum coram Deo infringit, ut promissionem, uotum, donationē, & secundum quosdam, etiam matrimonium, quod tamen alijs quò ad hoc ultimum non probatur. Et pœnitenti metum alleganti præstanda est fides. *Azor. p.* 1. *l.* 1. *cap.* 10. *q.* 16. *Sàin ver. metus. Nald. eodem ver. Bonac. de matrimonio, quæst.* 3. *puncto* 8. *num.* 8.

CONFESSARII PARTES.

Partes ergo Confessarij erunt, potissimum Melchiorem, qui Dei timore abdicato ecclesiæ ieiunium uiolauit, ad firmum propositum corrigendi se adducere, & ad talem consuetudinem tollendam vrgere, tanquā propriam inimicorum crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, &c. Talis nimirum erat Sabinianus ille, quem D. Hieronymus in epistola ad eum scripta, his verbis insectatur, Deum ventrem uis habere pro Christo, seruis libidini, gloriaris in carne, & confusione tua, & quasi

& quasi pinguis hostia in mortem propriam sagi-naris. Vulture edacior uulgari iactatur paremia homo supra modum ingluuiei deditus, hæc vero suam uorandi edacitatem, ac auiditatem carnium esu explet, &c. *Aldrou. de auibus, tit. de vulture*. Lisimachus referente Plutarcho in Thracia à Dromicheta circumuentus, cum se exercitumque suum ob sitim in hostium potestatem dedisset, Pro Deùm fidem dixit, quàm exiguæ uoluptatis gratia, seruum me de Regis filio feci: sic peccator propter furtiuas aquas, corporis uoluptates, & oblectamenta, se Diaboli mancipium constituit, & de filio Regis æterni fit perditionis filius. *Hilaretus Dominica* 11. *post Pent.* Sancti per aliam uiam reuersi sunt in regionem suã, quia sicut gulæ uitium nos à Paradiso expulit, ita abstinentia in Cœlum reducit, *ut ait D. Hieronymus epist.* 84. *& D. Gregorius hom.* 10. *in Euang.* Sic Socrates eum qui uirtutem tãquam patriam intueri cupiebat, admonebat, ut abstinentem uitam agẽs omnes corporis uoluptates, veluti Sirenes fugeret. teste *Stob. serm.* 15.

Proponendum erit exemplum Stanislai Hosij Cardinalis, qui cum in omni uita sua ieiuniorũ dies ab ecclesia institutos religiosissimè obseruasset, sententiæ suæ constantiam nec in decursa ætate sua immutare uoluit. Quamobrem cum iam senex Quadragesimã summa cum animi alacritate in magna abstinentia transigeret, nec posset ullis, aut medicorum, aut quorumcunque tandem precibus expugnari, ut salubrioribus cibis uteretur, dicere solebat, se ideò ieiuniorum dies ab ecclesia præscriptos seruare consueuisse, quod longam uitam in terris agere vellet, cum scriptum sit, Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram. Pater, inquit, meus est Deus in Cœlis; mater mea est ecclesia in terris. Ille præcepit ut ieiunem, ista iussit ut illis, vel illis diebus, & isto vel illo tempore cibis abstineam, utrumque libentissime audio, certamque spem concipio futurum, ut obedientię meę fructum hunc referam, ut sim longæuus, sicut mihi scriptura promittit, super terram. *Roscius in eius vita, c.* 19. *Daur. tom.* 2. *Cathec. histor. c.* 4. *tit.* 11. *exempl.* 5. Ad mentem etiam reuocabit ex medicis spiritualibus multos esse, qui ieiunia reprehendunt, quę ingluuies sequatur, ob damna tàm spiritualia, quã corporalia, quæ ex his proueniunt, nam inter alios *Goffred. Vendacens. l.* 4. *epist.* 28. corpori nocere hoc inordinatum ieiunium definit, quo quis post magnam abstinentiam ciborum, ventrem refectionis nomine vsque ad satietatem onerat. Et *Io. Gerson. t.* 1. *tr. de dist. vision.* Cuidam obstinatæ fęminæ, quę post ieiunia inexplebili voracitate comedebat, insaniam prædixit, vt re ipsa accidit.

Quod si Confessarius pęnitentem ad concipiendum emendationis propositum non moueri his adhibitis adiumentis animaduerterit, absolutionis beneficio donandus non erit, tanquam impœnitens, nisi in ipso detur aliqua iusta causa, quæ eum à ieiunij obligatione excuset, nec mentiatur iniquitas sibi, &c. Multi, inquit *Labata in ver. ieiunium*, prętextu infirmitatis, vel capitis, seu stomachi, vel alterius corporis partis se à ieiunio excusant, medicos passim pios consulunt, morbos amplificant, robur suum attenuant, & iam facile, qui eos à ieiunio eximant, inueniunt. At timendum est non corporis, sed animi infirmitatem esse, assiduas delitias in quibus enutriti sunt, & pœnitentiæ desuetudinem, ieiunium uiolandi in causa esse, multi qui in sæculo etiam diebus Veneris carnibus sibi opus esse dicebãt, religionem ingressi, omnibus diebus postea facile ieiunarunt, & uiles, ac communes cibos edere potuerunt, siquidem ut ille dixit,

Ieiunus stomachus raro vulgaria temnit.

quia iam vsum ieiunandi habuerunt, & callum obduxerunt, nam teste *Salustio in Iugur.* Benefacere ex consuetudine, in naturam vertitur. Discant ergo tales interdum per anni circulum, ieiuniũ præstare, ac corporis mortificationibus assuescere, & sic tempore Quadragesimæ, & tentationum hæc exercere scient, & bonum habitum comparabunt.

Medico significabit, ut meminerit prius se esse Chtistianum, quam artis medicæ professorem, ac proinde religionem, ac pietatem colere debere, ne ægro aliquid consulat, quod diuinæ, vel ecclesiasticę legi repugnet, & in animę damnationem vergat; Spiritualẽ. n. sibi mortem accersit, si absq; legitima causa, aliquẽ ad uiolanda ieiunia ab ecclesia indicta inducat; si aliquem infirmum esse attestetur, qui re vera sanus est, vt propterea tanquam falsarius etiam in foro exteriori puniri possit. Quid magis à ratione alienum excogitari potest, quàm si medicum non moueat officij, & muneris sui religio, si publica fides à tanto scelere non reuocat, si nullus incorruptę probitatis respectus eum commendat, cui & animæ, & corporis salus committitur?

Quippe Medicus cum in curando sit Dei minister, debet se talem in uitæ suæ actionibus probare, ut à Dei timore, ac præceptis pendere dignoscatur, ægros instruere, ut animi morbos, ac uitia declinẽt, ex quibus corporis ægritudines subsequi tàm sacri quàm profani Scriptores tradiderunt: *c. cum infirmitas, ext. de pœnit. & remiss. Ians. super cap.* 5. *Ioannis. Staphet. Dom.* 18. *post Pent. Plato l.* 3. *de Republ. Galen. l. quod animi mores corp. temp. seq. c.* 6. ut animaduertit *in Comment. de cas. reser. p.* 2. *c.* 7. *& de human. vita stat. p.* 2. *c.* 8.

Porro Luciæ Melchioris uxori Confessarius breuiter significabit, quod supra in resolutione quęstionis innuimus, nempe eam coniugis, ac mariti palato, genio, ac moribus, & in omnibus quæ licita nec

ex sui natura mala sunt se aptare debere, ut felicitatem illam expetiatur, de qua Sapiens *Ecclef. c. 25.* In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt concordia fratrum, amor proximorum, & uir & mulier bene sibi consentientes.

QVÆSTIO XX.

An prudenter egerit Monasterij Præfectus, qui adolescenti professo, uigesimum annum agenti, qui stimulis carnis urgebatur, præter ecclesiastica, & religionis ieiunia, alia pro pœnitentia in sacramentali confessione indixit; an ipse pœnitens ea uiolando mortaliter peccauerit. Desiderans obiectum malum sub conditione si non esset prohibitum, quomodo peccauerit; an dilato ad vesperam prandio ientaculum quinque vnciarum mane sumere licuerit, &c.

MIchael cuiusdam religiosæ domus Præfectus, in sacramentali iudicio, dum confessionem exciperet Raphaelis adolescentis professi, annum uigesimum agentis, ad carnis petulantiam compescendam, & pro pœnitentis animæ salute, pœnitentiam iniunxit, ut præter dies ab ecclesia, & religionis suæ constitutionibus indictos, per totum annum in die Sabbathi ieiunaret; quæ tria præcepta sanctæ ecclesiæ, religionis, & confessarij, aliquando transgressus est, cum clam sæpius è communi penu aliquid surripiens, in cubiculo comederet, & sæpius biberet. Et multoties in mente sua apud se dixit, si hoc tempore non esset ecclesiasticum ieiunium, non solum pluries in die comedere, sed etiam carnibus vescerer, &c. Interdum etiam cum ieiunare eum contigit, pro serotino ientaculo ad quantitatem quinque unciarum, ut aiunt, sumpsit, & [illegible]e dilato in vesperam prandio, mane illo se refecit, &c. Quæritur, quid ei nouus monasterij Confessarius consulere debeat?

RESPONSIO.

PRimo. Superior hic, cui Raphael sponte se pro animæ suæ expiatione submisit (nec enim ei licet subditorum confessiones audire, nisi quando aliquod peccatum reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi ultrò id petierint) imprudenter procul dubio egit, cum pro occulto peccato, vel etiam pro internis tantum cogitationibus, publicam pœnitentiam inflixit, eo quod id sacri sigilli religioni aduersetur, quod inuiolate seruãdum est, cauendo, ne verbo, vel signo directe, vel indirecte, aliquod pœnitentis peccatum prodatur, vel de eo alijs suspicio ingeratur. *c. omnis. ext. de pœnit. & remiss.* Imo eo etiam nomine res hæc damnanda, quod si præter ieiunij dies à regula præscriptos, illud etiam Sabbathi exigere conatur, singularitatis uitium subinde in speciem exoritur; nam ut D. Bernardus prouerbio dicere solebat, Qui hoc facit quod nemo, omnes mirantur. *D. Ant. p. 2. tit. 3. c. 3. §. 8. Velat. de vita spirituali l. 5. c. 19. Iustin. de superbia grad. c. 4.*

Secundo, licet Raphael, qui nondum uigesimum primum annum excessit, ut noti iuris est, ecclesiasticis ieiunijs non ligetur, eo quod adolescentes vsque ad eam ætatem frequenti cibo abundanter egent propter exuberãtem in eis uim caloris ipsum cibum facile absumentis, & agentis non solum ut nutriat, sed etiam ut natura debitũ incrementum in eis præstet, &c. ea tamen ieiunia sub lethalis culpæ reatu seruare tenetur, quæ ipsius religionis institutum, vel regula præcipit, ut ab omnibus obseruentur. Sicut enim adolescens potest sua spõte uotum Deo emittere de ieiunio faciendo: sic etiam sese religioni obligare, ita ut eius præceptis, ac legibus teneatur obstrictus. Veluti etiam illa ieiunia colere debet, quæ Romani Pontifices publice indicere solent, cum ob communem utilitatem Iubileum denuntiant, si priuilegijs in eo concessis is gaudere velit. Idem dicendum mihi uidetur de ieiunijs ab eodem Præfecto Confessario ei præsertim ad carnis superbiam, & petulantiam compescẽdam, iniunctis, si sine corporis detrimento, vel nota, seu alicuius delicti perpetrati suspicione ea seruare potest, ut ex cõi sententia tradit *Sanchez l. 4. oper. mor. c. 13. num. 56. Azor. p. 1. l. 7. c. 28. q. 3. Reg. l. 4. num. 107. Molfes. tract. 10. c. 4. num. 23. Rod. in qq. regul. tom. 2. q. 100. ar. 8. Naldus in ver. ieiunium. Reginaldus in respon. cas. consc. cas. 6 Fillius. tr. 27. c. 6. q. 4. & alij.* Nam ex *D.* etiam *Thoma 2. 2. q. 147. ar. 3 & Nau. conf. 3. de pœnit. & remiss.* alibi retulimus, vel ipso naturali iure eum ieiunare teneri, qui concupiscentiæ fluctibus iactatus à carnis tentatione se uictum iri probabiliter credit, nisi ieiunij armis se præmuniat. Maxime quod ut ait *D. Ambrosius lib. 1. de viduis*, Vicina est lapsibus adolescentia: quia variarum æstus cupiditatum feruore calentis inflammatur ætatis, ut tradidimus in *Comment. de hum. vita statib p. 1. c. 3.*

Tertio licet Raphael ipse sæpius in die bibendo ieiunium non fregerit, etiam si quid ante præsumpserit, ne potus noceat, & ad naturæ sustentationem &, vt aliqui volunt, ad sedandam famem biberit, siquidem ieiunij tempore abstinentia à cibo, sed non à potu præcipitur, ut per *Nau. c. 21. n. 13. Azor. l. 7. c. 10. q. 7. Reg. l. 4. n. 153.* Si tamẽ illud per notabilem comestionem uiolauit, lethaliter animam suam sauciauit, si scienter, & aduertenter hoc fecit. Imo si vescendo carnis, ouorum, vel lacticiniorum cibis in Quadragesima, (vbi contraria in regione consuetudo non viget) vsus est, toties peccauit, quoties comedit, &c. Idem *Azor. l. c. c. 9. q. 2. Tol. l. 6. c. 4. Roder. in summa c. 23. num. 1. Regin. l. 4. num. 191. Molfes. tractat.*

Bat. 10. cap. 5. num. 19. & alij communiter.

Quò autem ad illud desiderium, quod in mente sua concepit, si hodie ecclesia, & religio ieiuniū non praeciperet, non solum pluries comederem, sed etiā carnibus vescerer, dico, quod si per illam conditionem, si non esset ieiunium, &c. ab obiecto malitiam auferret, à peccato mortali excusari posset; siquidē ieiuniū est malum, quia positiuo iure ꝓhibitū illa & malitia est obiecto extrinseca. Secus aūt sīn aliquos, est de his, quæ naturali, & diuino iure sunt interdicta, vt si diceret, si fornicatio, & vindicta non esset prohibita, ab his non abstinerem, nam cum consentiat in obiectum per se, & intrinsice malum, à quo per illam conditionem deformitas non tollitur, à lethali culpa immunis non euadit. *vt per Sanchez l. 1. de præcep. decal. c. 2. nu. 23. Molfes. tr. 8. c. 8. num. 46. Fillinc. tr. 21. c. 8. q. 7.*

Quarto, relictis hic quoque varijs Doctorum sententijs, illam vt veriorem amplector, licere pro serotino ientaculo non modo fructus, vel panem, vel herbas disiunctiue, sed etiam coniunctim ex diœcesis recepta cōsuetudine comedere, cui quidem quò ad quantitatem standum erit, dummodo non sit tāta, vt probi, ac docti Confessarij arbitrio, ieiunium defraudetur; & fumi posse non mō ea intentione, ne potus noceat, verum ēt (vt de potu dixi) sustentādæ naturæ causa. Ientaculo tamen vesperi vsirato non integrū esse mane, vel meridie vti, & prandium in vesperam differre, nisi ex aliqua rationabili causa hoc fiat, vt puta ob stomachi debilitatem, vel propter aliqua conficienda negotia, &c.

Porro quantum in vtroque casu hoc ientaculum esse debeat, dico, largiorem esse concessionem à sex vncijs infra; viros tamen Deum timentes tres, vel quatuor vncias non excedere. Quod exactè obseruasse legimus Camillum de Lellis Ordinis Ministrantium ægrotis, qui iter agens die ieiunij ecclesiastici, à matrefamilias hospitij meritorij anxie bilancem petiuit, qua panis frustum in vespertino ientaculo appenderet, ne tres vncias excederet, *vt per Sanct. Cicarel l. 3. eius vita, cap. 13.*

Proinde resoluendum mihi uidetur, Raphaelem quò ad hæc duo capita quantitatis, & temporis ientaculi à lethali culpa excusatum esse, & ieiunij obligationi satisfecisse, accedente præsertim Confessarij arbitrio, quò ad cętera, ut supra. *Azor. lib. 7. cap. 8. q. 8. Nau. c. 21. nu. 14. Graff. lib. 2. cap. 37. nu. 29. & seq. Vinal. in Cand. aur. p. 2. cap. 15. nu. 41. Tol. lib. 6. cap. 2. Angles de ieiunio quæst. 9. diff. 2. Regin. lib. 4. nu. 186. Molfes. trac. 5. & seq. c. 3. n. 7. & cap. 5. num. 8. Ioan. Laur. Guad. in doctr. Christ. tit. de ieiunio. Menochius cent. 6. de arbit. iud casu 599. Fillinc. tract. 27. cap. 2. quæst. 7. Bonac. de legib. d. vlt. q. 1. p. 3.*

DOCVMENTA A CONFESSARIO OBSERVANDA.

Partes Confessarij erunt, Raphaelem ad bonam frugem reducere, ei proponendo, obed. ētiam tam erga ecclesiam, religionem, & spiritualem patrem, esse felicitatis matrem. Religiosos dici Therapeutas, quod nomen cultorem, & medicum significat, nam respectu Dei eius cultor religiosus esse debet: habita sui ratione, medicum eum esse oportet propriæ scilicet animæ sanādæ, & à uitijs expurgandæ; & item proximorum, si ex instituto ad aliorum salutem procurādam sit destinatus. Omnes regulares per professionem, tùm diuino, tùm humano iure, nexu, possessione, & vsu esse Christi mancipia, nec vlla ratione posse tàm potentis Domini seruitutem detrectare. Item seruire Deo regnare esse, iuxta etiam illud *Seneca lib. de vita beata,* Deo parere libertas est.

QVAESTIO XXI.

Quid agendum à Confessario cum cauponibus hospites in diebus ieiuniorum ad cœnam inuitantibus; vinum aqua miscentibus, nec curantibus, an sui subditi ecclesiastica ipsa ieiunia seruent, & an ij pœnitentia imposita satisfaciant, si iniunctas Missas per Sacerdotem, qui alio titulo tenetur, eas celebrare faciāt, an ieiuniū impositum possint in lacticinijs adimpleri, & per alium perfici. Num meretrices, & exules hospitio recipere possint, & chartas lusorias eis commodare, & an de furto rerum ab hospitibus depositarum teneantur.

Ambrosius caupo, simulque eius famuli, Primo quibuscumque ad suam tabernam, vel hospitium accedentibus in ieiuniorum diebus solent matutinum, aut pomeridianum ientaculum, vel cœnā apponere, & ad eam inuitare. Secūdo uinum aqua miscere. Tertio, ipse caupo paterfamilias nil curat, an sui subditi, tàm filij, quàm famuli indicta ab ecclesia ieiunia seruent, &c. Quarto, cum à quodam Pœnitentiario ædis Lauretanæ pro pœnitentia, & satisfactione, ei esset iniunctum, ut quinque Missas pro suis peccatis expiandis celebrare faceret, & sex Veneris diebus ieiunaret, ipse paruo stipendio porrecto curauit illas celebrari per Sacerdotem, qui alio titulo eas dicere tenebatur. Impositum vero ieiunium partim per se ipsum perfecit, lacticinia comedēdo, partim per alium adimpleuit. Quinto meretrices, & exules in hospitio recipit, & eis chartas lusorias accommodat, à quibus aliquando aliorum hospitum deposita surripiuntur. Quæritur, quomodo cum his se gerere debeat Confessarius?

RESPONSIO.

PRimo. Quò ad ientaculum, vel cœnam, omnes Doctores à culpa eos immunes reddunt, quando certo sciunt, aut probabiliter apud se diuertentes à ieiunio excusari credunt, imo etiam eos excusant quando dubitant, quia suum non est discutere, nec commode id efficere possunt; atque sua interest & bene de proximo præsumere, in hac re præsertim, vbi tot causæ excusantes concurrere possunt: quando quidem in dubio velle nemo peccare præsumitur, & ambigua in meliorem partem sunt interpretanda. *l. merito ff. pro socio. c. 2. ext. de reg. iur.* Cæterum licet tota difficultas in hoc versetur, quando credunt alterū à ieiunio non excusari: in quo casu multi Doctores eos damnant; alij tamen communiter eos à culpa eximunt, eo quod non inducant, sed alterius peccato vtantur, vt res suas vendant, comestionique deseruiant, quatenus est naturæ actus, & non quatenus ille ieiunium soluit: idque eo magis quod sane sine suo alicuius ponderis damno, cœnam, vel prandium, seu ientaculum denegare nō possent, ac proinde nec proximi delictum impedire, &c.

Adde moraliter loquendo, & communiter accidentibus, numquam fere tabernarij, & caupones, eorumque famuli ob hanc causam mortaliter peccare censendi sunt, eo quod ab ea venditione abstinere, nam neutiquam est spes fore, vt alter ieiuniū seruet, quia alibi cibos emet, & comedet. Insuper ad eos confluentes sunt communiter viatores, operarij, pauperes, quos iure optimo causam soluendi ieiunij probabilem habere existimare possunt. Quod si etiam illustres viri, & alij vagi deperditæ vitæ, ad ipsos accedant, eosdemmet tabernarios, & seruos infimæ sortis homines, iniurijs, & contumelijs afficient, & vt dixi, notabile damnum res suas vendendi, & hospitum defectus patientur, &c. Siquidem omnes caupones cunctis tabernas indistincte apertas tenent, & si non verbis, saltem signis, inuitant: ex circulo enim tabernæ coniecturam desumi tradit *Mant. l. 1. de coniect. vlt. volun. tit. 1. num. 5.* Vnde ad reprimendam cauponum, nautarum, & stabulariarum improbitatem, qui in iure male audiunt, multa specialia in eos introducta fuere, vt tradit *Clarus in §. furtum. & ibi Bailar. & Mascar. de probat. vol. 2. concl. 1332. Bonifac. de furtis. §. vel etiam vsus. num. 22. Cephalus l. 4. cons. 611.*

Famuli tamen qui non porrigunt cibos, sed non ieiunantibus mensas sternunt, eisque ministrant, multo minus culpæ participes fiunt, quia munere suo funguntur, quod alijs diebus, & temporibus obite consueuerunt, & tantum comestioni deseruiūt, quatenus naturam nutrit, non quatenus ieiunium soluit. Atque sic resoluunt *Nau. c. 21. num. 24. Val. tom. 3. disp. 9. q. 2. p. 3. Sanchez l. 1. op. mor. c. 7. nu. 34. & seq. Reg. l. 4. num. 197. Molfes. tr. 10 c. 5. num. 31. & tract. 8. c. 10. nu. 59. Vasquez de scand. art. 1. dub. 3. Bon. tc. de legibus disput. 2. q. 4. puncto 2. num. 38. & alij communiter.*

Quod vero ad vetitos cibos attinet, vt carnes, & oua, in Quadragesima, vel alijs Vigilijs, ex regionis more, interdicta, dicendum est secundo loco eos cibos in Catholicorum locis apponere, lethale peccatum esse, & grauiter etiam in exteriori foro ab ecclesiasticis Iudicibus in eos animaduerti posse, cū ibi quædam tacita hæresis professio censeatur, nisi forte in aliquo particulari casu ratione euidentis necessitatis, vel si nihil aliud suppeteret, vel si aliquis hospitum qui fide dignus videretur, id sibi à Superioribus indultū ostenderet. Non tñ. caupones, & famuli in casum solutiū Quadragesimam fine facultate incidūt, cū statutū pœnale latum in aliquid facientes, non comprehendat consulentes, mandantes, vel cooperantes, nisi exprimatur. *Decius in l. consilij ff. de reg. iur. Sayrus de cens. l. 3. c. 1. num. 25. Vgol. de cens. Pont. reseru. p. 1. c. 12.*

Sed in hæreticorum terris vbi passim ab alijs apponi solent, dicendum videtur, id Catholico cauponi venia proprij Episcopi, vel Inquisitoris, ibi moranti licitum esse, his tamen duabus positis conditionibus. Primò si hospites petant, non enim haud postulantibus hæc offerri possunt, si quidem esset ad illicita inuitare, nisi forte simul carnes, & pisces apponi geret, vt plerisque in locis fieri solet, quemque suæ conscientiæ relinquendo. Secundo si, vt supra obseruaui, sine suo notabili incommodo recusare nō posset, ut si alioquin ab hospitibus esset deserendus, vel aliquid detrimenti à Magistratu passurus. *Lessius l. 4. c. 2. dub. 4. & Molfes. l. c. Sanchez lib. 1. de precept. cap. 7. num. 34.*

Ad secundam dubitationem dico eum non peccare, nec ad restitutionem teneri, si generoso uino aquam misceat, qua apposita uinum eo deterius non sit, quod ab alijs venditur, si hoc faciat ut se indemnem seruet, & emptor illud non sit seruaturus; sicut etiam potest mensuram minuere, quando alia ratione iustum pretium extorquere non potest. *Bonac. de cont. d. 3. q. 2. p. 6. Faustus de empt. d. 6. q. 96. Vide sup. tract. 6. c. 10. q. 48. & tr. 7. c. 9. q. 42.*

Quod attinet ad tertiam propositi casus quęstionem, de caupone patrefamilias non curante, an sua familia ieiunium seruet, dicēdū in primis existimo, lethaliter peccare, si in die ieiunij familiā ea opera agere compellat, quæ cum ieiunio stare nō possunt, si commode in alium diem differri queunt. Deinde si potest, commoda, & licita alimenta eidem familiæ suppeditare debet, ut ieiunium colere queat.

Verum ullo præcepto eam per uim ad seruanda ecclesiastica ieiunia compellere non cogitur, sed tanquam bonus pater, aut dominus, charitatis, & corre-

correctionis fraternæ lege suos subditos de hoc admonere debet. *Nau. c. 21. num. 26. Tol. l. 6. c. 5. Azor. l. 7. cap. 31. q. 12. Reg. l. c. num. 199. Comitulus l. 4. responsmor. quæst. 56.*

Raro tamen admodum in cauponis ieiunia ipsa seruari Confessarijs experientia demonstrat, tùm ob continuos labores & motus quibus agitantur; tùm ob assiduam ciborum attrectationem, qua gula irritatur: versari enim inter allicientes cibos, & pulchras rerum formas, & esse abstinentem, uidere quæ ad peccandum, & transgrediendum impellere possunt & se sustinere, ac numquam labi, hoc opus hic labor est. Sed & illud verum est, uolenti nihil difficile, & debilis est hostis, qui non uincit, nisi uolentem. Qualescumque potest Diabolus ad malum inuitare, non potest trahere, delectationem infert, non potestatē, consilium ingerit, non conflictum, non extorquet consensum, sed petit. Atque sacra pagina admonemur, Subtus te erit appetitus tuus, *Genes. c. 4. D. August. serm. 197. de temp. & Pererius in Comment. d. c. 4. l. 7. vers. 6. & 7.*

Nihilominus prudenter faciet Confessarius si ieiunii, vel ab ecclesia præcepti, vel à se ipso impositi obligationem, si probabilem futuram transgressionem uideat, in aliud commutare studeat.

Ad quartā qōnē dico, Ambrosiū nō satisfacere si iniunctas in pœnitentiā Missas parua data stipe per Sacerdotem celebrare facit; qui cum alio titulo celebrare teneatur, non totum Missæ sacrificium applicat: nam sicut totum sic pœnitentia adimpleri nequit per opus aliàs debitum, nisi aliud de Confessarij mente constet; & perspicuum est uno sacro non licere duabus obligationibus satisfacere, quia cum sacrificij valor quò ad particulares actiones sit finitus, si inter plures diuidatur, minus quilibet percipiet, quàm si inter pauciores distributio fiat, & cæt. per ea quæ scripsimus supra *tr. 4. c. 13. q. 119. & seq.* Atque sic resoluere uidetur *Sanchez l. 4. de præcept. cap. 15. num. 11. & Bonac. de legibus disp. 4. quæst. 2. pun. 6. num. 6. & seq.*

Dico etiam Ambrosium præcepto de adimplenda pœnitentia satisfacere, si in loco vbi degit, ex recepta cōsuetudine, in diebus ieiuniorum lacticinijs vesci licet, nam in ieiunijs ex uoto, vel iussu Sacerdotis, aut ex Iubileis obseruandis consuetudo optima legis interpres est attendenda, per tradita à nobis *tr. 5. c. 9. q. 59.* & per eundem *Bonac. de communi attestantem l. c. d vlt. q. 1. p. 2. num. 2.*

Quò vero ad ieiunium ab Ambrosio per alium adimpletum dico non satisfecisse, nisi Confessarij assensus accesserit, satisfactio enim à Confessario iniuncta cum sit actio personalis, non potest per alium adimpleri, nisi Confessarius aliud, ut dixi, expresserit; quare si non potest per se, non tenetur per alium perficere, & si fecerit, ex opere, ut aiunt, operato, illi non proderit, nec si postea potens fiat, ab illius impletione liber erit. ut ex communi tradit idē *Bonac. de pœn. d. 5. q. 5. sect. 3. p. 4. n. 11. & 12. & Molf. tr. 7. c. 25. n. 12. Fill. tr. 8. c. 2. q. 10. & Zerula in praxi pœnit. c. 25. q. 18.* Vbi ēt aduertit ad hoc, ut purgatiua, vel uindicatiua pœnitētia, alter ꝓ alio satisfacere valeat, opus esse, ut uterque in gratia sit cōstitutus.

Quò ad ultimam illam & quintam quæstionem de cauponibus recipiētibus meretrices, exules, &c. dico eos à culpa excusari, si meretrices ad hospitandum, non ad meretricandum recipiunt: ut etiam de locantibus eis domum dicitur: tùm quia iure suo vtuntur, tùm quia si postea per accidens peccent, illarum peccato cooperari non censentur, cum locus extrinsece, & remote ad delinquendum se habeat. Sicuti etiam à culpa excusatur auriga, qui turpem foeminam, mercede accepta, ex iusta causa operam suā locando, de uno loco ad alium defert, opus enim in differens exercet, quod ei ad peccatum non imputatur. ut per *Sanchez de præcep. l. 1. c. 7. & Bonac. de matrim. q. 4. p. 14. Fillinc. tract. 36. c. 5. q. 12. Molfes. tract. 12. c. 8. nu. 46. Faustum de contract. d. 11. q. 75. Beiam 1. p. respons. casu 48.*

Multo vero magis immunis erit Ambrosius caupo tàm à mortifero crimine, quàm à pœnis à statuto contra receptantes exules inflictis, nam de iure etiam communi caupones excusantur, si hospites exules recipiant, quia velint nolint, peregrinantes hospitari tenentur, ut dicit *Vlpianus in l. 1. ff. de furtis aduer. naut. caup. & stabul. & Alex. in l. 1. ff. de recep. Carer. de heret. nu. 168. Bossius tit. de raptuis. nu. 34. Decius in l. inuitus. ff. de reg. iu.*

Difficile tamen à lethali crimine eximitur iste caupo, si omnibus indifferenter, sine delectu, & passim, domum, locum, & commoditatem, aleas, & taxillos ludere uolentibus exhibet, & subministrat, si (ut à communiter accidentibus præsumi potest) impiæ blasphemię, & execrabilia in Deum, ac Sanctos conuicia proijciuntur, ac alia grauia delicta ibi perpetrantur; cum ad peccandum opem prēstet, ut proinde recte aliqui Episcopi talem exhibitionem publicæ commoditatis ludorum sibi reseruent. *Nau. c. 20. num. 15. Graffius de cas. reser. l. 1. c. 20. Lazar. de blasph. in præf. nu. 32. Azor. p. 3. l. 4. c. 14.*

Tandem dico Ambrosium cauponem teneri pro furtis commissis in rebus ipsi vel eius famulis consignatis, & in custodiam datis; secus quando claues cubiculi, ex quo eius res fuerunt subtractæ, hospiti tradidisset, vel expresse protestatus esset, quod earū rerum curam, vel custodiam habere nō intenderet, tunc enim furtum ei non imputatur. ut per *DD. in §. item exercitor. Instit. de obligat. quæ ex quasi delict. nasc. Farinac. in frag. crim. p. 1. §. caupones. Bonifacium de furtis. §. vel etiam. nu 34. Lessium l. 2. c. 27. dub. 3. Tabulam ver. furtum. concl. 560.*

QVAE-

QVAESTIO XXII.

An cum lacticinijs ieiunans Iubileum lucretur: num per confessionem inualidam Indulgentiam consequatur, valide à reseruatis absoluatur, super votis dispensetur, &c. Vtrum regularis, qui ex ordinis instituto abstinentiam à carnibus, & lacticinijs vouit, extra religionem cum ipsis lacticinijs ieiunans Iubileum acquirat?

CVm Sũmus Pontifex pro imminentibus Christianæ Reipublicæ necessitatibus, fidelibus Iubileum concesserit, Pamphilus qui illum spiritualem thesaurũ lucrari cupiebat, in prima hebdomada, in qua etiam ecclesiastica tempora incidebant, ex patriæ, & regionis more, cum lacticinijs ieiunauit, (etsi Sabbato, cum sibi debilis videretur, per alium data stipe ieiunium perfecit) tribus præscriptis diebus eleemosynas erogauit, statas preces recitauit, & determinatas ecclesias uisitauit. Quæ omnia in statu peccati mortalis adimpleuit: & ob non debitam præmissam conscientiæ discussionem, multa tàm Papæ, quàm Episcopo peccata reseruata, & quoddam uotum, quod sibi commutari intẽdebat, ex obliuione omisit. Quæritur Primo, an lacticinia comedendo, & semel per alium ieiunando, ac præscripta in Iubileo gratiæ diuinæ expers adimplendo, ecclesiæ præcepto, & à Iubileo imperatis satisfecerit?

Secundo, an per illam confessionem sit valide à reseruatis absolutus, uotũ oblitum commutatum, & Iubileum ipsum sit consecutus?

Item cum haberet fratrem in quadam religione professum apostatam, qui ad cor rediens in paternã domum se receperat, ut hunc cœlestem thesaurum lucraretur, in tribus illis ieiunijs, ouis, caseo, & aliis quæ sementinam carnis trahunt originem, vsus est, cũ tamẽ ad perennem ab his abstinentiam, ex ordinis instituto, solemni uoto se obstrinxerit; & sacerdoti seculari Episcopo non approbato peccata sua confessus est, quæritur pariter an & ipse Iubileum sit adeptus?

RESPONSIO, SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

SVppono Primo breuiter, ad Iubilei consecutionem quinque præscribi solere. Primum est confessio, secundum communio, tertium ieiuniũ, quartum ecclesiarum uisitatio, quintum eleemosyna. Vnde si quis aliquid horum omittat, Indulgẽtiam, vel Iubileum non lucratur, etiam si per impotẽtiam non adimpleat; & ratio est euidens, quia Indulgentia iuxta concedentis uoluntatem operatur, quæ in Bulla, seu concessione declaratur, sed priuilegii, vel gratiæ forma est conditione vestita, ut omnia in ea præcepta ad impleantur, ergo opus non adimplens dicto beneficio non gaudet. ut est communis tàm Theologorum, quàm Iurisperitorum sententia. & innui supra *tract. 3. c. 4. q. 46.* Hinc ieiunium à Summo Pontifice indictum ad effectum Iubilei Indulgentiam consequendi, ab adolescentibus annum uigesimumprimum non attingentibus, seruandũ est, si huiusmodi fauore potiri velint: quia enim ieiuniũ ala orationis est, qua ad cœlum uolat, & sobrii oratio, ut Aquila ad Cœlum contendit, ideo nunquam ab inuicem separantur. Sicut etiam Papa eleemosynas, & orationes, quæ aliàs sunt de consilio, senibus, & minoribus uigesimoprimo anno pscribit. Qua ratione aliqui tenent, quod licet ad Iubilei consecutionem, venialium culparum confessio necessaria non sit, per *Nau. in tract. de Iubileo notab. 18. nu. 17. Sanchez l. 8. de matrim. d. 15.* tutior tamen & consultior sententia sit, ut infra tempus Iubilei illum lucraturus, aliquod saltem veniale peccatum fiteatur; siquidem Indulgentię, ut sonant, explicandę uidentur, & Papa ad confessionem supererogationis inducere censetur, &c. *Henriq. l. 7. de Indulg. c. 22. nu. 2. Pinellus eodem tract. c. 7.* Nec illud ieiunium, sicut nec alia imperata opera quis propria authoritate commutare potest, si illa præstare nequeat: imo nec Confessario id integrũ est, nisi expresse in Bulla concedatur. *Azor. p. 1. l. 7. c. 28. q. 3. Molfes. tr. 7. c. 16 num. 10. Naldus in ver. ieiunium, num. 6. Henriq. in summa l. 7. c. 10. Filliuc. tr. 8. c. 10. q. 12.* vbi etiam ait, quod dum commutatio ei conceditur, non modo in confessione, sed etiam extra illam fieri posset; cum confessionis actum non concernat.

Secundo, vt vberes fructus ex ieiunio percipere possimus, ei debitæ circumstantiæ adiungendæ sũt, ita vt ieiunans ea seruet, quæ tùm sibimet, tùm proximo, tùm etiam Deo debentur, sibimet ex parte corporis hoc debet, vt modum illum obseruet, quo corpus suum in tali statu tueatur, & ea agere possit, quæ sibi ex officio incumbunt. *c. non mediocriter. de cons. d. 5. Rossignol. l. 2. de discip. Christ. c. 12.* Ne quid nimis, ait Philosophus. In virtutibus enim moralibus nõ solum quod minus, sed quod amplius à medio est, à malo est. Est modus in rebus, &c. In medio virtus consistit. Quidquid ad Dei honorem offerimus, discretionis sale condiendum est. Abstinentia est instar tympani quod si nimis extendatur, frangitur; ita corpus, teste D. Hieronymo, non est frangendum, sed regendum. Non infirmo corpore esse debet, qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo certamini par esse possit. Ex parte animæ ieiunans sibi cauere tenetur, ne per gulæ irritamẽtum ieiunii meritum, aut perdatur, aut minuatur. Quæ tentatio quinque potissimum modis contingere potest, de quibus habita est mentio, *tract. 6. cap. 20. quæst. 89.*

Secun-

Secundo qui ieiunium colit, proximo suo subsidij in necessitate debitor est, sic vt iudicium erga se exercendo, erga alios misericordia utatur. *Isaia c.58.* Tertio, officio Deo debito conuenit ut abstinens non à cibis tantum, sed etiam à vitijs ieiunet, & pœnitētiam de peccatis ipsi ieiunio adiungat, alioqui enim non esset dignus pœnitentiæ fructus, seu qui ex vera pœnitentia ortus testetur nos ex animo resipuisse, qualem *D. Ioānes Baptista Matth. c.3.* in peccatore requirit, ad æternum incēdium placato Deo uitandum. Et præter veram fidem, & firmam spem, charitate opus est, extra quam opera nostra meriti sunt expertia. *ex Apost. 1. ad Corinth. c.13. & c. nihil. de cons. d.5. gloss. in c. quod quidam. ext. de penit. & remiss. DD. in Domin. 4. post Pentec. Tholos. in syntag. iuris. lib. 31. cap. 7.*

Vnde tertio loco prænotandum est, (etsi alias à nobis scriptum sit) opera nostra in quadruplici genere considerari posse. Primo opera uiua, & sunt ea, quæ à charitate procedunt, & in ea perficiuntur, ut quando homo à lethali culpa alienus, & diuina gratia ditatus, ieiunat, eleemosynam tribuit, ecclesias visitat, orat, &c. Secundo opera mortua, quæ licet moraliter bona sint, in mortali tamen peccato fiūt, de quibus dicitur *in d. c. nihil.* Non prodest homini ieiunare, & orare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur. Ille autem in peccato mortali esse dicitur, qui non est contritus, neque de cętero non peccandi firmū propositū habet. *Nauar. c.1. num. 33. Armilla in ver. sacramentum. Barthol. ab Ang. dial. 1. de sacr. S. 40* opera tamen in lethali crimine facta ad multa prodesse fatentur Doctores, vt Primo quod ad diuinam gratiam comparandam præparent, ac disponant. Secundo per illa ecclesiastica præcepta impleantur, cum quo ad substantiam actus præstentur. Tertio quod etiam ad terrena bona impetranda valent. Quarto quod gehennæ tormenta diminuant. *vt per gloss. in c. quod quidam. ext. de penit. & remiss. & Nau. in c. quærat. S. quod autem. de pænit. d.3. Nald. in ver. præceptum.* Tertio dantur quoque opera mortificata, quæ licet in statu gratiæ facta sint, per subsequens tamen peccatum extinguuntur; ut proinde à peccato tāquam à facie colubri sit fugiendum, quia sicut serpentis morsus externas corporis uires dissipat, ita illud internas animi facultates exhaurit, & omnia bona opera inficit. Hinc quarto loco mortifera opera assignantur, quæ sunt ipsa lethalia crimina patrata. de quibus *Iacobus c. 1.* ait, Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. *Gabriel super canone missæ, lect. 26. & 58. Zerula in praxi pænit. c. 2. q. 26. Beia in respons. cas. consc. p. 1. casu 57. Viguer. in Instit. cathol. c. 16. S. 4. vers. 9.*

Quarto Præmitto, ad sacramentalem confessionem de iure diuino conscientiæ examen prærequiri, siquidem iuxta Christi præceptum, nullus potest omnia, & singula lethalia peccata confiteri, nisi conscientiæ discussionē præmittat. Vt autem sufficiens conscientiæ examinatio fiat, necesse est ut illa diligētia adhibeatur, qua uir prudens in aliquo negotio temporali arduo uteretur: cum enim peccatorum confessio sit animæ serium negotium, & maximi res ponderis, cum agatur de recuperanda animæ uita, quam pœnitens per mortiferam noxam amiserat, ideo ea moraliter facere tenetur, quæ pro corporis morte euitanda ageret. Spiritualis vero à corporali medico differt, quod hic ignotos morbos aut uulnera curare non potest, ille vero una efficaci absolutione, eum qui omnia confitetur, quorum facta morali diligentia, meminit, ab omni morbo sanat, etsi quædam spiritualia uulnera memoriã exciderint. *Henriq. l. 2. de pœnit. c. 5.* Cuius examinis instituendi ratio illa esse potest, ut seruato temporum ordine, locis, in quibus versati sumus, & personis, cum quibus pariter conuersari nobis contigit, ac negotijs quæ gessimus, facta comparatione cum diuinis præceptis in memoriam reuocatis, expendamus quæ ab ultimo simili examine cogitauimus, loquuti sumus, vel cōtra Deum gessimus. Non tamen in omnibus eadem diligentia requiritur, sed ea quæ moraliter adhibetur, considerato pœnitentis captu, peccandi consuetudine, temporis diuturnitate, & alijs circumstantijs, boni, ac prudentis Confessarij arbitrio. In particulari namque summa diligentia, vel maximum, seu exactissimum studium necessario non exigitur, nec ut pęnitens peccata scribat, si probabiliter se illa obliturum credat; utile tamen erit scribere, si memoriæ defectus timeatur, modo scrupulus, & nimia anxietas euitetur. *vt ait Caiet. ver. confessio. condit. 11.* quem recentiores sequuntur, defectus nihilominus pœnitentis, diligentia & industria Confessarij interrogantis suppleri potest. Et quando pœnitens non est capax, ut solus possit conscientiam discutere, ut in rudibus, & rusticis accidit, qui peccata sua præmeditari nesciunt, præstat tunc ipsius sacramenti pœnitentiæ ministri studio iuuari: & ut diximus, præmittenda est aliqua moralis pœnitentis pro eius capacitate diligentia. Vnde qui sine ea confessus est, ad nouam peccatorum confessionem tenetur, etiam si suam negligentiam in ipso sacramentali iudicio aperuerit. Propterea Confessarius pœnitentem iuxta eius conditionem interrogare debet, an sufficientem examinationem suorum peccatorum fecerit, antequam ad eorum confessionem accesserit, & si defecisse eum inuenerit, dimittendus est, nisi adsit periculum mortis, belli, scandali, vel quid simile, seu etiam si verendum sit ne pęnitēs semel dimissus amplius nō redeat, &c. Huius porro sufficientis examinis, & discussionis effectus multiplex est, sed ille præcipuus, quia si quis ea ad-

ea adhibita, alicuius peccati mortalis post absolutionem, & communionem recordetur, Cõfessionem iam factam tanquam non integram reficere, vel iterare non tenetur, verum cum recordatur, & ad mẽtem reuocantur, ea confiteri astringitur, non tamen id statim præstare cogitur, (& iste est secundus effectus) sed potest in alterum annum reseruare, si post Communionem in memoriam venerint. Hinc illorum error conuincitur, qui absoluendo illa verba addunt, Quorum oblitus es: sequeretur enim illa fateri non teneri, quando postmodum illorum memoriam tenet: rursus quod à peccatis oblitis absolutus esset, etiam si debita diligentia in illis memorandis non esset vsus. Tertius quoque effectus ex morali conscientiæ discussione consequitur, quod qui tempore Iubilei amplam facultatem à peccatis absoluendi concedentis, ad confessionem accedit, si alicuius criminis, vel excommunicationis reseruatæ, vel voti pariter reseruatione affecti obliuiscitur, illo tempore elapso, à quolibet Confessario approbato ab eodem absolui poterit, & votum ipsum dispensari, vel commutari, si tunc temporis hæc facultas concedebatur, cum reseruationem ipsam exuerint. De his videantur *Graffius conf. 5. de pœnit. & remiss. & de arbit. Confess. c. 4. Reginal. l. 4. cap. 2. Coninch. d. 7. dub. 9. Bonac. de sacram. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. & 4. Fillnic. tom. 1. tract. 7. c. 4. q. 10. Henriq. l. 2. de pœnitent. cap. 5.*

CASVS, ET QVAESTIONVM RESOLVTIO.

His sic pro basi, & fundamento iactis, sic propositis quæstionibus in casu comprehensis respondeo, & primæ quidem dubitationi satisfaciendo dico, cum Iubileum extra Quadragesimam accidit, in locis vbi consuetudo abstinentiam à lacticinijs non introduxerit, potuisse Pamphilum absque priuilegio, & dispensatione comedendo lacticinia idem lucrari; quandoquidem ieiunium eo ritu, & modo seruandum est, quo iuxta populi, aut gentis consuetudinem, seruari solet: quia probabiliter creditur, taliter à nobis præstandum indici, aut etiam à nobis voueri, quatenus vbi degimus est in more positũ, nisi aliud determinetur. *Azor. p. 1. l. 7. c. 10. q. 2. Reginal. l. 4. num. 148. Sanchez de præcep. l. 4. c. 11. num. 50. Molfes. tract. 10. c. 4. num. 28. Bonac. de leg. d. vlt. q. 1. p. 2. num. 6. Filliuc. in qq. mor. tr. 27. p. 2. c. 3. q. 8. num. 59.* Cum porro in illis tribus diebus ieiunauit, in quos etiam tempora inciderunt, nihil obstitit quominus Indulgentiam lucrifaciat, cum certum sit vno actu accedere præsertim præsumpto Superioris consensu, pluribus obligationibus satisfacere posse. Vnde qui quotidie pro pœnitentia à Confessario iniuncta sacrum audire debet, vtrique præcepto tàm ecclesiæ, quàm Confessarij vnicam in festis diebus audiendo Missam satisfacit. *Beia p. 1 casu 21. Bonac. de leg. d. 1. p. 9. nu. 4. & de sacr. d. 6. q. 1 p. 5. num. 3 1. & alij DD. communiter.*

Ad secundam quæstionem dico, quod cum Indulgentiæ, & Iubilea, vt dici solet, tantum valeant, quantum sonant, & in forma specifica adimpleri debeant, Pamphilus vltimum ieiunium per alium præstare non potuisset, nec Confessario non valentibus illa præscripta opera adimplere, commutare licuisset, nisi in Bullis hoc Papa expressisset. Nec etiam si quis ieiunare potest, à ieiunio excusatur, illius vice eleemosynam erogando, quia vnius rei debitor aliam soluendo nõ liberatur, vt præter citatos Doctores, tradit etiã *Zerula de Indulg. c. 16.* & Idem *Regin. lib. 4. num. 187.*

Ad tertiam quæstionem pariter assero cum operã ad consequendũm Iubileum imperata in peccato mortali expleuit, illam Indulgentiam consecutũ esse; non enim requiritur, vt toto tempore quo singula præstat, sit in gratia, sed sufficit, vt eam habeat, cum vltimum opus perficit, quo posito Indulgentia conceditur; quamobrem si tempore Iubilei in quo ieiunium, eleemosyna, ecclesiarum visitatio, confessio, & communio præscribuntur, ea in peccato mortali exequitur, Iubileum lucratur, si deinde post cõfessionem, in Dominica Deo conciliatus, Eucharistiam sumit. *vt per Henriq. de pœnit. l. 1. c. 16. num. 2 Zerula l. c. q. 10. Bonac. de sacram. d. 6. q. 1. p. 5. Nald. ver. indulgentia. num. 8. & alios.* At si de defunctis loquimur (si pro eis quoque accipi posse à Summo Pontifice expresse concedatur) etiam quando consummato opere statim Indulgentiæ effectus tribuẽdus est, dicendum est ex communi, nec in hoc casu gratiæ statum necessarium esse, quod hic tanquam dispositio ad effectum indulgentiæ, in eo requiritur, qui illam recipere debet, at in hoc casu non ille qui opus facit, fructum percipere debet, sed is, cui applicatur. *Molfes. tr. 7. c. 26. nu. 19. Filliuc. tr. 8. c. 8. num. 214. Nald l. c. nu. 7. & alij multi.*

Ad quartã dubitationẽ respõdẽdo, supposito, vt supra dictũ est, sufficiens conscientiæ examen debere confessionem præcedere, memorando singula lethalia peccata, eorumque circumstantias, iuxta illud Dauidicum. *Psalm. 6.* Lauabo per singulas noctes, idest singula peccata, lectum meum, idest conscientiam meam. *Conc. Trid. sess. 14. c. 5. Catechism. Rom. de sacram. pœnit.* dico Pamphilũ à lethali culpa non excusari, si ob notabilem negligentiam non benefactæ discussionis aliqua peccata, eorumque circumstantias necessario in confessione exprimendas est oblitus, & illam confessionem tanquam inualidam reficiendam esse, cum Confessarius ope, & industria sua per interrogationes penitentis defectum (quod etiam in praxi difficile est) non suppleuerit.

Patet,

Patet, inquit *Vivaldus in Cand. aur. de confessione n. 20.* quàm culpabiles sint pœnitentes, qui cum per totum annum non fuerint peccata sua confessi, in hebdomada sancta, quasi inuiti ad confessionem cũ parua, vel quasi nulla animarum suarum præparatione accedunt. Longe tamen culpa digniores Confessarij, qui cum tali periculo perditionis utriusque, eos sic impræparatos, indigestaque peccatorum mole onustos admittunt. hæc ille. Quippe Confessarij Curatores, & medici vocantur, quod ij spiritualem medicinã præstantiorẽ, quàm corporalẽ tribuãt, animas grauibus morbis, atque aduersus medicamenta contumacibus liberantes, quas voluptates, auaritiæ, concupiscentiæ, & aliæ perturbationes infecerunt. Qua ratione sancti Patres, & magistri, primum in propriam conscientiam inquirere iusserũt, & diligenter per hanc conscientiæ discussionem, morbos inuestigare, ut cõpertis morbis per examẽ, medicamenta præceptorum, & exemplorum à libris petita, ad animas sanandas apponerent. Vnde ex Tridentinis Patribus, illos qui vel quod raro peccata sua confiteri solent, vel quod nullam curam, & cogitationem in suis sceleribus peruestigandis posuerunt, nec commissa confessione expedire, nec vnde eius officij initium ducendum sit satis sciunt, acriter obiurgabant, docebuntque, vt prinsquam accedeant, omni studio curent, vt peccatorum suorum contritione commoueantur, quod præstare nullo modo possunt, nisi ea reminiscendo recognoscere studeant. At vt inquit *Filliuc. tract. 7. c. 12. q. 3.* Non debet Confessarius semper pœnitentem remittere, vt se examinet, tùm quod sæpe perfectionis examinis non est capax: tùm quod cæpta confessione denuo redire pœnitenti est onerosum, ideo interrogationibus eius negligentia supplenda est.

Propterea mihi dicendum videtur, ipsum Pamphilum pœnitentem iubileum non esse consecutum, nec à casibus reseruatis per illam illegitimam confessionem esse absolutum; nam quando absolutio à reseruatis per modũ indulgentiæ confitentibus concessæ impenditur, vt in iubileis fieri solet, de concedentis intentione, valida confessio requiritur, nec inualida sufficit, per quam reseruatio non desinit. vt per *Suar. tom. 4. disp. 31. sect. 4. num. 22. Reginal. l. 8. c. 5. nu. 63. Bonac. d. 5. q. 7. p. 5. §. 5. nu. 8.*

Hinc consequitur, Pamphilum cum à reseruatis non sit absolutus, nec à voti obligatione liberatum esse, nam quamuis verum sit, casus reseruatos, & uota oblita Iubileo transacto, à quolibet Confessario absolui, & dispensari, seu commutari posse; hoc tamen intelligitur, ut dixi, si confessio valida fuerit, & si pœnitens Iubileum sit consecutus, ac priuilegium sit comparatũ. *Sayrus in Clau. regia l. 6. c. 12. nu. 17. Sanchez de matrim. l. 8. d. 15. num. 16. & seq. Bonac. de leg. d. 4. q. 2. p. 7. §. 3.* quidquid dicat *Filliuc.* peccata à uotis distinguens *tom. 1. tr. 8. c. 10. q. 16.* At illud ab omnibus conceditur, eum qui vere contritus, vel attritus cum proposito Iubileo satisfaciendi, peccata sua reseruata, & uota, confessus est, & ab illis absolutionem, & dispensationem obtinuit, si postmodum alia opera per Bullam præscripta non præstitit, tàm à peccatis valide absolutum, quàm à uotis liberatum esse. ut ex communi considerat *Suarez tom. 2. de relig. lib. de voto c. 16. num. 7. Sanchez l. c. num. 22. & de præcept. l. 4. c. 54. num. 49. Graffius l. 4. decis. aur. c. 15. num 36. Bonac. de sacram. d. 5. q. 7. p. 5. num. 16. & seq. Molfes. tr. 7. c. 16. num. 39.* Vt obseruauimus supra *tract. 5. c. 6. q. 39.* Et nullam culpã eum commisisse, qui tempore iubilei, cum animo omnia necessaria præstandi, à reseruatis absolutus fuit, si postea iubileum non sit adeptus; verius sentiunt *Henriq. l. 3. de pœnit. c. 16. num. 6. Sanchez l. 8. de matrim d. 15. num. 24. & l. 4. de voto. c. 54. nu. 54. Bonac. d. §. 5. num. 18. & alij.*

An vero absolutio data vigore iubilei post elapsum tempus sit valida, & vtrum indulgentia non solum in prima hebdomada, sed etiam in secunda accipi possit, & absolutio à casibus reseruatis impendi, videatur *Henriq. l. 7. de Indulg. c. 1. num. 1. Graffius in Append. Da. c. 5. num. 21. & sequ. Reginal. l. 8. num. 64. Floron. de cas. reseru. par. 1. cap. 6. §. 5.* Vbi quò ad primam partem, probabilius cum ipso Graffio, & Florono resoluitur, pœnitentem absolui posse, modò facienda adimpleuerit, & eius confessio, quæ ob causam perfici non potuit, post iubilei tempus differatur: Et quò ad secundam partem concluditur, iubileum datum ad lucrãdum in vna ex duabus hebdomadis, qui in prima illum obtinuit, non posse in secunda consequi, & à casibus reseruatis absolui, *ex Sanchez l. 4. de voto c. 54. nu. 30. & Suarez tom. 2. de relig. l. 6. de voto c. 16. num. 17. & Bonac. de sacram. d. 5. q. 7. p. 5. §. 5. num. 17.*

Quod vero attinet ad quæstionem illam de religioso illo apostata, qui in fratris, vel consanguinei sui domo existens, animo iubileum consequendi, lacticinia comedit, & Confessario ab Ordinario non approbato, sed alteri Sacerdoti proprij ordinis ad fratrũ cõfessiones audiẽdas à suo Superiori admisso cõfessus est, dico Primo, qđ licet in ieiunijs ĩ iubileis indictis, possit quis, vt supra aduerti, extra Quadragesimam vesci lacticinijs, aut alijs cibis, qui iuxta locorum consuetudinem, in anni temporibus, & Sanctorum peruigilijs permittuntur, nõ tamen religioso illi hac facultate vti licuit, cum quarto voto abstinentiæ ab his cibis sit astrictus. *arg. c. fin. ext. de obseruat. ieiunij.* Vbi qui voto, vel regulari obseruantia sunt ligati; in sexta feria, si festum Natiuitatis Domini eo ipso die venire contigerit, carnibus, & eadem ratione lacticinijs vesci non possunt. *Sanch. l. 4. de præcept. c. 11. num. 50.*

Secundo dico, quod cum ex communiori Doctorum sententia, religiosus tempore Iubilei Confessarium ab Episcopo approbatum eligere teneatur, nec sufficiat, si Sacerdoti à suo Episcopo ad confessiones excipiendas non admisso, confiteatur, nec ritè à peccatis reseruatis absolutum, nec ipsius iubilei gratiam adeptum fuisse. *Suarez tom.4.d.28.sect.6. num.11. Regnal.l.1.num.175. Molfes.tract.7 c.16. num.27. Bonac.de sacram.d.5 q.7.p.4.§.1.num.25.* Si tamen iste religiosus etiam apostata alicui fratri sui ordinis à Prælato religionis approbato confessus esset, à iubilei lucro non esset exclusus, cum nomine Ordinariorum religiosi quoque Præfecti intelligantur, qui in sibi subditos ordinariam, & Episcopalem iurisdictionem habent, vt per *Graffium l.4.deci.aur. c.15.num.12.Coriol.de cas.reseru.p.1.sect.3.art.16. & Fillinc.tract.8.c.10.q.14 & alios.* Vbi tamen hoc limitat, quando verbo Ordinarij hæc vox loci adderetur, ita vt Ordinarij non quicumque, sed locorum tantum. Confessarios eligendos approbare deberint: nam tunc ij solummodo vel à religiosis eligi possent. cui *Bonac.l.c.* consentire videtur.

DOCVMENTA A CONFESSARIO OBSERVANDA.

PRopterea partes Confessarij erunt, ipsum apostatam hortari, vt ad proprium ordinem redeat, & ibi animæ suæ sordes abstergat: si enim habitum abiecit, excommunicatione Episcopo, vel Generali Præfecto religionis reseruata irretitus est, in qua si à propria causa absens indurato animo persistat, de hæresi suspectus redditur, & ab Episcopo, vel Inquisitore de fide responsurus citari potest. vt per *Franc. Pegnam in 2.p.direct.inquisit.q.49.comment.74.*

Vrgeat eũ in continuo dãnationis statu versari, & cum miserit manum ad aratrum, & retro respexerit, regno Dei ineptũ esse. *Luc.c.9. & c.4.ext.de apost.* Quod sane flagitium etiam in hac vita vlcisci solet Deus, sic teste *Baronio tom. 10. anno Domini 927.* Aldefonsus IV. huius nominis Rex, in Hispania regno se abdicans vitam monasticam amplexus est, Ramiro Regi Legionensi relinquens regnum, sed cum desertor sacræ militiæ factus, recuperationi relicti regni operam daret, ab eodem Ramiro captus, oculis orbatus est. Vt verum sit, quod graphice protulit Sapiens *Prouer.cap.6.* Cum ait, Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Quorum verborum explicatio habetur in nostro *Comment.de casibus reseru.p.3.c.2.sect.1.* De cuius etiam apostasiæ iniquitate, videri poterunt quæ scribit *Bannes 22.q. 12.ar.1. & seq. Abb.& aly in c.4.de apostat. Ang. Tab. & Sylu.ver.apostasia. Menoch.l.2.de arbit.ind.cent.5 casu 421.Cald.cons.498 Clar.in §.fin.q.78. Masca. de probat.ver.apostasia conclus.112: Tuschus eodem verbo.conclus.424.& seq. Nau.cons.65.& 69.tit.de Apost.& aly multi.*

QVÆSTIO XXIII.

An vigesimumprimum annum non agens ieiunium à Confessario iniunctum, adimplere teneatur; & an pecunia propria Parochia Ecclesia applicanda illud ipse Parochus redimere possit. Vtrum religiosi professi ieiunia à propria regula indicta obseruare astringantur, & monasterij Confessarius super illis dispensare valeat. Nam Episcopus liceat ieiunium ex vno die in alium transferre & an religiosi ad illam translationem se conformare cogantur?

DIomedes nobilis adolescens, & sui iuris effectus, decimum nonum annum agẽs, apud Siluestrum suum Parochum, animam suam à peccatis expiauit, quem cùm carnis stimulis sæuiter vrgeri, & sæpe succumbere animaduertisset, ei pœnitentiam iniunxit, vt per sex menses, qualibet quarta, & sexta feria ieiunaret; quam quidem pœnitentiam minime adimpleuit, eo quod sicut ad ecclesiastica ieiunia se ob ætatis defectum non teneri prætendit, ita nec ad ea persoluenda, quæ à Confessario infligunt, tur obligari sibi persuadet. Cum autem iterum pro paschali confessione ad eundem accessisset, & propria scita, & præcepta eũ non custodisse vidisset, illã iniunctam satisfactionem in pecuniariam pœnam commutauit, vt scilicet sex aureos solueret, quò in propriæ parochialis ecclesiæ luminaria, vel oleum pro lampadis vsu eos insumeret.

Secundo cum quidam religiosi professi ex ordine Minorum, qui nondum vigesimumprimum annum expleuerunt, ieiunia à regula præscripta violauerint, osculentis, ac poculentis sibi furtim sepositis, & ad aures Præfecti monasterij hoc delatum esset, tanquam lethalis culpæ reos acri pœnitentię eos subdidit: at cœnobij Pœnitentiarius cernens ipsos ad ieiunij transgressionem procliues, in animæ foro hac lege eos soluit, & in posterum ad ipsum ieiunium à Cõstitutionibus indictum, vsque dum vigesimumprimum annum agerent, non teneri declarauit.

Tertio, Cum ieiunium sancti Ioannis Baptistę in festum Corporis Christi incidisset, Ciuitatis Episcopus illud in præcedentem diem transtulit, & ab omnibus obseruari præcepit. Ex quo proposito casu cum quæstionibus annexis hæ dimanant dubitationes. Prima est, an Diomedes ieiunium à Confessario pro pœnitentia iniunctum transgrediendo lethaliter deliquerit, etiam si annum vigesimumprimum nondum compleuerit, & num pecunia eccle-

siæ luæ

fuæ suæ applicanda illud redimere potuerit. Secunda, an pariter mortaliter peccauerint religiosi illi professi, qui ieiunium à sua regula præceptum violarunt, & Monasterij Confessarius eos ab hac obligatione liberare potuerit. Tertia, numquid Episcopo ieiunium vigiliæ sancti Ioannis Baptistæ in festo Corporis Christi occurrens, in diem præcedentem transferre licuerit, & numquid regulares ad huiusmodi translationem se conformare teneantur?

RESPONSIO.

PRimam quæstionem sic breuiter expediendam puto dicendo, quod licet ex D. Thomæ sententia communi consensu recepta *in 22. q. 147. ar. 4* ante vigesimum primum annum exactum nemo ieiuniorum ecclesiasticorũ legibus astringatur, nõ qđ ut aliàs dixi, ante eã ætatẽ, pueri, & adolescentes, nõ sint doli, & peccati capaces, sed quod frequẽter accidat, vt adolescentes vsque ad eam ætatem soleãt frequenti cibo indigere, & immagna copia propter abundantem caloris vim cibum ipsum facile absumentis, & operantis nõ solum vt nutriat, sed etiam vt naturæ debitum incrementum in eis præstet, nihilominus etiam ante dictam ætatem iure naturali ecclesiæ ieiunio astringuntur, nisi probabiliter credant, se à carnis tyrannide victos iri, nisi eo se præmuniant, teste eodem *D. Thoma l. c. art. 3. Nau. consil. 3. tit. de pænit. & remiss. & Tolet. l. 5. c. 3. Bonac. de leg. d. vlt. q. 1. pun. vlt. num. 6.* Vt propterea Siluerius Parochus ad terendam carnis superbiam, qua ipse Diomedes oppugnatus succumbit, prudenter cibi potusque parcitatem indixerit ei acceptanti, cum sine Cerere, & Baccho Venus frigeat: nec sit cãstitũ adeo munitum, quod expugnari non possit, si annona subtrahatur, necnõ magnus ignis, qui per lignorum subtractionem extinguine queat, siquidem carnis virium est sicut piscis, qui in fluuio natat, & in sicco moritur. Et vt ille admonuit,

Abstrahe ligna foco, si vis extinguere flammam,
Si carnis motus otia, vina, dapes.

vt scripsimus supra *tract. 6. c. 14. q. 67. & seqq.* & certum est examina innumerabilium vitiorum, inter quæ præcipue sunt indomitæ, & effrænes concupiscentiæ, se agglomerare, & adolescentiæ se adiungere, *vt ait D. Basil. in c. 3. Isa. vt et supra sub dictũ. q. 6.* Proinde facile hinc colligitur, hunc pœnitentem non sine lethali culpa iniunctum ieiunium fregisse, si absque legitima, & rationi consentanea causa hoc egit: dixi absque legitima, &c. siquidem habens istam causam manifestam non ieiunandi, vel talem existimans, etiam absque dispensatione, licite ieiunium frangere potest, si vero esset dubia, dispensatio ab Episcopo, vel, vt alij volunt, à Parocho petenda, est. *ex Caiet. ver. ieiunium. Azor. p. 1. l. 7. c. 27. Regi- nal. l. 4. num. 203. Molfes. tract. 10. c. 4. num. 7. Filliuc. tract. 27. c. 7.* Vbi aiunt, rationabilem esse causam, quæ ad soluendum ieiunium sufficiens existimatur, ab eo, qui ieiunare debet, seu à Superiore suo, vel à suadentibus eruditis, sanctis, & bonis viris, quales in dubio consulere debet, vt non ieiunet, etiam si in rei veritate ea causa sufficiens non sit, vt si absque fraude, ob laborem in pilæ ludo susceptum, vel ob aliud occurrens, ieiunij præceptum uiolet. *Arg. Nauar. cons. 10. tit. de pænit. & remiss.* vbi ait, quod qui dubitat aliquem actum esse mortalem, propriẽ conscientiæ satisfacit, de hoc aliquem suum Superiorem interrogando, videlicet Episcopum, eius Vicarium, vel Parochum, seu Confessarium, si bona fide, & coram Deo crederet ipsos sufficienti scientia munitos esse. Addo *ex Bonac. de contract. disp. 1. q. 2. pun. 2. n. 11.* & ex communi, eum qui post debitam diligentiam adhibitam, dubitat, an uigesimum primum annum expleuerit, ex ecclesiæ præcepto ieiunare non teneri, cum suam libertatem possideat, & habita ipsius ratione, nondum præceptum in possessione esse dicatur. Ex opposito quando ambigitur, an quis ad annos peruenerit, qui ad recipiendos ordines, vel beneficia requiruntur, ad ea admittendus non est, quia possessio ecclesiæ præcepto legitimam ætatem exigentis suffragatur, nisi de ea manifeste constet. Obseruat etiam notabiliter *Caiet. 22. q. 147. art. 4. & Miranda tom. 2. Man. Prælat. qu. 30. art. 11. Roder. in qq. regul. tom. 1. q. 22. art. 5.* non debere Prælatos relinquere suæ conscientiæ subditos ab ipsis dispensationem petentes, ut in die ieiunij, aliqua de causa, eis cœnare liceat, aut ante horam comedere, quia potius illis compati debent, & dispensando benigne eos à suis scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud pium opus commutare.

Vnde manet resolutio, quod sicut vrgenti graui publica necessitate, adolescentes præcepto ad ieiunium astringi possunt; qualis fuit illa propter quam *Ionæ c. 3.* datum est iussum, ut homines, & iumenta quidquam non gustarent, ita etiam in priuatę necessitatis casu, ut est ea quam patitur persona uitijs implicata, in cuius remedium Confessarius ieiuniũ imponit, Diomedes quarta, & sexta feria, iure sub lethalis noxæ reatu: d illud astringi potuit, vt ex supra allatis DD. colligitur, & *ex Lessio l. 4. c. 2. num. 40. & Reginal. l. 4. num. 206. & sequ.* Vbi aiunt hanc rem prudentiæ Confessariorum, & Rectorum relinqui, ut quibus, & quando uidebitur esse opus, ieiunium præscribant *vt infra quoque dicetur.*

Quò autem ad illam dubitationem præcedenti quæstioni annexam, an Syluerius Parochus, & eius Confessarius pecunia ecclesiæ suæ applicanda ieiunium illud redimere potuerit. dico si recta, & sana intentione hoc fecit, de iuris rigore à simoniæ peccato immunem esse; siquidem in spiritualibus admi-

F 2 nistran-

nistrandis simonia non committitur, vbi quid poenæ nomine ab ecclesiastico Iudice, tàm in externo, quàm interno foro exigitur; non enim pro spiritualibus, sed pro peccati poena hoc facit. Quò autem auaritiæ notam euadat, non sibi exactam pecuniam retinere debet, sed in pauperes, vel in pium vsum eroganda erit. *vt ait Vgol. de simonia tab. 1. c. 9. § 9. Graffius cons. 2. de poenis.* Vnde in simili DD. asserunt, ut quoties ex iusta causa in obseruatione festorum ab Episcopis, Vicarijs, & etiam Parochis ex causa dispensatio uel commutatio fieri debet, in propriam crumenam non conuertatur, sed certum quid alicui ecclesiæ, ut ad emenda luminaria, & similia soluatur. *Reginald. l. 19. num. 54. Molfes. tr. 11. num. 76.* Sic etiam alibi resoluimus, valere Canonicorum statutum, quo cauetur, ut qui in Canonicum recipitur, aliquid tribuat, quod aut in utilitatem ecclesiæ, in quam recipitur, aut in monasterij, vel hospitalis, alteriusve pium vsum erogetur. *ex eodem Vgol. l. c. c. 9. §. 11.*

Secundam pariter quæstionem sic resolutiue absoluo, dicendo, quod licet religiosi qui nondum uigesimum primum annum excesserunt, siue nouitij sint, siue professi, ab ecclesiastico ieiunio regulariter excusentur; cum in illis perinde ac in alijs excusationis causa locum habeat; non tamen à ieiuniorum lege immunes sunt, quæ per regulam suæ religionis sub lethalis culpæ reatu iniunguntur; nam instituti præceptum, & lex omnes ligat, & sicut adolescentes sua sponte de ieiunio seruando uotum Deo nuncupare possunt; sic etiam se religioni obligare, ita ut eius legibus obstricti teneantur, & proinde ieiunium ab ea indictum uiolando, mortali peccato animam saucient. *vt per Azor. p. 1. l. 7. c. 28. q. 3. Sanchez l. 4. de praeceptis c. 13. num. 56. Roder. tom. 2. q. 100. art. 8. Reginal. l. 4. num. 207. Filliuc. tract. 27. c. 6. num. 111 Bonac. l. c. nu. 6. & alios communiter, contra Medin. in summa l. 1. c. 14. §. 10. & Graff. l. 2. decis. aur. c. 37. nu. 42. & nonnullos alios. vt etiam dixi sup. c. 7. q. 20.*

Quam porro detestabilis sit, clandestina, ac furtiua religiosorum comestio, regulam non sine lethali culpa uiolans, ex multitudine peccatorum inde manantium constat; in eam namque dux gula primum cõuenit: & cum clam Superioribus efitatur, furtum est, cui accedit paupertatis uiolatio, obedientiæ, & regularum transgressio, scandalum cum res innotescit, & alia multa mala prodeunt, de quibus *Vmb. in reg. D. Aug. c. 57. & 99.* ita ut verum sit quod dixit *D. Isidor. de summo bono l. 2. c. 42.* Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ uirtutes edacitatis uitio destruuntur.

At Monasterij Pœnitentiariũ nõ potuisse illos lege soluere, quo minus ipsi religiosi ieiunijs à regula indictis tenerentur, hinc patet, quod Confessarius iurisdictione in foro externo careat, quæ ad iuris relaxationem, vel pœnæ ablationem, quæ per Superioris legis transgressionem contracta est, necessario requiritur. Quippe solius Confessarij cõsilium sufficit, ut ieiuniorum legibus liberemur, quandocumque in causa nobis dubia, & incerta senserit tali obligatione nos esse solutos; tunc enim non legem relaxat ipsa, sed declarat, cuius iudicium in foro interno solum locum habet; at vero quando causa dubia est, & incerta, Superioris authoritate, ut supra dixi, opus est. *Roder. in qq. regul. tom. 1. q. 22. art. 8. Azor. p. 1. l. 7. cap. 29. q. 4. arg. Sayrus in Claui regia lib. 6. cap. 11. num. 85.*

Ad tertiam quæstionem respondendo, sic eã expediendam existimo, nempe posse authoritate Episcopi ieiunium ex uno die in alium. ut ieiunium sancti Ioannis occurrens in festo Corporis Christi, in diem præcedentem transferri, & populum posse in eo die carnibus vesci, *arg. c. 1. ext. de obseruat. ieiunij.* Et tunc religiosi ad præfatam translationem se conformare debent, ut unius sint moris, & in domo Dei ambulent cum consensu, ab omnibus namque præsertim à religiosis uitanda est singularitas, cuius proprium est unionem, & morum conformitatem cum reliquis hominibus non habere, ut pote superbiæ filia, & multorum uitiorum mater, & animæ omnimoda deuastatio. De qua illud *Psalm. 79.* nonnulli exponũt, singularis ferus depastus est eam uineam scilicet ecclesiæ. nam ut loquitur *D. Aug. 2. part. 3. c. 3. § 8.* Fetini homines sunt, qui singulares uideri uolunt, cum homo sit animal sociale, non singulare; & ij Ecclesiarum, & Ciuitatum unionem consumunt, quando à communi uita, & obseruantia recedere uolunt.

Quò ad q. resolutionem uideatur *Caiet. ver. ieiunium 3. Syluester ver. eodem q. 7. Reginal. l. 4. nu. 224 Nald. ver. ieiunium num. 7. Bonac. de legibus d. vlt. q. 1. puncto vlt. num. 18. Molfes. tr. 10. c. 3. nu. 55.* idem *Roder. tom. 2. q. 70. art. 1.*

CONFESSARII PARTES.

PArtes ergo Confessarij erunt, pœnitenti significare, ut sibi ualde cordi sit, peccati cuiusque fuga, & expugnatio, & præsertim gulæ, non mortalis solum (quamquam in huius præcipue uictoriam incumbere eum conueniat, nam teste *D. Greg. l. 30. mor. c. 26.* dum venter non restringitur per carnis cõcupiscentiam, simul cunctæ uirtutes obruuntur) sed etiam venialis, quia venialia etsi per se leuia multiplicata multum nocent. eademque est eorum ratio, quæ infirmorum argumentorum, de quibus *Quintil. l. 6. orat. instit.* Si non possunt ualere, quia magna sunt, ualebunt quia multa sunt. Singula leuia sunt, & communia, uniuersa uero nocent, etiam si non ut fulmine, tamen ut grandine. Dixi autem supra

pra præsertim gulæ, &c. quia et alias adductis, suppono, In quouis homine vnum esse, quasi primariũ peccatum, caputque cæterorum, quo debellato facile cætera cadunt. Quod quidem varijs modis, ac rationibus cognoscitur; sed singulariter in cogitationum genere, in quibus plerunque, aut communiter mens nostra occupatur, huc. n. tẽdũt illa Christi verba, *Matth. cap. 6.* Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Illud item, vetetum, Gnatonis animus semper est in patinis. Secundo cognoscitur, si etiam leui obiecto proposito libenter, & statim sensitiuus insurgat appetitus, & ratio succumbat. Tertio, ex crebri sermonis qualitate innotescit; quia uulgo loquimur, ut afficimur. Amantes, inquit *Plutarch. l. de garrulit.* in his multum versantur sermonibus; qui rerum amatarum recordationem refricant. Sic Demonax dicere solebat, in speculis uultus figuram, in colloquijs autem animi naturam, & imaginem cerni posse, ac fictilia vasa sono, ac percussu, hominem vero sermone explorãdum esse, teste *Maximo serm. 15.* Et vt ait *Decius in l. semper in stipulationibus ff. de reg. iuris & Menoch. de præsumpt. l. 6. præsump. 35.* Animus talis præsumitur, qualem, vel verba, vel facta ipsa declarant; nam uoces sunt signa earum, quæ sunt in anima passionum. Vnde & Thales philosophus hominem ex sermonis serie iudicandum putauit sapientem, cum dicere solitus sit, multa verba nequaquam sapientem arguere: sapiens enim nõ nisi cum res postulat, loquitur, & perpaucis ad interrogata respondet, paucissimis suum ostendens animum. *ex Laertio l. 1. c. 1.*

C A P. V I I I.

De Decimis, & primitijs soluendis.

Q V AE S T I O XXIV.

Quid agendum circa rusticos, nolentes soluere decimas, & prætextu quod Parochus sit satis diues, & in cura animarum negligens, an possit eos à Sacramentorum perceptione arcere, & excommunicationi subijcere?

Dionysius rusticus, & agricola, cum nollet decimas, & primitias Syluestro Curato suo soluere, tùm eo prætextu, quod ille sit satis diues, & opulentus, trecentum enim aureorum redditus absque pensionis onere possideret; tùm etiam quod in parochiali cura officio suo in multis desit, & partes suas non expleat; siquidem diebus dominicis minus sæpe sermonem ad populum habet, raro rudimenta Christianæ fidei docet, in administrandis Sacramẽtis desidem, & negligentem se præbet, &c. In festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis à reconciliatione, & sacra Cõione ab eo repulsus est, imo ipse Parochus in die sequẽti in festo D. Rochi excõmunicationis sententiam Concilij Tridentini sanctioni innitens in eum tulit. Quæritur, quomodo tàm cum Dionysio parochiano, quàm cum Syluestro parocho, Confessarius se geret?

RESPONSIO, SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

PRo clariori huius casus intellectu, Prænotandum est primo, Decimam esse portionem unam ex decem, Veteres enim ex unaquaque re non solum decimas, primitiasque Deo dabant, sed sæ daturos plerumque uouebant, ut in libris de diuinatione, & de natura Deorum testis est Cicero dicens, Neque Hercule quisquam decimam uouit umquam. Vnde decima nihil aliud est, quàm decima pars iuste quæsitorum Deo debita, quæ alicubi etiam primitiæ appellatur, *vt per Belam p. 1. resp. casu 52.*

Ab aliquibus vero decima à primitijs, & oblationibus distinguitur, quod primitiæ dicantur primi agrorum fructus, & Deo immediate offerantur, decimæ Dei ministris tribuantur. Oblatio postea ut sit tamquam genus tàm decimas, quàm primitias complectens, & tàm internam, quàm externam oblationem significans, *vt per Suarez tom. 1. l. 1. de religione c. 3. Arag. 2. 2. q. 86. art. 1. Azor. p. 1. l. 7. cap. 38. q. 6. Regin. l. 19. c. 4. num. 86. Molfes. tract. 6. c. 1. num. 27 Mirandam in Man. Prælat. tom. 2. q. 49. art. 1.*

Secundo, decimas, vel primitias triplici iure deberi. Primo naturali, nam sicut ratio ipsa naturalis docet, nos Deo, ut supremo Domino, & summo bono honorem, submissionem, & obedientiam per sacrificia exhibere; ità quatenus terræ fructus nobis quotidie prouitæ alimento suppeditat, aliquam de his partem gratiarum loco, eidem pro eius ministris consecrare, ipsa naturalis æquitas postulat. Sic veteres illæ gentes erga Sacerdotes pientissimæ, nõ cõtentæ, ut apud eas magno essent in honore, summaque pollerent potestate, ipsis etiam stipendia de publico statuerũt, ne sacra desererentur, neve ipsorum Sacerdotum dignatio in contemptum abiret. Et lapponenses dum adhuc Ethnici essent, solebant de rebus omnibus, quæ à Deo acceperant, item de venditarum, seu emptarum rerum lucro, partem aliquam vanis suis Dijs offerre, quem vsum obseruãtes vero Deo eandẽ nunc offerunt. Hinc & Romani naturæ ductu nihil antea de terræ nascentibus gustabant, quàm Sacerdotes nouarum frugum, ac vini primitias libarent, teste *Plinio lib. 18. c. 2. Anastas. Germ. de sacr. immunit. l. 1. c. 14. & l. 3. c. 19. Dauil. tom. 2. c. 14. tit. 14. Rab. Iustin. in Tob. c. 1. vers. 6. dub. 4. Scort. l. 2. c. 10.* Secundo de iure diuino pendi debent, nam *Exodi c. 23.* præcipitur, Primitias frugum

gum terræ deferes in domum Domini. Vt merito Tridentini Patres furum etiam nomine, & rapto rum titulo, eos appellent, qui ecclesiæ Præsidibus, & Magistratibus, debita vectigalia, tributa, decimas, & reliqua huius generis non persoluunt, vel interuertunt, seu ad se transferunt. vt habetur in *Catech. Rom. super 7. præcept. §. in hoc crimine*. Adeo autem de iure diuino debentur decimæ, ut aliqui Iurisperiti dixerint, nos in terris pace non frui, quia Dei præcepta non seruamus, & decimas non soluimus. *Io. And. in c. Apostolica. tit. de re iud. l. 6. Aegid. Bellam. consil.* 40. Quæ positio multo magis intelligitur quò ad decimas, quæ Summo Pontifici pendi solent: nam vt ait *D. Thomas* 22. q. 87. *art.* 1. & 4. naturalis ratio dictat, quod illis qui habent curam animarum de communi multitudinis statu prouideatur, vnde possint ea exequi, quæ ad communem salutem pertinent. Iusta autem de causa, & vrgente aliqua necessitate ab ipso Papa exigendæ sunt, puta pro expeditione belli contra hostes fidei, & huiusmodi, quæ quidem iusta causa in eo persumitur, nisi aliud constet. Sed quia hæ Papales decimæ super beneficijs ecclesiasticis imponuntur, ideo quæ appellatione beneficiorum, vel ecclesiasticorum fructuum non veniunt, ad decimas non tenentur. Vnde pro stipendijs, quę regularibus ad eorum congruam sustentationem dantur, istę decimę non debentur. *Gemin. cons.* 85. *Tuschus in ver. decima, conclus.* 82. & 85. *Moneta de decimis, c. 9. nu.* 42. *Bablettus in disquisit. cler. p.* 1. §. 12. *num.* 21.

Porro communis est Doctorum sententia, omnes decimas quò ad substantiam à diuina lege descendere, & in septimo decalogi præcepto contineri, sed quò ad quotam, idest ut ut octaua, decima, vel uigesima pars fructuum, vel alia soluatur portio, canonicum, & ecclesiasticum tertio loco ius instituisse. *c. de decimis* 16. *quæst.* 1. & *toto titu. extr. de decimis*. A qua quidem obligatione decimas Parochis soluendi, nec clerici quò ad patrimoniales agros, nec religiosi qui prędia possident, immunes sunt, nisi exemptionis priuilegio gaudeant, licet enim ipsi à Parochis spiritualia non percipiant, attamen quia ecclesia ex omnibus agris in suo dominio existentibus ius decimas exigendi habet, rationi consentaneum non uidebatur, eam ipsummet ius amittere, & cęt. *Molfes. ex communi D D. tr.* 6. *c.* 1. *num.* 38.

Supponendum tertio decimam triplicem esse, nempe realem, quę ratione rei debetur, ut est frumentum, & aliæ fruges, item uinum, oleum, & alia. Idem dicendum de pensionibus domorum, ex molendinis, & piscinis, &c. *Gennen. in pract. eccl. q.* 197. Personalē, quę personę ratione persoluitur, nēpe ex licita negotiatione, ac hominis industria, ut ex artificio, scientia, militia, famulatu, & alio lucroso actu: & mixtam, quę ex animalibus percipitur, in quibus & res, & personę industria consideratur. Verum ut supracitati DD. annotant, decimę non debentur, vbi non uiget eius rei consuetudo, & quidem personales idest ex industrię lucro nullibi fere sunt in vsu. Quomodo vero solita earum solutio probetur, tradit *Mascard. de probat. conclus.* 483. *vol.* 1. & *Menoch. l.* 6. *de præsumpt. præsumpt.* 86. *Tuschus in ver. decima, conclus.* 72.

Quarto, decimarum cognitionem, & iudicationem ad ecclesiasticos Iudices, non item ad ciuiles Magistratus spectare, quandoquidem laici ecclesiastica negotia tractare non debent, maxime cum de huiusmodi decimarum iure agatur, quarum causa sacra, seu spiritualis dicitur, quod verum est, siue iuris, siue facti agitetur quęstio, siue agatur inter clericos, siue laicos, siue inter clericum, & laicum, vel principaliter, vel incidenter, siue de proprietate, siue de quota, ut aiūt, parte lis moueatur. Cum enim circa spiritualem rem, seu annexam spirituali uersetur, nec mixtus casus detur, semper ad ecclesiastici Iudicem eius cognitio spectat, qui per canonicas censuras renitentes ad decimarum etiam solutionem compellit. *Germ. l. c. c.* 19. *num.* 84. *Azor. l.* 7. *c.* 36. *q.* 5. *Molfes. tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 69. *Suarez. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 15.

Tandem suppono tres pręcipuos modos dari, quibus quis secundum quantitatem quam ecclesia determinauit, à decimarum solutione eximi potest, nempe priuilegium ab Apostolica Sede concessum, consuetudinem legitime pręscriptam, nempe spatio quadraginta annorum; & pręscriptionem, nimirum possessionem bona fide continuatam per tempus à iure statutum, idem *Suarez. l.* 1. *c.* 12. & 13. *Regin. l.* 19. *num.* 96. *Zerula in praxi episcopali in ver. decima & alij supracitati.*

CASVS ET QVAESTIONVM RESOLVTIO.

His pręnotatis asseuerante dico, Dionysium non solum de religionis, & charitatis titulo, sed etiam iustitię lege teneri. Syluestro uel diuiti, uel segniter in officio suo se gerenti decimas persoluere, nam eius diuitię nihil obstāt, quominus ei debeantur, & iuste illas percipiat, si in populi utilitatem, & spirituale commodum laboret, cum nemo ex Apostoli sententia, suis stipendijs umquam militet, & diuiti creditori suum debitum, & ius soluendum sit. Imo etiam si improbus sit, & muneri suo otiosus desit, ab eo nihilominus subtrahēdę non sunt, cum tàm de iure, quàm de facto suam intentionem munitam, & fundatam habeat, donec aliud ab eius Episcopo decernatur, &c. *Suarez l. c. cap.* 29. *num* 5. *Reginal. l.* 19. *num.* 90. *Ancharr. cons.* 196. *Aegid. Bellam. consil.* 40. *Tusch. ver. decima, conclus.* 92. *Bonac.*

tom.

tom. 2. disp. vltima, quæst. 5. puncto 3. num. 15.

Quo fit, ut ipse Dionysius Parochus non ut Iudex, sed sacrorum minister, si peccatum notorium esset, Syluestrum contumacem à Sacramentorum susceptione iure merito arcere possit. Vt tamē scandalum, & usurpatę sibi alienę potestatis suspicio eui tetur, debet coram alijs protestari illum à Sacramētis repelli, non quia pœnitens deneger, quod Parocho debetur, sed quia suę conscientię consulere non uult, seque digne ad suscipienda sacramenta preparare. Iam uero ex aliquorum sententia quantumcūque peccatum occultum sit, ei integrum est, sacramenta denegare tanquam uolenti in mortali peccato persistere, quandoquidem tàm Deo, quàm eius ministris hoc iniuriosū est. Quę sane causa fuit, ut *Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 12.* serio præcipiat, ut qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec nisi plena facta satisfactione absoluantur; nisi tamen, ut aliqui exponunt, decimę præscriptæ essent; etsi enim laici eorum incapaces sint, libertatem tamen non soluendi præscribere possunt, ut dixit *Nau. cons. 2. de decimis, & Vgol. de officio Episcopi p. 1. c. 9. §. 2. Vasq. in opusc. de benef. c. 1. §. 1. dub. 2. & 3. Reg. l. 19. num. 97.* satis enim esse aiunt, ecclesiæ ministris remanere, unde congrue alī possint, siue ex redditibus ecclesiasticis, siue ex alijs fidelium largitionibus, uictus suppeditetur.

Circa tamē ipsum Concilij locum, hæc quæ mihi veriora uidentur, annotanda sunt. Primo non posse Parochum decimas sua auctoritete accipere, etiamsi subditus iniuste detineat, vel solutionem differat; hæc enim uis Reipubl. paci aduersatur, & plurium iniuriarum, ac scandalorum origo, & seges esse potest. Nec solum per uim corporalem, verum etiam nec per, ut sic dicam, spiritualem sacramentorum subtractionem suo marte, & propria facultate potest parochianum cogere, ut decimas soluat; quod hoc esset bonis suis, vel possessione, vel eorum vsu priuare, quod non licet. Item quia vel illa coactio esset per iurisdictionem forensem, & uim punitiuam in foro externo, qua ipse parochus caret, vel esset per facultatem quasi intrinsecam indignis sacramenta non præbendi; & hac nec uti potest, nisi quando est publicum, & indubitabile delictum; hic autem peccatum non est publicum, cum non sit per sententiam declaratum, ut supponimus. Nec est ita indubitabile, ut euidentia facti sit notorium, quia aliquā excusationem afferre, & aliquod ius pretendere potest, ergo nullo modo talis coactio licita est. Insuper qui sic delinquit, non est ipso facto excommunicatus, & licet esset, non posset tamen à parocho publice denunciari, donec per Episcopi sententiam pronuntiatum esset, in excommunicationem ipsam incidisse: ergo antea eo titulo à sacramentorum participatione excludi nequit; vt per *Nau. cons. 2. tit. de decimis. Suarez l. 1. c. 38. num. 2. Marc. Ant. Gen. in praxi Neap. c. 76. in annot. num. 10.*

Secundo super illa verba nisi plena secuta absoluantur, dico hoc intelligendū esse de illo, q ante absolutionem, communionem, vel mortem restituere potest, quia si impotentia excusetur, absolui poterit ab habente potestatem in foro interno, vel externo, iuxta iurisdictionis modum, cum proposito satisfaciendi ecclesiæ, cum primum ei licuerit, & sufficienti præstita cautione, iuxta occurrentes circumstantias, &c. *Nau. c. 21. num. 33. & c. 17. num. 54. Molf. tom. 2. de iust. disp. 576. Zerula in praxi penit. c. 22. q. 11. Bonac. tom. 2. disp. vlt. q. 5. p. 7. Roder. in summa p. 1. c. 87. num. 8. Henriq. de excommun. l. 13. cap. 28. num. 1. in scholio. Sanchez l. 2. oper. mor. c. 20. num. 19 Suar. d. c. 38. num. 3 Mar. Anton. l. 1. var. resol. resol. 77. Molfes. tract. 6. cap. 1. num. 41. & cap 4. num. 65.* Vbi ex communi ait, quod quando decimæ cum aliorum scandalo exigi non possunt, post humaniter admonitionē factā, eas poti⁹ Parochi dimittere debēt, secus si omissio defensionis rerū ecclesiasticarū in immunitatis ecclesiæ damnum cederet, quia tūc Pastores, & Curati, etiam proprio sanguine licitis tamen modis eam libertatem tueri tenentur.

Tertio ex cōi Doctorum sententia noto, nec priuilegio, nec consuetudine, aut præscriptione, introduci posse, ut aliqui à decimarum solutione liberentur, quando ex alijs ecclesiasticis redditibus cōgrua spiritualium rerum ministris sustentatio non suppetit, siquidem huiusmodi subuentio iure naturali diuino debetur, cui humana lege derogari non potest. &c. *Armilla in ver. decima num. 3.* vbi subdit hæc verba, Ecclesię acceperunt semel totam decimam, cum receperunt possessiones sufficientes ad earum necessitatem, & sic posset dici, quod contra eas recipiunt decimas, idest redditus ratione decimę. Quod si verum est, tota quæstio est soluta: quia amplius non possunt petere, & credo sic esse cum uideamus omnes ecclesias, Episcopos, & Prælatos diuites de possessionibus, hæc ibi. Hoc tamen dictum non esse vsquequaque uerū illud palam facit, quod aliquando sanctio *Conc. Trid. sess. 24. c. 13.* ex aliqua causa nō seruat, ubi cauetur, ut oēs cathedrales ecclesiæ quarum redditus summam ducatorum mille; & parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reseruationibus fructuum grauentur. Quæ sane centum intelliguntur, iuxta valorem ducatorum in qualibet regione, ut sacra Congregatio respondit. *Zecchius de Repabl. eccles. cap. 28. num. 4. Parisius de resignat. l. 2. q. 2. num. 21. Azor. par. 2. l. 7. c. 21. q. 8. Riccius in collect. decis. 745. Galletus, & Naldus in ver. pecunia num. 1. Marc. decis. 41. Puteus l. 2. decis. 494.*

CON-

CONFESSARII MVNVS IN PRAESENTI CASV.

IN præſenti caſu munus Confeſſarij erit, parocho ſuas obligationes ad mentem reuocare, ut reſidere, ſuoque gregi aſſiſtere, prompte, & libenter ſacramenta adminiſtrare, pigros ad eadem ſuſcipienda exhortari, nec difficilem, & aſperum, ſi petantur ſe exhibere, concionari, & rudes per ſe, vel per alium Chriſtianam doctrinam ſingulis Dominicis docere, uitæ exemplo alijs prælucere. Semel, aut bis in anno, quæ Tridentinum Concilium de ſolutione decimarum ſtatuerit, edocere, & ſimul quid *clem. 1 de pœnis* ſanxerit enuntiare.

Econtra Parochianorum partes eſſe, ſuum Paſtorem debito honore afficere, obedientiam ei præſtare, concionem in diebus feſtis in propria parochia audire, ad diſcenda Chriſtianæ fidei myſteria illuc accedere, ſacramenta ibidem frequentare, decimas ob multa, quæ ex his proueniunt commoda, magno corde, & animo uolenti perſoluere. Nec miniſtrorum quibus decimæ ſoluuntur uitam conſiderare, ſed ab eo oblationum ſuarum præmium expectare, qui in centuplum omne bonum remunerare ſolet. Illum etiam pauperem alere teneri, & parochialem eccleſiam ruentem in eius defectum reficere *Megal. l. 2 c. 10 q. 2. Sylu. in ver. eccleſia. 2. quæſt. 4. Riccius in praxi fori eccleſ. deciſ. 1241. & in praxi var. reſol. reſol. 201. Beriu l. 1. conſ. 3. Io. Bapt. Ferretus conſil. 362. & 369. & 370. Surdus volum. 1. conſ. 62. Camp. in diuerſ. iur. can. Rub. 12. cap. 13. num. 18.* vt de his omnibus egimus, in *Comment. de hum. viti ſtat. p. 1 c. 14. & c. 15.* & innui ſupra *tr. 7. c. 16. q. 73.*

QVAESTIO XXV.

An decimæ ſoluendi ſint Parocho ſub cuius ditione habitat, & à quo recipit Sacramenta, an illi Rectori ſub cuius parochia prædia ſunt ſita, & quid ſi promiſit viſitare imaginē, & illi offerre, & illa in aliū locum mutetur, & quid ſi emit fundū eccleſia. &c.

BArtholomæus laicus cum in uno communi, vel loco, prædia ſua ibi ſita colat, in alio vero habitet, & ſacramenta ſuſcipiat, uterque Rector, & Curatus decimas, & primitias poſtulat; quærit nunc à quodam Theologo Confeſſario, an dictæ decimæ ſint dandæ illi eccleſiæ, ſub qua eſt prædium, & uſeris; vel potius ei, ſub qua ipſe Bartholomæus colonus uiuit, & ſacramenta recipit.

Item cum uotum emiſiſſet de uiſitanda ſacroſancta imagine Beatæ Mariæ Virginis D. Lucæ nuncupata, quæ in monte Guardiæ tribus milliarijs ab Vrbe diſtat, & cereum bilibrem pariter ei offerre promiſiſſet, illam publicarum ſupplicationum tempore in ædem Hoſpitalis Mortis uiſitauit, & uotum ibi ſoluit.

Tertio à Parocho eccleſiæ ſeruatis ſeruandis, eccleſiaſticum fundum emit, de quo ipſe Curatus decimas ſibi ſolui petit. Quæritur, quid iuris ſit, & quid in his quęſtionibus quid ſit ei reſpondendum?

RESPONSIO.

DIco primo de iure non uiſi eccleſię, cui prędia ſubeſt dādas, Quādoquidē decimę, vel primitię nō perſonales, ſed prędiales ſint, hoc eſt Deo pro fructuum beneficio offerentur, ideo illi parochię dicari debent, ſub qua fructus colliguntur; nam ut perſonales decimę, vbi ſunt in vſu perſonam comitantur, ac domicilium ſequuntur, illique parochiali eccleſię ſunt donandæ, in qua diuina quis audit, & ſacramēta recipit. *Feder. de Sen. conſ. 253. Tuſch. ver. decimæ, concl. 67. Gratian. in diſcept. forenſ. c. 595.* ita & prędiales, & quę agri fructibus ſunt connexę, illi debentur eccleſiæ, ſub cuius ditione arua ipſa reperiuntur. *c. quæſti ſunt. 16. q. 1. glo. Hoſt. & Abbas in c. cum ſint homines. ext. de decimis.* Nihilominus in hac decimarum materia communis eſt Doctorum ſententia, locorum conſuetudinem attendendam eſſe, cum ipſa ſit optima legum interpres. ſic enim & Hadrianus Papa IV. conſultus his verbis reſpondit *in d. c. cum homines.* Satie non eſt nobis facile ſuper hoc certum dare reſponſum, cum auctoritates ſanctorum Patrum etiam ſint diuerſę, & ideo in huiuſmodi dubitatione ad conſuetudinem duximus recurrendum, &c. Sicut etiam Doctores dicunt, quod licet decimę prędiales debeant in horreis Parochi ſumptibus ruſtici conſignari, hoc tamen non procedit, vbi in contrarium conſuetudo uiget. *Riccius in praxi uar. reſol. reſol. 244. Zerola in praxi epiſcopali p. 2. in ver. decimæ.* Siquidem conſuetudo eſt ius moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum lex deficit. *c. conſuetudo. diſt. 1.* & eſt origo, forma, & principium omnium iuriſdictionum, & veritati æquiparatur. *Crauetta conſ. 138.* Vnde *Durantus in 3. p. tit. 10. c. 3. §. 4.* dum de teſtamentis loquitur, ait; In diuerſis locis ſunt alia ſtatuta, vel conſuetudines præſcriptæ, quæ ſi non ſint contra rationem iuri communi præiudicant, & illis eſt ſtandum, & de eis à Confeſſarijs inueſtigandum, ut etiam conſiderauimus ſupra *tr. 4. c. 9. q. 59.*

Nec obſtat decimas de iure ad Rectorem eccleſiæ ſpectare, intra cuius fines terrę ſunt poſitę, ſecundum *Hoſt. & Abb. l. c. & Beiam in reſponſ. caſ. conſc. p. 1. c. 52.* quia illud procedit ſecluſa conſuetudine legitime præſcripta, quæ ſufficit, ut per decem annorum ſpatium ſit continuata. Sic in ſimili obſeruandus eſt uſus, cum in quęſtionem vertitur, an eccleſię matrici, vel baptiſmali, ſeu potius parochiali ab ea

seiunctæ decimæ petendæ sint. *Suar. lib. 1. cap. 24.* Regulariter enim, vt dixi, consuetudo regionis seruanda est *l. semper in stipulationibus, ff. de reg. iur.* iuxta illud Traiani Imperatoris scribentis Plinio *vt in 10. lib. epist. 21.* dum ait, Perseueremus in ea consuetudine, quæ isti Prouinciæ inest, quia natura est, unamquamque Prouinciam suo abundare sensu. *Decius vol. 1. cons. 26, Belletus in disqu. cler. p. 1. tit. de cler. debit. §. 13. Puteus decis. 154.* prout etiam dicimus, quod vbi receptus uiget vsus, & tandiu præscriptus, ut decimæ, non nisi petitæ soluantur, non debentur, nisi exigantur. *Azor. p. 1. l. 7. c. 35. q. 17.* Qua tamen in re grauiter errarunt aliqui, dicentes, Parochum si collectionis tempore non petijt, exigere postmodum non posse; temeraria prorsus assertio, quia nullo iure, vel ratione nititur, siquidem per se notum est, qui non petit debitum statim ac potest, non ideo illud remittere censetur. Imo ex vrbanitate quadam petitio, vel omitti, vel differri potest; quando enim creditor plus expectat, tunc debitor magis ex iustitiæ, & gratitudinis legibus se offerre tenetur, &c. Idem *Suarez l. c. c. 38. num. 1. & Riccius in d. prax. var. resol. resol. 69.*

Ad secundam quæstionem dico, Bartholomæum uoto nõ satisfecisse, cum illa imago perenne domicilium non mutauerit, dupliciter enim potest imago illa ad locum vbi uouens degit, adduci, Primo domicilium non mutando, sed aliqua peculiari causa, prout in nostro casu, ut scilicet transactis tribus Rogationum diebus, postmodum proprio loco restituatur. Posteriori modo, quando imago illa sedem, vel habitationem omninò in eum locum commutat, & tunc satisfecisset, siue adducatur in proprium uouentis locum, siue in quemcumque alium multo minus eo distantem, in quo prius imago illa collocata erat, nam uouens accessoriè laborem illius itineris, & expensas, cæteraque sumptus promisit, principale autem uoti obiectum fuit illius imaginis inuisio, in eo distanti loco positæ, cum ergo principale, imagine aliò ducta, desierit, accessoria quoq; obligatio cessabit. *Sanchez l. 4. de precep. c. 11. num. 68* Vbi etiam resoluit eum qui uouit, verbi gratia, limina Apostolorum inuisere, uoto satisfacere, si Romam causa aliorum negotiorum adierit, & limina ea occasione uisitauit, si aliqua piæ peregrinationis ratione ductus illuc accesserit; licet in praxi parum hæc opinio recipi uideatur, & eam in hoc aliqui recentiores sequantur.

Ad tertiam quæstionem dico, Bartholomæum ecclesiastici fundi emptorem, ad decimam præstandam teneri, quia ex mutatione personæ status rei mutatio sequitur; sicut è contra quando personæ cõditio non mutatur, nec etiam statum rei conuenit immutari. Vnde Prælatus qui bona ecclesiæ non alienare iurauit, capitulo suo donare potest, ex quo extra personam illius ecclesiæ non transeunt, & in habentibus symbolum facilior est transitus. vt per *Marc. Ant. Gen. in pract. eccles. q. 380.*

QVAESTIO XXVI.

Collegiales cuidam Parochiæ subditi, an cogi possint solitas oblationes illi dare. Item oblationes factæ imagini ædibus collegij coniunctæ, an Parocho, vel potius ipsismet Collegialibus debeantur, &c.

IN quadam insigni vrbe, vbi generale viget studium, adest exterorum Scholasticorum collegium, quod uicinæ parochiali ecclesiæ in sacramentorum susceptione subest, cum autem per immemorabile fere tempus pro expensis olei, & ceræ, in honorem sanctissimi Sacramenti faciendis, simul cum alijs parochianis eleemosynas offerre consueuerint, nunc hoc pium, & religiosum officium sordida auaritia explere detractant. Item cum ædibus collegij coniuncta sit imago Beatæ Mariæ Virginis miraculorum gratia coruscans, ad quam ingens hominum confluit multitudo, ac proinde multæ ibi oblationes fiunt. Quæritur Primo, an consuetudinem offerendi scholastici ipsi non obseruantes lethalis peccati rei fiant, sacramenta, & candela benedicta in die Purificationis possint eis denegari, & fas sit in iudicio contra eos agere, &c. Secundo, an oblationes imagini à populo porrectæ ecclesiæ parochiali acquirãtur, an potius ipsis scholasticis collegialibus, sicut ipsi prætendunt?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

SVppono Scholasticos, sicut & mercatores, milites, & huiusmodi, Parocho illius loci, vbi habitant, & in cuius parochia degunt, subditos esse, & nisi aliquo priuilegio muniantur, teneri ibi sacramenta recipere; sicut etiam quò ad absolutionem à casibus reseruatis, Episcopo loci subduntur; non tamen quò ad dispensationem irregularitatis, vel quò ad promotionem ad ordines sine proprij Episcopi dimissorijs, ut per *Sanchez l. 3. de matrim. d. 23. & l. 2. de precep. c. 11. num. 9. Bonac. de Sacram. d. 5. q. 7. puncto 2. Ioseph. ab Ortu in spec. Paroc. c. 3. Marc. Ant. Gen. in prax. Neap. c. 83. Tab. & Sylu. ver. Parochia. Flor. de cas. reseru. p. 1. c. 3. §. 3. num. 9.* Ius vero parochiale quò ad administrationem principaliter in collatione quinque sacramentorum cõsistere, nempe Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis, & Matrimonij. Item in decimarum solutione, & oblationibus, quæ parochiali Sacerdoti dari solent, & in iure funeris, cum scilicet aliquis sub eius cura degens defunctus est, *c. ad Apostolicam, ext. de simonia,* vt etiã ostendimus *in Comment. de hum. vita stat. p. 1. c. 15.*

RESPONSIO, ET RESOLVTIO.

His breuiter præsuppositis dico, quod ex ui inueteratæ, & inductæ consuetudinis, quæ legis uim induit, tenentur scholastici ad dictam eleemosynam soluendam, quamuis aliàs sit diues. Et si enim in his, quæ meræ omnino sunt libertatis, ut tali tempore inuitare aliquem ad conuiuium, par caponũ quotannis in festis Natalitijs donare, & in cæteris huiusmodi, cõsuetudo, & obligatio nõ inducatur, in his tamen, quæ ita sunt libertatis, ut etiam aliquid necessitatis habeant, ut sunt decimæ, primitiæ, oblationes, &c. valet consuetudo ad lethalem obligans culpam, ad cuius oblationis præstationem quando exactio non præcessit, sed ex mera populi pietate fuit inducta, dicta uniuersitas ecclesiastici Iudicis officio, non vero iure ordinariæ actionis cogẽda est. Sicut etiam seruãda est consuetudo, quod laici, vel Parochiani parochialem ecclesiam reparent, & paramentis sacellum instruant, pro lampade ante sanctissimam Eucharistiam collucente, sumptum faciant, aliquid in mortuorum exequijs dent, & consimilibus. Et licet clericis actio ad hoc petendum non detur, populus tamen ad ipsam honestam consuetudinem custodiendam, & obseruandam, ab ecclesiastico Iudice, ut Episcopo, & Vicario cogi potest, &c. *Barbatia cons. 26. Abro. consl. 3. Ripa consil. 21 Bellet. par. 2. disquis. cleric. §. 3. Tusch. [illegible] nes, conclus. 13.*

Aristoteles tamen aliquãdo interrogatus, quod nam ex philosophia lucrum reportasset, respondit, ut ea sponte, libenterque facerem, quæ cæteri legum, Magistratuumque metu coacti faciunt. Et Cicero scribit bonum uirum non legibus, & humanis potestatibus ob timorem parere, sed quia rectum, & honestum id esse intelligit. Atque prædictam resolutionem afferunt *Innocent. Abb. & alij in c. ad Apostolicam, ext. de simonia. Bartol. priuilegia. C. de sacros. sanct. eccles. Franc. Marc. decis. 1123. Menoch. l. 2. de arbit. iud. centur. 2. casu 161. num. 9. Bingn. Cauale. decis. 27. num. 37. Riccius in praxi rerum fori eccles. decis. 1132. Couar. l. 1. var. resolut. c. 17. num. 3. Gutierez l. 2. qq. can. c. 21. num. 140. Caiet. & Arrag. 2. 2. q. 86. art. 1. Suar. l. 1. de religion. c. 5. num. 12. Bitfeldius in Comment. de simonia. c. 42. Grat. in discept. for. c. 110. num. 9. & c. 210. num. 11. Beia p. 1. casu 52. & alij.*

Hinc consequitur, Parochum si non propria authoritate, saltem officio Episcopi, sacramenta, & candelam sacratam iuste denegare posse. Qui enim non facit quod debet, nõ recipit, quod oportet, prudenter tamen, & caute hoc agendum est, ut auaritiæ suspicio, & nota uitetur, ut dixi supra. *Suar. l. c. num. 23. Riccius l. c. decis. 1240.*

Ad secundam partem propositi casus respondendo, prius suppono, qd cũ Christus Dominus, eiusq; Sanctissima parens, & immaculata Maria Virgo, cæterique omnes Sancti humana præditi natura, humanã et gesserint speciem, eorũ imagines pingi, & exprimi, esse sanctam sane, & certissimam grati animi significationem: & uetustissimum esse in ecclesia Dei, & à sanctis Patribus comprobatum usum sanctarum imaginum pictarum, earundemque adorationem, quæ quandoque ad Dei gloriam manifestandam miraculis coruscant, resoluunt, ac pluribus testimonijs confirmant *Simon Maiolus in tract. de sacris Imag. Alphons. de Castro l. ex aduersus hæreses ver. imago. Simancas in Cathol. instit. tit. 33. Vasquez de adorat. imag. l. 3. dis. Bellarm. in cont. fidei l. 2. à c. 5. usque ad c. 30.*

Secundo præmitto, Episcopos cautos debere, cũ miracula uirtute sacrarum Imaginum fieri dicuntur, statim mandare, ipsas imagines operiri, ecclesiæ, vel sacelli ianuas claudi, hominum concursum impediri, donec diligens capiatur informatio, ut eorum animus plene de toto negotio erudiatur, & integre veritas eruatur, Theologorum, & Iurisperitorum consilijs adhibitis. *Concil. Trid. sess. 25. de Inuocat. & vener. sanct. Marc. Ant. Gen. in prax. Archiep. Neap. c. 60. Piasecius in praxi episcopali p. 3. de visitat. eccles. Paroch. num. 8.*

Qua facta obseruatione, dico ex communi sententia, oblationes porrectas imagini depictæ in pariete domus collegij, non ipsi collegiatis, nec Cathedrali ecclesiæ, sed parochiali, in cuius districtu paries ipse situs est, de iure acquiri. Et semper Rectoris super his fundatam habere intentionem, etiamsi oblationes fiant in Capella sita intra parochiam suæ ecclesiæ, quam adhuc non Capellæ, sed ecclesiæ parochiali de iure, & uniuersali consuetudine cedunt. *Antonin. de Butr. Abb. & Imol. in c. pastoralis, ext. de his quæ fiunt à Præl. sine consens. cap. Tiraqu. Malder. [illegible] lat. dub. 4. Gen. l. c. c. 72. Riccius decis. 102. & collect. 1213. Tiber. Decian. consil. 61. Gutierez l. 2. can. qq. c. 21 num. 162. Marescottus l. 2. var. resol. c. 42.*

IN PRAESENTI CASV CONFESSARII PARTES.

Ad officium porro Confessarij spectabit, Scholasticos admonere, ut in posterum pio huic offerendi officio non desint, nec suas animas cum diuites, ac nobiles sint, tam turpi foedent uitio, præsertim cum proprium nobilitatis sit donare, & liberalitate uti. *c. 1. ext. de donat.* Nam ut ait *Lal. Tanchus in tract. de sacro milite l. 3. c. 1* Pigritia, miseria, auaritia, malitia, mendicium, & pusillanimitas cum nobilitate, & equestri dignitate non hospitantur, & equestre officium est, nec verbis, nec factis alicui iniuriam inferre. Hinc *Neuizan in syl. nupl. l. 4. num. 129.* ait, Sicut nobilitas cognoscitur ex liberalitate.

litate, ita rusticitas ex tenacitate; vnde leo, quia nobilis, & rex animalium, est liberalis, & multũ se ipsũ cõmunicans, ut de Aquila dicit *Baldus inc. dilecti. el. 2. de appell.* Idem cõprobat *Tiraq. de nobilit. c. 37. num.* 40. Quippe Parentum generositas maximum plerumque ad heroicam indolem affert ingenium. Qua de re extat grauis commonefactio Baptistæ Mant. ad Lud. Fuscar. Et neminem excelsi, & nobilis ingenij uirum humilia delectãt & sordida; quod Faustus poeta sic expressit,

Si te rusticitas vilem genuisset agrestis,
Nobilitas animi non foret illa tui.

Hinc etsi donatio regulariter non præsumatur, in duobus tamen præcipuis casibus excipitur. Primo, si dans est nobilis, vel diues, & recipiens indigus. & pauper. Secundo, si à coniuncta persona donetur. *Mascar. vol. 1. de probat. concl.* 554. *Tiraq. de nobilit. c. vlt. num. 47. & 50. Bisfeld. de simonia, c. 18. Tusch. ver. donatio. concl.* 702. *Molfes. tract. 12. c. 12. num.* 53 *Menoch. lib. 2. de arbit. iud. casu* 88. *Arrag. 22. q. 77. art. 1. §. Quocirca.*

Quę quidem nobilium munificentia, maxime in faciendis sumptibus, & impensis, circa sacrificia, tẽpla, & Dei ministros, eiusq; cultus fouendi, & amplificandi causa elucere debet, *Plat. de Card. c. 15. Vigue. in instit. Cathol. c. 16. §. 8. vers. 7.* nã & Aristoteles *l. 4 Eth. c. 2.* ex omnibus expensis eas honoratissimas esse ait, quę ad templa extruenda, vel donaria eis offerenda fiunt, & om nino quęcumque ad publicam utilitatem, & ornatum impenduntur. ut scriptum reliqui in *Comment. de hum. vit. ...* *Nau. cons. 1. de regul. & Roder. in qq. regul. tom. 2. qu. 49. art* 2. Vbi disputant, an melius sit ecclesiam regularem, quàm sæcularem fundare. & *Bonacasius de priuileg. pauper. q.* 8. vbi differit, an in eleemosynis erogandis religiosi alijs pauperibus præponi debeant. *Item Mantica de coniect. vlt. volunt. l. 8. tit. 6. num.* 6. dum tractat num legatum factum religiosis, debeatur potius monasterio monialium, &c.

Et ad pdictas oblationes ipsos collegiales naturalis æqtas, & iustitia inducere debet, cũ nõ sit magnũ nec mirũ, si ab eo metãtur tẽporalia, qui seminat spiritualia, ut proinde sacrę sanctiones velint, laicos cõpellẽdos esse ad obseruãdã laudabilẽ consuetudinẽ erga sanctam ecclesiam, pia fidelium deuotione introductam *c. si Episcopus. de offic. ord l 6. c. ad Apostolicam. ext. de simonia. Bisfeldius in Comment. de simonia cap.* 42. *Riccius p. 4. collect.* 1152. Vnde etiam dicit *gloss. in c. alienus dist. 90. & Syluest. in uer. murmuratio,* quod proprium opus clerici est oratio, laici vero oblatio.

Proponet Cõfessarius diuitiarũ fructũ in beneficentia, & misericordia erga pauperes situ esse. Vnde & *D. Chrysost. hom. 35. in 1. epist. ad Corin.* vt prępostere rum diuitiarum amorem ex animis nostris euellat, eas agrestibus, ac truculentis bellius similes esse dicit; verum in hoc discrimen positum esse, quod si quis belluas producat, in obuios ruunt, diuitiæ autem si includãs, ac serues, possessorem inuadunt, ac perdũt. Cæterum hac ratione huiusmodi bestias curari, si non includantur, sed hominum egentium manibus ex pietate distribuantur.

Item *D. August. tract. in Psal.* 48. exponens hunc versiculum, Non dabit Deo placationem suam, ut diuites ad bene de pauperibus, & locis pijs merendum, adducat, ait, perinde eos facere, qui in terram thesaurizant, ut ij, qui fruges suas in imis, & humidis locis recondunt, non animaduertentes, sibi fore ut ocijssime putrescant. Fimus congregatus terram non impinguat, nec fertilem reddit, nisi per agros dispergatur, sic coactæ diuitiæ non prosunt, nisi inter pauperes, & Dei ministros dispertiantur. Auarus est sicut canis ad cumulum fœni iacens, qui nec inde aliquid comedit, sed latrans nil amouere permittit. Nauis terræ adhærens ad portum non fertur, sed periclitatur, & in discrimen adducitur, sic qui opibus per inordinatum amorem adhæret, ad salutis portum non peruenit, quia eius nauis nimio pondere grauatur. Remedium per sententaneum est, ipsam nauem per eleemosynam alleuare.

Vrgebit pecuniã à magnifico, & liberali homine cõtemnendam, & parui ęstimandã, sed in ea impendendam, quæ uirtus, pietas, rectaque ratio postulabunt; si enim pro metallo accipiatur, de genere est rerum uilium, cum sit mixtum insensibile, anima carens, & longe plantis inferius. In terræ uiscribus gignitur, ibique velut humanis oculis indignum latet. Nullam in se uim nutriendi habet, neç ab ægritudinibus eximendi. Possessorem suum grauat, & quandoque immergit, ut enatare nequeat, solo humano arbitrio factum, ut in communem nummum assumeretur, certumque pretium pro humanis commercijs sortiretur. Recolendam illam Platonis sententiam, Animum immortalem non debere pro breui tantum, sed pro uniuerso tempore esse sollicitum. Et illud Pythagoræ symbolum, Dei imaginem in annulo non geras, id est animum in auro, vel diuitijs captiuum non teneas, cõformiter ad illud *Psalm.* 61. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.

Addet, solere homines in diuitijs quatuor modis peccare. Primo in acquirendo, ut uillicus ille iniquitatis, qui dominum suum defraudauit, *Luc.* 16. Secundo, male expendendo, vel prodige utendo, ut diues ille, qui induebatur purpura, & bysso, & cæt. Tertio retinendo, quę, ut dixi, conseruantibus damnosæ sunt. Quarto eas nimis diligendo, iuxta illud *Eccles. cap.* 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Qd Diabolus qui & tẽtator, & accusator est, diuitijs abutentẽ accusabit, nam ut ait *D. Gregor. l.* 2

moral.

*moral.cap.*5. super illud *Apocal.* 12. Accusabit illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, in die accusat, cum prosperis nos male uti insinuat, in nocte accusat, cum in aduersis nos non habere patientiam demonstrat.


Vnde concludendo dico Primo *cum D. Augustino relato in c. maiores*, 16.*quæstio*.7. *& Alciat. emblem.* 148. *& ibi Scholiaste, & Riccio in praxi var. resolut. resolut.* 515. Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæsari census reddebant, modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci, nolumus cum Deo partiri decimas, (atque idem de primitijs, & oblationibus dicendum est,) modo autem tollitur totum, hoc tollit fiscus, quod non capit Christus. hæc ille.

Secundo dico eum, qui Dei, & Ecclesiæ mandata non custodit, præter infelicem æternæ mortis statum, quam sibi accersit, status sui, ac suorum in hoc sæculo imminutionem consequi, sicut è contra ei qui eadem præcepta seruat bene esse, illa Sybilla sic admonente,

Semper eris fælix venerans gens numina Diuum.

Vnde & Diogenes interrogatus, quomodo quis uitam tranquillam agere posset, respondit, si Deos primum veneratur, & colit, nam sicut eos colimus sic illi nos uisitant, & fouent. Secũdo si filios ad uirtutem enutriant, si enim male educent, summos hostes in senectute habebunt. Tertio si gratus erga homines sit, Apollinis est namque pronuntiatum, ingratum hominem toti orbi iniurium, & inuisum esse. Quæ sane fructuosa, ac salubris doctrina sæpius à Parochis, & Concionatoribus populo aperienda est.

Finis Tractatus octaui.



TRA-

ARTICVLI, QVAESTIONES, ET CASVS, qui formari possunt super materiam humanorum contractuum. Cap. I.

PRAENOTIONES, ET PRAEVIAE INSPECTIONES.



Vm Confessarius in sacramentali iudicio Iudex cōstituatur, quò æquum ab iniquo, iustum ab iniusto dignoscens, ius suum unicuique tribui studeat, & in humanis actionibus iniustitiam ad æqualitatem reducat, ideo contractuum in quibus proximi iustitia uiolari solet, sufficiens cognitio ei necessaria est. Super quibus antequam aliquæ utiliores, & in praxi frequentiores quæstiones instituantur, hæc prius breuiter generaliter prænoscenda, & præmittenda uidentur.

Primo naturale esse homini possidere, & acquirere aliqua bona exteriora, quò se, & suam familiam alere, & sustentare valeat; ut proinde sicut in brutis varij sunt uiuendi modi, quædam enim animalia ex putri materia gignuntur, ut vermes; quædam ex folijs, & herbis pascuntur, ut locustæ, bos, equus, &c. Alia ex fructibus, ut aues, & formicæ, quæ etiam in sacris literis ideo laudantur, quod quæcumque comparant, in cōe conferunt. Alia demum ex carnibus, furto, vel rapina subreptis uiuunt, ut miluus, accipiter, ursus, lupus, &c. quæ in eisdem sacris Codicibus male audire conspiciuntur. Sic etiam in humana specie variæ, & diuersæ reperiuntur se, & familiam nutriendi rationes, siquidem aliqui, Primo uitæ necessaria ex pascuis sibi parāt, ut qui ex agris, uineis, arboribus, fructibus, item animalibus domesticis, ut capris, ouibus, uaccis, gallinis, columbis, & huiusmodi cibum, & vestitum sibi acquirunt. Secundo ex animalium syluestrium venatione ca cōparāt, & isti uita venatiua uiuere dicuntur. Tertio, aliqui ex animaliū in aquis degentiū piscatione uitā traducunt. Quarto nōnulli sunt, qui ex furto, præda, & rapina uictum nancīscuntur, ut fures in terra, pyratæ in mari, aggressores in montibus, & syluis, &c. Alij quinto loco sunt, qui ex contractibus, & rerum commutatione, quę ad uiuendum opus sunt, sibi quęrūt; cuius quidem uitæ duæ sunt species, alia licita, quæ rei ad rem æqualitatem seruat; alia illicita, quæ inter contrahentes inæqualitatem inducit. Quandoquidem in omni contractu duobus modis peccari solet, aut quia iustitia uiolatur, idest quia inter res quæ contrahuntur, æqualitas & proportio non seruatur, ut quando pro re empta plus quàm ualet datur. Aut cum prorsus iustitiæ ipsius uirtus extinguitur, idest quando aliquid tribuitur, vel accipitur, nō tantum pro re inæquali, sed etiam pro nulla omnino re, quæ dicitur vsura. Aut pro re aliqua, sed tali, vt ab humano commercio eximatur, vt nullo pretio æstimari valeat, quales sunt res sacræ, quod vitium simonia nuncupatur, vt apud omnes notum est. Et qui huiusmodi vetitas actiones committunt, furum, & raptorū nomine appellantur, vt per *Catech. Rom. in 7. præcep. Decal.*

Secūdo suppono cōtractū esse actionē voluntariā iustitiæ, ex qua vtriusque nascitur obligatio. Qui quidem tripliciter accipitur, videlicet propriè, vt venditio, & locatio, commutatio, & societas, in quibus ex vtraque parte iustitię pręscripto producitur obligatio. Secundo impropriè, vt quando vna tantum pars obligatur, vt in donatione. Tertio, improprijssime, ut quando ex nulla parte obligationis uinculum consurgit, sed potius iam factum dissoluitur, ut in transactione, quæ est de re dubia, & incerta lite, nec dum finita, non gratuita pactio.

Porro certum est, contractus naturali rationis lumine dictante, à iure gentium originem traxisse, & in mundum introductos esse, ut humana conseruaretur societas, & omnium rerum, ac operarum communio, mutuumque fouetetur commerciū. *Bart. in ex hoc iure. ff. de iust. & iure, & in l. 1. & 2. ff. de contrahen. empt. & vendit. Mozzius de contract. artic. 3.* Proinde explorati iuris est, omnes illos posse contractus celebrare, qui à lege ciuili, ipsos contractus à iure gentium inductos recipienti, prohibiti non reperiuntur, ut communiter tradunt *DD. Instit. per quas personas nobis acquiritur*. Item omnibus illis modis cōtractus inualidos fieri, quibus aliquid substantiale à iure requisitum deest, ut si sine consensu, per errorem, metum, & huiusmodi celebrentur, vel aliqua legitima solemnitate destituantur, & cetera. *Mant. l. 1. de tacit. & ambig. tit. 12. & omnes Doctores communiter.*

Tertio præmitto, contractus alios nominatos dici, qui proprijs nominibus appellantur, & eis solis conueniunt, ut uēditio, locatio, & huiusmodi. Alios inno-

innominatos, quorum nomina alijs etiam contractibus accommodantur, & hi quatuor sunt, nempe. Do ut des, Do ut facias, Facio ut facias, Facio ut des. Insup alios bonę fidei, alios stricti iuris uocari. Primi sunt emptio, venditio, locatio, conductio, mãdatum, depositum, societas, pignus, commodatum, & permutatio; & dicuntur bonæ fidei, quia si dolus causam contractui dederit, infringuntur: & quia Iudex ex bono, & æquo multa arbitrari potest. Stricti iuris sunt, stipulatio, mutuum, feudum, emphyteusis; & sic dicuntur quod strictissime sunt interpretandi, & Iudex ad verborum rigorem astringitur.

Tertio rursus contractus nominati alij sunt per quos rei dominium transfertur, cuius generis sunt mutuum, emptio, permutatio, donatio. Alij per quos tantum vsus rei in aliũ deriuat, veluti cõmodatum, locatum, precarium. Alij per quos nec dominium, nec vsus in alterum transfunditur, ut depositum, pignus, & cætera huiusmodi.

Quarto. Alij re perficiuntur, vt mutuum, commodatum, &c. Alij consensu, ut emptio, locatio, societas, &c. Alij literis, ut stipulatio. Alij in eos diuiduntur, qui gratuito, & liberaliter fiunt, ut mutuum commodatum, precarium, &c. Alij titulo oneroso, & pretio, vel mercede celebrantur, ut emptio, locatio, & cæt.

Quinto. Alij sunt gratia accipientis tantũ, ut mutuum, commodatum, precarium, qui ut contrahentes ad restitutionem teneantur, dolum, latam culpam, leuem, & leuissimam recipiunt. Alij gratia dantis tantum, prout est depositum, & mandatum, & solummodo dolum, & latam culpam exigunt. Alij gratia utriusque, ut emptio, locatio, permutatio, societas, pignus, qui dolum, latam culpam, & leuem secum afferunt, ut in sequentibus articulis ex subiecta materia patebit *Decius. & Cagnol. in l. contractus. ff. de reg. iu. Azor. p. 3. l. 6. c. 1. 2. 3. & sequen. Mol. de contract. disput. 252. & seq. Lessius l. 2. c. 17. Bonac. de contract. disp. 3. q. 1. puncto 1. & sequ. Carbo. de restit. q. 72. Pet. Nicol. Mozzius de cont. art. 4. Molfes. tract. 12. c. 4. num. 50.*

Atque ad hos contractus tanquam aliorum capita, & fontes alij reducuntur, & eorum naturam, & qualitates induunt, sicut etiam in elementaribus mixtis contingere uidemus, quæ à prædominante ipsius rei compositæ elemento naturam assumunt.

Sexto, alia ẽt tradirur contractuũ diuisio, ut quidam sit fictitius, cum scilicet unus cõtractus celebrari simulatur, & tamen in rei veritate agitur, quod alius celebretur; si quidem contractus natura ex intẽtione potius contrahentium, quàm ex verbis, vel nomine sumendi est. Alius dicitur imaginarius, quia licet vere agatur, ut sic fiat, attamen inter contrahẽtes agitur, ut contractus cito dissoluatur. Tertius cõtractus dicitur simulatus, quando ex mente nõ procedit, sed inter partes tractatur, ut contractus nullus sit, sed apparenter, & in speciem fiat; quod accidere solet cum quis delictum aliquod perpetraturus ficte alicui donat, ne eius bona à fisco capiantur: si tamen non appareat aliquod signum, vel aliqua vrgens suspicio, nunquam simulatio, fictio, & dolus à iure præsumitur, unde alleganti probandi onus incumbit. *Rota Rom. decis. 1. de donat alias decis. 484. Fran. Becius cons 52. Bursat. cons. 117. Alciat. de præsump. præsumpt. 2. Mantica de coniect. ult. volunt. l. 1. tit. 2. & de tacit. & ambig. l. 8. tit. 17. Mozzius d. art. 4.*

Et quia omnes contractus ex personis, rebus, & obligationib. constant, ideo Quarto loco Supponẽdum est, triplicem esse obligationem, nempe naturalem solum, ex naturali æquitate descendentem, quæ ex puro consensu, & nudo pacto potissimum contrahitur, & in conscientiæ foro ligat, *c. 1. ext. de pactis. Nau. cons. 5. de iniur. & damno dato.* Secundo ciuilem, cum quis ciuili iure tantum est astrictus, ut in contractu literarum post biennium, in quo de iure ciuili exceptio non admittitur, secus de canonica æquitate, & in foro animæ, quod veritatis, & non fictionis tribunal dicitur. *Innocent. & aly in c. plerique. ext. de immunit eccles. Catel. Cotta in Memor. in ver. Apices iuris. Tuschus ver. forus, conclus.* 447. ut annotauimus *tract. 5. c. 8. q. 53.* Tertio mixtam, id est naturalem, & ciuilem, cum quis iuris solemnitate (cum cõtrahere possit) ad aliquid donandum, vel faciendum se obligat, quod & naturalis æquitas obseruandum præcipit: & diffinitur, ut sit iuris uinculum, quo alicuius rei soluendæ necessitate astringimur. Quæ nedum actionem parit, sed etiam exigendi effectum habet, ut in contractu emptionis, cum quis emit equum, oritur tùm naturalis obligatio, qua emptor ad numerandum pretium, & venditor ad tradendum equum cogitur, idque ex utriusque consensu, quippe qui naturalis obligationis causa, & fons est, tùm ciuilis obligatio nascitur ob ciuilis legis auctoritatem, quæ hunc contractum approbat, &c. *vt per gloss. Oinot. & alios in §. 1. Instit. de obliga. Lessius l. 2. de iustit. c. 17. num. 19. Reg. l. 25. num. 70. Molfes. tract. 12. c. 4. num. 81. Sanchez de precep. l. 7. cap. 31. num. 35.*

Quinto, aduerto qđ sicut cõiter DD. ius naturale in primæuũ, & secũdarium diuidunt: ita etiam duas species naturalis obligationis constituunt. Altera est naturalis obligatio, quæ primæua dicitur, eo quod ex solo, & mero naturæ instinctu manat, quam feræ, & belluæ cõem cũ hoĩbus habẽt, ut in propriæ sobolis educatione cernere licet; ex qua illa etiam obligatio descendit, hominibus tãtum competens, quæ ex varijs causis oritur; præsertim ex capite naturalis æquitatis dictantis, ut nemo cum aliena iactura locupletetur, etiam si ecclesia, vel pupillus cõtrahat. Secundo, ut per simplicem promissionem

seruetur fides, & valeat testamentum, etiam si aliqua iuris ciuilis solemnitas desit, &c. *Molina tract. 2 de iustitia, & iure disput. 81. Tuschus infra citandus.* Alia est antidoralis obligatio, quæ nil aliud est, quã quidam naturalis motus, cuique suadens, ut benefacienti gratiam rependat, quæ nullam actionem in iudicio producit, nec in ciuilem obligationem transire potest, *l. sed si lege. §. consuluit. ff. de petit. heredit. c. in officijs. ext. de testam. Decius in l. cum amplius, §. is naturaliff. de regul. iu. Regius. casu. 19.* Qua etiã deuictus si errore iuris soluat non repetit: vt verbi gratia, si quis alteri gratificetur, à quo beneficium accepit, credens se ad id teneri, & animo in eius remunerationem consentiens. Sic enim solutum repetere non potest *Bart. in l. 1. ff. de cond. indeb. Tusch. v. obligatio. concl.* 28. *Oinot. §. 15. Inst. quib. mod. cõt. obl.*

Et huius obligationis dissoluendæ causa donatio aliàs prohibita à iure permittitur, siquidem donationis propriè nomine non venit quidquid remunerationis gratia conceditur, *l. donari, vbi Dec. & Cagnol. ff. de regul. iur.* Vt propterea etiam dicamus ingratum omnia iura uiolare, iuxta illud,

Lex, & natura, Cœlum, Deus, omnia iura,

Damnant ingratum, tristantur eum fore natum.

vt dixi supra *tract. 6. c. 9. q. 8.* Et teste *Seneca lib. 3. de beneficentia,* apud Athenienses, & Macedones lege cauebatur, ut haud secus aduersus male meritos ut ingratos actio daretur, iusque diceretur, ac si ære alieno, aut graui crimine noxij forent. Emblema capræ lupi catulum lactantis torquetur in ingratos, eosque potissimum, qui perniciem ijs afferunt, qui de se bene meriti sunt; quo genere hominum nihil peius, aut deterius educere terra potest, tantumque id flagitium atrocitatis habet, & probri, ut omnia conuicia solo ingratitudinis nomine contineri dicãtur. *Alciat. emblem. 64. Menoch. l. 5. de præsump. præsumpt. 4. Marsc. l. 2. var. resolu. c. 50.* Vnde & *Nau. cap. 23. num.* 106. quem omnes sequuntur præsertim *Bellet. in disquisit. cler. p. 1. §. 5.* resoluit, simoniaca labe carere, alicui beneficium conferre, quò se ab antidorali obligatione se liberet. Et Episcopis integrum esse, familiaribus, & alijs sibi obsequentibus hominibus, in seruitiorum sibi exhibitorum remunerationem, ipsa beneficia tribuere, dummodo pactum non præcedat. *Cou. in d. c. cum in officijs. & in c. quamuis. tit. de pactis p. 2. relect. §. 4. num. 8. Comitulus l. 1. respons. quæst. 76.* Vnde postremo & sexto

Suppono, mixtam obligationem, quatuor modis contrahi exploratum esse. Primo ex contractu, ut emptione, & venditione, locatione, & huiusmodi. Secundo ex quasi contractu, ut cum quis alterius negotium gerit, ex eo enim officio obligatur, licet expressa utriusque partis uoluntas non interueniat, prout est tutela, & cura; tutor namque, & curator pupillo, vel minori ex sua administratione obligationem subeunt, quasi cum eis contractum inierint. *Gutierez de tutelis par. 2. cap. 9. Tusch. ver. tutela. conclus.* 442. Tertio ex maleficio, ut ex furto, rapina, & huiusmodi, in quibus non solum quod iniuste acceptum est restituere, sed etiam pœnam soluere quis à iure cogitur; ex naturali enim ratione, & æquitate descendit, pœnas ob maleficia exsolui, atque ideo delinquens implicite ad pœnam luendam se obligat, &c. Quarto ex quasi maleficio, s. cũ aliquis non directe, seu dolose deliquit, sed quasi dolose quia fuit in culpa, ut cum ex eius domo imprudenter aliquid est effusum, quod alteri damnum, & iacturam intulit. *DD. in l. 1. ff. de act. & obligat. & in §. 1. Instit. de obligat. quæ ex quasi con. nasc.* His generaliter pro omnium contractuum cognitione suppositis, ad aliquas utiles, & frequentes in praxi quæstiones descendendum est.

QVAESTIO I.

An res duobus vendi possit, & ad quem pertineant fructus rei venditæ, quãdo totum pretium solutum non fuit. Et an quis res suas uendere compellatur?

IVlius mille aureis domum Paulino vendidit, deinde ante traditionem, eandem Andreæ mille, & ducẽtum plusquam valeat, & à peritis æstimetur, per venditionem dedit, & tradidit, & cum ipse Andreas emptor totum conuentum pretium in promptu non haberet, sed tantum quinquecentum exsoluisset, pactionem cum eo iniuit, ut data, & concessa ad triennium dilatione, interim ratione fructuum, ne venditor re, & pretio careat, quinque pro quolibet centenario sibi respondeat. Quæritur, quid circa hunc contractum consulere debeat Confessarius? & cum domus in qua idem Iulius nunc habitat sit cuidam monialium monasterio uicina, an ab ipsis cogi possit pro eo dilatando vendere? quidque in hac quæstione respondendum sit?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

PRo clariori, & speciali huius casus explicatione iterum supponendum mihi uidetur, emptionem nihil aliud esse quàm contractum, quo pecuniarium pretium pro re datur. Circa quem tria præcipue considerantur, scilicet personæ contrahentes, actiones personarum, & res, circa quas actiones ipsæ versantur, verbi gratia, Iulius, & Andreas sunt personæ, emptio, & venditio actiones personarum, pecunia, & domus sunt res, circa quas emptio, & venditio peragũtur. Ex quibus palam fit, hunc contractum esse in bonum utriusque, ideoque in eo æqualitatem dari, & accepti requiri. Secundo solo consensu inter absentes per procuratorem, nuntium

vel epistolam confici posse. Tertio ad sui perfectionem actualem traditionem rei, aut pretij solutionē non postulare, nam statim atque de pretio contrahentes inter se conuenerint, emptio sine scriptura facta perficitur, etiam si nec numeratum sit pretium, nec arrhæ præstitæ, nec res tradita. Quare etiam si pretium non soluatur, nec res detur emptori, alter contrahentium salua conscientia, non potest altero inuito ab emptione discedere, cū contractus à principio sint uoluntatis, post factum necessitatis *l. empti fides. C. de contrahen. empt. & vendit. l. sicut. C. de act. & obligat. Rota Rom. decis.* 854. Propterea si vectigal etiam ob contractum emptionis, & venditionis soluendum sit, statim post absolutum cōsensum deberi incipit. *Lessius l. 2. c. 21. dub. 1. num. 3. Bonac. de contract. q. 2. p. 1 contra Tuschum in ver. gabella. conclus. 5. & Vasq. in opusc. de restit. c. 6. §. 2. dub. 6. &* alios, existimantes vectigal, vel gabellam ante rei traditionem pendendam non esse. An autem vectigal soluendum sit ab his, qui ab immunibus, verbi gratia, ab ecclesiasticis emunt, uidendus est *Surdus conf. 301. num. 80. & Laderch. conf. 103. num. 6. & sequen. & Gratian. l. 2. discept. foren c. 390. nu. 11.* vbi tradunt ratione connexionis, priuilegium concessum personæ ad emptorem extendi.

Secundo prænoscendum est, pretium duplex esse, nempe legitimum, & naturale, primum est, quod à lege, vel Principe varijs circumstantijs perpensis constitutum est: quod quidem in indiuisibili consistit, ita ut illud tàm in foro fori, quàm in foro animæ, tàm à laicis quàm à clericis obseruandum sit. *Mol. d. 364. Graff. conf. 1. de empt. & vend.* Secundum pretium idest naturale est quod communi foro, & arbitrio contrahentium relinquitur, quod in se latitudinem continet, cuius unum extremum rigidum dicitur, aliud pium, aliud vero medium, vel moderatum; ita ut una res pro infimo pretio 95. valere possit, pro medio cri 100. pro rigido 105.

Tertio præmitto, quod earum rerum, quæ venditioni subijciuntur, aliæ sunt ad humanam uitam necessariæ, aliæ ad uoluptatem tantum, splendoremque pertinent, in quibus nisi aliquis communis valor appareat, ut in lapillorum, & statuarum venditione, iustum pretium est illud, quod remota fraude reperiri potest. In quo genere illud procedet, Res tanti valet, quanti vendi potest, (sicut etiam in interesse affectionis, in proprijs rebus vendendis attēdi solet, ut quod res sit maiorum suorū, ut per *Dec. & Cagnol. in l. quatenus ff. de reg. iur.* Vnde apud Lacedemonios, aut prædia, aut terram vendere de vetusta maiorum hæreditate, turpitudo non exigua existimabatur. Et vt dixit Menander.

Res est plena doloris ei qui vixit beatus.

successoris desertam domum relinquere.) Quò fit, ut Respub. omnibus in reb⁹ ptetia statuere nequeat, expediret tamen, ut quantum fieri posset, præfinirentur, ut multis incommodis obuiam iretur, *Menoch. in addit. de arbit. ind. l. 2. cent. 6. casu. 314. Reg. l. 25. n. 270. Decian. p. 2. l. 7. c. 22.* In quib. Magistratus, & Reipub. moderatores hæc potissimū animaduertere deberēt, mercium necessitatē, & utilitatem, copiam, & inopiam, labores, & impensas in mercibus prudenter factas, earundem mercium qualitatem, si sint meliores, vel deteriores ratione temporis, industriæ, & vsus humani. Ita ut sicut necessaria fuit rerum, & officiorum communicatio, qua veluti sacro humanæ societatis uinculo valeant homines inter se ipsos dando, & accipiendo, artibus, opera, & facultatibus colligari, sic inter vendentes, & ementes iustitia seruetur, & venditor non plus pretij accipiat, quàm res valet, nec emptor minus det, & amotis quibuscumque dolis, & imposturis, sincere, ac fideliter, (quod maxime Christianos, & multo magis religiosos decet) uterque contrahentium in hoc commerciorum genere versetur. Quod etiam in ecclesia, & pia causa procedit, ut quod pro se uult, ratione æqualitatis seruandę, contra se velit, siquidem æqualitas est iustitia naturalis commutatiua. vt per *D. Thomam 22. q. 77. vbi Salon. & Arrag. Val. tom. 3. disp. 5. q. 20. pun. 2. Azor. p. 3. l. 8. c. 22. Rebellus de obligat. iust. l. 9. q. 1. Molinam tom. 2. disp. 348. Tol. de septem peccatis mort. c. 47. Nau. c. 23. num. 83. Lessius l. 2. c. 27. dub. 2. Reg. l. 25. num. 283. Salas tract. de empt. & vendit. dub. 4. Bonac. de cont. d. 3. q. 2. p. 4. Io. Bapt. Lup. in l. 2. C. de pactis. inter empt. & vend. Comment. 2. §. 5. Graff. l. 2. decis. cap. 11. 2. Sylu. Ang. & Tab. in ver. emptio. Carbonem de restit. q. 52. Tusch. ver. æqualitas. concl. 304. & alios.*

Quarto. Supponendum est legem diuinam, quæ nil impunitum relinquit, quod uirtuti aduersetur, tales, qui iustitiæ æqualitatem deprauant, etiam si læsio infra dimidium iusti pretij sit, punire, ac ad restitutionem cogere. *Arrag. 22. q. 77. art. 1. Graffius l. 2. dec. aur. c. 11. 2.* Attamē *Angelus in ver. emptio. & Viguer. in instit. Cathol. c. 5. §. 3. vers. 13.* & nonnulli alij aiunt, regulam illam, Res tanti valet, &c. seruatis quatuor conditionibus locum habere. Prima est scientia, sic quod ex utraque parte nulla sit deceptio & uterque contrahens qualitatem, & valorem rei calleat. Secunda est libertas, ut scilicet ex tali necessitate res non vendatur, quæ rationem uoluntatis excludat: nihilominus emptorum raritatem rem uiliorem facere, iuxta illud, Vltroneæ merces pro tertia parte uilescunt, apud omnes in confesso est. Tertia conditio est prudentia, quandoquidem mentis leuitas illicitum contractum redderet. Quarto quod ille qui plus debito emit, donare possit, quia tunc vēditori illum excessum donare censetur, & è contra, cum quilibet in re sua sit moderator, & arbiter, quæ tamen donatio difficile admodum in vendente, vel

emente

emente necessitate compulso præsumitur, eo quod ex I.C. positione, In necessitate nemo liberalis existit, teste *Nauar. cap.23. num.88. & Arragon.l.c.* Huic supposito illud etiam postremo loco additur, illum qui inculpabiliter legem ignorat, qua cauetur, ne ultra pretium ab edicto diffinitum, frumentum, verbi gratia, vendatur, in foro conscientiæ, nec reum iniustitię esse, nec ad restitutionem teneri. Dixi in foro conscientiæ, quia in externis tribunalibus iuris ignorantia non ita admitti solet, eo quod ægre admodum probetur, sed si spectatis circumstantijs, dubitetur, an legem ignorauerit, & plena præsumptio contra ipsum non militet, ad illam probandam ipsius iuramētū sufficere uidetur; nā in dubio naturalis æquitas non patitur, ut quis ad pęnā cōdemnetur. *gloss. in c. præsumitur. de reg. iu. in 6. Felyn. in c. 2. de constitut.* Huius autem assertionis ea est ratio, qđ ignorātia inuincibilis iuris positiui dari potest, cum humanę leges nō ex communibus iuris naturę principijs, sed ex legislatorum beneplacito dependeat. *ex Vasquez in 1.2. disp.123.c.2. & Sayro l.2. Clauis reg.c.9.num.20. Sanchez l.1. de præcept.c.17. Bonac. de leg. disp.2.q.8. puncto* 3. & alijs, præsertim *Val. tomo 2. disp.6.q.6. puncto* 1. vbi docet, laicos frequenter à iuris excommunicationibus excusari, quia illas ut plurimum inuincibiliter ignorant, &c.

RESOLVTIO.

His per fundamento iactis, dico Primo Iulium contra fidelitatem lethaliter deliquisse, cum domum quam Paulino primum vendidit, eo inuito, & inscio, à contractu, & promissione recedens, Andreæ postea vendidit, & tradidit: siquidem iuxta D.Gregorij Decretum relatum *in c. qualiter. ext. de pactis*. Studiose agendum est, ut quæ ore promittuntur, opere compleantur. Id quod uirtutis fidei maxime proprium est, quæ teste Cicerone *l.1. officiorum*, fundamentum iustitię est, idest dictorum, conuentorumque constantia, & veritas, ut totius Reipub. bonū consistere possit, omnesq; recte, & integre suis officijs fungantur. Quò spectat illud Aristotelis ad Alexandrum monitum, O Alexāder serua fidem datam, & fœdera, quæ fecisti, alioqui malus finis sequetur. *Iacob. de S.Geor. in l. huius edicti. ff. de pactis*. Et quamuis in iure constitutum sit, vel perfecta venditione, antequam res emptori tradatur, secundum emptorem, cui facta est traditio, pręferri, sicut etiam in simili, quando plures prætendunt rem emere, ut domum, vel fundum, Doctores dicunt, illum præferendum, qui est uicinior, dummodo alteri res nō sit tradita, quod dicitur ius congrui, &c. grauiter tamē conscientiam suam sauciat is, qui à priori contractu recedit, & ad omne, ut dicunt, interesse, & damnum illatum tenetur, *ut per Iasonem in l. quoties. C. de rei vind. Syluest. in ver. emptio, num.* 24. *Anton. Gab. l.3. commun. conclus. conclus.3. tit. de empt. & vend. Cou. l.2. var. resol. c.19. num.13. Less. l.2. cap.21. dub.19. Mol. de cont. d.264. num.12. & 3.69. Azor. p.3. l.11. c.17. q.17. Mozzium de empt. & vendit. nu.30. Rebell. l.9. q.17. sect.3. num.18. Tusch. ver. vendens, conclus. 64. Bonac. de cont. d.1. q.8. pun.2. num.17. Molfes. tr. 12. c.5. num.170. Bonifac. de furtis. §. possessionis nu. 93.* & dixi supra *tr.7.c.37.q.143.*

Secundo. Idem Iulius iniustitiæ crimen admisit, cum domum supra naturale iustum pretium vendidit, & notabilem inæqualitatem inter dantem, & accipientem, auri sacra fame impulsus induxit, teipsa verum esse illud Quin. Curtij de gestis Alexandri ostendens, Difficile est nos contentos esse eo, qđ offert occasio, quippe sordent prima quæque, cum maiora sperantur.

Sed quæ reuerentia legum?

Quis metus, aut pudor est umquā properātis auari?

Qui nimis anxie ditescere quærunt, instar araneæ sunt, quæ se ipsam muscas capiendo euiscerat; imitandæ potius sunt muscæ, quæ dum mel comedere uolunt, non se in vas immergunt, sed vasis extremas partes attingunt. Sanguisugæ dicuntur auaritia, & luxuria, quæ assidue clamant. affer, affer. *Prou. c.30.* Cui nihil satis est, eidem nihil turpe est, ait *Aelianus l.14. c.3.* Et ut ille dixit,

Semper auarus amat mendacia, furta, rapinas.

Merito Alexander Seuerus Imperator insignis æquitatis, & iustitię cultor, cum aliquem iustitiæ uiolatorem castigaret, per præconem clamari iubebat, Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris; eamque sententiam adeo dilexit, ut in palatio, & in publicis operibus præscribi iuberet. *Baron. tomo 2. anno* 224. Proinde Iulius, quod plus iusto pretio uēdidit, cum charitatis, & iustitiæ leges uiolauerit, quod amplius accepit, restituere tenetur, nisi excessus ille à secundo emptore ei liberaliter donetur, &c. ut est doctrina apud omnes certissima, teste *Carbone de restit. q. 52. Nau. cons.4. tit. de empt. & vend.* Vbi resoluit, datum à mercatore proxenetis, qui ad eius apothecam ementes ducunt, timente, ne aliàs illis non donādo, huiusmodi emptores ad alios mercatores diuerterent, non esse ab ipsis proxenetis restituēdum, cum illud sponte, & liberaliter donatum censeatur.

Tertio dico, Iulium uenditorem, qui data ad triennium residui pretij non soluti dilatione, conuentionem cum emptore fecit, ut ratione fructuum det sibi tot pro centenario, usurariam prauitatem commisisse, & in foro conscientiæ ad restiturionē astringi, cum supponatur, rei dominium esse in emptorem translatum, & eiusdem rei periculum ad eundemmet emptorem pertinere, & nullam posse moram in eo considerari, neque ullum lucrum cessans, uel damnum emergens, in uenditore dignosci, cum uē-

ditor sponte uendiderit, & sponte terminum ad soluendum concesserit. *Azor. p. 3. l. 8. c. 15. Lessius l. 2. c. 21. dub. 13. Io. Bapt. Lup. in l. curabit. Comment. 1. §. 7. C. de act. empti. Vgol. de vsuris c. 39. §. 2. Cephal. l. 2. cons. 290. Ioseph. Lud. in commun. opin. conclu. 57 Mo. zans de empt. & vendit. col. 3. num. 39. Regius ca su 1. Surdus decis. 157. Grat. l. 1. discept. foren. c. 175. & l. 2. c. 242. Bellon. de his quae fiunt incont. l. 1. c. 82. Antonuc in Catech. Neap c. 22. Pet. Nau. l. 2. de restit. rerum ablatarum c. 2 num. 148. Bonac. d. 3. q. 2. p. 7. §. 1 num. 5. & aly communiter.*

Quinto dico quod licet extet iuris regula, & ea sane rationi consentanea, neminem inuitum astringendum fore propriam rem vendere. *l. inuitum. C. de cont. empt.* fauore tamē religionis, de iure cōgnitum ad ecclesiam, vel monasterium construendum, vel ampliandum res proprias iusto pretio vendere quis cogi potest, etiam si verbi gratia domus non sit contigua ecclesiae, vel ipsi conuentui, sed media interiaceat uia. *Megal. 22. l. 2. c. 6. q. 10. n 248. Tusch v. vēdere, concl. 59.* Nā quāuis etiam fas sit proprium aedificium altius tollere. *l. altius. C. de seruit.* attamen integrum non est, ita illud surrigi, ut ex eo monachi, vel sanctimoniales intra proprias domos religiose habitantes uideri possint. *Bellon. de his, quae incōt. fiūt Menoch. l. 13. cons. 1206. Gasp. Thes. q. 64. Couar. l. 3. var. resol. c. 14. Franc. decis. 223. Caualc. decis. 8. p. 5. Farinac. tom. 1. p. 2. decis. 213. Nouar. collect 128. Genuens. in pract. eccles. q. 243.*

CAP. II.

QVAESTIO II.

Pactum de retrouendendo, an licitum sit praesertim clericis.

Bernardinus Sacerdos, emit à Ioanne laico uineam, & domum ei adiacentem pretio aureorum mille, cum pacto (ut Doctores loquūtur) de retrouendendo intra septennium, facta eidem locatione ad rationem sex pro centenario. Item vna cum duabus propolis, qui uulgo reuenditores dicuntur, mense Augusti omnes fabas, quae in agris sui oppidi colliguntur, emit, ut eas postea asseruaret, & cariori pretio tempore inopiae vēderet. Quaeritur, an ij cōtractus sint liciti, & quid circa eos interrogare, & consulere debeat doctus Confessarius?

RESPONSIO, ET SVPPOSITA.

Tria in praesenti casu supponenda sunt. Primo sub anathematis interminatione à iure prohiberi, ne monachi, vel clerici causa lucri negotientur. *c. secundum, ext. ne clerici, vel monachi.* Et à clerico negotiatore tanquam à peste cauendum esse, admonet *D. Hieronymus ad Nepotianum scribens. c. negotiatorem, dist. 88.* adeo ut lethalem culpam con. trahant negotiando, siquidem anathema, seu excōmunicatio maior non nisi pro peccato mortali imponitur. Cuius prohibitionis tres potissimum causae considerari possunt. Primo, quia eius finis lucrum temporale est, quod clerici contemnere debent. Secundo, quia raro ad modum hae profanae negotiationis sine peccati labe exercentur; proinde valde sunt periculosae, *Sapiens Eccles. c. 26.* Quapropter nostrae religionis Scriptores mercatores arguunt veluti à uirtute, & à bonis moribus alienos, ut per *D. Aug. in Psal. 71.* Vnde & *Arist. in 7. Pol. c. 9.* eos improbat cū ait, Necesse est, huiusmodi homines sordidos esse, ac pusillos, ut qui lucello magnopere inseruiunt, quaestuique se prorsus dedunt, ac ideo nullius honestae rei studio incendi, nullius praeclari facinoris gloria duci consueuerūt. *Anchar. cons. 157.* Quod etiam animaduerti in *Comment. de hum. vita stat. p. 2. c. 11.* Tertia accedit ratio, quia huiusmodi negotia hominem à spiritualibus rebus auocant, quibus incumbere peculiare est, iuxta illam Apostoli sententiam, Nemo militans Deo saecularibus negotijs se implicat, *ad Cor. 2. in princ. & l. c. annotaui p. 1. c. 18.*

Porro negotiatio proprie sumpta est frequens cōtrectatio rerum, non mutata forma, ipsarum lucri acquirendi gratia. Dixi contrectatio rerum, quandoquidem qui negotiatur, emit, vendit, alienat, & varijs initis cōtractibus, acquirit, quibus, vel rerum, vel fructuum dominium transfertur. Dictum est à nobis frequens, nam sacerdos, vel monachus per unius rei emptionem, vel venditionem dici negotiator non potest, sed plures actus requiruntur. Additum est non mutata forma, quò negotiatio ab artificio separetur, nam negotiari est rem emptam, verbi gratia non mutatam vendere: emere vero rudem materiam, & illam in aliam formam conuertere, & aliam rem conficere quam vendat, non negotiatio, sed artificium est, clericis, & monachis permissum. Sic enim olim religiosi sportas, storeas, & similia conficiebant, ut venderent, & ex pretio se sustentarent. Hinc siquidē Aegyptiorū monasteria hūc morem tenebant, ut nullum absque operis labore susciperent, non tàm propter uictus necessitatem, quam propter animae salutem, ne mens perniciosis cogitationibus vagaretur. *c. nunquam. de cons. d. 5. Lessius l. 2. c. 21. dub. 1. num. 5. Salas de empt. & vendit. dub. 2. Vgol. de officio Episcopi p. 1. c 13. §. 15. Tolet. l. 8. c. 53. & aly. Marc. Ant. Gen. in praxi cur. Neap. c. 77. Diax in pract. crim. can. & ibi Lopez c. 57. Molfes. summ. 12. c. 4. num. 126. Feder. de Senis cons. 207. Insfelbus ver. clerici, conclus. 38 t. Ioan. Aquil. in lima vitiorum ser. 3. Dom. 4. Quadr. serm. 36.*

Secundo supponendum est, pactum de retrouendendo

dendo dici, cum potestas rescindendi contractum in uenditorem confertur. v. g. uendo tibi aliquod prædium obligando te, ut cum mihi libuerit, rem meam redimere, mihi reuendere tenearis, ita ut optio non in emptore, sed in venditore posita sit. Pactum vero de retro emendo est, cum rescindendi cõtractum facultas in emptorem reijcitur, nempe cum emptor uenditorem obstringit, ut idem prædium, quod uendidit, redimat; & hunc contractum nõnulli conuentionalem, uel de retractu uocant: & in aliquibus locis, ut Bononię, pactũ francandi dicunt. Ad cuius iustitiam tres potissimum conditiones assignantur. Prima est, ut sit uera, & non simulata uenditio ex parte tàm emptoris, quàm uenditoris, siquidem contractus emptionis, & uenditionis est mutuus, & onerosus cõtractus, ultrò, citròq; obligationem pariens, qui mutuo consensu perficitur. Secunda ut pretium sit iustum, tale autem erit, si de pretio ratione illius obligationis minuatur, tùm quia emptori onus, & grauamen pretio æstimabile imponitur; tùm quia res libera magis ualet quàm oneri subiecta, ita ut tertia pars iusti pretij, quo res sine tali pacto uẽderetur, uel ut minimum quarta pars, à cõtrahentib. tollatur, adeo ut si res absque tali pactione triginta ęstimabatur, cum huiusmodi conuentione uiginti ualeat. Licet multi prudentis arbitrio, seu regionis cõsuetudini, uel municipalibus statutis hoc relinquant. Tertia ut non fiat pactum, ut maiori pretio quàm fuit empta, redimatur. *c. illo. ext. de pignor.* Et licet inter Scribentes magna uersetur controuersia, an ad præsumendum hunc cõtractum iniquum, & simulatum, sufficiat pactum de retrouendendo, & modicum pretium, uel potius etiam fœnerandi consuetudo concurrere debeat, magis tamẽ communis opinio, & recepta est, duas tantum primas conditiones requiri. Nec defuerunt qui senserunt, litẽ hanc arbitrio etiam Iudicis, seu boni uiri relinquendam esse. *arg. Surd. cons. 327. & Mantica de tac. & ambig. l. 8. tit. 25.* De quo contractu videatur. *Abbas in cap. cum Ioannes. de fide Instrum. Azor p. 3 l. 8. c. 12. q. 3. Molina. tr. 2. disp. 375. Boninsig. de vendit. ad tempus c. 14. Nau. c. 17. nu. 247. & cons. 7. de empt. & vendit. Reg. l. 25. n. 293. Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt. 121. Mascard. vol. 1. de probat. conc. 447. Pet. Nicol. Mozzius de contract. tr. 4. Grammat. decis. 76. Cagn. in l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. Bursat. cõs. 144.* Idem *Menoch. l. 2. de arbit. Iudicum. casu 13.*

Tertio obseruandum, ex communi sententia, licere rem emptam cũ pacto retrouendẽdi, statim eã uenditori locare, siue ad determinatum aliquod tẽpus, siue usque ad illud, quo rem redimere uelit, modo bona fide, & sine fraude hoc fiat, & sequentes cõditiones seruentur. Primo ut iusto pretio hoc fiat ad fructus ex re perceptibiles respectum habendo, ita ut fructuum rei locatæ quantitas eam non excedat quam ipsa res empta reddere ualet. Secundo ut sit uera uenditio, qua res emptoris, in quem translatũ est dominium, periculo uel damno maneat. Tertio ut uenditor ad conducendum non obligetur, aut nõ impediatur, quò minus à cõductione cum uoluerit, se liberare ualeat, nisi ut dixi in aliquo releuetur, ita ut de pretio ratione illius obligationis detrahatur, &c. *Syl. in v. vsura. 2. §. 15. Corrad. in respons. casuum consc. q. 85. Bonac. de contr d. 3. q. 2. p. 2. Beia. in resp. cas. p. 1. casu 7. & alij DD. supra citati.*

RESOLVTIO.

HIs pro fundamento iactis, Dico Primo Bernardinum à Confessario interrogandum esse, an illam uineam emerit lucri tantum causa, habẽs unde uiuat, & postea locauerit, &c. & tunc uel semel sic negotiatus fuerit, cum huiusmodi exercitium ei à iure prohibeatur, à ueniali saltem culpa excusari nequit, & quidquid sic semel negotiando acquisierit, spoliorum nomine ut turpe lucrum continebitur; at si non habet unde commode uiuat, & se familiamque suam sustentet, & tunc etiam laicorum prædia emere, conducere, locare, & negotiari ei licebit, cum non turpis lucri, auaritiæ, aut cupiditatis causa, sed ob necessitatem id facere censeatur. *cap peruenit vbi glos dist. 88. Vgol. l. c. §. 17. & 18. Azor. p. 2. l. 8. c. 2. q. 5. Salas de empt. & vendit. dub. 2. nu. 7. Carbo. de restit. q. 53. Molfes. l. c. tr. 12. c. 9. q. 130.*

Secundo dico, inquirendum esse, qua intentione ad huiusmodi contractum ineundum motus fuerit, nam teste *D. Th. 1. 2. q. 7. art. 1. & 2. & q. 57. art. 5.* Ad hoc vt quis bene agat, bonus finis, & debita, ac conuenientia media, & circunstantiæ requiruntur. Si n. emere non intendisset, nisi ad hunc finem, ut eius pecunia hoc modo aliquid lucraretur, nec verus, & sincerus emendi animus ei adfuisset, contractus hic fœnoris, & iniustitiæ labe infectus esset, & proinde præter culpam, ad restitutionẽ adstringendus erit. Et ut in casu ꝓponitur, iniquus esse cõuincitur, Primo si nulla habita notitia qualitatis uineæ, & domus, ualoris, ac redditu um, ea emit; nomine namque emptionis usuram texisse præsumitur, cum nullus, quæ ignorat, emere uideatur. Secundo si in locatione Ioanni facta ad pecuniam, nõ ad fructus, uel redditus, qui ex ea percipi possunt, ratio habita fuerit. Si quidem quoties res empta locatur, in pensione constituenda redditus ipsius rei, quæ cõducitur, deductis expensis, considerari debent, cum si fũdus maiori locetur pretio quàm de re haberi possit, fraudulentus, & iniustus iudicetur contractus. Tertio si res tempore locationis periens, uenditori pereat, non emptori; certum est enim contrarium accidere debere, si illi ueri, nõ simulati contractus sint, iuxta illam legalem regulam, quod res perit do-

mino.&c. *Armilla in v.vsura* §.14.*Tabiena.in ver. vsura* 16.*num.*2.*Nauar.c.*17.*num.*247.*Reg.lib.*25. *num.*303.*Menoch.l.*3.*de præsumpt.præsump.*122.*Nicol. Mongiorgius in tract.super pactis francandi p.*2. *præsumpt.*8.*&* 12.*Mantic.de tacit.& ambig.conuēt. l.*8.*tit.*20.*Molfes.tract.*12.*c.*5.*num.*182.

Ad 2.quæst.respondendo dico, quod inter monopolia.i.unicam,& singularem venditionem in urbe,uel oppido,illud emptionis,& uēditionis genus connumerari potest, quando unus,uel pauci conueniunt,omnes merces unius speciei emere, ut animo carius uendendi,& lucrandi,in tempus penuriæ eas asseruent,in quo casu uetior illa comprobatur sentententia,charitatem,& iustitiam uiolari,siquidem sic fraudulenter emendo, & uendendo, iniusta sunt causa damni reipubl. & ciuibus, cum illud pretium quo ipsi tanta auiditate uēdunt, non sit iustū,& ipsa respub.ius habeat, ut pretium hoc modo nō augeatur,ob id alicubi seuetis pœnis propositis cautū est, ne quis plus annonæ emat,quàm ad sui, & familiæ sustentationem opus sit. Isti dicuntur Dardanarij à Dardano,qui tale turpe exercitium obibat, vt habetur *in l.annonam ff.de extraord.crim.& apud Manticam.de tacit.& ambig.lib.*4.*tit.*20.*num.*66.& Deo hominibusq.exosi,& abominabiles sunt,nam ut ait *Sapiēs Prou.c.*11.Qui abscondit frumentū (quo nomine alia etiam ad uictum necessaria intelliguntur)maledicetur in populis, benedictio autē super caput uendentium. Atquè hoc negotiationis genus illicitum esse,& charitati,iustitiæque repugnare, ex communi, tradit *Salas.tract.de empt.& vendit.dub.*38.*consentit Bonac.d.*3.*q.*2.*p.*5.*nu.*4. *Decian. tract. crim.p.*2.*l.*7.*c.*22.*Tusch.v.annona concl.* 337. *Molfes.tract.*12.*c.*5.*num.*130.*& alij.*Propterea ipse Bernardinus à Confessario admonendus est,ut etiam si ob suam,uel suorum necessitatem hoc negotiādi genus exerceat,in futurum abstineat, & lucrum sic iniuste perceptum ijs à quibus extorsit, si fieri potest, restituat. Proponetque peruersam habendi,uel possidendi uoluntatem,tanquam funestam pestem,execrari clericos deberi;hoc.n. iniungit *Apost.* 1. *ad Timoth.*3.cū ait,Oportet clericū esse non cupidū, non turpe lucrum sectantē,q̃ fit,ut ait ibi *D. Ambros.*quū sub pia professione quæstui studetur,uel cum mercaturæ sibi à canonibus prohibita uacat,uel cum lucri gratia fondida obit officia,aut cum frumentum,uel alia ad uictum necessaria ad annonæ caritatem recondit.de quibus *in c.si quis.* 14.*q.*4.*& Tusch.v.fames conc.*77.Item clericos qui abūdantiori iustitia, ac pietate quàm sæculares fulgere debent, ex iure naturali,& diuino,licet sæcularibus legibus non ligentur,statutis æstimatori js pretij rerum uenalium sub culpa mortali,& restituendi obligatione subijci,uerum laicorum tunc non esse sua authoritate ad huiusmodi legum obseruantiam ecclesiasticos compellere,quia Prælatorum est id curare,& præcipere; & si talia statuta pœnam transgressorib.irrogant,eā pœnam ipsi clerici,& religiosi non conrrahunt, sicuti etiam tempore penuriæ triticum uendere non nisi per suos Iudices coguntur.*Salas.de except.& vend. dub.*9.*Duard.in Bulla Cœnæ Domini l.*2.*can.* 15. *q.* 17.*&* 18.*Surd.consl.*301.*Bonac.de cōtract.d.*3.*q.* 11. *p.*4.*& de legib.d.*1.*p.q.*4.*nu.*30. *nu.* 10. *Barthol. à.S. Fausto.disp.*6. *q.* 44.*Nald. v. pretium nu.* 3. *vt etiā tetigi in fin.q.*4.Porrò Principis, & Magistratus est prouidere, & curare, ut necessaria ad uictum ciuibus non desint,ac proinde inuigilare,ut omnia sine fraude uenalia exponantur,& iusto pretio emātur. Ideò Theophrastus admonuit apud Athenienses duo præcipuè curanda fuisse. Primo ut merces non interciperentur,sed cuncta in foro composite,& citra tumultum agerentur. Secundo ut non uendentes modo,sed etiam ementes à mendacijs abstinerent. Quippe origo seditionum in urbibus est penuria,& fames,*vt tradit Decian.tract.crim.p.*2.*lib.*7. *c.*22.*tit.de fraudātib.annonam.Tholos.l.*47.*syntag. Iu.c.*31.*Tusch.v.famis tempore concl.*79. *Maiol. in dieb.can.p.*1.*sub finem.* De qua re consulenda sunt quę diximus in *Comment.de hum.vit.stat.p.*2.*c.*7.

CAP. III.

QVAESTIO III.

An à coacto vendere rem quis viliori pretio emere possit. Et an rem furtiuam bona fide emens,vero domino eam restituere teneatur?

MArius emit à Gabriele famoso lusore thedā cum duobus equis,pretio centum aureorū, quæ tamen peritorum iudicio ducentum ualebant. Sed & si. d. Marii emptoris animus non nihil scrupulo sic uili pretio emendo moueretur,nihilominus illum ea ratione depellere conabatur, quod rogatus à Gabriele venditore,& ut illi rem gratam faceret,huiusmodi cōtractum iniisset. Item cum à Martino equum bona fide emisset,& per quoddam monitorium cognouerit illum esse furtiuum,nunc contractū vult rescindere,& præfato Martino, ut pretium pro illo datum recuperet reddere, quæritur & an iste Marius sic contrahendo peccauerit,& iustitiā læserit,& an ipsum equum domino restituere teneatur, etiā si pretium sit amissurus,&quid consulere ei debeat confessarius?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REsp.Pro huius casus elucidatione. Primo supponendum est,tres esse præcipuos conscientiæ actus. Primus est ligare,uel soluere,ita.n.con-

scien-

scientia aliquid faciendum, vel omittendum obligat, ut sine culpa quod illa dictat, facere, vel prætermittere homo nequeat. *c. per tuas. el 2. ext. de simon. c. literas. de restit. spol.* Secundus est de præterito testificari, quatenus de eo quod gessimus, siue bonum sit, siue malum, testimonium perhibet. De quo illud vulgatum intelligitur, Cõscientia mille testes. Quis enim nescit, conscientiam rem esse omnium efficacissimum, adeò ut nulla tormenta melius maleficiũ prodant, quàm conscientia, nullus carnifex seuerius puniat, quàm hæc; vnde & illud,

Heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu.

Tertius actus huic affinis est accusare, & excusare, de malo admisso mordere, & de bene actis cor lætificare. *c. in cunctis. c. senti. 11. q. 3.* Ideo stimulus conscientiæ appellatur vermis, quia ad eius instar animum corrodit, adeo vt magis eum crucict, quam si reuera Iudicis animaduerfione puniretur. *Bald. cons. 297. Signor. cons. 89. Tusch. ver. conscientia, conclus. 742. num* 8. Nam cum peccare sit à bono deficere, quod secundum humanam naturam nobis competit, hinc fit ut naturaliter ex peccati tristitia conscientiæ aculeus oriatur. *Iustin. in Tob. c. 3. vers. 16. docum. 1.* Hinc Chilo philosophus, sæpe in ore habebat, damnum turpi lucro semper præferẽdum, illud enim semel dolere, hoc semper; rem amissam exiguo tempore molestia afficere; peccati conscientiam semper, & assidue animum cruciare. Quod re ipsa expertus est philosophus ille Pythagoricus, qui cõemens sibi à sutore calceos, non promptam habẽs pecuniam, rogat ut in crastinum expectet diẽ; quò cum satisfacturus venisset, audit sutorem iam defunctum esse: non faciens igitur pecuniæ mentionem, nummos non inuita manu domum lætus de facto iam lucro retulit. Verum cum peccati conscientia subinde torqueretur, arrepta pecunia, ad sutoris officinam regreditur; & pecuniam in eius domum projiciens ait, Tibi uiuit, aliis qui defunctus: ac sic animũ à facti conscientia liberauit. Vnde & *Schardius in lexicon iuris, in ver. conscientia.* Conscientiam, inquit, synceram nisi adhibeat Iudex, non potest causam secundum æquitatem definire, etiam si mille testes, totidemque uideat ob oculos instrumenta: cõscientia ꝗppe certa est, non fallitur; at in probationibus sæpe vel error, vel dolus versatur, sicut experientia heu nimis frequens nos docet. Conscientia enim cuilibet etiam plane agresti, & indocto indicat, num bene, an male fecerit: est namq. lex, quam etsi nusquam ex scripto legit, à Deo tamen ad formandos mores in animo insculptam habet.

Secundo supponendum, ad cuiuslibet contractus validitatem, & iustitiam, contrahentium mutuam uoluntatem, vel consensum requiri. Voluntas vero in materia contractuum triplex est, quædam est, ut DD. aiunt, elicita, quæ est simplex, & deliberatus contrahendi animus.

Secunda est debita, seu legitima, quando quis aliqua lege, vel naturali, morali, seu humana, & ciuili aliquid velle tenetur. Et quidem in humanis commerciis, & contractibus, magis consensus debitus, quàm elicitus attenditur, quandoquidem sæpe accidit, ut res aliena retineatur, aut accipiatur domino actu elicito dissentiente, actu tamen debito consentiente, ut cum debitor æs alienum statim soluere nequit, nisi cum magno rerum suarum detrimento, & nullo, vel paruo creditoris damno; vel qui rem alienam in extrema necessitate domino irrationabiliter inuito accipit, & cætera huiusmodi.

Tertia uoluntas libera nuncupatur, qua quis propria sponte, nulla ui, aut metu cogente, aliquid vult quod nulla lege uelle prohibetur; quæ ad realem dominii translationem, etiam si aliquando debita uoluntas sufficiat, necessario requiritur. *Sylu. Aldob in § sed si pater. Instit. quib. modis ius patr. potest. solu.* Vnde licet nemo rem suam vendere cogi possit. *l. inuitum. C. de contrahen. empt. & vendit.* in multis tamen casibus regula fallit, præsertim fauore ecclesię, vel piæ causæ. ut per *Ricc. collect. 1851. Tusch. ver. vendere. conclus. 59. & Megal. 22. l. 2. cap. 6. quæst. 10* Hinc uicinus monasterio si loco ad ædificandum egeat, & dominus uoluntate irrationabili vendere nolit, iure à Iudice compelletur. Et qui etiam restituendo secundum sui status decentiam uiuere nõ posset, etiam si dominus rei qui tali necessitate non conflictatur, dilationem concedere nolit, statim restituere non tenetur, cum creditoris uoluntas indebita, & irrationabilis cẽseatur. *Beia. p. 1. resp. casu. 36.* & alij, qui hoc fundamentũ maximã clauẽ uocant.

Tertio prænotandum est, ut alibi aduerti, quod qñ. Primo vendens, & emens valorem rei sciunt, & cessat fraus. Secundo talis non vrget necessitas, quæ uoluntarium consensum excludat. Tertio non deest prudentia, & mentis sanitas. Quarto ab eo contrahitur, qui alienare potest, talis contractus in utroque foro licitus est, etiam si minus ematur, vel magis vendatur quàm sit iustum pretium. ut tradit *Corradus. de cont. q. 57. Ang. in ver. emptio num. 6. Viguer. de virtute iustitiæ c. 5. §. 3. vers. 13. Graff. lib. 2 decis. c. 12 2. num. 22. Arrag. 22 q. 77. art. 1. Io. Bapt. Corradus. in respon. q. 130. Bonac. d. 3. q. 2. p. 4. nu. 23 Nau. cons. 4. de empt. & vendit.*

Quarto licet in foro externo ei non detur actio, qui carius emendo, vel uilius vendendo, ultra dimidium iusti pretii non est lęsus, idque ad uitandas innumeras lites, quæ inde manarent, (etsi consilium Neapolitanum, quod naturalem æquitatem iudicauit, dicat ẽt in foro externo læsum esse illũ, qui rõ valentem decem emit sexdecim, & è contra teste *Vincentio de Franchis decis. 243.*) In foro tamen animæ, lege tàm naturali quàm diuina dictante, nefas est,

fas est, minoris emere, quod pluris valet, & pluris vendere, quod minoris est pretii, etiam si dimidium non excedat, ut proinde præter culpam, ad restituẽdum excessum, vel supplendum defectum, aut saltem ad rescindendum contractum suboriatur obligatio, ut est communis tàm Theologorum quàm Iurisprudentium sententia. *D.Thomas, & ibi Arrag. 22.q.77.art.1. Io. Medina de restitut.q.32. Sot.de iustitia, & iure, l.6.q.3.art.1. Lessius l.2.cap.21.dub.4. Couar.l.1.var.resolut.c.4. Nau.c.23.num.77.& in c.qualitas.de pœnit.dist.5.& in c.nouit.ext.de iudic. Molfes tract.12.c.5.num.144. Regius casu 13. Dec. & Cagnol.in l.semper ff.de regul.iur.& alij.*

Addo, vbi etiam ex iuris ciuilis dispositione emptio ob læsionem ultra dimidiam iusti pretij rescindenda foret, fructus, accessiones, & commoda, saltem à tempore moræ, etiam in foro poli restituenda esse; quod non solum in venditione procedit, sed etiam in omni alio bonæ fidei contractu, vel si ab ecclesia alteri ecclesiæ facta fuerit venditio. Imo locum quoque habet in diuisione rerum communiũ, & in deceptione facta in redditione rationum, etiã si generaliter addita fuerit renuntiatio omni legum auxilio, &c. *Thesaur.in decis Pedemont.decis.165. Nald.in ver.vendere.num.22. Tusch.uer.restitutio, conclusio.289.& in ver.error calculi concl.314.*

RESOLVTIO.

HIs præcognitis dico, Marium à culpa immunem esse, si bona, & integra fide rhedam minus iusto pretio emit, & scrupulum, vel conscientiã aliud dictantem à se depulit: Sed ei aperire debet Confessarius, quod etsi ille defectus inculpate contigerit, cum tamen iniustitia agnoscitur, ad illum emendandum obligatur, ita ut contractus arbitrio boni uiri ad æqualitatem reducatur, minus quid soluendo, cum ultroneæ, ut dicitur, merces in aliqua parte uilescant, &c. Et multo magis læsa iustitia resarcienda est, quod hic donatio non præsumitur, cum in Gabriele lusore potius necessitas, & fatuitas ad minus iusto vendẽdum cogẽs agnoscatur, quis nãq; nescit aleæ, vel taxillorum ludo addictos, ut habeant quod in huiusmodi iniquitate exhauriant, subuculam usque distrahere, & ad nuditatem redigi? ut merito *D.Bernardinus Senensis serm 33. Dom.5. in Quadr.* ludi duodecim iniquitates, ac totidem ludentium fatuitates enumeret: Quippe in dandis, ac accipiendis donis tria sunt inspicienda Primum qualitas dantis, & accipientis, an mentis inops det prudenti, pauper diuiti, & cæt. Secundũ quantitas, quæ datur, & accipitur, an sit magni, vel parui pretii. Tertiũ tempus, si in necessitatis tempore, aut sine ea tribuitur, nam qui necessitate constrictus, ac pene coactus multo minori pretio quàm valeat, aliquam rem vendit, reliquum iusti pretii donare non censetur, ut proinde emptor restituere teneatur, nisi postea vẽditor sui cõpos gratis & libere remiserit. Nec attendenda sunt verba Notarii, in tabulis contractus dicentis, & si plus valer, donault, &c. quia sunt clausulæ ordinariæ, quæ de stylo tabellionum apponuntur, nec reuera donationem inducunt, nisi scienter constet, aliam partem reuera superfluum donasse. *Roder.in summa par.1.cap.95. Lessius d.dub.4.num.37.& DD.supra allegati. Item Menoch.l.2.de arbit.Iud.casu 88.& Mascard.vol.1. de probat.conclus.555. Molfes.tract.12.c.5.nu.145.*

Ad secundam quęstionem respondeo, ex veriori, æquiori, ac magis recepta sententia, posse Marium emptorem incolumi conscientia rescindere contractum cum Martino, & rem illi reddere, ut pretium ab eo recuperet; nec teneri equum vero domino restituere, siquidem in pari casu innocentiæ unusquisque ius habet, ut sibi potius quàm alteri consulat, atque ita ex communi resoluit *Lazarius de Monit. sect.4.q.2. Faustus d.4.q.23. Beia par.1.casu 13. Regius casu 11.* Verum quidem est, quod cum utraque opinio satis probabilis sit; multosque pro se graues authores habeat, poterit fidelis, quam uoluerit sententiam tuto amplecti; nec Confessario fas erit, pœnitenti primæ, vel contrariæ opinioni innitenti absolutionem denegare. vt ait *Salon. 22 q.62.art.6.* Imo in hac re plerique duo apud omnes nota obseruant. Primo emptorem bonę fidei, si fur nõ comparet, aut ille à quo is accepit, teneri domino reddere, quia bona fides, & ignorantia quò ad pęnam, non quò ad rei restitutionem, emptorem excusat; ac proinde admonent, unumquemque curare debere ne quid furto affectum emat, ne periculo rem, & pretium amittendi se exponat. Imo si res furtiua inueniatur, propria authoritate, & de facto, nisi sequatur scandalum, à quocumque uendicari poterit. Secundo eum qui scienter, vel probabiliter pręsumens esse rem furtiuam, eam emit ab eo, de quo vehemẽs suspicio est, multa furto ablata vendere, non posse iuste contractum cum latrone initum rescindere, & rem eidem tradere, ut datum pretium recuperet, ut de communi testatur *Lazar.l.c.num.9.*

QVAESTIO IV.

An legale pretium in mercibus vendendis semper sit seruandum, & quid in singularibus casibus resoluendum sit.

GAndulphus lanius eo prætextu, quod in arte sua non lucratur, primo pretium carnibus vẽdendis impositum non seruat, sed illud in quouis pene venditionis actu excedit. Item secundo cum in horreo suo habeat triticũ malæ conditionis, me-

diocris,

diocris, & optimæ, cum illud vendit, optimum cum deteriori miscere solet, ut ipsum fere ex utroq; frumentum mediocre fiat, pro quo à Magistratib. præscriptum est preti. Tertio cum edictū a Magistratib. emanauerit sanciens ut triticum maiori pretio quã duobus aureis non uendatur & ibi duorum mẽsium tempus præfigatur, cum ante illud tempus transactũ hec lex, uel ut dicunt, pragmatica innotuerit, ultra statutum pretium mediocre uendidit. Quarto cum in uendendis carnibus adulterinos nummos nõ aduertens receperit, eosdem nihilominus scienter æs alienum soluendo expendit. Quæritur, quid in his casib. Cõfessarius lanio pœnitẽti consulere debeat.

RESPONSIO, ET SVPPOSITA.

RESPON. Supponendum est, quò penuria ex vrbe arceatur, & abundantia inducatur, & cõseruetur, ad publicam potestatem pertinere edictis cauere, ne quis res ad uictum necessarias, verbi gratia, triticum in magna copia emat. Seucre hoc Constantinopoli prohibetur, imo nemini huiusmodi res coacernare licet, quo fit, ut oĩa ibi affluant, & uilissimo pretio emantur. Et etiam ad Magistratuum munus spectat rerum ad uictum necessariarum pretiũ statuere, & in publicæ fidei uiolatores animaduertere. *L. 1. §. cura carnis. ff. de officio Præsidis.* Etenim negotiatores qui lucris sitienter inhiant, ob suam auaritiam consultò, astuque decipiunt. Ad explorãdum vero rei pretium, ex multis à Superiori, vel Gubernatore, vt supra innui, ducenda est ratio. Primo enim rei necessitas attendenda est, mox copia, & inopia, deinde negotiationis labor, cura, industria, & pericula. Præterea si merces in melius mutatæ sunt, vel in deterius, venditorum, atque emptorum frequentia, atque id genus alia, quę prudentes Magistratus cõmuni bono cõsulẽtes speculari possunt.

Idemque statuendum est de pretio operis Aduocatorum, Causidicorum, & Scribarum præscripto, ut scilicet illud tantum stipendium recipere possint, quod à lege, vel à cõsuetud ine taxatum est, nisi maius liberaliter donetur, quando vero non est à iure, vel ab vsu determinatum, tantum illud sumere possunt, quantum prudentis uiri iudicio iustum uidebitur, habita ratione laboris, dignitatis, scientiæ, qualitatis personæ, causæ difficultatis, &c. siquidem omnes istæ causæ iustam præbent augendi pretii rationẽ. *vt ex cõi per Bonac. de leg. d. 10. q. 3. p. 4. n. 9.* Vide supra *tract. 6. c. 9. quæst. 44.* Et in taxando mercium pretio non est standum cuiuslibet mercatoris, vel artificis arbitrio, sed prudentum, ac peritorum iudicio, eorumque qui iustitię, & ęquitatis cultores sunt aliqua data quantitate, quæ ipsis venditoribus lucro cedat. ut innuimus superius *tract. 7. c. 27. quæst. 142.* Est enim fallax regula, si quis semper quanto emit pretio, quantumve laboris, & periculorum subiit, tanti cum lucri accessione vendere velit: siquidem quod pluris emerit, aut laborauerit, ex eius incuria, & negligentia oriri potuit; ut præterea, quod si uno anno non lucrantur, vel amittunt, altero rem suam agunt, & augent; nam cum negotiationis ars sit plurimum fortuitis rerum euẽtib. obnoxia, negotiatores, mercatores, & sinistra suo dispẽdio subire pericula, & dextram, ut sic dicam, opperiri fortunã debent. Sicut etiam regula iusti pretii non debet esse, ementis, vel vendentis commoditas, hoc est non ideò mercator potest rem pluris vendere, quàm valet, quod ementi utilis, vel necessaria est, vel minoris emere, quia vendenti est valde commodum illam à se alienare, siquidem ista per accidens se habent ad iustum pretium. Quando ergo pretium est legitime taxatum, omnes ciues, & clerici illud charitatis, & iustitię legibus seruare tenentur, nam quamuis clerici directe lege ciuili non ligentur, nihilominus lege naturali iustitiæ tenentur. Imo aduenæ uendentes triticum in alieno territorio præscriptum pretium seruare astringuntur, quod in ea regione obseruari iubetur, constat enim eos in multis casibus legibus loci ubi commorantur, & pręsertim quò ad contractus obstringi. *Sotus l. 6. de iustitia, & iure. q. 2. art 3. Carbo de restit. q. 52. Bonac. de leg. d. 1. q. 1. p. 6. & de contr. d. 3. q. 11. p. 4.*

RESOLVTIO.

HIs ergo perpensis, quò ad primam quęstionem illam assertionem Primo constituo, ipsum Gãdulphum lanium non esse audiendum, si statutum à Superioribus pretium in posterum obseruare non uult, etiam si illam excusationem afferat, quod id facit, ut se indemnem seruet, nisi tamen omnes macellarii, uel maior pars conquerantur, & pretii iniustitia euidenter appareat. In dubio autem præsumitur Principem, uel Senatum cum aliquam condunt legem, omnia prudenter prospicere, ac proinde quæ ad prædictam taxationem iuste, & honeste conficiendam necessaria sunt, diligenter considerasse. Et generaliter loquendo in re dubia prò iustitia legis, tàm secularis, quàm ecclesiasticę, & regularis iusta etiam sit pręsumptio, donec expresse contrarium non appareat, ita ut tunc subditi obedire teneantur. Quippe in dubio unicuique in sua arte credendum est; habent autem populorum Rectores artem suam quam subditi, nec possunt, nec exercere debent, atque illorum iudicio quasi regula eos uti oportet, quoties ambigitur, recte ne imperatum sit aliquid, an secus. Et credendum est, quod cum Deus his interpositis, & mediis mundum regat, eos singulari suo lumine compleat, ut intelligant, quid Reipubl. magis expediat. Vnde Salomon Rex fidenter hoc

donum

donum à Deo petebat, quasi sibi debitum, Dabis ergo seruo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit. 3. *Reg.* 3. *Io. Medina de rebus restitut. q.* 31. *Arrag. d. art.* 1. *Nau. consf.* 3. *de empt. & vendit. Graffius consf.* 1. *eodem tit. Molina de contract. disp.* 364. *Reg. l.* 25. *num.* 285. *Molfes. p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 89. *& p.* 1. *tract.* 9. *c.* 5. *num.* 68. *Chanas. de prud. l.* 2. *cap.* 13. *Filliuc. tom.* 2. *tr.* 35. *c.* 4. *q.* 8. *& seq.*

Quo ad secundam quæstionem secunda assertio est, si granum à Gandulpho uendendum in bonitate notabilē excessum habeat, ita ut tàm utile sit emptori triticum illud melius maiori pretio emere, quàm taxatum mediocre triticum minori comparare, illud sic uendere in foro conscientię illicitum non uideri, etiam si forte in externo iudicio ipse uēditor à pœna non abiret immunis. Sicut è contra, propter defectum in bonitate, debet infra idem pretium descendere, ut si verbi gratia triticum sit putridum, aut vermiculis scatens, aut lolio permixtum, ita ut notabiliter peius sit tritico, quod communiter venditur, &c. Quando vero dubium est, an taxatio iusta sit, illi, ut dixi, standum est, & in foro conscientiæ seruanda est, cum legislatores rectæ rationi se accommodare eredere consentaneum sit. *Sot. l. c. ar.* 2. *Syluest. in ver. emptio. q.* 19. *& q.* 20. *Carbo. d. q.* 52. *Graffius. l.* 2. *Decis. c.* 16. *nu.* 10. *& sequen. Molf. disput.* 364. *Lopez in Instruct. consf. p.* 2. *c.* 42. *Reg. l.* 25. *num.* 284. *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 35. *c.* 4. *q.* 2. Vbi etiam quæst. 6. resoluit, si frumenti taxatio tempore penuriæ facta est, eo etiam tempore seruandam esse, cum pręsertim Magistratus soleant omnes cogere, ut frumentum quod eis superest vendant. Qua etiam ratione Gregor. XIII. in *Constitut. incip. Inter multiplices*, in statu ecclesiastico vetuit emere triticum vltra vsum familię unius anni. Si vero pretium tēpore abundantiæ taxatum esset, vel certe tempore mediocri, & postea sterilitas aduenerit, tunc quia idem tempus non est, & variatæ sunt circumstantiæ taxatio in foro conscientiæ non ligaret.

Ad tertiam quæstionem, tertia assertio est, quod lex quęlibet & pręsertim Pontificia, & ecclesiastica, quamuis clare, & expresse tempora dilatoria apponantur, attamen in foro conscientiæ statim à die scientiæ obligat, nisi aliter de mente statuentis constet; sed quò ad pœnas præscriptas, & quò ad forum exterius, nonnisi post elapsum tempus ligat: illud. n. tempus adiicitur, ut transgressores se excusare, & ignorantiam allegare nequeāt, quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus: ex quo ergo quis certus est de legis promulgatione, frustra duorum mensium lapsum præstolatur. *arg. eum qui. de reg. iur. in* 6. vt de communi schola testatur. *Sayrus l.* 3. *Clau. reg. c.* 5. *num.* 10. *Medina de restitut. qu.* 30. *Cappuc. in schol. ad Comp. Priuileg. Mend. in ver. Dare. Duard. in Bullam Cænæ Domini l.* 1. *c.* 3. *quast.* 6. Sicut etiam in casu contrario si quis post elapsum tempus in Pragmatica, seu Bulla contentū, ex ignorantia illam transgressus fuerit, in animæ iudicio à culpa excusatur, sed omnes pœnas quò ad forum exterius subit, quia ei asserenti, & ignorantiam allegãti non creditur. Verius tamen in praxi uidetur eorum placitum, qui sentiunt quando adest spatium in lege præfixum, nisi elapso termino prædicto non obligare, cum tunc de legislatoris intentione appareat. *Sayr. l. c. Bonac. de leg. d.* 1. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 25. *Molfes. tr.* 9. *c.* 8. *num.* 39. *arg. Sot. de iust. & iu. l.* 1. *q.* 1. *art.* 4. *Graff. l.* 2. *decis. aur. c.* 53. *n.* 32. *Azor. p.* 1. *l.* 5. *c.* 3. *q.* 8. *in fin.* Sicut etiā verius in praxi sentire illi DD. uidētur, qui uolunt, ob modicū excessū in bonitate eodē pretio vēdendas esse res optimas, & pretiosas in illo genere, & diffinitū pretiū et tēpore penuriæ, & sterilitatis seruandū esse, *Bannes* 22. *q.* 77. *art.* 1. *Salon q.* 71. *art.* 4. *Medina de reb. restit. q.* 27. *Nau. c.* 23. *n.* 88. *Azor. p.* 3. *l.* 8. *c.* 22. *q.* 6. *Salas in tract. de empt. & vendit. dub.* 7. *Reg. l.* 25. *num.* 284.

Est porro certa, & cōis positio tolli, aut saltē suspendi, tàm carnis, quàm tritici, & aliarum rerum ad uictum necessariarum pretii obligationem, si Princeps sciat ab uniuerso populo, aut maiori illius parte non seruari, & dissimulando toleret, cum possit sine magno suo incommodo transgressores plectere; nam qui non reclamat, cum debet, & potest, consentire censetur, &c. *c. qui tacet. de reg. iu. in* 6. *Sot. d. ar.* 3. *Graffius d. consf.* 1. *de empt. & vendit. Reg. l. c. Azor. d. c.* 22. *q.* 8. *Lopez. in Instruct. consf. par.* 2. *c.* 76. *Conrad. in respon. cas. consc. q.* 130. *Salon.* 22. *q.* 77. *art.* 1. *Salas de empt. & vendit. dub.* 22. *& sequen. Reg. trac.* 12. *c.* 5. *num.* 91. Obseruat etiam *Cenedus in collect. iur. can. collect.* 118. aliquem pluris præscripto pretio vendere posse, si rem illam pro aliquo particulari respectu taxatione chariorem habeat. Et inter alia remedia ne annonę caritas in Rempublicam inuehatur, optimum esse ut uictualia quæ ad Vrbis prouisionem, & commodum veniunt, vsque ad certam horam ab institoribus, seu, ut aiunt, reuenditoribus emi non possint, ii enim futuri lucri cupiditate omnia sibi adscribere conantur, & ob id populus, vel plebs magnam iacturam patitur, propterea enim qui omnia præemunt, & anteuertunt appellari supra dixi Dardanios à Dardanio quodam profligatissimo Mago, à quo etiam Dardaniæ artes à Columella uocantur magicæ, iuxta illud,

At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniunt artes, &c.

Ad tertiam quęstionem demum quarta assertio annectitur falsa pecunia, quā forte ab emptoribus, aut nūmulariis Gandulphus circūuētus accepit, qd- q̄ emere, vel soluere non posse, quia cum venditor à quo emit, innocens sit, & bonæ fidei, nec ullam detrimento causam præbuerit, quod ille ptius venden-

do

do passus est, nulla ratione debet eius inuidiæ pœnæque subiacere, sed fidelem mercium suarum reportare mercedem. Nemo inquit iuris regula, debet alterius odio prægrauari. Imo si venditor paratus sit etiam sciens adulterinos, ac uitiatos nummos admittere, contra charitatem, & iustitiam nihilominus eos tradendo, peccabit: non quod ipsi iniuria fiat, sed quod satis fore præuideat, ut aliis eos tradat; & sic decipiat eo utique cooperante, sicut cooperatur, qui ensem furioso dat. *Syl. in ver. falsarius q. 6. Nau. c. 27. num. 167. Graffius l. 2. decis. aur. cap. 135. num. 27. Chauas. de prud. l. 4. c. 1. §. 4.* vt etiam est tactum sup. *tr. 7. c. 37. q. 143.*

QVAESTIO IV.

Emere rem carius, & eam statim vilius mercatori reuendere, an sit vsura, &c.

GAspar uir ludo deditus, & turpitudinibus cum meretricibus perpetrandis assuetus, ad Ludouicum mercatorem accedit, ab illo centum aureos mutuo sibi dari petens, quos cum ille dare renuat, tot merces in panno, & serico, credita pecunia, sibimet vendi postulat, quas deinde statim eidem mercatori minori pretio numerata pecunia reuendit, cum tamen ipse mercator probabiliter sciat Ludouicum fornicando, & ludendo illis pecuniis abusurū, & bene ui aliquarū illarum mercium pretiū minuendū fore. Quæritur, an iste contractus iniustitiæ, vel usuræ labe sit infectus, & qd respōdere debeat Confessarius?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REsp. Pro locupletiori, & clariori huius casus elucidatione, prænoscendum est. Primo Auaritiā quatuor uitiorū totis vehi, q̄ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, ac mortis obliuio. Porro iumenta trahentia esse tenacitatem, & rapacitatem, & his unum aurigam ambobus præsidere, habendi, & congregandi ardorem, qui varios etiam iniustos contrahendi modos excogitat. Rursus auaritiam à quatuor causis potissimum prouenire. Prima est filiorum multiplicatio, cum iucūditas prolis parentis cor ad cumulandum alliciat. Secunda est uolupruosa conuersatio, ut homo postmodum genio, & uoluptatibus indulgere possit. Tertia, ambitiosa aspiratio, dum pulchrum putat, inter omnes excellere, & honore affici. Quarto felicitatis appetitus, cum tamen illud eueniat. Inopem me copia fecit. Quippe auarus, ut res augeat, intra se dicit. Faciam q Florentinus ille dixit. Primo, ferreum brachiū gerā, ut assiduis laborib. frangar. Secundo ventrem formicæ, ut uidelicet parum comedam, & expendam, & genium meum ut ditescam defraudem. Tertio animam canis, cum proiecta conscientia, per fas, & nefas usuris, rapinis, fraudibus, ac oppressionibus (infeliciter, & misere) studendo.

Scdo suppono, q & supra recolendum diximus, rerū venaliū pretiū duplex esse, nēpe legale, q à Principe, uel Vrbis Gubernatore impositū est, & naturale, quo cōiter res in præsenti ualore æstimantur, attenta illarum intrinseca bonitate, & uendentis utilitate, loco, tempore, copia, uel defectu rerum illius generis, & emptorum, ac earum uenditorum, & uendendi modo. Et quamuis pretium lege præscriptum sit omnino indiuisibile, ita ut supra id quo res taxatur uendi nequeat, at infra possit: Illud tamen pretium, quod naturale, commune, uel consuetudinarium dicimus, latitudinem habet, nempe rigorosum, medium, & infimum. Et utrique illud cōmune est, ut cum præsenti pecunia uendendo notabilis fit excessus, mortalis iniustitia commi ttat, &c.

Tertio, Aduertendum est, usuram esse lucium pecunia æstimabile, principaliter ui ueri mutui, aut palliati quæsitum, uel speratum. Quamuis enim usura proprie in solo cōtractu mutui reperiatur, quia tamen mutuum duplex est, unum uerum, & aliud palliatum, idcirco duplex etiam usura constitui solet, una uera, quæ in uero, & aperto mutuo committitur; alia uelata, & palliata, quæ sub palliato mutuo sub specie æqualitatis, & humanæ iustitiæ delitescit. Qualis est oīs cōtractus, & si nō sit mutui, in quo qs ob anticipatam solutionē minori iusto pretio infimo emit, uel maiori iusto rigido propter eandem dilatam solutionem uendit. *c. in ciuitate. ext. de vsuris. c. ad audientiam. ext. de empt. & vendit. c. illo. extra. de pignor.*

Quarto, Supponēdum est, quod ut acquisita, uel accepta non sint restitutioni obnoxia, sed licite retineantur, quatuor requiruntur. Primo ut id, quod datur, sit dantis, & alienare possit, cuius defectu acceptum à latrone, monacho, pupillo, &c. retineri nō potest. Secundo ut id quod uenditur, sit pretio æstimabile, quod deest, cum tempus, & usus pecuniæ uenditur. Tertio quod gratis non debeatur, ut collatio sacramentorum, uel beneficii, de quibus dicitur à Domino *Matth. c. 10.* Gratis accepistis, gratis date. Quarto, ut acceptio, uel datio non sit lege prohibita, qualis est cum pro opere iniquo in iniuriam, & damnum alterius datur. *l. generaliter. ff. de verb. oblig.* vt infra etiam suo loco dicetur.

RESOLVTIO.

HIs suppositis, dico præsentem casum tres secum difficultates inuoluere, quæ passim in praxi contingere solent.

Prima est, an eandem rem immutatam puta pānum carius expectata pecunia uēdere, & statim eadem soluta, uilius reemere sit licitum.

Secunda, an hoc procedat, etiamsi qui reuendit, illa pecunia sit abusurus.

Tertio, an si mercator dat, vel vendit, verbi gratia, sericum, expectata pecunia, pretio rigido, & supremo, etiam si sciat, cras ob diminutum pretium minus valiturum, usuram admittat, &c.

Prima, difficultas tollitur sic dicendo, Quod & si iniquitas, & hominum auaritia, ut dixi, hunc contractum excogitauit, qui à vulgo stochus appellatur, in quo rem carius dilata solutione venditam idẽ mercator multo uiliori pretio statim emit; si tamen Gaspar mercator emit uilius intra latitudinem iusti pretii, nulla iniustitia, nec usuraria prauitas apparet: potuit enim Ludouicus qui pecunia se indigere dicebat, emere pretio rigido, puta decem, mercator vero, vel alius numerata pecunia nouem, vel octo, modo hæ conditiones seruentur. Primo, ut vera sit venditio, & non palliata usura. Secundo ut mercator illum ad reuendendum non obliget, aliter enim dicendum, si cogeret, sicut iniustitia non caret, nolle indigenti vendere triticum, nisi alia res ematur, puta hordeum, vel oleum, &c. *Salas de empt. dub.* 10. Tertio, ut euitetur scandalum, facile enim probabili infamiæ, & notæ usuratii periculo se exponit, quatenus denuo minori pretio emendo, quę ab ipso maiori sunt vendita, iniustitiæ, & iniquæ usuræ reus iudicari potest, ita namque mortalium natura comparatum est ut aliena facta in deteriorem partem interpretentur. Atque sic sentiunt *Syl. in ver. usura* 2.§.4. *Rosella usura* 2.§.20. *Nau. c.* 23. *num.* 91, *Berard. in summa Corona. c.* 8. *num.* 9. *Tol. l.* 5. *c.* 31. *nu.* 6. *Carb. de rest. d. q.* 52. *Graff. l.* 2. *decis. c.* 109. *n.* 4. *Beia par.* 2. *respon. casu* 3. *Regius casu* 14. *& casu* 34. Secundæ difficultati satisfit, dicendo, contra charitatem mercatorem peccare, si ei vendit, vel dat pecuniam, quam probabili, & morali certitudine scit in ludos, & meretricios actus male consumpturum, siquidem quisque quantum in se est, charitatis officio tenetur alterius bono consulere, cum ut ait Sapiens *Eccles. c.* 17. Deus cuique mandauerit de proximo suo, & homo homini debeat esse Deus, non lupus. Hinc Pythagoras interrogatus qua ratione homines Diis similes haberi possent, respondit, si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerẽt. Quare qui cum possit, proximo egenti non prodest, hominis se appellatione expoliat, quia ut ait *Lact. l.* 6. *diuin. instit. c.* 11. Humanitatis officium est hominis necessitati, ac periculo subuenire. *Carbo. de restitut. q.* 75. *Sayr. l.* 10. *tract.* 2. *c.* 5. *num.* 10. *Lessius l.* 2. *c.* 16. *dub.* 4. *num.* 52. *Reg. l.* 10. *num.* 172, *& l.* 25. *num.* 262 *& sequen.*

Tertiæ quęstionis nodus dissoluitur dicẽdo mercatorem, qui merces hodie vendit currenti pretio sciens cras monetarum, vel pecuniarum ualorem diminuendum, non peccare, nec quidquam restituere teneri, modo absit fraus, utitur enim iure suo, nec hic ulla iniustitia, vel inæqualitas intercedit, siquidem priuata scientia venditoris communem ęstimationem non mutat: sicut nec priuata scientia emptoris, alioqui emptor non posset pretio currenti emere, si sciret pretium augendum, quod tamen falsum esse constat exemplo Iosephi, *Genes. c.* 41. qui sciens maximam futuram penuriam, omne frumentum Aegypti currenti pretio comparauit. & Thales Milesius apud *Arist. l.* 1. *Polit. c.* 7. per astrologicam scientiam præuidens superuenturam oliuarum sterilitatem, magnam olei copiam emit, &c. ut sentire uidentur *Lessius l.* 2. *c.* 20. *dub.* 17. *num.* 146. *Molina de contr. d.* 354. *Reg. l.* 25. *num.* 345. *Bonac. d.* 3. *q.* 2. *p.* 5 *num.* 17. *Sayrus in claui regia, l.* 3. *c.* 5. *nu.* 1. *Salas de empt. & vendit. dub.* 32.

CAP. IV.

QVAESTIO VI.

An cui datum est aliquid ad vendendum, verbi gratia pro decem, si duodecim vendat, teneatur duo restituere, & quomodo mendaciis peccet, &c.

EVphemię cum à Martha nobili, sed indiga matrona, vestis serica auro contexta, pretio decem aureorum vendenda ei tradita esset, vendidit pro duodecim, & illud pretii incrementum supra decem sibi retinuit. Item dum uendit, ut emptores ad rigorosum pretium pertrahat, mẽdacio affirmat rem tanti ualere, uel tantum pretium ab alio haberе potuisse. Quæritur, an peccauerit, & ad aliquam restitutionem d. Marthæ teneatur.

RESOLVTIO.

REspon. Casus hic in confessionibus frequenter accidit, vel teste *Molina de contr. d.* 363. Qua in re resolutiue mihi dicendum uidetur, pretii determinationem regulariter fieri solere, ut proxenetæ minori pretio rem non uendant, & propterea totum pretium vltra à domino taxatum esse restituendum. Quod procedit etiam si hæc mulier proxenetæ officio fungens sua industria vestem pluris vendiderit, rem ipsam laudando, nam ex ratione muneris tenetur rem vendendam commendare, modo non mentiatur, nec defectum aliquem tegat, iuxta illud,

Largius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Horat. l. 2. *epist. ad Iul. Flor. l.* 2. *ff. de proxenetis.* Vt loquaces, & fraudulenti mercatores, & institores facere solent: quibus commendatitiis verbis opus non esset, si merces nullo uitio laborarent, nam ut est in adagio,

adagio, uino vendibili suspensa non opus est hedera. Excipitur Primo si ista mulier sua industria rem meliorem, & pretiosiorem expoliendo, purgando, vel alia quacumque ratione reddidisset: hoc enim casu augmentum illud pro sui laboris mercede sibi ascribere posset. Vt etiam dicitur de sartoribus, quibus committitur, vt pannum, aut sericum emãt, unde vestes alicui conficiant, si n. propria industria uilius emunt, quò emptores ad mercatorum officinas conducant, illud auctuarium sibi retinere possunt, vt per *Mol. d. c.* Secundo quando matrona conuenisset, ut gratis, & sine præmio illa propola vendere teneretur, tacite namque conuentũ uidetur, ut sibi augmentum illud lucretur. Quod procedit etiam si dicta Euphemia alteri fœminę mediatrici tradidisset, quæ eius uicem gerens gratis illas vestes vendidisset, pretiumque venditionis ipsi Euphemiæ contulisset, &c. *Corduba de casib. q. 99. & Barthol. à Fausto infra citand.* Tertio quando tacite, vel expresse aliqua ratione actum esset, ut si plurimi vendiderit, lucro suo cedat: tacita autem conuentio facta intelligitur, si domina pacta fuerit, ut ad ipsam vestem, vel decem aureos referat; nam hoc casu rei periculum ad proxenetam spectat, cum eidem æstimata sit tradita. Potest tamen accidere, ut matrona rei uendendæ domina eius ualorem nesciat, imo quod callida ista fœmina rem paruipendat, & dolose eam uiliorem faciat, quò magis lucretur; ut propterea contractus nullus reddatur, & excessum illum restituere in conscientia debeat, nam ut admonet *Tull. l. 3. officiorum.* Tollendum est in rebus contrahendis omne mendacium, non licitatorem uenditor, nec qui cõtra se licitetur, emptor apponet. *Bart. in l. 1. ff. de æstimat. act. D. Ant. 3. p. tit. 8. c. 1. §. 4. Sylu. in ver. emptio. q. 24. Tab. §. 19. Gab. in 4. d. 15. q. 10. art. 3. dub. 4. Nau. c. 23. num. 91. Corrad. in resp. q. 133. Mol. d. 363. Berard. p. 2. c. 8. num. 21. Azor. p. 3. l. 8. c. 23. q. 8. Rebel. l. 9. q. 18. sect. 5. Barth. à S. Fausto de empt. & vendit. d. 6. q. 63. Bonac. de contr. d. 1. q. 2. p. 6. n. 13. & seq. Molfes. tr. 12. c. 5. nu. 112. & seq.*

Ad secundam quæstionem dico, Euphemiam ut plurimum uenialiter mendacii culpa peccare, nec ad restitutionem teneri; nam communiter homines norunt hæc esse solere uendentium commentum, & uafram conditionem, quibus emptores fidem non præstant; secus tamen dicendum foret, si mulier hęc mendaciis, ac periuriis emptores ad tradendum aliquid ultra iustum pretium allexisset, tunc enim & lethalis culpæ, & etiam restitutionis rea fieret. Idẽ *Bonac. l. c. d. 3. q. 2. p. 4. num. 31.* Atque hinc uerum esse comprobatur, quod scripsit *Arist. l. 6. animal. c. 1. & Barbat. cons. 54.* mulieres suapte natura esse mendaces, & periuras. Hucque spectat Græcorum Senarius,

Mulieris iusiurandum in vino scribe.

Siquidẽ antiqui res prorsus irritas in uino, & aqua scribendas dicebant. Et ille prouerbialis uersus, *Mulieri iuranti ridet Cœlũ.* Nec hoc fœmineum uitium latuit *Iustin. in Authen. de nupt. §. quæ vero.* ubi tradit, in fœminis periurium esse promptum, ideoque ibi Iuliam Miscellam legem abrogat, quę a mulieribus quoddam iuramentum in eo casu exigebat. Hæc tamen mulier in rigore, & per se loquendo à Confessario absolui poterit, si ab huiusmodi mendaciis, ac periuriis in futurum abstinendi propositum habeat; at differri poterit absolutio, si nulla de hoc uitio facta fuerit emendatio; & quoties Confessarius ipse saluti pœnitentis id expedire iudicauerit. *arg. Sanchez l. 2. de precept. c. 32. nu. 45. & Graff. l. 2. decis. aur. c. 20.*

QVAESTIO VII.

Princeps an Reipublicæ officia vendere possit, & an venationem sub pœna mortis sibi reseruare queat, &c.

ALphonsus Dux, & Princeps, sæcularia officia, Magistratus, & honores uendere solet eo prętextu, quod ex proprii dominii redditibus non ea sibi satis suppeditentur, quæ ad tuendum suum statum necessaria sunt. Quæritur, an cõtra charitatem, & iustitiam peccet, & quomodo qui ei à confessionibus est, circa hoc se gerere debeat, &c. Item sub pœna capitis prohibuit, ne quis ex subditis in sua ditione uenetur, quæritur an hoc facere potuerit, & an ei subiecti transgrediendo mortaliter peccent?

RESPONSIO.

CIrca hanc quæstionem variæ quidem sunt Doctorum sententiæ, verum inter alios *D. Thomas in opusc. 21.* à Ducissa Brabantiæ hac de re interrogatus, falcem radici apponens respondet, ex suo genere licere Regibus, Ducibus, & Principibus officia vendere, quibusdam seruatis conditionibus, quas ibi assignat, non tamen expedire, ut ista venalia sint, illudque Apostoli in testimonium affert. Multa mihi licent, sed non omnia expediunt. Et ut ait *Anchar. cons. 66.* Princeps tria potissimum curare debet, quæ sunt in omni negotio attendenda. Primo, quid deceat secundum honestatem. Secundo, quid liceat secundum æquitatem. Tertio, quid expediat secundum utilitatem; cum sequitur *Tusc. ver. Princeps, conclus. 700. & ver. officiales, concl. 98.* Plerumque enim illas venditiones ita fieri contingit, ut multa incommoda, & scandala consequãtur, nam Primo qui pecuniis abundant, emunt potius quàm cæteri, & tales minus idonei sunt, cum tamen Principes, & alii Electores sub culpæ lethalis reatu

ad publica officia si non digniotes saltem dignos eligere teneantur. Et cum diuites paupetibus præferuntur, iter ad virtutes præcluditur; ut merito & Plinius & Naso suis temporibus conquererētur, quod census Magistratus, & equites faceret,

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias, pauper vbique iacet.

Secundo qui emunt, ut pretium quod dederunt, recuperent, & adhuc aliquid amplius lucrētur, ad multa perperam agenda facile inducuntur, & inferiores ministros constituunt, non habita ratione, an apti sint, quorum opera ad plus pecuniæ corradendum vtuntur. Quem abusum sugillauit Antisthenes cum olim Atheniensium iudicium in creandis Magistratibus notatrus eis suadebat, ut asinos ad agriculturam deligerent, quos cum illi ad atationē idoneos negarent; atqui, inquit ille, non satis vobis est Magistratum elegisse, siue aptus, siue ineptus ad gerendum sit? Vt omittam etiam quod qui sic turpiter emit, nihil eidem collatori debere se credit, nullam habet gratiam, habiturus maximā si gratis accepisset. Quocirca Alexander Magnus obstringere sibi volens Abilolominum, quem Sydonijs præfecerat, cum gratis hac præfectura donauit, ut beneficium, inquit, grata memoria prosequatur. *Schol. ad Alciat. emb. 7. Carthag. l. 8. hom. 3. Vasq. in opusc. de benef. c. 2. §. 3. dub. 14. & seq. Molfes. tra. 12. c. 5. num. 56. & tr. 8. c. 13. num. 11. Chauas de prud. l. 2. c. 5.* Et quāuis hæc notissima sint, ijs tamen hodie plerisque in aulis moribus viuitur, ut refractis pudoris, & reuerentiæ claustris, omnia omnibus pateant, ut melioribus spretis, deterrimi ualeant. Iam enim fere illud Euripidis obtinet,

Nunc certe pudor in mortalibus est extinctus,
Terrarum improbitas occupat imperium.

Hodie teste Plinio ep. 8. Suspecta, ac neglecta est virtus, inertia autem in pretio. *Io. Choc. l. 5. Pol. c. 4.*

Porro mortalis peccati rei fiunt Reges, & Principes, qui officia tàm care, & talibus hominibus vendunt, ut probabiliter credant, aut credere debeant eos illis male usuros, aut subditos oppressuros; & ratio ēt illa conuincit, quia subditorum damnis occasionem præbent, quam ex officio propulsare debent, vnde illa, eo qui ipsa infert, non restituente, resarcire tenentur, cum & charitatis, & iustitiæ leges violent. Quæ sententia est *D. Thom. l. c. Arrag. & Salon. in 22. q. 63. art 2. Less. l. 2. c. 32. dub. 4. Nau. c. 25. num. 7. Azor. p. 2. l. 11. c. 6. & p. 3. l. 8. c. 7. Mol. d. 340. Chauas. de pru. l. d. l. 2. c. 5. Galganettus de Iure pub. l. 1. tit. 4. Mascard. to. 2. de probat. concl.* 1132. *Tusch. v. officiales concl.* 48. *Reg. l. 25. num.* 258. *Caiet. in v. officia.* & aliorum communis. Quod si Principibus laicis hæc sæcularia officia uendere tàm turpe & illicitum est, multo magis ab Episcopis iniustissime, ac fœdissime id fieret, nā præter absurda, quæ superius enumerata sunt, id scandalo christianos oculos offenderet, gratis enim acceperunt, ideo gratis dare debent non solum spiritualia, sed etiam sæcularia, quæ ad custodiam rerum laicarum instituta sunt, ut etiam ultra citatos DD. ait *Marc. Ant. Gen. in Man. Past. c. 42. & Riccius in praxi var. resol. resol.* 501.

Ad secundam q. breuiter dico, quod licet Principi in suo dominio fas sit subditis suis uenationem quò ad quædam loca, & syluas ob sustentationem, necessitatem, uel lucrum, uel oblectandi animi causa prohibere, & sibi reseruare, ita ut contra eorū interdictum uenantes, & sæpius transgredientes, grauis culpæ rei fiant, & inhabiles ad acquirendum dominium ferarum efficiantur, cum ut omnibus notū est, penes Principes facultas resideat, in re graui animas ad lethalem culpam obligandi, & rerum dominia impediendi; leges tamen quæ in publico loco uenantibus, aurpiscantibus mortis, mutilationis, aut flagellationis pœnam infligunt, iniustæ, & iniquæ sunt, nisi ad terrorem sint impositæ, nō ut executioni mandentur; quia in uenatione contra leges tanta culpæ grauitas non cognoscitur, ut tàm acribus pœnis plectenda sit. Addo Principem, qui ob prędictas causas sibi uenationem reseruat, debere dāna, quæ à feris priuatis ciuibus inferuntur resarcire, cum ex vulgata iuris regula. Qui causam damni dat, damnū dedisse dicatur. *c. fin. ext. de iniur. & damno dato.* Atque prędictę resolutiones colliguntur ex *DD. ut Bonac. de contract. d. 1. q. 3. p. 7. nu. 13. Bartholom. à S. Fausto d. 30. q. 3. & seqq. Molf. tr. 12. c. 3. num.* 106. & alijs plures referentibus.

CONFESSARII MVNVS.

Proinde Sacerdotis, qui Principi à confessionibus est, partes erunt, cum humanę actiones secundum illud, quod in pluribus accidit, ueritatem experientia teste sortiantur, suadere ut huiusmodi uenalitates à respubl. eliminentur tanquam in ea perniciosissimos abusus fouentes, ex quibus subinde omne morborum genus exotitur, quibus ciuitates, & regna ad interitum, aut certe miseram mutationem perduci solent. Misera profecto Principū sors, qui non habent, qui eos corripiant, & uerum aperiant; quorum Confessarij, & Cōsiliarij meminisse debent, se constitutos esse buccinatores uerbi Dei, non canes mutos non ualentes latrare. *Baron. tom. 9. Ann. An. Christi* 740. *Carthag. hom.* 15. vt animaduerti in *Cōmen. de hum. vita stat. p. 1. c. 5. & p. 2. c. 1.*

Verum quidem est Primates terræ Cōfessariorū, ac Cōcionatorum monita ęgre ferre, quia cum ipsi sint reipublicę oculi, non secus ac corporis oculi acrē confricationem moleste sustinent, & minima quaque paleæ lęsione offenduntur; ita ut ipsi exigua quaque increpatione exacerbentur, sed nihilominus

nus prudenter facta reprehensio prętermittenda nō est, vt sic sciant ipsos non minus, quàm eorum subditos Deo obsequentes esse debere; imo magis Dei, & eius legis cultores eos esse oportere, quādoquidem teste *Plinio in Paneg. Theod.* Vitæ Principis censura est, eaque perpetua, ad hanc dirigimur, atque conuertimur, nec tàm imperio nobis opus est, q̄ exēplo. Attendere debent Principes, vt Dion. admonebat, idoneos oportere rebus gerendis præficere, nō eos, qui Magistratus præhensant, quib. omnia tàm honesta, quàm inhonesta quæstui sunt. Et vt ait *Ioan. And. in c. 1. de off. ord. lib. 1. Feder. de senis cons.* 185. Officiales quæstuosi, & lucrosi, non sunt per Principes ponendi, sunt. n. populis onerosi, & sicut lupi agnos comedunt. contra quos etiam inuehitur *Mascard. vol. 3. de probat. in v. officia concl.* 1132. Cū tamen hæc officiorum venditio per se illicita non sit, nec cum iure naturæ pugnet, & interdum tàm grauia occurrant negotia præsertim tempore belli, ut sumptus ad ea expedienda necessarij communium tributorum vim superent, sicut huiusmodi venditio consulenda non est, sic non omnino damnanda, dūmodo immodico pretio non vēdantur, nec indignis qui bene vsuri nō sperent conferant. *Chauas. l. c. Maring. decis.* 19. *Clar. in §. simonia. Tusch. eod. cōcl.* 251.

Addo tamen quod vbi officium alicui voluntarie pretio, vel gratis à Principe collatum est, absque causa ab eo auferri non debet, aliàs iniuria, & iniustitia committeretur. Quod si quis sola ipsius Principis uoluntate sine causa priuatus est, sæpe enim illud vsurpatur,

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Tunc eisdem priuilegiis gaudebit, quibus in ipsa dignitate officii constituti potiuntur. *Gamma decisio.* 353. *Guido Papa decis.* 377.

Tandem ad Principis mentem reuocabit, eum cū in venationibus, piscationibus, & huiusmodi omnia ad se aduocat, & nil pro subditis relinquit, nomen Pastoris amittere, cum Marcellinus Ammianus grauiter pronuntiauerit, imperium esse alienæ salutis curam. Et Tiberii Cæsaris solemnis illa fuerit uox Boni Pastoris esse, tondere pecus non deglubere. Nil magis eum decere, quam clementiam, lenitatem, humanitatem, nam teste *Sap. Prou. c.* 20. Misericordia, & veritas custodiunt Regem, & thronus eius clementia roboratur. Hinc ille,

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox, &c.

QVÆSTIO VIII.

Venditor an occultum rei vendendæ vitium pandere teneatur, & quid in varijs casibus sit resoluendum?

IAcobus cum Ioanni equum venderet, & sciret illum occultum uitium habere, in genere protestatus est, se nolle de ullo eius defectu teneri, atque sub inuolucro verborum sic dixit, Vendo tibi hunc equum pro claudo, cæco, & surdo, & pro equo, qui ad instar equi Gonellæ omnibus aliis uitiis est infectus. Secundo cum nouisset publica Principis, vel Reipubl. authoritate pecuniæ valorem fore minuendum, interim magnam pecunię summam currenti pretio distraxit.

Tertio Item decem cados uini aqua diluti vendidit, descendēdo tamē in pretio tantum, quantum cū eo uitio valet, q̄ nihilominus illi non manifestat, quæritur, an in hoc triplici capite contractus iste in foro conscientiæ subsistat?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

REspon. Supponendum est, uitium, seu defectū rei aliquando versari circa substantiam, ut si aurichalchum pro auro vendatur. Aliquando esse in quātitate, ut si mensura, vel pondus imminutū sit. Interdum in qualitate, ut si equus morbo aliquo, aut uitio laboret, quo notabiliter inutilis ad id reddatur ad quod emitur, uinum lymphatum pro puro, emptori ignoranti vendatur, pannus mendis scatens, &c. Quod solet esse mercatorum uitium, qui merces in obscuro loco ad lucernæ lumen vendere solent, siquidem ut ille ait,

Nocte latent menda, vitioque ignoscitur omni.

Idem dicendum est de vendente integro pretio creditum, quod secreto nouit ob debitoris inopiam esse inexigibile, contractui. n. dolus causam daret, &c. Item siue uitium sit in substantia, aut in quantitate, siue in qualitate, comparatione vsus ad quem res emitur, ita ut illi vsui, quem emptor intendit, minus notabiliter deseruiat, adhuc distinguendum est, qđ aut uitium est patens, ut si equus sit monoculus, aut domus diruta, vel est occultum, ut si equus ilia ducat, vel uinū, ut dixi, aqua sit dilutum, & hmōi. Vbi etiam illud annotandum est, si contingat equum intra tres dies decedere, & extingui, & membra interiora corrupta habere comperiatur, cū morbus antiquus præsumatur, venditori perire dicitur. ut communiter tradunt *DD in c. si imustum. exe. de rerum permuta. Mascard. ver. equus venditus conclus.* 632. *Beia p. 3. casu 24. Tusch. ver. morbosum conclus.* 385. Sicut etiam in simili dicimus Infirmum tunc sanum effectum, cum per triduum suis pedibus ambulauit, quod quidem pro uouentibus ægrotis, & postea recidentibus notandum est, *Felyn. in c. presbyterum. ext. de homicid. Graffius cons. 1. ver. 14. de voto. Nald. ver. Infirmus, num. 4.*

Secundo premittendum, venditorem quinque obligationibus potissimum astringi. Primo quod rem venditam emptori tradere, & in ipsius dominium transferre teneatur. Secundo venditionem ui, metu, vel

vel dolo factam rescindere. Tertio quidquid ultra iustum pretium accepit, restituere, ac damna ex iniusta venditione secuta emptori resarcire. Quarto, de euictione obligari, ac emptorem indemnem seruare. Quinto, occultos rei defectus detegere, & cum emptore sincera, ac integra fide agere.

Sicut & emptoris totidem sunt obligationes. Primo, iustũ pretium, & legitimam pecuniam soluere. Secundo tẽpore ab utraque parte constituto id agere. Tertio restituere, si rem minoris quàm res ualeat dedit. Quarto uenditorem ignarum de iusto pretio præmonere. Quinto si fuerit in culpabili mora, pretium tempore præscripto soluendi, perinde ac venditor, de leui, lata culpa, ac dolo teneri. D. *Thomas 22.q.77.art.3. vbi Scribentes Pet. Nau l.3. de restitut.c.2.dub.7 Val.tom.3.d.5.q.20.puncto 4. Mol.de contr.disp.353. Azor.p.3.l.8.c.23. Lessius l.2 c.21.dub.11. Reg.l.25.num.334.& 347. Molfes.trac. 12.c.5. Fillinc.tract.33.c.6. Nau c.23.nu.89. Graffius l.2. decis.c.116. Tol.l.8.c.49. Bonac.de contract. d.3.quest.2.puncto 6.& alij.*

Tertio, supponendum emptorem deceptum à venditore, qui rei defectũ nõ manifestauit, duplicẽ hr̃e actionem, unam, quæ redhibitoria dr̃, & ista emptori competit, quando si sciuisset, aliàs non fuisset empturus, cum dolus contractui causam dedisse censetur, (quod etiam in beneficialibus locum habet, ut si minor in beneficiorum permutatione læsus fuerit, vel maior si dolo aduersarii fuerit circumuentus, puta si alter permutantium alteri persuaserit suum beneficium esse tanti, & non sit verum, tunc enim permutatio rescinditur. *c. cum vniuersorum. ext. de rerum permut.*) & hæc actio in temporalibus contractibus tantum per sex menses durat. Altera dicitur actio quanti minoris, & emptori ipsi cõceditur, qui etiamsi rei uitium notum habuisset, erat nihilominus empturus, minori tamen pretio. Et hæc vnius anni spatium non excedit à tempore venditionis, & uitii cogniti: ac dolum in contractum incidisse Doctores dicunt. *l. 2. C de ædilit. edicto. & l. sciendum. ff. eodem. Abb. in c. iniustum. ext. de rerum permut.*

RESOLVTIO.

HIs sic positis, dico Iacobum venditorem mortaliter peccasse, & contractum nullum reddidisse, cum illis ambiguis, & generalibus verbis Ioannem decepit; si quidem prædictæ actiones à iure emptori dantur, etiam si venditor equi uitium manifestasset, sed obscuris verbis, ita ut percipi nequiuerit, sit vsus. Paria enim sunt nihil dicere, & ita obscure dicere, ut intelligi non possit, & ipse Ioannes aliàs non fuisset empturus. Si vero emisset, sed nõ tanto pretio, & si à peccato mortali immunis sit, tenetur tamen contractum ad æqualitatem reducere. Vnde etiam si equi uitia essent manifesta, ut si esset cœcus, uel monoculus, quæ emptor per imprudentiam non aduertisset, adhuc venditor in foro animæ quidquid per excessum accepit, restituere tenebitur. Imo si emptor fuisset minor, vel ut DD. aiunt, aliqua alia priuilegiata persona, per restitutionem in integrum contractus rescinderetur. *Ang. Aretin. Pors. Oinot. & alij in §. Prætorum quoque edicta Instit. de iur. nat. gene. & ciuil. Ias. & alij in l. veterib. ff. de pact. Molin. de contr. disput. 353. num. 15. Tusch. v. morbosum. conclus. 384. Petr. Nau. lib. 3. de rerum ablat. restit. c. 2. num. 56. Mascard. de probat. vol. 3. concl. 1124. Molf. tr. 12. c. 5. num. 156. & 163.*

Ad 2. q. dico, q̃ siue Iacobus, qui pecuniæ valorẽ breui minuendum nouit non plus pecuniarum expenderit, quàm alioqui ignorasset, siue occasione huius legis plus nummorum alienauit, quàm aliàs distracturus erat, idque fecit, vt seipsum ditaret, & res suas augeret, nec peccauit, nec ad aliquam restitutionem tenetur, quia res valent, quanti in præsenti cõiter æstimantur, etsi in ignorantia futuræ legis ea æstimatio fundetur, ergo absque peccato, & iustitiæ læsione cõi pretio currenti eam expendere poterit, quidquid de futura lege sciat, ut ex cõi resoluit. *Salas. de empt. & vendit. dub. 32. & Faustus dispu. 6. q. 19. Bonac. de contract. d. 3. q. 2. pun. 5 num. 14. contra Mol. tom. 2. de contr. disput. 354. Cappuc. in Schol. ad Compend. priuileg. Mend. v. dare, & alios.* Aliud autem dicendum est de Principe, vel Magistratibus, legem conditam, sed nondum promulgatam non manifestantibus, cum curare debeant, ne huiusmodi decretis, quibus pretia mutantur, alijs damnum inferatur, vt ijdem DD. obseruant.

Ad 3. quæstionem pariter dico, quod si emptor vinum illud statim erat consumpturus, & ob illud occultum vitium q̃ sit aqua dilutum, subticuit, & in pretio descẽdit, tã a peccato, saltẽ lethali, & a restituẽdi obligatione immunis erit, cũ iure suo vsus fuerit, nec vlla iniustitia intercesserit, vt alibi dictũ est.

Secus si illud erat conseruaturus, vel alteri venditurus, ita vt sibi, vel secundo emptori damnum crearetur, &c. tunc. n. & charitatem, & iustitiam læsisset, si Ioannem emptorem de occulto, & latenti vitio, vel defectu non admonuisset. Atque hoc principio, & hac regula diuersi alij casus resoluendi sunt, ut q̃ scit aliquem librum decreto Inquisitoris breui condemnandum, non posse illum uendere quanti secũdum vsum fori æstimatur, &c. Et eũ qui cõmisit aliquod crimen, ob quod ipsius bona fisco sunt adiudicanda, non posse ea vendere, quia id sine damno alterius contrahentis fieri non potest, & sic de similibus iudicandum. Sane improbi viri res uenales habentes dolo malo tegunt, & cum Syracusano illo hortorum venditore fucum faciunt, vt emptores alliciant, & decipiant, haud considerare volentes nihil

hil esse deformius,quàm nullum habere honestatis amorem,sed vsu quodam, & degeneris mercaturæ quæstu sollicitari,& ignobili auaroque corde æstuare. At qui dolose,ac cum fraude ambulát,non columbinam simplicitatem, quam ab homine christiano Dominus colendã præcepit,sed fraudulentum Polyptingenium sapiunt,&c. *Fab. Iustin. in Tob. cap. 7. vers. 14. Pet. Nau. nu. 64. Mol. num. 18. Salas. de empt. dub. 32. Nald. in v. chirographum num. 3.* vide etiam superius adducta *tr. 8. c. 7. q. 21. & alios DD. sup. cit.*

CONFESSARII MVNVS.

PRopterea Cõfessarij munus erit, Iacobũ admonere i his cõtractib. à boni viri officio discessisse, siquidé vt *D. Ambr. l. 1. officiorũ* author est, Regula iustitiæ manifesta est,quod à vero non declinare virum deceat bonum,nec damno afficere quemquã, nec aliquid dolo annectere rei suæ; nam iustitia est, quæ suum cuique tribuit,alienum non vendicat,vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem custodiat. Quod & Claud. non tacuit, cum sic cecinit,

Iustitia vtilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, iniusta nunquam
Largiri socijs. Et alter,
Viue voluptatis contemptor,amator honesti,
Sic animo, & pariter corpore sanus eris.

Vnde etiam dicit *Angles de contractu empt. dub. 2.* quod quando mercibus non est præscriptum pretiũ, mercator vendere debet,vt recta ratio dictat,& ut vellet sibi si empturus esset,secundum rectam rationem uendi,& in cõfessionib. sunt mercatores examinandi, & Iudices suarũ venditionum constituendi. Quippe,vt admonuit Seneca, Nihil tàm necessariũ, quàm pretium rebus imponere, nam sicut ille, qui apud tabernam oĩa quæ sibi apponuntur comedit, nec de pretio interrogat, rerũ deinde valoré in fine prandij à caupone percipiens,ualde se deceptum cõperit;ita qui delectabilia sibi à mundo,vel Diabolo apposita comedit,nec illorum valorem considerat, post patratam criminis delectationem, quale venenum biberit dignoscet,quando forte pœnitere non valebit,&c. Et vir bonus in contractibus non solũ ꝙ liceat,considerare debet,sed & quod honestum est; &vt quod alijs vitio vertit,ipse ne faciat. *l. semper vbi Decius, & Cagnol. ff. de reg. iur.* Hinc Antisthenes, negabat virum bonum legibus ab hominibus promulgatis obstrictum esse,cũ iuxta virtutis normã, vitam instituat,vt ex naturalis rationis præscripto semper agat, quæ quidem docet quid turpe, quid honestum, &quid iusto viro agendum. Theophrastus in libris de legibus ostendit apud Athenienses duo præcipuè curanda fuisse,vt omnia in venalium rerum foro compositè, citraq. tumultum agerẽtur, deinde vt non modo vendentes, sed etiam ementes à mendacijs(quæ à viro bono abesse debent) prorsus abstinerent,vt etiam sup.diximus c. 2. q. 2.

Sic quamuis aliquando venditoribus liceat mercium puta vini,& olei mensurã minuere,& aqua, vt dictum est vinum miscere, in casu quo emptores merces emere nolunt;quantum reuera valent, aut quia factum est, monopoliũ, aut quia Magistratus merces ipsas iusto pretio non taxauit, quando periculum, & damnũ euitaretur;& emptori essent merces secundum rationem pretij vtiles. Regulariter tamen ab huiusmodi mixtionibus,&fallacijs,ad quas lucri cupiditas,& auri execranda fames trahit, venditores arcendi sunt,nec eis ansa fraudes innectendi porrigenda est; sunt. n. plures eorum iniquissimi rerum suarum Iudices,ac proinde iure merito in foro externo lege in eos Magistratus agere solent, qui in eis fidé violant. *Sot. l. 6. de iust. & iu. q. 3. ar. 2. Regin. l. 25. num. 348. Bonac. de cont. d. 3. q. 2. p. 6. nu. 17. Tol. 8. c. 49. Faust. de emp. d. 3. q. 6. & alij.*

CAP. V.

Articuli,quæstiones, & casus circa simoniam.

QVAESTIO IX.

Parochus libentius confessionem audiens, illius ob id quod aliquam oblationem sperat, & pœnam vel mulctã pro peccatorum absolutione exigit, num ob hoc simoniam committat. Et an ratione administrationis sacramenti baptismi, & Eucharistia aliquid exigens, simoniam contrahat. Et an maiorem eleemosynam quàm sit ab Episcopo taxata, pro celebranda Missa accipere possit.

PHilippus ruralis Parochus, apud rusticos sibi subditos libentius confessionem huius, vel illius pœnitentis audire solet, à quo aliquid se recepturum sperat, quàm alterius,quem nihil oblaturũ credit,& cum aliquem absoluit, aliquid pro peccatorum pœna exigere consueuit. Ad hæc cum diebus festis sermonem haberet, publice conquestus est, in administratione sacramentorum nil sibi offerri, proinde admonuit,ut cum in Ecclesia baptismum alicui paruulo cõfert,vel matrimonium celebrat, vnus cereus,& duo sudariola offerantur, ac cum populus solemnioribus diebus ad sacrosanctam Eucharistiã sumendam accedit,duobus pueris,qui cum lancib. seu patinis præsto sunt,aliquid pecuniæ tribuat. Itẽ Agnus Dei à Romano Pontifice sacratos vendit. Et cũ in domo sua quoddã iuspatronatus héret, in qua dã capellania fundatum,illud cum fundo cui adhęret alienat, illiusq. ratione ipsum fundum plus vendit;& cum in probando iure illo honorifico,quod in dicta capella sibi competebat,plures expensas fecerit,

rit, vult eas in venditione repetere. Quæritur an in his casib. simoniaca labes committatur. Et quid prudens confessarius consulere debeat. Tandem cum eius Episcopus stipendium missarum celebrationi præscripsisset, puta vt pro vno sacro plusquam decem solidi accipi non possint, ipse à sponte dantibus duodecim accepit. Quæritur pariter quod peccatum admiserit, & an alicui restitutioni sit obnoxius, & quid ipsi interroganti respondendum sit à confessario?

SVPPOSITA.

PRo horum casuum, & materiæ simoniæ explicatione prænoscendum est, simoniam quò ad qd nominis dictã esse à Simone Mago, qui primus hoc scelus in noua lege committere ausus fuit, volendo non tãtum emere, sed etiam postea donum Dei vendere. Et in iure canonico simoniaca hæresis dicitur, non quod simonia natura sua sit hæresis, aut semper hæresi coniuncta, sed quod in illo primo authore hanc etiam labem admixtam habuerit, siquidem existimauit, Dei donum pecunia possideri posse. *Act. c. 8. c. Saluator. 1. q. 3. c. 3. 1. q. 1. Alphonsus de Castro aduers. hæresis v. Simonia. Decia. in tract. crim. l. 5. c. 8. & l. 6. c. 26. Suar. tom. 1. tr. 3. l. 4. de simonia c. 1. Peregrin. de immanit. Eccl. c. 12. num. 17.* vbi ait, simoniã esse propriè sacrilegium, quod in quolibet contractu committitur, quo res spiritualis, vt talis pro re tẽporali venditur, vel commutatur, & isti simoniaci non propriè, sed latè sumpto vocabulo hæretici vocari solent, quia qui res spirituales, vt tales vẽdunt, illo externo actu doni Spiritus sancti se Dominos profitentur, & si ex auaritia, vel alia praua intentione, absq. errore in intellectu crimen illud perpetrent; vnde cũ propriè hæretici non sint, sed sacrilegi, ecclesiastica immunitate non priuantur.

Simonia verò quò ad quid rei nihil aliud est, quã studiosa voluntas emendi, uel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Per quàm diffinitionem tria necessaria indicantur, vt hoc simoniacum piaculum perpetretur. Primum est volũtas studiosa. i. actus voluntatis deliberatus, ad denotandum simoniam actu etiam solum interno perfici, licet quò ad forum exterius internæ peccandi voluntates non puniantur, nisi ad actum opusue externum prodierint. Secundũ necessarium vt simonia committatur, est res spiritualis, vel spirituali annexa; quæ est constructa materia, circa quã ipsa simonia versatur. Spirituale intelligimus omne donum diuinitus peculiari ratione datum, & institutum, quod nos ad gratiam in præsenti, & ad gloriam in futuro promouet. Huiusmodi vero spirituale triplex est, quoddã per essentiam, ut dona Spiritus sancti, gratia, virtutes insusæ. Aliud per causam, ut sacramentum, & sacramentalia. Tertium per effectum, ut prædicare, orare, diuina peragere, &c. Illa uerba spirituali annexum, ea comprehendunt, quæ per se spiritualia non sunt, sed uel à spiritualibus dependent, uel ad ea ordinantur; ut sũt sepulturæ, calix consecratus, præbẽda, beneficia, iuspatronatus, &c. Huiusmodi autem non est temporalis pensio, nec capellania sine Episcopi authoritate fundata, ut sæpè respondit Romana Rota *Gonzales reg. 8. cancell. gl. 5. num. 20. & eadem gl. §. 5. n. 25.*

Tertium requisitum est emptio, & venditio, quo nomine censetur omnis non gratuitus contractus, seu factus interueniente pretio, vel re pretio æstimabili, ita ut eo comprehendatur omnis transactio, permutatio, locatio, nominatio, præsentatio, electio, cõfirmatio, renuntiatio, debitæ rei omissio, ut cum quis pretio recepto aliquem ordinare, vel eligere omittit, &c. Sicut etiam simonia ab utraq; parte committeretur, si qui censura aliqua iuste perculsus celebrare præsumens, alicui pecuniam daret, ne accusaretur. *Ant. de But. in c. dilectus. ext. de simonia. Graffius l. 2. decis. aur. c. 96. nu. 52.*

Secundo præmittẽdum, triplicem esse simoniam, videlicet mentalem tantum in mente conceptã sine ulla conditione tacita, uel expressa, siue aliquid tradatur, siue non: & hæc est etiam duplex pura mentalis, quæ solummodo in mente, & uoluntate consistit, & mentalis, quæ ad opus sine tamen pacto progreditur, quę licet lethalem culpam, & suam prauitatem secũ afferat, nullam tamen inducit restituendi obligationem. *c. mandato, vbi DD. ext. de simonia Alex. cons. 93. Caiet. in v. simonia. Nau. c. 23. nu. 103.* Conuentionalis tantum, quando tacitum, uel expressum pactum intercedit, & hæc itidem duplex, una purè conuentionalis, quando solummodo sit conuentio, nihil tamen datur, uel accipitur. Alia quando præter pactionem ex una parte tantum aliquid datur, vel accipitur. Realis, quando accedente pacto, spirituale traditur, & temporale accipitur, etiamsi tantum pars pretij tradatur; vnde pœnæ, quæ contra simoniacos in ordine, & beneficio infliguntur, quidquid sit de confidentiali, non nisi in simonia reali, & completa locum habent, si. n. non est datum spirituale ac temporale, ipsis pœnis locus non est, etiamsi scripto promissionem confirmassent. *Less. l. 2. c. 35. dub. 27. Vgol. de simonia tab. 1. c. 22. §. 5. Nau. cons. 34. de sim. Parisius de resign. l. 4. c. 2. Nald. v. simonia.*

Tertio. Ad cognoscendum generali regula, quando hoc piaculum committatur, obseruandum est, in simonia tria intercedere nimirum rem spiritualem, rem temporalem, & ut una detur pro alia, non per modum sustentationis eius, qui rẽ spiritualem exhibet, vel per modum eleemosynæ, seu oblationis, quę fit Deo, aut gratitudinis; sed per modum pretij, siue pretium sit pecunia, seu pecunia æstimabile, qđ Doctores vocant munus à manu, siue sit munus ab obse-

quio,

quio, vt est seruitium, auxilium, &c. siue à lingua, vt humana laudatio, adulatio, & preces quæ pretio fiant. Hinc valet statutum, quod receptus in canonicum mediam partem prouentuum primi annisol uat pro oneribus capituli ferendis, cum illud nõ per modum pretij, sed oblationis dari dicatur. *Marc. Anton. resolut.* 1. *Vgolin. de simonia. cap.* 9. §. 11. *num.* 3. & sic de similibus particularibus casibus ob supra iacta principia, & fundamenta statuendum est.

Quarto, hoc vitium ex suo genere esse peccatum mortale grauissimum, iure naturali, diuino, & humano prohibitum; quod quidem positiuum ius potest rem aliquam spirituale cõstituere, & aliquid in simoniæ genus subinde referre. Imo adeò graue crimẽ est simonia, ut hęresim nõ leuẽ sapiat, ut supra innui. Siquidem simoniacus facto hæreticam prauitatem hoc nomine profitetur, quod agat perinde ac si existimaret se spiritualis doni Dominum esse, vtpote illud pecunia vendens. Quanquam de hæresi talis damnandus non est, nisi reuera intellectu credat, rei spiritualis dominium, & possessionem pro nummis acquiri, & in alium ad instar rerum uenalium transferri posse; cum non nisi Spiritui sancto illa sit recepta ferenda, ut proinde, ut infra dicemus, de eo solũ ecclesiasticus Iudex cognoscere ualeat.

Porrò sicut hæresis crimẽ, ut pote grauissimũ, non præsumitur, ita nec simoniaca labes; verum quia solet secreto committi, coniecturis, & præsumptionib. detegi, & conuinici illa solet: coniecturę autem multæ sunt, quas prosequitur *Menoch. lib.* 5. *de præsumpt. præsumpt.* 8. *& seq. & Mascard. de probat. vol.* 3. *concl.* 134. *& seq. Vival. in Cand. aur. de interd. num.* 38. *Roland. à Val vol.* 3. *consil.* 31. *Farinac. consil.* 74.

De qua gñali simonię materia vidẽdus est *D. Th.* 22. *q.* 100. *a.* 1. *& seq. & ibi Arrag. Val. to.* 3. *d.* 6. *q.* 16. *p.* 1. *& seq. Sot. l.* 9. *de iust. q.* 5. *& seq. Vict. ĩ relect. de simon. Tolet. l.* 5. *c.* 86. *Canonistæ, pśertim Innoc. Feli. & Abb. in tit. ext. de simon. Clarus in* §. *simon. Suarez. de virtu te relig. tract.* 3. *l.* 4. *Nau. c.* 23. *nu.* 99. *Sil. Tab. & alij summulary in v. simonia, Clarus in* §. *simonia. Regin. l.* 23. *c.* 11. *Gul. Peraldus tom.* 2. *de virtutibus, & vitijs, tract. de auaritia. c.* 7. *Petr. Bisfeld. in comment. iuris can. tit. de simon. Diax in prax. can. & ibi Lopez. c.* 92. *Vgol. in tract. de simonia. & alij.*

Illud tantũ nũc attingã, Epm, qui scit Sacerdotẽ subditũ suum, pro sacramẽtis administrãdis aliquid pretij accipere, nisi fuerit sponte, & voluntarie oblatũ, & eũ corrigere negligit, ad duos menses suspendi. *c. quidquid.* 1. *q.* 1. *Alter. de censur. d.* 16. *c.* 3. *Barb. de Episcopo. Alleg.* 111. *nu.* 22.

Et sanè negligens, siue dissimulãs, ut uiolator punitur, quia si nos tacebimus, lapides clamabũt, inqt, *Aegid. cõs.* 40. Et magis Episcopi, quàm alij de negligentia coarguũtur, quia taciturnitas in Prælato graue delictum est. *Rom. cons.* 522. *& Tusch. v. negligentia. conclus.* 33. vbi subdunt, parum prodesse iura condere, si per Præsides executioni non mandẽtur.

RESOLVTIO.

HIs sic constitutis, dico primo ad primam quæstionem Pilippum simoniam non committere, si libentius hanc, quàm illum confitentem audit, propterea quod ab illo, & non ab hoc emolumentũ aliquod, uel malus speret, quoniam nulla uenditio emptioue spiritualis hic interuenit; sed solum eleemosynam spectat, quàm ille gratis, & ultro dare cõsueuit. Sicut ob eandem rationem à simoniaca labe immunis est Sacerdos, qui libentius huc, quàm illuc ad diuina facienda pergit, quia ibi plus quam alibi datur. Et Concionator qui ad opulentum magis locum, quàm ad tenuem ad conciones habendas proficiscitur, quamuis nonnullam auaritię notam subeãt, si absque causa id faciant. *Vgol. de simon. tab.* 1. *c.* 40. §. 4. *Azor. p.* 3. *l.* 12. *c.* 4. *q.* 4. Sic dicit in simili *Caiet. in v. vsura mentalis*, quod si quis non vult mutuo ei dare, quem putat aut nouit ingratum, & libẽter dat alicui, quem gratum uidet, non propterea usuræ peccato implicatur, sed naturalẽ inclinationem sequĩt, qua actiones nr̃as ad eos, qui digni sunt, dirigimus.

Ad illud autem dubitationis membrum, qua quæritur, an peccauerit Philippus mulctam pro peccatorum absolutione iniungendo, & eam sibi applicãdo, dico secũdo, quod & si ex aliquorum sententia aliquando sacerdoti, uel Parocho integrum esse possit in pœnam peccati à pœnitente commissi, pecuniam accipere, hoc tamen in praxi mali speciem inuoluit, & periculi plenum est, ut propterea cauendũ sit, ne cupiditati potius, quàm correctioni tribuatur. *Syluest. in v. simonia q.* 8. *Azor. l. c. Berard. in summa Corona p.* 3. *tit. de simonia nu.* 16. Arg. quæ scripsimus sup. *tr.* 6. *c.* 9. *q.* 43.

Dico tertio, quod si in administratione sacramentorum, cereum, uel sudariola accipiat, modo sic consuetudine sit receptum, & hæc non per modũ pretij, sed eleemosynę, sustẽtationis, & grati animi causa accipiant, à simonia excusãt, siquidẽ duo sũt potissimũ modi gñales, quib. absq. simoniaca labe spirituale pro temporali dari contingit. Primus est, quando temporale est duntaxat motiuum conferendi, uel efficiendi spirituale, aut è contrario. Secundus quando pro temporali fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra, cum ut aliqua transactio simoniaca dicatur, necesse sit rem temporalem esse pretium spiritualis, & è cõtra. Ex quibus regulis innumerabiles casus dijudicari possunt. Cum tamen in nostro casude pręscripta consuetudine non appareat, & turpis illiberalisque ipsius Philippi Parochi exactio præcedere censeatur, aliqua huius uitij macula aspersus notatur. Sicut improbanda

da est, & minimiue laudabilis est hæc consuetudo, quàm inducere conatur, sistendi pueros cum patena, seu lance ijs, qui Eucharistiam sumpserint; tùm quod pro ministrata Eucharistia pretium peti videtur, tũ quod pauperes qui pecuniam non habent, rubore perfunduntur, & à frequenti S. synaxis sumptione, quodammodo auocãtur: immo & diuites erubescũt, cum promptam tunc pecuniam non habent, tùm qđ hoc saltem auaritiæ speciem præsefert. *Vgol. l. c. c. 39.*

Ad 4. quæstio. dico, cereas imagines, quæ Agnus Dei dicuntur, potuisse ab ipso Philippo licite vendi, modo sint purè albi, non minio infecti, nec ratione sacri, sed materiæ tantum sint vendiri, secus esset dicendum, si ratione materiæ consecratæ, uel minio notatos vendidisset, nam & simoniæ labem contraxisset, & etiam in excommunicationem incidisset, nã *Greg. XIII. in Constit. incip. Omni certe studio.* sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, (quæ tamen nemini reseruatur) prohibuit ne quis dictos Agnus Dei depingere, vel minio inficere, vel venales proponere audeat; verum eos albos, ac mundos, agnum illum putum, ac innocentem repræsentantes, qui suo pretioso cruore nos redemit, ad Diabolicos incursus auertendos, decenter haberi, ac custodire præcepit, *Sayr. l. 3. de censuris c. 35. nu. 23. Nald. in v. sacrilegium. nu. 9.* De quarum cerearum imaginum virtute, & vsu videndus est. *Baron tom. 1. anno Domini 58. num. 76. Mart. Delrius tom. 3. Disq. mag. l. 6. c. 2. sect. 3. q. 3. Daur. tom. 2. catech. hist. c. 3. ti. 72. & Vincentius Bonard. in libello de hoc argumento edito.*

Ad 5. quæstionem dico, quod etsi ꝑ extrinseco labore, & missam celebrandi obligatione, Sacerdoti, & Parocho in vitæ sustentationem stipendium accipere liceat, imò & via iuris, non ut sacrificii pretiũ, sed vt eleemosynam, & laboris, operæque mercedẽ exigere; non tamen maiorem stipem, quàm sit Episcopi, vel Superioris constitutione, aut consuetudine taxata, accipere fas est, nisi ab eo, qui taxationẽ scit, aliqd amplius spõte offeratur, aut ex liberalitate donetur, uel in cõpensationem extraordinarij laboris, seu obligationis, quæ ad celebrationem ipsam requiritur, solum ex accidenti aliquid pluris accipiatur. Cùius responsionis illa est ratio, quod tota sic accipiendi iusta causa sit stipendium ministro ad vitæ sustentationem necessarium, cuius quantitatem definire non est ipsius ministri, sed Episcopi in diœcesana synodo, vel generalis Præpositi ordinis in generali Capitulo. *ex Conc. Trid. sess. 25. c. 4. de reform.* Vnde si quis taxationem nesciens plus eleemosynæ pro missæ celebratione Sacerdoti tribuat, quam ab Episcopo statutum sit, Sacerdos ipse illud accipere non potest, qa ei voluntariè non offertur, cum ut dici solet, Nihil sit volitum nisi cognitum. Quò fit, vt huiusmodi Parocho, uel paupertatis titulo, etiamsi accipienti apertè constaret, tunc ei nihil amplius quàm quod ad eum eo die alendum necessarium est accipere non liceat, si quidem missæ sacrificium ad sustentandam Sacerdotis uitam institutum non sit, cum ad sacros ordines promoueri nequeat, nisi palam fiat, sufficientem titulum ad alendam uitã possidere, multo magis si sit Parochus, cui congrui reditus in laborum suorum stipendium assignari solẽt. Tum quia sicut paupertas rem vendendi supra Principis taxationem ius alicui non tribuit, ita Sacerdoti ad recipiendum maius stipendum, quàm ab Episcopo, uel consuetudine præscriptum sit facultatem non confert. Si vero exigat, uel à taxationem ignorantib. plus accipiat, non solum letaliter peccabit si materia sit notabilis, sed etiam ad restitutionem tenebitur, & in suspensionem, si ab eodem Episcopo sit lata, incidet. *Suarez. 3. p. disp. 86. sect. 2. Lessius l. 2. c. 4. dub. 6. num. 367. Reg. l. 23. n. 232. Bonac. de sacr. Euchar. disp. 4. q. vlt p 8. nu. 11.* & alij communiter.

Ad sextam quæst. respondendo dico, quod licet valde probabile sit, ut iuspatronatus cum re vẽdita, seu alienata transeat, satis esse adhærere accessoriè alicui fundo, non solum qui vniuersitatem cõtineat, sed etiam rem particularem includat, puta domum, uel fundum, ut tenet *Garz. de benef. p. 5. c. 9. num. 32.* non tamen adeò tutum uidetur esse, quod addit dicens, quamuis iuspatronatus sit inuendibile, & pro illo non possit aliquid pretij dari, tamen hoc non tollit, quin cum illud est annexum bonis, ratione illius bona pluris æstimentur, & uendantur, quidem et communi DD. consensu, licitè uendi potest ius ipsi patronatus, cum fundo, uel possessione, cui annexum est, dummodo pro eo maius pretium non exigatur, quàm si illud coniunctum non haberet, *c. ex litteris, ext. de iur. patron. Regin. l. 3. tr. 30. num. 25.* Simonia. n. tunc committitur, & pretium datum, nec emptor, nec uẽditor habere debet, sed Ecclesiæ tribuendum est, cui ob simoniacam luem iniuria illata est. Non tñ emens, & uendens in excõicationem incidernnt, quia Extrauagans 2. de simonia loquitur de beneficio, & ordine, ubi in illis realis cõmissa est simonia *Vgol. de sim. tab. 1. c. 49. §. 2. Molf. tr. 6. c. 5. nu. 80.*

Addo septimo pro ult. quæst. capite, quod licet aliqui senserint, expensas quas quis fecit in obtinẽdo beneficio litigioso, uel in probando iure patronatus, si beneficium renuntietur, uel iuspatronatus eo modo quo diximus alienetur, repeti posse, ut renũtiãs, uel alienans se indemnem seruet: contraria tamen sententia, quæ est communis, mihi magis probatur, quia omne pactum in spiritualibus, uel spiritualibus annexis de onere temporali, quod de iure nõ inest, reprobatur, si absque superioris authoritate fiat. *Lessius l. 2. c. 35. dub. 15.* & alij communiter. Atque hinc patet, quid Philippo Parocho respondendum, & quomodo consulendum sit.

CON-

CONFESSARII ERGA SIMONIACVM PARTES.

PArtes ergo Confessarij erunt, ab oculos ponere, & ad memoriam pœnitenti reuocare, quã damnabile, & abominandum sit simoniæ, ac auaritiæ vitium, præsertim in Sacerdotibus, & Deo dicatis viris, quorum animam aliquando obsident sterilitatis tenebræ, & recedente inde veritatis lumine, eorum pectus alta, & profunda cupiditatis caligo obcæcare solet; at quicunq. Ecclesiam administrat, si malè & impiè se gerat, Dei iram in populũ prouocat. *Riccius in Praxi Neap. decis.* 55. Propriũ esse euangelico Sacerdoti rerum temporalium curis expeditum esse, pauperem spiritu, & eò contentum, quo vitam sobriè, ac frugaliter conseruare possit. Illum mõstro comparandum, qui in id incumbit, vt auaritiam, ob quam semper, egenus est, quæritãdo saturet, cũ hoc nunquam fieri possit; nec. n. abs re auari ijs comparari solent, qui intercute morbo uexantur, qui quò plus bibunt, eò magis sitiunt. Qui porrò tali habẽdi siti laborant, quonam pacto benignos, ac munificos sese alijs præbere poterunt? Qui namq. sibi nequam est, cui alij bonus erit? *Eccl. c.* 4. Cum. n. inopib. sibi subditis ex *D. Ambr. sententia l.* 2. *off. c.* 1. duplici charitatis officio, ac suffragio succurri possit, consilio. s. & patrocinio, vel opibus ipsis, & facultatibus, vtrumque pietatis genus promptè, ac hilariter à Parocho pstandũ est. Vnde cõiter Scribentes dicũt ecclesiastica beneficia tria onera secum ferre. Primo qđ Rector ad sui vitam suorumq. si indigeant, congruam sustentationem habeat. Secundo quod episcopalia iura persoluere possit. Tertio quod hospitalitatem, & beneficentiam erga subditos exercere valeat. *Gigas de pens. q.* 88 *Fusch. in sing. beneficium n.* 20.

Tandem aduertat Confessarius, quod licet tanquam Iudex fori conscientiæ, & pœnitentiæ à crimine simoniæ absoluere valeat, excipitur tamen vbi simoniacus excommunicationis vinculo innodatus esset, utpotè quia realem simoniam in ordine, beneficioue cõmisisset; nam quod tunc in excõicationẽ Papæ reseruatã incidit, simplex Parochus, vel Confessarius, qui contentiosi fori iurisdictionẽ non hẽt, ante sublatam excõicationem non absoluet. Idem *Vgol. de simon. tab.* 1. *c.* 32. vt inferius etiã dicemus.

QVAESTIO X.

Religiosus ex bonis propria industria acquisitis externis donans vt in religione aliquam præfecturam consequatur, an votum paupertatis violet, & simoniam committat. An non gratis literas dispensationis expediens p. m. & simoniam commiserit?

BEnedictus cuiusdam religionis monachus vir editis operibus clarus, ac de religione sua benemerit*, ex pecunijs quas partim à fratrib. sãguine cõiũctis dono habuit, partim ex munere cõcionandi, & confessiones audiendi congessit, profusis largitionib. & munerib. ordinis Protectori datis, eius amicitiam & beneuolentiam aucupari studuit, ut postea ipsius monasterij Præfecturam, vel Prioratum sibi compararet, quem mox re ipsa obtinuit. Item cùm sit in sacra Theologia Doctor, & cuiusdam inualidi matrimonij dispensationem à Romana curia emanantem pecuniâ accepta expedierit, & prætextu suorum priuilegiorum in quodã alterius coniugij impedimento dispensauerit. Accedit ad Collegij Pœnitentiariũ prædicta narrans. Quæritur an in hoc casu simoniæ crimen committatur, & quid Confessarius ipse ei cõsulere debeat. &c.

RESPONSIO SVPPOSITA.

REsp. Supposito quod vt ait *Greg. X. in c.* 5. *tit. de elect. in* 6. Auaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquotũ animos occupantes eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi à iure interdicta nouerint, exquisitis fraudibus vsurpare conentur. Et vt inquit, *Ioan.* 22. *in Extrauag. Execrabilis. tit. de præb.* Execrabilis quorundam tam religiosorum, quàm secularium ambitio, semper plus ambiens, eò magis insatiabilis creditur, quò sibi amplius indulgetur. At vt loquitur *Franc. Zypaus de iure Pontificio l.* 1. *tit. de elect.* Si Deus in Angelis suis reperit prauitatem, non miremur, si per illicita ad summum Apostolatus apicem aliquando itum est. Hinc *Iulius II. in Concilio Later.* declarauit electionem Pontificis nullam esse, si simoniaca nundinatione inducta sit, & sic electũ esse exauthorandum cũ omnibus suis sequacibus, & complicibus Cardinalibus, &c. Hoc inquam præsupposito dico, quod aperiendum est ei à Confessario Primo professæ paupertatis votũ violasse, & sanctionẽ *Clem. VIII. incip. Religiosa Congregationis.* transgressum esse, cui condendæ quatuor potissimum finales causę ansam dederũt. Primo ut regularium ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restituatur, aut salutaribus decretis communita, integra, atq. incolumis permaneat. Secundo vt paupertatis, vt dixi, votum integre seruet. Tertio ne monasteriorũ, seu collegiorum bona, siue sint redditus, siue eleemosyna, siue alia quæcunque iuste acquisita dilapidentur. Quarto ne praua ambitione impulsi religiosi, pro consequẽdis officijs, alter alterius gratiã, vel Protectoris beneuolentiã aucupetur, vt per *Sorbum in Scholijs Compend. Priuileg. Mend. in v. dare, & Paul. Bertum in* 4. *p. addita qq. regul. Roder. in exposit. eiusdem Constitut. & Filliuc. in mor. qq. tract.* 34. *c.* 3. *q.* 6.

Secundo simoniaca labe animam suam infecisse, siquidem regularis sicut ante ingressum religionis simo-

simoniam committit, si vt in religionem recipiatur, quippiam pretij nomine det, vel promittat, vel ex pacto aliquid tribuat quò talis monasterij filius fiat, &c. In quibus casibus præter culpam, Pontificię quoq; excommunicationi subijcitur: ita etiam postquam in religiosū ordinē ingressus, & professus est, si vt iurisdictionis functiones exerceat, aliquid temporale tribuit, promittitue, simoniam perpetrat, & tàm ille qui dat, quàm qui receperit, vel cōsenserit, cum Simone Mago partem procul dubio habebit, vt expressè ait *Alexander 3. in conc. Tur. relatus in c. non satis. ext. de simonia, & Vgol. de simonia tab. 1. c. 4. §. 3. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. cent. 5. casu* 301. *Reg. l. 23. c. 13. Megal. l. 4. Inst. Confess. c. 5. num.* 28.

Sane certi iuris est de sibi à consanguineis donatis, vel propria industria acquisitis, & de Superiorū suorum licentia ad suum vsum concessis, non posse regulatē ad libitum disponere; siquidē omne à religioso acquisitum ordini, ac monasterio acquiritur, ita vt nec in pias causas, & in eleemosynam, absque expresso, vel tacito Prælati consensu quidquam impendere queat. Multo minus in profanos, ac prauos vsus ea consumere ei licebit, cū nec Superiori talem facultatem concedere integrum sit, vt per *D D. in c. cum ad Monasterium. extr. de Stat. Monach. & Nau. in comment. 4. de regul. Azor. p. 1. l. 12. c. 12. Mirandam tom. 1. Manu. Prælat. q. 27. art. 5. Molfes. trac. 7. c. 26. casu 4. & 8. Coriol. de cas. reser. p. 2. casu item 4. & 8. Faustum de restit. disp.* 34.

Tertio dico pariter Benedictum simoniacam luē contraxisse, si ratione dispensationis sibi à Romana curia commissæ, aliquid tanquam pretium accepit, præsertim quod in eisdem sacræ Pœnitentiariæ litteris à tergo hæc verba poni solēt, Gratis vbique. Quod etiam pręcepit. *Cōc. Trident. sess. 25 de refor. cap* 18. nam qui dispensat, Ecclesiasticum ministerium exercet, ergo simonia committitur, si pro impertienda dispensatione, pecunia, vel aliquid pecunia æstimabile exigatur. *vt per Vgol. de sim. tab. 1. c.* 52. Secus dicendum esset, si post literarum executionem sincero animum factam, aliquid sponte, & liberaliter daretur, nā (quidqd sit de sūmo Pœnitētiario cui multi volunt etiam sponte datum accipere non licere) hic prohibitionis causa cessare videtur, & grati animi ergo datū cēsetur, *Sāchez. l. 8. de mat. d.* 45. *num.* 14. *Bonac. de legibus d. q. 2. pūcto 2. Nau de dat. & promissis notab* 21. *arg. Tiraq. de nobilit. cap.* 29. *Graff. l. 2. decis. c.* 124. *num.* 15. *Sà in v. officium. Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt.* 8. *Farinac. de var. & divers. crim. q.* 111. *art.* 10. *Reginald. l.* 10. *num.* 140. *& l.* 25. *num.* 693. Atque simili ratione de librorum Censoribus statuendum videtur, vt quamuis eorum probatio, & examen gratis fieri debeat, *ex cōc. Trid. de edit. lib. sess.* 4. attamen liberaliter donatum post factum, tuta conscientia accipere possint. Quò autem ad dispēsationem illius coniugalis impedimenti virtute priuilegiorū factæ, illud exploratū est, Benedictum non potuisse dispēsare, vt illud matrimoniū aliquo impedimento siue impediente tantum, siue impediente, & dirimēte simul laborans contrahatur. Si tamē matrimonium iam contractum sit, & postmodum impedimentum superuenisset, ei Pontificij priuilegij vi, ad petendum, & reddendum debitum dispensare licet, vt per *Sanchez. l. 8. de mat. d.* 16. *& Molfes. tr. 4. c. 12. num.* 41.

Porrò q ab hāc causam datū restituere nō tenetur, illa suadet ratio, quod quando ob causam impulsiuam aliquid donatur, causa non secuta adhuc donatio tenet, & quod est acceptum restituendum non est: vt siquis alicui familiari Principis aliquid largiatur; vt ille hac liberalitate motus aliquā gratiam sibi obtineat, in quo casu ea non secuta donatarius restituere non tenetur. Multo minus in nostro casu, in quo post factum est aliquid acceptum. *Carbo de rest. q.* 44. *Tusch. v. causa. concl.* 141. *n.* 13.

CONFESSARII IN PRAESENTI CASV MVNVS.

Significabit ex Pōtificio decreto Protectorē, uel Cardinalem in sacramentali iudicio absolui nō posse, nisi quod accepit tantundem monasterio damnum passo restituat, illumq; officio suo defuisse cum non se Protectorem, & Adiutorem, sed illius religiosi ordinis, destructorem ostendit, quādo munera non parui pretij à paupere regulari cum tanta regularis disciplinæ iactura accipere non est ueritus, & præscriptos protectionis limites transgresus est. Sunt. n. eius termini, ne ordinis gubernationi se ingerat, ne authoritatem uel instituendi Præpositos, uel designandi, vel loco mutandi, vel denique aliqd de singulis constituendi, sed potius potentiori eius ope iniurias ab ea familia propulsandi, & suo præsidio in omnibus incidentibus casibus, ipsum protegendi. *Plat. de dignit. Card. cap.* 33. vt admonui in *Comment. de stat. p. 1. c.* 5. Sicut etiam Iudices Cōseruatores religiosis ordinibus dari solent, non ut in regulari regimine se immisceant, sed vt eos eorum bona, & priuilegia, à manifestis iniurijs, & oppressionibus tueantur, &c. vt per *P. N. Io. Bet. Monetā. in trac. de Conseruat. c. 1. & seqq. Roder. tom. 1. qq. reg. q.* 65. *art.* 19. *Io. de Cruce l. 2. de Stat. relig. c.* 10. *Azor. p. 2. l. 5. c.* 34. *Ricci. in decis. cur. Neap decis.* 258.

Insuper addat Benedictum officio, & dignitate adepta, & voce actiua, & passiua priuatum esse, & in posterum inhabilem ad illa reddi; licet si delictum est occultum, non teneatur per seipsum pœnas illas subire, quādo eius honor, & fama periclitaretur. *Sayr. l. 3. d. reg. c.* 10. *num.* 35. *& l. 9. c.* 16. *nu.* 21. *Vgol. c. 4. §.* 6. Et si est regularis Minorum S. Francisci de obseruan-

uantia præter has pœnas, excommunicatione Papæ reseruata afficitur, & per mēsem carceri mācipandus est. *Nau. conf.* 30. *de senten. excom. Nald. in v. eligere.* vt etiam diximus sup. *tr.* 7. *c.* 35. *q.* 137.

Ad hæc proponat, scientiam inflare, & nisi cum virtute coniungatur, esse velut gladium in manu furiosi, & mentem à recta via alienare, & ad perniciosam insaniam perducere; proinde suadeat, vt rebus omnibus sanctorum scientiam anteponat, hæc enim hominem magnum facit. Proponat illam D. Bernardi exclamationē *serm.* 4. *de Aduentu.* Filij Adam genus auarum, & ambitiosum audite. Quid vobis cum terrenis diuitijs, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum, & argentum nonne terra rubra est, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt, hæc tollite vobiscum, sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Subijciat sanctos, ac sapientes viros, qui Deo coniungi, & ad eius gloriam exaltari cupiunt, honores semper contemnere, ac in postremis esse, & haberi velle, & non nisi coactos ad dignitates euehi. Sicut. n. gemmæ, quæ ex abditis terræ finibus eruuntur, in regijs coronis fulgētes, in loco illo excelso non nisi vi affixæ continentur: ita viri sancti excelsa dignitatum loca nō nisi ui adhibita cōscendunt, etsi suo arbitrio relinquentur, in humili loco iacere eligūt, &c. Itē mortaliū cupiditates instar hydropisis esse assidue sitim augentis, vt de auaritia, & ambitione Alexādri Magni ille cecinit;

Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis.

Et de luxuria ait Sapiens. *Prou.* 30. Tria insaturabilia, &c. Hinc *D. Ambros.* de Abel, & Cain. Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum, nocte feruet, die anhelat. Et de vxore Claudij Imp extat illud,

Et laxata viris nondum satiata recessit.

Tandem ad mentem rediget, quàm infelix sit eorum exitus, qui hic in pestilentiæ Cathedra sedere malis artibus studuerunt: Quod miseri illi religiosi testati sunt, qui dolenter dixerunt,

Ambitio & crapula duxerunt nos ad Tartara. *Mart. Delrius tom.* 3. *disq. mag. l.* 6. *cap.* 2. *q.* 3. *sect.* 3. *Duar. tom.* 3 *tit.* 6, *c.* 6. Item quatuor vijs ad ecclesiasticos honores, & munia iter patere, nempe abusu sæcularis potestatis, sāguinis illicita affectione, simonia, & canonica electione, quæ est via Dei. Hinc illa carmina,

Quatuor ecclesias portis intratur ad omnes,
Cæsaris, & Giezi sanguinis, atque Dei.

Quę porro Giezi via in quot discrimina, & in quantam perniciem incedentē conijciat, ostendit D. Trāquillinus martyr apud *Sur. in vit. S. Sebast. & Petral dus in summa virt. & vit. tom.* 2. *c.* 7.

QVÆSTIO X.

Resignans beneficium coram Ordinario reseruata pensione, & cum fideiussione, &c. an simoniace peccet? An resignans expensas in obtinendo beneficio factas repetere possit?

ANdreas Sacerdos coram Ordinario resignauit quoddam curatum beneficium Petro reseruata sibi pensione 50. aureorum, cum 100. & 20. remaneant Rectori. Et quia resignans meruit, ne resignatarius male soluat, sæcularem hypothecam, vel fideiussionē postular, vt quauis soborta difficultate, sibi cautum sit. Insuper quoniam in obtinendo beneficio litigioso multos sumptus fecit, vult eos ab ipso Petro resignatario repetere; & si non solutis pensionibus, eum mori contingat, iam decursæ transeant ad hæredes ipsius Andreæ. &c. Quæritur quid Confessarius eis respondere debeat?

RESOLVTIO.

REsp. Contractus hic, prout in casu supponitur non caret labe simoniæ humano iure prohibitæ; si quidem beneficij renuntiatio cum pensionis constitutione ex stylo curiæ, quæ facit ius, Sūmo Pontifici reseruatur. Sicut etiam sine Papæ authoritate redimi, seu pretio transferri non potest, vnde Episcopis, vel Ordinarijs id nō licebit, nisi priuilegiū, vel præscripta consuetudo hoc eis concesserit. ut per *Less. l.* 2. *c.* 35 *dub.* 15. *Garz. a. p.* 1. *c.* 5. *Bol. de simon. c.* 28. § 3. *Azor p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. 11. *c.* 5. *nu.* 362. *Molfes. t.* 6. *c.* 3. *num.* 34.

Secundo dico fideiussionis, vel hypothecæ cōditiones, & onera pretio æstimabilia, quæ iure non insunt, non solere nisi Sūmi Pontificis authoritate admitti, quia iuris humani simoniam continent, & quandam ciuilium contractuum speciem præseferunt, vt proinde dubitandum nō sit, quin talis pēsio ab Ordinario cōstituta solui nō possit, & beneficium tanquā vacans impetrari debeat, vt per cit. D. D. Liceret etiam aliqui velint Ordinariū ex iusta causa pensionem reseruare posse, vt inter alios casus, quod cessante pacto, pinguis beneficium recipiens aliquam pēsionem soluat ad vitam onerati duraturam, dummodo imponatur per viam quātitatis pecuniæ, frumenti, vel vini, &c. non autem per viam quotæ, videlicet quod detur tertia, vel quarta redditus pars, quia hoc esset beneficium diuidere, quod de iure prohibetur. *c. maioribus extr. de preben. Decius cons.* 141. *Gonzales reg* 8. *Cancell. gl.* 5 § 5. *n.* 27. *Riccius in praxi potest. Episcopi resol.* 268.

Tertio, & si nonnulli existiment, expensas in litigioso beneficio factas repeti posse, quòd sit sigr ās ti indemnē seruet, contraria tamen sententia, quæ communis

munis est, vt superius dixi, tenet hoc non licere; siqui dem omne pactum in spiritualibus de onere temporali, quod iure non est annexum, si absque legitimi Superioris assensu fiat, merito reprobatur. *Parisius l. 14. de resignat. benef. q. 7. num. 1. Less. l. c. num. 94. Bisfeldius de iniust. in ordine ad beneficia c. 5.*

Quarto dico conuentionem de pensionibus iam translatis hæredibus soluendis, non esse si fieret illicitam, imo de iure subsistere; nam quidquid Pontificijs constitutionibus quò ad beneficiorum fructus non exactos cautum sit, communis est omnium scribentium resolutio, pensiones iam, vt dicunt, in vita Pensionarij decursas, non ad successorem in beneficio, sed ad hęredes ipsius Pensionarij pertinere, siquidem facit fructus suos, & de eis ad suæ voluntatis libitum, tàm inter viuos, quàm in vltima voluntate disponere potest. vt per *Gigantem in tract. de Pensionibus q. 52. & Riccium in Praxi var resolut. resolut. 117. Bisfel. de simon. c. 9. Molfes. tract. 6. c. 3. nu. 44. Nald. in v. Pensio nu. 9.*

Quando vero in resignationib. beneficia vacare censeantur, & sit locus regulæ Cancellariæ de viginti diebus, &c. videndus est præter alios. *Rip. in tract. de actis in art. mort. c. 33.*

Quibus ex causis etiam beneficia Ordinarijs sine pensione renuntiari possint, tradit. *Marc. Ant. Gen. in prax. Neap. c. 65. & Franc. Zipaus de iure Pontific. l. 1. tit. de renunt. Garz. p. 11. c. 3.*

CAP. VI.

QVAESTIO XI.

An præsentatus, vt patroni filios grãmaticam doceat, & dans Examinatoribus, vt eum quò ad examen instruant, sit in conscientia tutus? &c.

LVdouicus Sacerdos, & ludi magister cum ad quoddam curatum beneficium per Franciscũ patronum esset cum hac conditione præsentatus, ut duos eius filios per biennium gratis grammaticam, & humaniores literas docere teneretur, & antequã in examine approbaretur, 25. aureos nummos duobus electis Examinatorib. promisisset, quò eum edocerent, de quibus interrogandus esset, propter quod alba suffragia tulit, & approbat⁹ d. bñficiũ obtinuit.

Duo nunc à Martino competitore, cui prius de eo præsentando promissio facta fuerat, sunt obiecta; ob quæ collatio ipsa inualida reddatur. Primo quod simoniaca fuerit, tùm ob pactionem illam, cum patrono factam, tùm ob promissionem, & conuentionem cum ipsis Examinatoribus initam. Secundo qđ duo tantùm Examinatores sunt adhibiti, cum tamẽ ex *Conc. Trid. dispositione sess. 24. c. 18.* tres ad Parochiales Ecclesias conferendas requiri uideantur: & quod illi in genere tantum sint in diæcesana synodo deputati, puta, Præpositus ecclesiæ Collegiati S. Michaelis, Lector Theologiæ Conuentus S. Franc. cũ tamen in specie, & nomine proprio exprimi debuissent, nempe. R. D. Anselmus de Christianis Rector d. Ecclesiæ S. M. F. Bartholomæus de Lombardis lector nunc S. Theologię in monasterio S. Franc. &c. Vnde vt se ab huiusmodi exactione redimat, dat Martino oppositori, & aduersario, centũ aureos, &c. Quæritur quid in præsenti casu à Confessario sit respondendum, & quid consilij dandum?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

RResp. Primo suppono patrono, qui habet ius spirituali annexum, quod ex gratia ei concessum est, eo quod consentiente Episcopo ecclesiam illam vel fundauit, vel extruxit, vel dotauit ius pręsentandi aliquem ad beneficium competere; cum ius patronatus diffiniatur, ut sit ius honorificum, onerosum, & utile, alicui competens in ecclesia, pro eo q de Diœcesani consensu ipsã ecclesiam fundauit, uel dotem constituit, vel is, à quo causam habuit, solus, vel alio concurrente. *Viuianus de iure patr. p. 1. l. 1. c. 1. Molfes. tr. 6. c. 1.*

Quod quidem ius est rei spirituali antecedenter annexum, quia ad pręsentandum clericos ad ecclesiastica beneficia ordinatur, ideo in eo simonia contrahitur. *c. 16. ext. de iur. patr.* Illud tamẽ emens, vel vẽdens, excõmunicationem nõ contrahit, quandoquidem nec ipsum ecclesiasticum beneficium est, ex quo & laico conceditur, esto secus sit si per realem simoniam ad beneficium quem præsentaret. *Vgol. de simonia tab. 1. c. 49. §. 2. & tab. 4. c. 4.*

Et si vero oẽs q de iure nõ prohibenť siue masculi, siue fœminę, & etiã monasteriã iurispatronatus sint capacia, si tamen patronus sit ecclesiasticus, infra sex menses, si laicus intra quatuor à die scientię dignum & idoneum præsentare debet, aliàs collatio ad Episcopum deuoluitur, qui postmodum si infra sex mensium spatium ius patronatum non conferat, illis elapsis ipsius collatio ad Apostolicam sedem transit.

Porrò hoc ius præsentãdi tribus potissimum modis probatur. Primo per authenticas scripturas, vel legitimas tabulas, nec probatio per testes sufficit, vt per *Ricc. in praxi iuris pat. Decis. 140. Gonzales in reg. ad cancell. gloss. 18. num. 79. & 82.* vbi resoluit, quod si per testes scripturas deperditas esse probaretur, & de tenore illarum deponerent, in quibus continuatæ pñtationes continebantur, tunc satis esset cõtra *Grat. in Foreſ. Discep. c. 68.* Secundo probatur p inscriptionẽ, vel insignia in literis marmoreis ante fores Ecclesiæ posita. Tertio per multiplices, vt dixi præsentationes, cum legitimo tempore factas vt 40. vel 50. annorum, vt per *Vasq. c. 2. de benef. §. 1. dub. 2.*

Gar-

Garziam. par. 5. capit. 9. Riccium dicta decis. 240. & in Praxi cur. Neapol. decis. 249. Molfes. loco cit. num. 49. At per spatium 60. annorum probari tenet *Osasc. decis. 150. Vincent. de Franch. decis. 166.* spatium autem 100. annorum desiderari asserũt. *Capella Tolos. decis. 140. Farinac. decis. nouiss. 184. & Barb. in remiss. ad Conc. sess. 25. de refor. c. 9.* Prima tamen opinio probabilior, & magis praxi accommodata videtur.

RESOLVTIO.

HIs suppositis dico à Confessario aperiendũ esse, Franciscum data Martino fidem fregisse, antequam de eo per examen experimentum de scientia esset factũ, & cum Ludouico Sacerdote simoniæ crimen admisisse, in excõicationem Papæ reseruatam incidisse, & præsentationem inualidam esse, cum certum sit, Primo obligationem illam docendi patroni pueros esse pretio æstimabilem, & in simoniæ diffinitione includi, vt supra explicauimus. Sicut etiam *Riccius in praxi simonia resol. 423.* resoluit, simoniacam labem contraxisse patronum, qui ad beneficium sui iurispatronatus præsentauit clericum Doctorẽ, & aduocatũ, cũ pacto, & cõditione in ipsa p̃sentatione adiectã, ut ille p defendenda lite super dicto iurepatronatus patrociniũ p̃stet; cũ pactiones in spiritualib. reprobentur. Scdo in sacræ Pœnitentiariæ Prętorio determinatum fuisse, quod licet quis emendo, vel promittendo iuspatronatum in excommunicationem, vt dixi, nõ incurreret, illã tamen non vitaret, si in præsentando ab eo commissa fuisset, ut per *Nau. conf. 66. nu. 3. de simon. & Vgol. tab. 4. c. 5.*

Tertio, omnem collationem, præsentationem, electionem, aut quamuis aliam beneficiorum dispositionẽ per realẽ simoniã factã esse nullã, & sic per realẽ simoniã acq̃sita restituẽda, & relinquenda esse. *c. si qs Eps. 1. q. 1. c. de hoc. ext. de simon. Extrauag. 2. eod. tit.*

Secundo dico, Ludouicum, & duos illos Examinatores simoniace peccasse, cũ lucri, & pecuniæ adipiscendæ causa, ipsum de interrogationibus in examine faciendis instruxerunt, ut expressè ait *Vgol. tab. 1. c. 48. §. 3 & Suarez. de relig. tom. 1. l. 4. c. 22. nu. 17. & glos. in c. 1. in ver. minister. ext. de simon.* loquens iuxta textum de examinatore ad ordines suscipiendos, est. n. eadem ratio de examinante ad vsum susceptorum ordinum, vel ad beneficia. Imo ex Decreto *Cõc. Trid. l. c.* sic examinati Primo à simonia absolui nõ possunt, nisi beneficia sic acquisita dimittãt. Secũdo ad ea inhabiles in futurum fiunt. Tertio Examinatores ipsi de hoc crimine conuicti in Prouinciali synodo ad eius arbitrium puniri possunt. Sibi ergo examinandi, & Examinatores caueant, ijque considerent iure merito, vt rectè munere suo fungantur, quatuor nos conditiones in eis exegisse. Primo ut sint sapientes. Secundo ut Deum timeant. Tertio ut habeant veritatẽ. Quarto ut auaritiã oderint *sup. tr. 1. c. 2. q. 6*

Tertio dicimus, numerum saltem trium examinatorum synodalium solum cum fit concursus ad Parochiales necessario exigi; secus cũ p præsentationẽ, resignationem, permutationem, &c. beneficia conferuntur, tunc. n. in Ordinarij arbitrio residet, tot quot vult, sibi asciscere. *Conc. Trident. l. c. & ibi Ang. Barb. Vgol. de off. episc. p. 2. c. 50. §. 2. Marc. Ant. Gen. in praxi Neap. c. 66. Ric. in praxi fori eccl. decis. 418. & seq.*

Quarto ex eo capite non ita facile collationẽ infringi posse, quod Examinatores illi non sint in particulari, & nominatim in synodo deputati, communis enim vsus repugnat; præsertim cum talia officia, & præbendas obtinentes, soleant esse viri doctrina, ac probitate conspicui, ita vt successores, seu subrogati comprehendantur, quidquid sentiat *Garzias. de Beneficijs p. 9. c. 2. num. 334.*

Quinto non fuisse integrum ipsi Ludouico aliquid dare Martino, quò vexationem redimeret, cum non haberet iustum ius acquisitũ, nec esset in legitima beneficij possessione, vnde recipiens ad restitutionem tenetur, iuxta tradita per *D. Thomam 22. q. 100. art. 2. vbi Arrag. & Val. d. 6. q. 16 p. 3. & Abb. & alios Iuristas in c. dilectus il 1. c. Matthæus. extr. de simonia. Nau. c. 23. nu. 102. Suarez. d. l. 4. cap. 50. Molina tract. 2. de iust. d. 88. Fernandes. p. 3. c. 16. §. 1.*

QVAESTIO XIII.

An statutũ, & consuetudo valeat, vt qui in Canonicum recipitur, tantum pecunia in vtilitatem Canonicorũ tribuat. Nũ beneficium recipiẽs donec pinguius, & dignius obtineat, aut donec permutet pensione ei reseruata resignet, peccet. Et vtrum Ecclesiæ seruire liceat spe ascendendi ad dignitates. &c.

BOnifacius I. C. cũ ĩ Canonicorũ cathedralis Ecclesiæ cętum coaptandus esset, ex ipsius Ecclesiæ statuto, & consuetudine recepta, quinquaginta aureos inter alios collegas distribuẽdos soluit, quod quidem canonicatus beneficium tenue ea intentione accepit, donec pingui⁹, vel dignius obtineret, vel permutaret, pensioneve reseruata resignaret. Quæritur an tàm Bonifacius dans, quàm alij Canonici recipientes simoniacam labem contraxerint, & in censuram inciderint, & an collatiò ipsa valet. Secundo an pariter peccauerit cum animo non permanendi, sed dignitatem aliquam assequendi ipsum canonicatum accepit. Et quid Confessarius consulere debeat?

RESOLVTIO.

REsp. Resolutiue proposito casui respondendo primã annexã quæstionẽ paucis expediendo dico primo Bonifacium, & alios Canonicos à simonica labe, & à sordida auaritia non esse immunes

arg.c. Iacobus extra de simonia. ubi Host. & alij notāt, statutum, & consuetudinem damnari, qua is qui in Canonicū recipitur, alijs Canonicis in commodum & vtilitatem ipsorum aliquid dare consueuerit, non tamen Decretum, vel solum illum reprobari, quo quis in Canonicū admissus, aliquid ei ecclesiæ, cuius est factus Canonicus, vel in diuinum cultum tribuat, *sequitur Felyn. in c. cum M. Ferrar. extr. de constit. Nau. consi 1. de sim. Graffius l. 2. Decis. aur c. 6. nu. 49.* Vnde & Cōc. Trid. *sess. 24. de refor c. 12.* Episcopis mādat, ut quæcunq. huiusmodi in pios vsus nō cōuertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, ipsiq. diligenter de eorum cōstitutionibus, siue consuetudinibus, super prædictis cognoscant, & illis tantum, quas laudabiles probauerint exceptis, reliquas ut prauas ac scandalosas reijciant, & aboleant. Cum ergo dicta pecunia quæ soluta est, singulorum Canonicorum crumenam respiciat, nec in pium vsum conuertatur, fatendum est præfatum statutum, & consuetudinem iniquam esse, & simoniam sapere, cum de consuetudine ad statutum arguere liceat. *Beccius cons. 76. Surd. cons. 2 num. 29. Vgolin. de sim. tab. 1. c. 9. §. 11. M. Ant. l. 1. var. resol. 1. Azor. p. 3. l. 12. c. 11. q. 6. Gutierez l. 1. Canon. qq. c. 29. n. 31. Ceued in collect. ad Decret. collect. 16. Tusch. v. simonia. concl. 252. nu. 12. Suarez. tom. 1. de relig. l. 4. c. 48.* vbi tradit, ad cohonestandam talem consuetudinē, vel huiusmodi statutum, Primo necessarium esse, ut tales conditiones occurrant, quæ non solum veram malitiam, ex obiecto auferant, sed etiam speciem, ac suspicionem mali sufficienter purgent. Secundo ut à Papa, vel saltem ab Episcopo prius examinentur, & iuxta *Conc. Trid Decretum l. c.* permittātur, & tertia, ut illud quod datur, pro rebus pijs, & non pro commodo proprio capiatur.

Secundo dico, Bonifaciū & alios Canonicos, tàm à crimine simoniæ, quàm à pœnis, quæ ob ipsam incurruntur, à bona fide, & ignorantia facti excusari posse; nam etsi Ecclesiæ Cathedralis Canonici satis periti, & in ecclesiasticis sanctionibus instructi præsumantur, cum Episcopi Consiliarij, & Assessores vocentur, vnde eorum consiliū & sæpe consensum adhiberi debere notum est ex his quæ habentur in *c. nouit. ext. de his, quæ fiunt à Prælat. & toto tit. de his quæ fiunt à maior. par. cap. Gen. in pract. eccles. q. 612.* vt propterea *Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 12.* Canonicos Cathedralis Ecclesiæ requirat magistros esse in sacra Theologia, aut Doctores, seu Licētiatos in iure Canonico, eo quod cerneret eos a consilijs Episcopi sui esse debere, ideoque abundantiori eos scientia, & doctrina, quàm cæteros clericos indigere; & si, inquam, Canonici docti, ac periti censeantur, & scire præsumantur, simoniam. i. studiosam voluntatē vendendi, & emendi spirituale, uel spirituali annexum tàm naturali q̄ diuino, & humano iure prohibitam esse, attamen quò ad hunc, uel illum casum, uel contractum, pro certo habendum est in eos ignorātiam, cadere posse, ac proinde tàm à peccato, quàm à censuris excusari; pſertim si statuto, vel immemorabili consuetudini sic apud eos receptæ ipsorum bona fides innitatur: cum pœna contra præsumentes imposita non uideatur ab his incurri, qui absque dolo, atque contemptu aliquid etiam per se illicitum agūt. *Vgol. l. c. c. 8. §. 1. Sà v. simo. nu. 13.* Vnde ex his etiam conficitur, collationem beneficij Canonicatus Bonifacio factam, in vtroque foro ualidam esse, cum vt dixi, hæc probabilis facti ignoranria, actum uoluntatis committendi simoniam tollat, & ipse ignorauerit contractum quem iniuit simoniacum esse, sique sciisset minime cōtraxisset; & ratio à priori est, quia sic contrahens uoluntatem emēdi, uel uendendi spirituale non hēt, quæ ad simoniæ rationem exigitur. *Reginal. l. 23 nu. 165. Molfes. tr. 6. c. 15. nu. 33. & 18. Grilenzonus cons. 90.* Iste namque se instar illius habet, qui opinionem hereticam in mente gerit, ipse vero hæreticus non est, cum probabiliter ignoret, quid Ecclesia teneat: ei parere paratus, si Ecclesiā ipsā cōtrariū asseuerare sciret: maxime cū aliqui Doctores non desinr, qui supradictum statutum, & cōsuetudinem tueri uideantur, ut per scribētes *in d. c. Iacobus, ext. de simon. & Garziam p. 8. de benef. c. 1. nu. 93.*

Ad secundam quęstionem respondendo, illam assertionem tanquam veriorem, & in praxi receptiorē cōstituo, Bonifaciū nullā simoniā admisisse, cū Canonicatum recepit animo illud in perpetuum non retinendi, sed donec pinguius, & dignius obtineat, si propositum habeat illi inseruiendi dum illud tenuerit, & illa omnia adimplendi, ad quæ beneficium obligat, nec n. ullus est textus, qui in iure ad id astringat. Nec similitudo ex matrimonio carnali ab aliquibus deducta, id suadet, cum longe diuersa sit ratio, matrimonium namque carnale est uinculum perpetuū, quod spirituali non inest. Atque idem dicendum est si habeat animum illi inseruiendi, donec illi reseruata pensione ex Pontificis licentia resignet, vel cū alio cōmutet, etiam si tantum vnico die illud tenere proponat, dummodo eo die id ad quod tenetur præstet. *Sanchez. de matrim. l. 7. d. 45. num. 12. Reginal. l. 30, tr. 3. nu. 183. Vasq. de benef. c. 3. §. 3. dub. 1. Molfes. tr. 6. c. 6. nu. 71. vt ēt diximus infra tract. 14. contra Rotam coram Achil. de Graffis decis. 49. & Cherubin. in Compend. Bullar. Bulla 12. Pauli IV. fol. 141. schol. 2.* vbi tenent simoniam mentalem cōmitti, & pœnitentia tolli.

Porro non uitiari Bonifacij mentem, si medio Canonicatu ad aliquam dignitatem promoueri speret, ex eo constat, quod aliàs resoluimus ex canonicis sanctionibus, licere clericis uirtute præditis Deo in Ecclesijs seruire ob spem ad illarū dignitates ascendendi

dendi

dendi, modo primario ad id non spectetur, & quis id faciat, non vt tantum præsit, sed etiam vt prosit. *c. si officia. dist. 59. Nau. c. 23. nu.* 101. Vulgatum, ac tritum est, Romanis olim duo fuisse templa, honoris videlicet ac virtutis, eo modo disposita, atq. constructa, ut nõ nisi per templum virtutis in honoris ædem ingredi liceret, est. n. teste Philosopho præmium virtutis honos, & vt ille cecinit,

Ipse decor rectè facti, si præmia desint,
Non mouet, & gratis pænitet esse bonum.

Menoch. l. 3. consil. 228. *nu.* 14. Plurimi ambitiosi honoris templum petunt, atq. ad honores aspirant (honor namq. cum aspirationis nota scribi solet) quãuis indigni, ac immeriti sint. Sic natura animis etiã excellentibus insitum videtur, vt præmijs, ac honorib. exhibitis excitentur, atque ad suscipiendos labores propositis munerib. alacriores reddantur; quod etiã patet ex Abraham. qui cum Deo loquens apertè dicebat, Domine Deus qd dabis mihi? & D. Petrus in Euangelio, Quid ergo erit nobis? *Gen.* 15. *& Matth. c.* 19. *D. Augu st. serm.* 3. *de verbis Domini. D. Th & ibi Caiet.* 2. 2. *q.* 131. *art.* 1. vbi ait, honorem & laudẽ optare, si debeantur, peccatum non esse, & ambitionis vitio carere.

Et in casibus in quibus beneficia dignitatem habentia appetere licitum est, ea quoq. procurare integrum erit, hoc excepto, quod procurare, cum sit actus externus, qui scandalum præbere potest, maiori rectitudine eg..at, seueriorem curam debitas circunstantias seruandi exigat, quàm appetere, & optare, qui est actus interior. Non esse autem per se illicitum, argumento est tùm quod ex *Concil. Trid. sess.* 24. *c.* 18. probetur, ut per publicum edictum ad beneficium curatum vacans obtinendum volentes examinari vocentur, tùm quod multi ad virtutis, & literarum studium excitentur, atque sic viri docti, ac boni promoueantur, & aditus Episcopis præcludatur, ad ea ob fauorem suis consanguineis conferenda, tùm quod simoniæ committendæ occasionibus obuiam eatur, ac mali, & indigni à clero excludantur. Quibus adde quod nunc in vsu, & more positum sit, vt beneficia, honores, & Magistratus non dentur, nisi aliquo modo, nutu, vel prece, verbo, aliove signo petantur: Iam enim illa tempora abierunt, in quibus vt loquitur Claudianus, Theodosius Imperator non quæsiuit purpuram, sed ab ea quæsitus est.

Hæc sunt innumeris per se quæsita tropheis,
Non generis dono, non ambitione potitus,
Digna legi virtus, vltro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.

Reginal. l. 30. *tract.* 3. *num.* 188. *Tymp. inspec. Mag. p.* 1. *signo* 11. Vt autẽ, ait *Cherub. in Schol. ad Bullam* 7. *Clem. VIII.* Virtute semper ambire licet, sed non fauoribus. *ex Tullio l.* 1. *de off.* qui etiam *l.* 3. de legibus inquit, Quod si fauorum ambitus sileat, tunc in suffragijs quæritur, quid optimi sentiant viri. Hæc eadem, & alia comprobat *Decianus tom.* 8. *sui tract. tit. de ambitu. cap.* 21.

Porrò boni clerici magnam adhibent curam, non solum ne honor antequam habeatur, mentis oculos offendat, sed etiam ne postquam habetur, sui amore præstringat, ac sedulo cauent, ne inter magnos honores animo tumor, & superbia obrepat, quæ cũ per se homini sit innata, nec vnquam in hac vita deserat, eo magis hoc quasi pabulo tã grato, ac dulci alitur, & inflammatur. Hoc namque est, quod *D. Greg. hom.* 17. *in Euang.* in Ecclesiæ Prælatis reprehendit, quod humanam gloriam aliquando in mente captant, & eo ipso quod cæteris prælati sunt, ad quælibet agenda maiorem licentiam assumunt, & benedictionis ministerium ad ambitionis argumentum vertunt. Tandem probi clerici Sacerdotes, Canonici, ac alij dignitate præditi, eam non ad gloriam suam, & familiæ suæ incrementum, sed ad Ecclesiæ cõmoda, ac ad alienam vtilitatem referũt, & eò dirigunt, vt munus suum rectè exequãtur, & ea vt stimulo, & instrumento ad meliorem, & sanctiorem vitam vtantur. Idem Tympius in *Magno speculo. signo.* 95.

Cum enim vt aiebat Timon, auaritia, & ambitio sint malorum elemẽta, eo quod ab horum vitiorum fonte cætera vitia manare soleant, & Phauorini Philosophi sit pronuntiatum, Homines partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles, ridiculos quidem, qui ambitiose ad maiora aspirant, odiosos, qui ea consequuntur, miserabiles autem, qui spe falluntur, sapientes clerici probe intelligunt, quò ad sublimius fastigium prouehuntur, hoc ſead amplioren vitæ, morumque perfectionem obligari, & iudicium durissimum his qui præsunt fieri. *Sap. c.* 6.

QVAESTIO XIV.

Dignior an ad regularem præfecturam sit assumendus an qui electioni non adfuerunt, redeuntes postea pro ratificatione, per aperta vota facta, absque simonia pecuniam accipere possint; & num ipsa electio in vtroque foro sit valida.

CVm mortuus fuisset Adrianus cuiusdam Monasterij Prior, & eius electio ad ipsum conuentum de iure communi, & propriarũ constitutionum præscripto, spectaret, atque Octauius a maiori parte cœnobij nullo fere habito tractatu an ille esset dignior, & tribus Patribus absentibus non vocatis, in Præfectum esset electus; Hippolytus ipsius Octauij ex sanguine frater, cum iam ipsi Patres domum reuersi, inualidam electionem dicerent, eo quod in ea celebranda non essent vocati, quandã pecuniæ quantitatem, vt illam ratã haberent, eo inscio dedit, quod statim ipsimet per aperta vota fecerũt. Vnde quæritur,

tur, Primo an Patres digniorem non eligendo, lethaliter peccauerint. Secundo an illi qui aberant, electionem pecunia accepta ratificando, simoniæ crimen perpetrauerint, & in censuras inciderint. Tertio an electio in vtroque foro valida sit.

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

Respon. Pro huius casus dilucidatione præmitto, electionem esse ad Prælaturas, vel ad beneficia vacantia, ab his ad quos pertinet, rite factam optionem. *Ita Rebuff. in praxi benef. tit. de elect. & Hostiens. in summa eodem tit. Decius in rub. de elect. Miranda p. 2. Man. Prælat. q. 23. art. 1. Tusch. v. electio concl. 59. num 1. Reginald. l. 30. nu. 191. Garzias p. 4. de benef. c. 1. num. 6. Molfe. tract. 6. c. 16 Vgol. de simonia tab. 1. c. 48. §. 2.* Per electionem enim, Cathedralibus Ecclesijs, Collegiis tàm secularibus quàm regularibus prouidetur, quamuis Romanus Pontifex nũc Cathedralium Ecclesiarum prouisiones sibi reseruet; & hodie electiones in regularibus ecclesijs potissimum locum habeãt, dum eorum Magistratus, vt Generales Præfecti, Prouinciales, Priores, & huiusmodi alij officiales creantur.

Et duplex est electio, nempe actiua, quando quis alios eligendi facultatem habet; & passiua, dum ipse ab alijs eligi potest: ac electionis appellatione, nisi aliud exprimatur, vtraque comprehẽditur; proinde electione priuato nec alios eligere, nec ipsi ab alijs eligi licebit. *Sayrus l. 4. de cens. c. 5 num. 6. Tusch. l. c. num. 2.* Atque hanc quatuor modis fieri solere communiter DD. tradunt. Primo per scrutinium, nam de iure cõmuni olim tres scrutatores eligebantur, ad quorum aures eligeodi nomen exprimebant, at ex *Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 7.* per secreta suffragia fieri debet. Secundo per inspirationẽ, quando electores nulla præcedente consultatione, quasi diuino impulsu excitati, omnes simul repente vnum eligunt. Tertio cum nemine discrepante, vnũ vel plures eligunt, qui uice omnium electionem faciat. Quatto per accessum, quoties electores inter se conueniunt, vt quilibet per apertum scrutinium, votum proprium sibi dando, ad se ipsum accedere possit, iuxta *c. cum in iure peritus. ext. de elect. & ibi Cened. d. collect. 99. Tusch l. c. concl. 58. Roder. tom. 2. qq. regul. q. 53. art. 11. Molfe. l. c. num. 52.*

Vt autem valide, & rite electio fiat, tria maximè requiruntur. Primo vt fiat ab habentibus potestatẽ ab his scilicet, qui de iure, vel consuetudine hoc iure potiuntur; & de iure communi religiosi professi, & ordine sacro initiati esse debent, ac publica censura carere, &c. quamuis in his singulorum religiosorum ordinum constitutionibus standum sit, & quidquid olim cõtrouerteref. hodie ferè non sanior, sed maior pars illã cõstituit, siquidem ubi maior est numerus, abundantior etiam zelus præsumitur. *Clem. exiui §. demum de verb sig.* Et solum vitandum est, ne aliquis illorum modorum interueniat, qui electiones vitiare, & corrumpere solẽt, qui sunt subornatio, consanguinitas, distortus affectus, & quæsitus hominum fauor. ut per *Carthag. infra citandum.* Secundo ut contra formam substantialem iuris communis facta non sit, ut si simoniace, & non libere celebrata sit, & omnes qui concurrere debent non sint uocati, nisi ij qui citati non sunt, aduenientes postea, ratam electionem habeant. *Tusch. v. electio conclus. 63. & seq. Azor. par. 2. l. 6. c. 14. q. 7. Menoch. cons. 67.* Tertio ut persona sit eligibilis, nec ullo laboret canonico impedimento, & non sit censura innodatus, uel de aliquo crimine accusatus.

Primo enim in eo requiritur habilitas, seu iuridica capacitas, ut legitimam ætatem habeat, nam cum Priores, & alij religionis Præfecti, Prælati dicantur, & curã animarum gerant, ac ordinaria iurisdictione potiãtur, sacerdotes eos esse oportet, ac proinde 25. annum agere debent, & esse ex legitimo toro nati, si quidem illegitimi religionem ingressi ad Prælaturas assumi nequeunt. *cap. 1 ext. de filijs presbyt. Sayr. de cens. l. 6. c. 11. num. 3. Tol. l. 1. c 53. nu. 4.*

Secundo exigitur in eo morũ honestas, ac integritas, vt nõ sit improbus, ac vitiosus sine Dei charitate, saltẽ per modum habitus, ac consuetudinis. Cuius sane conditionis, in electionibus potissima ratio est habenda, nã ex huius neglectu fere Ecclesię, & religionum pernicies manare solet. *Less. l. 2. de iust. c. 34. dub. 23. Grat. de discipl. regul. c. 3. §. 1.* Vnde ob hoc electorib. crimina q̃ ad Prælaturas promouendis obstãt, aliqñ detegere licebit. *Roder. in qq. reg. to. 2. q. 53. ar. 3. Paleotus de sac. consist. consult p. 4 q. 2. Ghisler. de Indic. reg. c. 16. n. 102. Cherub. in schol ad constit. x. Sixti V.*

Tertio competens scientia, vt earum rerum notitia sit instructus, quæ ad officium suum rite explendum pertinent.

Quarto in eo rerum agẽdarum industria opus est, i. prudentia, & applicatione ad ea solicite agẽda, quę sibi iuxta munus suum incumbunt. *Menoch. de arbit. iud. casu 427. idem Roder. tom. 3. q. 34. art. 3.*

Quæ cõditiones innuuntur ab *Innoc. III. in c. cũ ad monasterium. ext de stat. monach* cum ait, Prior autẽ potens sit in opere, & sermone, ut exẽplo uitæ, verboque doctrinæ, fratres suos instruere possit in bono, & à malo etiam reuocare, zelum religionis habens secundum conscientiam, vt delinquentes corripiat, & castiget, obedientes foueat, & confortet. Ideo ante electionem inter ipsos electores tractatus præcedere debet, vt eligendi qualitates, & conditiones expendantur, quò officio ad quod assumitur, nõ solum aptus, sed consideratis muneris circunstantijs aptior iudicetur, quandoquidẽ religiosi ex suis cõstitutionib. & ex rei natura regulariter digniorem in Prælatum

elige-

eligere tenentur, nam etsi in foro externo minus digni electio valeat, lethalis tamẽ culpa committitur. Imo multo magis in electione religiosorum Prælatorum locum habet, cum vitę perfectionem sectẽtur, ac proinde iuxta proprij instituti finẽ digniores Pręlati exigantur. Et sanè *D. Chrysost. hom. 7. in Matth.* ait, Christum Dominum, singularem illum fauorẽ, secum in Montem Thabor ducendi præ omnib. alijs, Petrum, Ioannẽ, & Iacobum, eis impertiuisse, propterea quod cęteros discipulos virtute, & meritis præcellerent, ut diuino hoc documento edoceantur reipublicæ capita, hoc est tàm sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, & regularium Pręlati, officia, beneficia, & dignitates, dignioribus, ac magis idoneis esse conferenda; indebitæ. n. electionis damnum unum non est, sed multiplex, damnum electo, ad quod eligitur, dãnũ officio ad qđ eligiẽ, & damnũ electori ad illud eligenti. *Vasq. c. de benef. §. 3. dub. 2. nu. 62. Miranda in Man. Pralat. tom. 2. q. 23. art. 13. Molf. tr. 6. c. 6. nu. 60. & c. 16. nu. 89. Cherub. schol. 1. & 2. ad Bullam 14. Pauli V. Zacchar. de oper. Chr. c. 22. Barth. à S. Fausto. de restit. d. 28. q. 11. Ioannes Chartag. l. 8. Homel. 3.*

QVAESTIONVM, ET CASVS RESOLVTIO.

His sic constitutis, ad 1. quęst. resolutio clarè patet, religiosos illos electores Patres, ad quos tàm de iure, quàm ex vi Cõstitutionum, Prioris electio spectabat, à lethali culpa non excusari, cũ Octauium minus dignum dignioribus omissis, Cœnobij Præfectum crearunt. Hinc. n. non solum habemus cõem Doctorum sententiam generaliter asserentiũ, in officijs animarum administrationem habentibus, digniorem pręferendũ esse, & eos qui aliter fecerint, grauiter delinquere, ut per *Con. in reg peccatum §. 7. de reg. iur. in 6. Garziam par. 7. de benef. c. 16. num. 2. Molfes. d. tr. 6. c. 6. nu. 61.* verum etiam id constat ex *Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 1.* dum affirmat, mortaliter peccare electores, nisi quos digniores iudicauerint, ecclesijs præfici curauerint. Quæ tamen maior, vel minor dignitas in ordine ad electionem, ut sępius animaduertimus, non solum secundum bonitatem simpliciter, sed etiam ex alijs circunstantijs, ad propositũ electionis finẽ consequendũ, perpẽdenda est. Ideo imprudenter illos Patres fecisse innotescit, cum tractatum inter se nõ pręmiserunt, ut secundum præsentaneã officij conditionẽ, ad quod Octauius eligendus erat, eligendi qualitates considerentur, &c.

Ad 2. quæst. respondẽdo dico, prędictam electionem ex duplici capite inualidam reddi. Primo quia licet ipsam electionem iam irritam ob absentiã tres illi Patres cõfirmauerint, & ratam habuerint, adhuc tamen non subsistit, cum illa ratificatio per apertta vota, contra Concilij Tridentini formam facta fuerit, nam ut supra innui, *sess. 25. de reg. cap. 6.* districtè præcipit, ut in electione quarumcunque Superiorum regularium, & Abbatissarum suffragia secreta ferri debeant, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec voces, aut suffragia absentiũ, per alios substitutos suppleantur. *Roder. tom. 2. q. 51. art. 8.* Quod si alio modo electio fiat, sit irrita, & qui alio modo eligi permiserit, ad omnia officia in religione obtinẽda inhabilis existat. Et quod iuris in electione totali statuitur, idem etiam in ratificatione cum eadem sit ratio, statuendum est. *arg. l. illud. ff. ad l. Aquil. l. qua de tota. ff. de rei vindicat.* Secundo, Hæc electio, & ratificatio ob simoniam in ea perpetratam infringitur, etiamsi eo inscio, & ignorante, à suo fratre sit commissa. *arg. c. nobis. ext. de simon.* Vbi electoribus qui quendam in Plebanum eligere debebant, pecunia promissa fuit, & ea promissio à suis amicis eo electo ignorante facta erat; & tamen esto turpis, ac fœdæ illius pactionis conscius non fuerit, eius tamen electionem tanquam simoniacam reprobandam respondet ibi summus Pontifex, vt considerat *Vgol. de simonia tab. 1. c. 48 §. 2.* Vnde etiam beneficii ecclesiastici collationem simoniace factã, vel ignorante prouiso, esse ipso iure nullam, verior, & in praxi receptior est sententia; siquidem illa ignorantia id solum efficit, ut beneficium bona fide recipiẽs, non peccet, nec in sacrorum Canonum pœnas incidat, & iure beneficium retinere queat. At cum primum suę collationis uitium innotuerit, illudmet beneficium dimittere, vel dispensationem obtinere tenetur. *Suarez tom. 1. de relig lib. 4. c. 57. nu. 35. Garzias p. 8. de benef. num. 6. & 97. Molfes. tract. 6. cap. 15. num. 79. Reginal. in praxi cas. consc. q. 19.*

Hinc ad tertiam dubitationem resolutio conficitur, hãc Octauii electionem, confirmationem, ac ratificationem ob formę defectum, & legis dispositionem, quæ ei resistit, non valere, & noua instauratione indigere; prout ex Doctoribus supra allegatis satis colligitur, & præsertim ex *Menoch. tom. 1. consil. 67*

IN PRAESENTI CASV CONFESSARII PARTES.

PArtes Confessarii erunt, hos religiosos admonere, ut in posterum, tàm in electionibus, quàm in aliis actionibus oculatius, & cautius se gerant, fixum illud memoria retinentes, Deo in primis seruiendum, propriam conscientiam non fallendam, & munus cuique assignatum fideliter exequẽdum. Secundo, tria in omni negotio attendenda, quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem. *c. magna. de voto.* Item euentum, esse stultorum magistrũ, & tàm in publicis quàm in priuatis rebus, illud Taciti obtinere, Non perinde diiudicari potuisse, quid optimum factum fuerit, quàm pessimũ fuisse quod factum

factum est. Tertio ad hoc, ut quis bene operetur, non solum bonum finem requiri, sed etiam debita, & conuenientia media. & circumstantias exigi; actio siquidem bona non est, nisi omnes undique circumstantiæ concurrāt, quia quilibet singularis defectus malum producit. *D. Thomas 12. q. 7. art. 1. & 2. & q. 57. art. 5. & q. 18. art. 3. & 4. Gloss. & DD in c. 1. de collus. deteg.* Quarto. Nihil esse nequius, ut loquitur Sapiēs *Eccles. c. 17.* quàm quod excogitauit caro, & sanguis hoc est mortiferum peccatum, quo homo una eadē que uice omne quod habet bonum amittit. Sane cōtra morbos incēdium, bonorum iacturam, iniuriam nominis, ac famę læsionem, & contra similia incommoda studiosissime aduigilatur. Cōtra id vero quod animæ, & conscientię incommodat, nihil studii, & uigiliæ ponitur, nil adhibetur, ut euitentur, cum tamen ut etiam cognouit Cicero per infidelitatis suæ leuidensam, pręter culpam, & peccatum, nihil homini accidere possit, quod pertimescendum sit. Quippe argumento est haud dubie euidenti, hæc tam crassa hominum oscitantia, oculos mentis nostræ per fœdam illam in Adamo ruinam, miserando modo inuersos, ac plane præposteros factos esse, ut nigrum album, & malum bonum dicamus, & eligamus. Facti sumus pueri non malitia, sed sensibus, ut ardentem carbonem, vel candelæ flammam, velut rosas, vel poma arripiamus, ut mirum non sit si Bion philosophus animo cæcutiens, satis tamen acute dixerit Facilem esse ad Inferos uiam, homines enim clausis oculis illuc abire. *Verid. Christ. c. 86.*

Addat nihil esse iniquius, præsertim in religiosis, quàm amare pecuniam. *Eccles. 10. Cassian. l. 7. c. 1. & 2.* Auaritiam, & ambitionem esse, ut supra annotauimus, omnium uitiorum metropolim, & cūctorum criminum seminarium, & segetem, *c. nimis. de excess. Prælat. c. auaritia. de elect. l. 6.* & iuxta illud D. Frācisci, Pecuniæ cupiditatem seruis Dei, nil aliud esse, quàm Diabolum, & colubrum venenosum. *S. Bon. in eius vita c. 7.* vt diximus *tract. 1. cap. 5. quæstio. 24. & tract. 6. cap. 9. quæst. 40.*

QVAESTIO XV.

An dare aliquid in compēsationem ob permutationem tenuioris beneficij, factum cum pinguiori, & digniori sit simonia? Quod peccatum admiserit Parochus dando oleū non sacrum pro sacro fœminæ, quam probabiliter sciebat in superstitione eo abusuram?

SImon habens beneficium curatum 100. annuorum redditūum init tractatum cum Petronio, qui beneficium pariter curatū archipresbiteralem secum annexam habens dignitatem, maioris tamen valoris, & prouētus nempe 150, aureorum possidet, ac conueniunt, vt tùm ob Plebanatus dignitatem, tùm ob pinguius beneficium centum numi aurei quotannis ab ipso Simone soluantur, quare Episcopo exposita, mutua facta est permutatio. Quæritur an hic contractus licitus sit.

Itē cū Claudia fœmina sacrū oleū ab eo petijsset, quo, ne ad impiæ superstitionis scelus abuteretur probabiliter dubitabat, cum à nonnullis de oppido venefica, & sortilega haberetur, pro sacro oleo, vulgare, ac profanū accepto pretio ei tribuit. Vnde hic etiam quæritur, an simoniæ flagitium in hac re sit ab eo perpetratum, & quomodo consulere ei debeat confessarius?

SVPPOSITA.

REspon. Suppono, Beneficij permutationem esse mutuam cum alio præstationem; quæ in hoc a resignatione differt, quod permutatio, vt dixi, vnum cum alio commutat, at resignatio beneficium à renuntiante abdicat, nec aliud loco illius cōsequitur. Quæ quidem, vt valeat, quatuor potissimum requiruntur. Primo vt permutantes habeant iustum beneficiorum titulum, & legitimi sint possessores. Secundo vt cesset fraus, & aliquid illicitum non admisceatur. Tertio vt cum Superioris authoritate fiat. Quarto ut & iusta causa interueniat, quæ aut in ecclesiæ utilitatem, aut personarum commutātium commodum referatur. *Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1170. Garzias p. 11. c. 4. num. 44. Vasquez de benef. c. 2. §. 4. dub. 5. num. 191.* Vt vero hic casus proponitur, manifestam simoniacam prauitatem in se continere constat; eo quod pactio de coæquādis fructibus, & dignitate Archipresbyteratus compensanda inter partes inita est, quod simoniacum esse, nec sine Papæ authoritate, cum Episcopi interuentus nō sufficiat, fieri non posse concors est omnium sententia, ut per *Vict. in 1. p. relect. de simonia num. 17. Suar. l. 4. c. 34 num. 6. Bisfeldium in Comment. de simonia, c. 12. q. 5. Reg. l. 23. num. 266. Azor. p. 2. l. 7. c. 29 q. 15 Molfes. tract. 6. c. 13. nu. 25. Riccium in praxi for. eccles. decis. 568.* Quod verum esse aiunt, etiam si duo contractus diuisim celebrentur, Prior quidem quo beneficia simpliciter, & libere permutentur, nulla temporalium redditūum eis admixtarum ratione habita. Posterior vero quo possessiones ipsæ cōmutātur, quę etsi temporales sint, ab alio quàm à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, de ipsius mandato ad æqualitatem reduci nequeunt; siquidem talis permutatio minime fieri potest, nisi possessiones ut temporales sunt, à beneficio, iureve spirituali cui coniunctæ sunt, separentur; iam vero soli Papæ huiusmodi segregationem facere integrum est, tanquam eam, quæ etsi naturali legi non aduersetur, canonico tamen iuri repugnat, quod diuisionem in beneficio fieri prohibet. Multo magis si in compensationem inæqua.

inęqualitatis rei spiritualis, ut hic, aliquid detur. Quam assertionem communis praxis, & receptus Romanę Curię stylus, comprobat, &c. ut testatur etiam *Philiar. de officio Sacerd. p. 2. l. 6. c. 3. Zecchius de benef. c. 1 t. num. 5. Riccius in praxi potest. Episc. res. 268 Corrad. in respons. cas. consc. in addit. ad q. 42. Carbo. de restit. q. 60. Garzias de benef. p. 1. c. 5 num. 345.*

An uero beneficiorum inęqualitas ad rescindendam permutationem per se sufficiens causa sit? communis sententia est negatiuam partem tenentium; licet propter talem inęqualitatē sit aliqualis fraudis pręsumptio, eo qđ nemo suū iactare velle pręsumatur; si aliquę alię coniecturę, vel adminicula concurrant, pręsertim si maxima sit beneficiorum permutatorum inęqualitas, qualis, ut est in adagiis, fuit Glauci, & Diomedis, hoc est ut ne pro cētesima parte beneficium unum alteri respondeat. Videatur *Riccius res. sol. 480. Garzias de benef. p. 1 1. c. 4. num. 102. Chacher. de permut. benef. p. 3. c. 1. Menoch. lib. 6. de præsumpt. præsump. 680. Cranetta consil. 82.*

Debebit ergo Confessarius docere contractū istū in utroq; foro nullū, & inualidū esse, proinde à Romana Sede eius validitatem petendam, causas exponendo, quibus isti contrahentes ad permutādum mouentur, & quænā sint beneficiorum cōditiones.

Ad secundum quęstionem, ex alibi suppositis fundamentis, respondendo dico, grauis flagitii reatum esse ab eodē Simone commissum, & turpissimo scelere se obstrinxisse. Primo, quia improbę illi fœminę in suspicionem venire potuit, initę cum ea societatis ad litandum Diabolo. Secundo, quia non leuia sibi pericula apud publicę religionis Magistratus comparauit, si quādo apud eos impiæ superstitionis causam mulier dixisset. Tertio, quod scandalum dedit, & bonam famam (saltem apud illum scelestam si res occulta sit) amisit, siquidem quod unus ecclesiasticę ordinis peccat, in totum ordinem ab imperita multitudine confetri solet, qui propterea non solū à malo, sed etiam à specie mali cauere debet, & bonam, pręclaramque existimationem habere, conseruare, & augere, ne illius ignominia quasi laqueo Diabolus partim fideles, partim infideles irretiat, & à Christiana religione auertat. Quarto, quod pessimam illam mulierem uultu, uoce, ac minis, ut officii sui erat, non absterruit, atque à se dimisit. Quinto, quia ad sacrę Inquisitionis Iudicem eam non detulit. Nam omnes, si maleficium, vel sortilegium sit cum heresi coniunctum, denuntiare tenentur, si extra confessionem cognouerint, & qui hoc non faceret, merito fautor, ac socius pręsumitur. Si tamē malefica, lamia, vel strix aliquod maleficium, vel superstitionem semel confecerit, pro prima uice Iudicibus non est indicanda, pręsertim quando simplicitas, bona fides, ignorantia, aut alia iusta causa interuenit, quę à dolo excusare possint, ut per *Mart. Delrium l. 5. disq. mag. sect. 4. num. 6. Mar. Ant. Gen. in praxi Neap. c. 23. Molfes. tract. 7 c. 14. num. 22. Comit. l. 5. q. 13.* Insuper dico cum oleum non sacrum pro sacro illi fœminę pretio vendidit, simoniacam labem ex parte mulieris esse contractam ex corrupta scilicet eius intentione, licet reuera ex parte rei proprie simonia non fuerit, cum oleum emptum sacrum non esset. *ut per DD. in c. non satis. & l. 1. extra. de simonia.*

QVAESTIO XVI.

An seruire Prælatis spe aliquod beneficium consequendi, eademque intentione illis opus aliquod dicare, sit simonia: & quid agere debeat sciens Episcopum pro consecutione dispensationis quadam munera accepisse?

LVcius spe, & intentione aliquod ecclesiasticum beneficium consequendi, cuiusdam opulenti, & potentis Episcopi obsequiis se addixit, & quo magis ad id alliceret, quoddam ingenii opus de sacra Theologia tractans dedicauit. Qui postmodum ut aditum petentibus ad Episcopum ipsum faciat, & pro gratiis impetrandis authoritatem suam interponat, multa non parui ponderis munera accipete solet. Quæritur, an peccauerit, & quod peccatum admiserit, & quomodo cum eo Confessarius se gerere debeat: & quid pariter respondere debeat ipsi Lucio, qui in confessione fatetur se scire dictum Episcopum pro cōsequenda à Romana Curia quadam matrimoniali dispensatione pro nobili suo subdito, notabilis quantitatis munera accepisse?

RESOLVTIO.

REspon. Licet aliqui senserint, peccatum simonię non admitti intentione minus principali tanquam ex causa impulsiua, temporale lucrum ex spirituali collatione, aut ex temporali commodo, seu obsequio, pēsionem aliquam, vel ecclesiasticum beneficium sperare; uerius tamen dicendum uidetur, id illicitum esse, ac simoniacum, immediate ex ui pecunię, seruitii, aut alterius temporalis commodi tanquam pretii, spirituale aliquid, aut illi annexum intendere, siue principaliter, siue minus principaliter, vel secundar ò spes in illud feratur, quia uel le temporale aliquid rei spiritualis pretium constituere obiectum est intrinsice malum, quod nec directe, nec indirecte, nec primariò, nec secundariò appetere licet. Mediate tamen, hoc est media amicitia, vel gratitudine, vel aliis iustis, & licitis uiis spirituale, vel illi adiūctū propter tēporale bonū optare fas erit. Quod si verbum minus principale id apud eos significat, ipsorum assertio veritate non caret.

Arrag.

Arrag. 22.*q.* 100.*art.* 2. *Val.d.p.* 3. *Lessius l.* 2.*cap.* 35. *dub.* 20. *glos.in c.cum essent.vbi Abbas. Marian. Socin.* & *Felyn.ext.de simonia. Vgol.de simonia,tab.* 1.*c.* 9.§. 5. *Reg.l* 10.*num.* 401. & *l.* 30.*tract.* 3.*num.* 188. *Mol fes.tract.* 6.*c.* 15.*num.* 58. ubi de communi sententia testantur. Quibus illa suffragatur ratio, quod humanę actiones ex secundario fine ad aliquod temporalium commodum tendente non uitiantur, alioqui quod ille admonuit,

Non facile inuenies natis ex millibus vnum,
Virtutem pretium qui putet esse sibi.

Nauar.c. 23.*num.* 100. & *in c.cum minister.* 23.*q.* 5. *Reginal.l.* 30.*tract.* 3 *num.* 188. ubi ex *c.quid prodest.d.* 61. & *c.qui episcopatum.* 8.*q.* 1. resoluit, licere clericis in ecclesiis Deo seruire ob spem ad illarum dignitates ascendendi, modo principaliter ob id famulatum non pręstent. Imo Gelasius Papa *in c consuluit.d.* 74. ut obseruat *Vgol.de simoniac.* 9.§.6. Præmiis, & stipendiis ad Deo seruiendum alliciendos homines sensit. Quippe sicut Lycurgus dicere solitus est, Duabus potissimum rebus Respublica continetur, pręmio scilicet, & poena. Quo dicto eam demum Rempublicam, & Cögregationem saluam esse putauit, in qua boni pręmiis inuitantur, flagitiosi uero pęnis afficiuntur: nam ut dixi ex ueteri adagio, Honos alit artes, & ut est apud Mart.

Sint Macenates, non deerunt Flacce Marones.

Et ut quidam Sapiens dixit, Ad Principes, & Magistratus spectat bonos, ac pręstantes uiros honoribus afficere, nec modo dum in uiuis sunt, sed etiam fato functos eos augere, ut uirtuti suum reddatur præmium, quæ sane laudata crescit, & permultos ad egregia facinora ascendit. De qua re uidenda sunt à nobis insinuata *tract.* 6.*c.* 2.*q* 7. Vnde dico Lucium Episcopo inseruientem, ut eius beneuolentiam in prēmis sibi cöciliaret, vel opus illud ei dicauit, sacrauitque, quo eius amorem egregio illo ingenij partu demereret, secundo loco aliquod ecclesiasticum beneficium ab ipso collatum iri sperantem, non peccasse, nec simoniæ lue se infecisse. Hucusque tamen nil gratiæ pauper iste retulit, vera est enim illa Ciceronis *l.* 3. *de orat.* exclamatio, O fallacem hominum spem, & inanes nostras contentiones, quæ sæpe in spatio frãguntur, quàm portum inspicere potuerint. Adeo rari sunt, qui doctos uiros, & uirtutibus incumbentes præmio augeant, contra illud quod dici solet, Principum liberalitate Musas esse pascendas. Eo magis quod Cato ille Maior & si armis inuictus utilitatem conscribendorum librorum considerans dixisse fertur, quod plus Reipub. crederet se profuturũ, si militarem disciplinam in literas conferret: nam unius ætatis sunt quę fortiter fiunt, quæ uero pro Reipub. utilitate, & commodo scribuntur, æterna sunt, &c.

Nicolaus IV. dicere solebat, non plus se affinibus, ac cognatis debere, quam cuiuis bono, ac uirtute prędito; sola enim uirtus, & uitia in causa erant, ut in hunc magis quàm in illum inclinaret, propensus, ac beneficus foret.

Thomas Brigottus cum Frãciscum primum Galliæ Regem commendaret, dicebat, eum instar Diui Francisci de Assisio quasi stygmata in manibus gerere, cum manibus velut terebratis, nil continere posset, sed sibi, & statui suo superflua, in egenos, & pauperes literatos erogaret. Quippe cum sciret dixisse Platonem, beatas esse Respub. ubi studiosi sapientiæ regunt, vel earum Rectores sapientũ consilio patēt. Vnde & Seneca, Aureũ aiebat, & seculũ cũ sapiētes regnāt. Rectè Simonides poeta à quodã rogatus, ut encomium in eius laudē scriberet, gratiarũ actionē loco muneris accepturus, respondit, duas se habere arcas, unam gratias agētium, alteram referentium, hanc cum aperiret, se subinde plenam reperire, ex eaque se, & alios iuuare; illam vero semper inanem esse, & uacuam, nec quidquam sibi ad uitam adiumēti afferre. Ego vero addit Tympius in *speculo boni Magistratus signo* 3.*p.* 2. felicior Simonide tres habeo arcas, ut tertia sit pro ingratissimis, qui cum ipsis honoris, & publici boni causa libros, & labores meos egregie concinnatos mitto, ne quidem grati animi significandi causa ad meas literas respõdent, O egregios studiosũ, ac doctorũ uirorũ Mæcenates; an ij reposita in Cęlo inueniēt prēmia? an mercedē à Christo promissã patronis seruorũ Dei calamo, & uoce, pro Catholica ecclesia laborãtiũ accipient? Rectius Archelaus Macedonum Rex, à quo cum in mensa ineptus poeta magni pretij munus peteret, & in eorum conuiuio Euripides quoque adesset, donum quoque magni ponderis ipsi dari iussit, his verbis *iudicij* sui significationem addens, Iste dignus est, qui petat, Euripides dignus est, qui accipiat. Si hoc modo discernerentur ingenia, & studia alerentur, tùm literis, tùm Reipub. melius consuleretur. hæc ille. Atque sic resoluit *Vgol.l.c.*§.5.*n.* 5. & *Molfes.tr.* 6.*c.* 15.*nu.* 16 Verumtamen animo angi studiosi non debent, si honestis eorum laboribus condignum præmium nõ rependatur, siquidem vera uirtus nulla ad sui consummationem re indiget, sed se ipsa contenta est; imo eò pluris æstimanda, quò plura cõtemnit. Et quamuis externis bonis fulciatur, ut diuitijs, honoribus, dignitatibus, amicitia, & huiusmodi, nulla tamen ei fit accessio, nisi in speciem, ad difficultatem (nam ad ardua tendit) aliqua ratione superandam. Rectè itaque sensit Tullius, dum ei, in quo sit uirtus, nihil deesse ad bene, beateque uiuendum putat. Cui suffragatur Comicus in Amphit.

Virtus præmium est optimum, &c.

Nec abludit Sillius.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Vnde ad hanc rem dicit *Alexander Randē. in decisio. Pisan. decisione* 40. *numero* 370. quod etsi vbi

vbi alter alterum excellit, ibi inferior inuidia stimuletur, ideoque superiorem persequatur, se inferiorē indignatus, adeo ut ex pristina amicitia ad inimicitiam deueniatur, nisi catholica disciplina frænum inijciat, & ob hanc rationem multi à librorum editione abstinent, & sancta humilitate se nemini superiores eruditione ostendere studēt; nihilominus ingenui, & Christiani hominis est alijs prodesse, talen tō à Deo gratiose sibi concesso, & sic scribendo docere, quidquid postea eueniat, cum satis fit quod de iure cæteris paribus illi DD. alijs præferuntur, qui approbatos, & commendatos libros composuerunt, non enim sibi solum, sed omnibus ueritatem exquirentibus laborant, *Eccles.c.34.* De quibus illud sacri Codicis dici potest, *Isai c.32.* ut habetur *in c.cū Martha.ext.de celebr miss.* Beati qui seminant super aquas, idest populos. *Cassan.in Catalog.glor.mundi par.10.consider at.28. Vinius in sylua opin opin. 197. Ant. Mar.Corat.eodem tit.5.inspect.2.* Si nulla est fortuna, & si humilis, & abiecta, quæ doctrinę splendore illustrior non fiat, quid eis prestabimus, qui in excelso constituti, uiuendi leges cæteris præscribunt? qui oculi mundi sunt, & velut quidam Soles in ecclesiæ cęlo residentes, ignorantiæ noctem ab hominum mentib. depellun? ait *Barbosa p. 1. de Episc.tit.2 gl.10*

Quò ad secundam partem casus illud mihi dicendum uidetur, Lucium à culpa immunem esse, si ei apud Episcopum operam suam ponenti, quò adeuntes facilius introducantur, & citius quod petunt, obtineant, aliquid detur: licet enim ex officio suo puta quia cubicularius, vel à secretis sit, teneatur mediocriter studere, ut postulantibus aures Episcopi pateant, & ut supplices libelli facile ad ipsum deferantur, &c. Si tamen in his maiorem diligentiam exhibet, quàm eius officium exigat, & faciliorē, frequentioremque, ac opportuniorem aditum præbet, vel pro alijs intercedendo obligationes suas antidorales, vel spes amittit, vel saltem leuiores reddit, aliqua pro maiori hac opera, ac abundantiori officio accipere potest. *Nau.de datis, & promissis notab. 22. Molina tract.2.de iust.& iur.disput 92. Zerula in praxi Episcopali p.2.in ver simonia num 1. Bonac.de legib. d.10.q.2.p.8.§.incidens.num.14.* A culpa tamen nō excusantur aulici illi, qui hoc palato sunt, ut neminem ad Dominum, vel Principem, siue sæcularem, siue ecclesiasticum admittant, nisi sibi ungātur manus, similes Vetronio illi Thourino Alexandri Imperatoris familiari; qui tamen eum cōuictum quod suum suffragium his vend disset, qui à se aliquid petebant, ad palum alligari iussit, supposito igne ex humida materia, & pręcone clamante, Fumo punitur, qui fumos vendidit. *Lamp.in eius vita. Ioan.Choc. lib.5. Polit.cap.4.*

Ad tertiam quæstionem respondendo dico, Lucio cauendum ne de Episcopo, vel Prælato suo temere iudicet, & cum obtenta à Romana Sede matrimoniali dispensatione pro suo subdito munera accepit, eum Bullam Gregorij XIII. *de datis, & acceptis,* uiolasse non existimet. Ex leuibus namque signis nō conuenit de quoquam sinistre iudicare, multo minus de Episcopis malum suspicari licet, cum honestę, ac probatæ uitæ præsumantur, utpote cum nihil ob aliud, quàm propter probitatem, ac uirtutem ad huiusmodi dignitatum gradus præ cæteris assumantur, ac deligantur. *c.miramur.dist 61.& c.cum in iuuentute.vbi gloss.ext.de præsumpt.* Vehementissimus sane est naturę affectus, ut propterea ex eo iudicauerit Salomon, quęnam vera, ac germana infantis fuerit mater. *c.3. Regum. & c afferte.eod tit.de præsump.* At ex susp cione nemo probus uir unquam iudicium tulerit, aut in re dubia temere diffinierit, quilibet enim bonus præsumi debet, donec de opposito constiterit. Et ex uulgata iuris regula, Dubia semper in meliorem partem interpretanda sunt *c.2.ext.de regul.iur.& D.Thomas 22.q.60.art 4. Iustin.in Tob. c.2.vers.21.doc.1.& cap.3.vers.20.doc.1.* Vnde *in c. quibusdam.1.quæst.1.* propter uitæ meritum quis ab ambitu, & simonia excusatur, ut scilicet preces in casu illius capitis simoniam non inducant, quę aliàs argueretur, si probitatis debita præsumptio deesset. Et profecto circūscripta etiam hac præsumptione, multi sunt casus, in quibus à culpa, & à pœnis in Constitutione Gregor.XIII. consentientis excusatur, quorum præcipuus est cum quis absque pactione mutua dat, aut accipit ob meram liberalitatem, vel beneuolentiam, præsertim si sint zenia, idest esculenta, & poculenta, quæ intra paucos dies consumi possunt, siue ante gratiam obtentam, siue ea iam adepta, dentur, & accipiantur. *Nau.in Comment.de datis, & acceptis notab.9.num.21. Azor.p.3.l.12.c.23 q 2. Mench l. 5.præsumpt.8. Farinac.de var.ac diuers.crim.q.111. art.10. Bonac.de leg.disp.10.quæst.2.pun.7.num.14.* Addo quod etiamsi qui sciuerit delicta contra illud Pontificium Decretum commissa, nisi intra triduum denuntiet, ipso facto excommunicatione summo Pōtifici reseruata afficiatur, illa tamen pœna ex communi praxi illi soli ligantur, qui in Romana Curia commorantur; & præmissa prius fraterna correctione, modo ex ipsa fructum sperent, id agere debent *ex Nau notab 19. Azor.l.c. q. 8. Mol.tr.2.de iust.& iu disp.92* contra *Bonac.l.c.num.19.*

QVAESTIO XVII.

Iudex à Collitigantib. munera accipiens, an peccet simonia peccato, & quid de ipsis partib.litigātib. &c.

ALexander in quadam vrbe ecclesiasticæ ditioni subiecta Iudex, & Prætor, dum in iure, & de iure inter duos in iudicio contendentes, nempe

Gre-

Gregorium,& Dominicum disceptaret,à Gregorio quò pro se sententia ferretur, munera non leuia accepit, quam rem cum Dominicus cognouisset, existimans se potiora iura souere, ut suam uexationem redimeret, maiora obtulit dona, ob quę in sua causa uictoriam reportauit. Et cum in eadem urbe adsint Iudęi, qui Christianis pecunias sub usuris dant, aliqua data sibi à Iudæis portione, ipsos Christianos ad soluendas usuras in iudicio cogit. Quæritur quid in primo casu, tàm Iudici quàm duobus his litigantibus respondere, & quid in secundo consulere debeat Confessarius?

SVPPOSITA.

Respon. Pro casus resolutione in primis prænotandum est, grauissimum peccatum à Iudice committi, cum iustitiam pro pecunia distrahit, ut puta si pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile à priuato, vel parte accipiat, ut faciat non facienda, vel omittat ea, quæ facienda sunt: hocque crimen à Iurisprudentiæ scriptoribus corrupto uocabulo Barataria nominatur, quia Iudex aliquid recipiendo dicitur baratare, idest permutare iustitiam cum eo, qđ iniuste recipit. Hinc illud Alcamonis memorandum dictum circumferri solet, quem cum quidam interrogasset, quamobrem munera à Messenijs oblata recusasset, quoniam si recepissem, inquit, cum legibus pacem habere nō poteram. Vnde etiam memoriæ traditum est, Magistratuum statuas à Thebanis ita formati solere, ut sine manibus essent, Principum vero clausis oculis, nimirum eam iustitiæ esse naturam ostendentes, ut incorrupta sit, nec pretio, muneribus, precibusve, aut alienæ uoluptati cedat. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 164. & seq. Aleiat. emblem. 145. Labata in ver. Iudex. Prop 3.*

Secundo præmittendum est, munera q̄ Iudici dātur quatuor modis dari posse. Primo modo ad eius animum corrumpendum, idque si fiat in rerum capitalium iudicio, peccatur contra præceptum de nō occidendo; si in rerum ciuilium iudicio, contra præceptum de non faciendo furto. Secundo dari posse ad iustam causam defendendam, & Iudicem in officio continendum, atque id uirtutis est, nō uitij: quare pœnam non meretur, licet in foro exteriori, cum præsumatur corrumpendi Iudicis causa datum, pœnam non effugeret. Tertio, ut Iudex nobis largiatur, quod cupimus, siue illud nobis debeatur, siue non, nec quidquam de iure, vel iniuria cogitantes, vel laborantes; quod iniustum est, ac criminosum. Quarto ad redimendam uexationem in iure nobis quæsito, idque licet; siquidem sui, suarumque rerum conseruatio iure naturali concessa est. *DD. in l. vt vim. ff. de iust. & iure, & in §. 1. Instit. de iure natur. gent. & ciuili. Abb. in c. cum ab omni ext. de vit. & honest. cleric. Nau. in Comment. de datis, & promissis, notab. 10. Comit. in respon. mor. l. 6. q. 7.*

Tertio supponendum est, Ecclesiasticum Iudicē, etiamsi super re temporali iurisdictionem exerceat, & de re profana iudicium agat, & ob id pecuniam, vel munera accipiat, simoniam committere, non ob causam, quæ spiritualis non est, sed ob id quod spirituali fungens authoritate, indicet. *Card. & Turrecrem. in c. vendentes. 1. q. 3. & in c. qui recte. 11. q. 3. Sylu. in ver. simonia. q. 10. Vgol. de simonia. c. 53. nu. 3. contra Bisfel. de simonia. c. 34.*

Quarto, extare Constitutionem Bonifacij Octaui *in c. excommunicamus. de sent. excommun. in extrau.* Quam, *Greg. XIII. de datis, & promissis*, innouauit. In qua grauissimis pœnis, ut simoniaci puniuntur, qui exercent actiones quasdam ad obtinendam gratiam, vel iustitiam apud sedem Apostolicam. Quam quidem sanctionem Clemens Octauus in suo Decreto de bono regimine edito anno 1592. 18. Calē. Septemb. Pontif. sui anno 1. uult ualere in omnibus locis, Romano Pontifici, mediate, vel immediate subiectis, necnon in omni genere Tribunalium, Iudiciorum, & causarum tàm spiritualium quàm sæcularium. *Farinac. de var. ac diuers. crim. q. 111. nu. 343 Bonac. de leg. d. 10. q. 2. p. 8. §. incidens.* Inter alias vero pœnas, quas ibi decernunt, est excommunicatio Apostolicę Sedi reseruata, necnon pœna restitutionis etiam ante latam sententiam faciendæ ab eo, qui istarum actionū causa, aliquid notabile, & à iure vetitum accepit. *Vgol. tab. c. 21. Sayrus de cens. l. 3 c. 30. num. 12.* De qua re memini quoque *in Commēt. de hum. vita Stat. p. 2. c. 3.*

Quinto pręmitto, quod licet summus Pōtifex Iudæis exercitium usurarum permittere possit, ad maius spirituale malum euitandum, sicut ad auertenda adulteria, & nefanda crimina tolerantur meretrices: quo pacto etiam alijs Principibus concedere potest licentiam tolerandi exactionem usurarum per Iudæos à Christianis, quibus mutuo dederunt, &c. Proprie tamen etiam Papa dispensare nequit, ut Iudęi licite eas exerceant, & inculpate exigant, quia cum usura utriusque testamēti pagina prohibeatur, super eam nulla cadit dispensatio. *c. super eo. ext. de vsuris.* ut ex communi tradit *Duardūs super Bullam Cœna Domini. l. 1. c. 4. q. 7. Menoch. cons. 300. Tusch. ver. vsura. conclus. 338.*

RESOLVTIO.

His sic pręcognitis, dico Primo Alexādrum ecclesiasticū Iudicem grauiter peccasse, & simoniacum crimen perpetrasse, & in excommunicationem Papę reseruatam incidisse, si pro pecunia, vel muneribus uni, vel alteri litigantium iustitiam administrauit, & sententiam tulit; cum obligatione patti

parti restituendi, si recte iudicauit, & nulla ex parte dantis culpa interuenit, & pauperibus, si male. Qui enim recte iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia iustitiam, quam gratis impartire debuit, acceptione pecuniæ vendidit. Quæ est communis Doctorum sententia, quam tenet *D. Thomas 22. q. 71. art. 4. & ibi Interpretes. & Canonistæ in d. c. qui recte. 11. q. 3. Bisfeld. in Comment. de simonia. c. 34. Sayrus. l. 10. cl. reg. tra. 11. c. 3. num. 6. & sequentib.*

Secundo illis culpis, & pœnis afficilitigantes, si munera dando Iudicis iniustitiæ cooperati sunt, siquidē ex Apostolica doctrina, non solum digni sunt morte, qui male agunt, sed etiam qui facientibus consentiunt. Deinde qui per sordes Iudicem induxit, ut in criminalibus, vel in ciuilibus iniustam sibi sententiam proferret, damnum proximo in persona, vel in rebus intulit: quorum utrumque legi diuinæ aduersatur. Si autem dando pecuniam Iudicē corrupit, ut iustam pro se sententiam pronuntiaret, licet contra aliquod Decalogi præceptum, vel contra iuris principia directe non peccet, ius tamen naturale, & humanum, ut Scriptores tradunt, præsumptiue uiolat. *l. 2 ff. de cond. ob turp. caus. Nau. in Comment. de dat. & prom. not. ab. 9. Bisfel. d. c. 34. Menoc. de arbit. Iud. l. 2. cent. 4. casu 342.*

Hinc Tertio dico, non licere pretio ante ius in lite quæsitum, Iudicis vexationem redimere, hoc est si Iudex ob suā, vel partis improbitatem nollet mihi ius dicere, colligat ot non potest eum pecunijs ad iustitiam exercendam inducere, & si id sua natura licitum uideatur; siquidē unicuique fas est ius suum tueri, maxime si ab altera parte munera accepisset. *arg. Nald in ver. Amasius. num. 2.* Verum practice loquendo multa possent inde oriri incommoda, nam facillime homines sibi iuscertum habere persuadent, atque adeò uterque litigantium facile ad ius suum redimendum moueretur, & ideò leges talem redemptionem non approbant, præsertim si de tali futura vexatione æquale dubium duntaxat foret. *Carbo. de restitut. q. 50. Rebellus. l. 18. de oblig. iust. q. vlt. Molina tract. 2. disp. 92.*

Quarto à culpa, & à pęna omnes immunes essēt, si munera esculenta, & poculenta data essent, & accepta, quæ intra paucos dies consumi solent, & ex patriæ usu, ex mera liberalitate donantur, quæ ipsū Iudicem à recto deflectere apta non sunt. *Menoch. l. 2. de arbit. Iud cent. 6. casu. 517. Nau. comment. 10 Farin. de var. & extraord. crim. q. 111. ar. 10. Regin. l. 25. num. 660. Scholiastes ad Alciatum emblem. 145 Boerius decis. 153. Magon. de recta patrocin. ratione, c. 23. & seq.* Siquidem omnia munera respuere nimis durum in ciuili, & politica uita habetur, cum multa ab amicis ex animi beneuolentia dentur, alia ita leuia tribuantur, ut nulla possit esse corruptelæ suspicio: nam teste Cicerone *l. 1. de legibus*. Omnes uiri boni æquitatem, & ipsum ius amant, nec est probi uiri errare, & diligere, quod per se diligēdum & colendum non est.

Quinto, quando pecunia, vel dona data essent, ut celeriter, & absque mora causam expediret, & iustitiam cui debetur administraret; quamuis in foro externo ob præsumptionis corruptionis Iudicis facile pœnas non effugeret. *Bisfeldius c. 34.*

Iudex cum sit animata lex, iustitię cultor esse debet, ut monet Sapiens. *Sap. c. 1.* cum ait, Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.

Propterea ad Confessarium spectabit, eum admonere, ut ab inordinatis affectibus qui iudicium peruertere solent procul absit, Deoque soli placere studeat, non hominibus, in suo munere fungendo. Et ne munera contra leges accipiat, hæc enim oculos sapientum excæcant. Propterea Plutarchus refert, ut supra dixi, Thebis olim positas in publico fuisse Iudicum statuas, easque sine manibus, quod indicium esset, nihil eos à quoquam accipere debere, ne ad iudicandum per sordes inducerentur. Propterea. n. dicit *Paris de Puteo de sindicatu in ver. esculenta. & Neuiz. in syl. nupt. l. 5. num. 98* quod litigans dat Iudici gallinam, ut recipiat bouem, & quod zenium intrat ꝑ portam, & Diabolus exit per fenestram. Hinc *D. Anton. p. 3. tit. 9 c. 1. §. 2.* Sicut, inquit, matrona nō est casta, quæ cum rogatur, munera accipit; ita nec Iudex munera accipiens immunis à corruptione iudicatur. Propter quod quidam Iudex cum in iudicādo muneribus duceretur, duobus coram eo causam habētibus, unus ei unum obtulit uitulum, ut pro eo sententiam ferret. Alter uxori pro munere uaccam dedit, ea tamen conditione, ut suam causam eius marito commendaret. Coram ergo eo partibus disceptantibus, dixit primus, loquatur pro me uitulus, quia iustam causam foueo, respondit Iudex, loqui non potest, quia uacca id ei non permittit, quia scilicet maioris ponderis, & ualoris erat munus ab altero datum: hęc ille.

Litigātibus ēt suadendum, ut quò ad fieri potest, à datione munerum abstineant, ne iniquitati perpetrandæ opem ferre, & consentire uideantur. Quandoquidem, ut supra animaduerti, Ingens omnino uis munerum est, quæ seuerissimos etiam Iudices à bono rectoque flectere, & à iustitiæ, æquitatisque tramitę dimouere apta sunt, ut munus in Iudice accepisse, prope per fas, & nefas uicisse sit. Et sane, ut dixi, munera uitiant oculos Iudicum. *Ecclesi. c. 20.* Et cito uiolatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat: pauper vero dum non habet quod offerat, non solum audiri cōtemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur. *c. pauper. 11. q. 3. Menoch. l. c.*

Quo ad secundi casus quęstionem breuiter dico,

Alexandrum iudicem cum accepta quadam pecuniarum portione, Christianos ad soluendas usuras in iudicio coegit, graui scelere se obstrinxisse; & in excommunicationem incurrisse, quæ tamen nemini reseruatur. ut habetur *in Clem.i.tit.de usur.*siquidem neque per legem,neque per statutum,neque per Principem,nec per Romanum Pontificem,usura aliquo casu approbatiue cōcedi,vel permitti potest,ita ut usurarius licite exigat, & usuras iuste acquirat,& ad restitutionem non teneatur,&c. ut per *Duardum in Bulla Cœnæ Domini.l.1.c.4.q.7.& Martam de iurisdict.p.2.c* 13.contra *Filliuc.* & alios ab eo relatos *tom.2.tr.12.c.5.q.5.* ut etiam innuimus infra *tr.9 in art.de vsuris.*Cū ergo usurarum exercitium Iudæis contra Christianos,nisi per uim simplicis tolerantiæ permitti nequeat,cuius tolerantiæ facultas à solo Papa cōcedi potest,fit ut hic Iudex, quod sic turpiter lucratus est,restituere teneatur,& cogendo Christianos ad soluendas usuras graue delictum cum excommunicatione coniunctum cōtraxerit,nisi quo ad hoc,ut aiunt DD.toleratiua Papæ facultas accesserit. Cæterum usuræ debitorem non posse per ullam facultatem ad eam soluendam per Iudicem cogi, quia hoc esset ipsam usurariam prauitatem fouere,ex communi probat *Duard.l.c.* quem sequitur *Nald.ver.vsura.num.*1.

CONFESSARII PARTES.

Confessarij munus erit,ad Alexandri Prætoris, & Iudicis mentem reuocare Magistratuum animis duos sales inesse debere, scilicet salem sapientiæ & scientiæ, ne sit insipidus, & alterum salem conscientiæ,ne sit Diabolicus. *vt per Iaf. in l.rem non nouam.C.de Iud.& Boer.decis.*153.Dei namque verba,& mandata audire, & custodire debet, ne si conscientiam læserit, in gehennam ignis ædificet, siquidem Iudicis officium non tantum in dāda,sed etiam in obseruanda disciplina consistere certū est, ne aliàs illud Apostoli ad *Rom.*2.in eum conijciatur, Qui alios doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris,qui dicis non mæchandum, mæcharis,qui abominaris idola,sacrilegium facis, qui lege gloriaris,per præuaricationem legis Deum inhonoras *c.*1.3 2.*q.*6.*Archid.in c.multi.distinc.*40. vbi subdit.

Infelix qui recta docet,& viuit inique.
Infelix qui pauca sapit,spernitve doceri.
Infelix cuius prodest sapientia nulli.

Sicut qui mare nauigant,oculos in maris stellam figere solent,quò recta uia pergere,& ad exoptatum portum peruenire valeant: sic qui Reipubl. Ecclesiæque nauem rectè gubernare desiderant,ne in ruinam, vel scopulum aliquem nauis impingat, & ad uitæ æternæ portum nos seque ducant, Deum pro stella duce eos habere oportet; Dei.n.ministri sunt in terris,& eorum iudicium ab ipsius Dei uultu,qui uia, veritas,& uita est,procedere debet.*Gemin.cons.*53.*Tusch.ver.Iudex concl.*380. *Labata in ver.Iudex.Prop.*3. Vide à nobis adducta in *Comment. de hum.vita stat.p.*2.*c.*3.

CAP. VII.

QVAESTIO XVIII.

Resignatarius constituens procuratorem fratrem resignantis ad percipiendos fructus,an simoniam committat?&c.& quid de renuntiante pensionem alicui cum pacto vt det alteri,&c.

Blasius cui coram Ordinario resignatum est beneficium simplex redditu um centum aureorum à Petronio amico;procuratorem postea constituit fratrem ipsius Petronij ad percipiendum,& locandum fructus resignati beneficij,& tandem de illis liberam donationem fecit. Item cum ipse Petronius habeat nepotem clericum fieri cupientē, nunc tamen cuiusdam irregularitatis impedimento irretitum,renuntiat Ioanni sacerdoti pensionem quinquaginta aureorum,cum pacto ut post dispensationem illius irregularitatis,ipsam pensionem eidem nepoti restituat. Quæritur,an hi contractus sint liciti,& quid respondere debeat Confessarius?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

Respon. Supponendum est Primo dari quandā simoniacę prauitatis speciem,quam moralis Theologiæ Scriptores cōfidentialem uocant,cuius mentio non fit in sacris Canonibus,& antiquiorib. Pontificum Constitutionibus,sed eius meminerunt Papa Pius IV.in Constit. incip. *Romanum Pontificem.*Et Pius V.in alia,quæ incipit, *Intolerabilis,* in qua omnia fere,quæ ad beneficialem confidentiam spectant,continentur,& speciatim satis explicātur. De cuius Bullæ intelligentia, & huius materiæ doctrina agit *Nau c.*23.*num.*109.*Maiolus de irregul. l.*5.*c.*45.*Flaminius Parisius in tract.de confidentijs. Mascardus de probat.vol.*3.*concl.*136.*Menoc.l.*5.*de præsumpt.præsumpt.*9. *& cent.*6.*de arbitr.iud.casu.*566.*Vgol.de simonia.tab.*1.*c.*22.*Suarez l.*4.*de relig. c.*43.*Garzias.de benef.p.*11.*c.*3. *Hieronymus Campan.in diuers.iuris can.rub.*11.*c.*27.

Secundo, simoniam conuentionalem esse, qua quis ecclesiasticum beneficium, aut conferēdo cuipiam, aut in eius fauorem resignando, aut ad illud eundem præsentando,eligendove,aut aliquid prædictorum,ut fiat curando, conuenit, aut pacificitur tacite,expresseve cum eo, qui beneficium illud habiturus

bitutus est, ut illud idem beneficium, aut sibi, aut alteri resignet, vel pensionem ex eo, fructus, eorumve partem alteri præstet. vt ex prædictis Bullis colligitur, & explicat *Vgol. l. c. §. 1. Quaranta in ver. resignationes beneficiorum.*

Tertio prenotandum confidentiam duplicem esse, nempe licitam, ut si quis ordinate speret, ut collator fratri suo digno beneficium conferat; & illicitam, qua quis inordinate confidit, quod collator beneficium consanguineo suo indigno tribuet. Porro hęc confidentialis simonia non committitur, vbi pactum, conuentiove expressa, vel tacita non interuenit, ut ex ipsis Bullis patet. Vnde simoniacā labem confidentialem non contrahit, qui curat alicui beneficium conferendum, esto speret eum erga se, suosque gratum futurum, imo illud idem beneficium aliquando sibi renuntiaturum, vel fructus fratri suo pauperi daturum; quandoquidem ita comparatum est, ut ab his, quibus benefecimus, gratia nobis referatur. *Nau. cons. 80. de simonia. Vgol. l. c. num. 6.* Præsertim quod ut ex Hesiodi sententia ait Cicero *l. 1 offic.* In referenda gratia agros fertiles imitari debemus, qui plus multo afferunt, quam acceperunt; etenim si in eos, quos nobis profuturos speramus, beneficia conferre non dubitamus, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Et ut erat Plinij solēnis uox, Vt faba, & lupinus agrum in quo alitur, nō exhaurit, sed stercorat, ita gratus homo meliorem fortunam eius, à quo beneficio adiuuatur, reddit, & quod accepit refert.

Quarto præmittendum est, pensionem, quę dicitur à pendeo, quia à beneficio à quo detrahitur, sicut ususfructus à proprietate dependet, & quæ minori septem annorum non datur, nihil aliud esse, q̄ ius exigendi fructus ex alieno beneficio, durāte uita pensionarii, ex iusta causa à summo Pontifice cōcessa, quæ in Ecclesię utilitatem redundet, ut Primo pro lite dirimēda circa idem beneficium inter duos exorta, ne tpe litis Dei domus legitimo pastore careat. Secūdo quando quis pluribus annis alicui Ecclesiæ in aliqua dignitate, vel beneficio inseruiuit, & eandem, vel idem resignat, tunc ne nimis damno afficiatur, eidem pensio reseruari potest. Tertio eorum sustentatio, qui senio, vel morbo confecti, de S. Ecclesia, pro qua strenue laborarunt, bene meriti sunt. Huc spectat promotio rei ecclesiasticæ, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, ut cum quis eruditione præstans, & uitæ Innocentia clarus, in fidei, aut Christianę religionis negotio egregiam nauat operam, aut indefessam curam in componenda pace inter Christianos Principes impendit, & cæt. Quarta est inęqualitas prouentuum in permutationibus, quādo unum est altero notabiliter pinguius, tunc enim super maiore ad inducendam æqualitatem Papæ authoritate pensio constitui solet. Et de similibus idem est iudicium. Quando autem earum impositio in priuatam aliquorum utilitatem dirigitur, ut cum nonnulli Episcopi nepotulos suos opib. augent, aut suorū familiariū obsequia immodico p̄mio compēsant, grauiter peccatur, & Christi patrimonium dissipatur, ac infideliter administratur. Iusta vero, & moderata quò ad quantitatem regulariter ea pensio censetur, qua persoluta, tantum beneficio in fructibus relinquitur, ut beneficiarius cōmode, & decenter uiuere possit. Hinc extat illa *Concil. Trid. sanctio. sess. 24. c. 13. de reform.* vt omnes Cathedrales Ecclesię quarū redditus summam ducatorum mille, & parochiales quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem nō excedunt, nullis pensionibus, aut fructuum reseruationibus grauentur. Illam autem sanctionem intelligi debere iuxta valorem ducatorū loci, in quo est beneficium, affirmāt sacrā Cardinalium Congreg. censuisse. *Zecchius de Repub. eccles. c. 28. nu. 4. Marcus decis. 41. & Riccius in collect. p. 4. collect. 745.* vt etiam à nobis alibi annotatum est.

Quinto, ex hisque colligitur, triplicem esse pensionem, nempe temporalem, quę laicis datur pro aliquo temporali ministerio erga ecclesiā exhibito. Secunda est spiritualis, quæ clericis conceditur ob officium aliquod ecclesiæ pręstitum, vel pręstādum, ut quæ confertur in Episcopum, vel Parochum, vel Sacristam, ut ecclesiæ inseruiat, &c. Tertia est, quæ ob cessionem, vel beneficij resignationem alicui datur, & hæc communiter est in frequenti vsu. Sed quamuis hæ duę postremę pensionum species beneficium non sint, nec eius naturam induant, ut proinde excommunicationi non subdatur qui pēsionem per simoniam adeptus est, cū tamen spirituales sint, vel spirituali rei annexæ, (ita ut illas obtinens fori priuilegio gaudeat, si in habitu incedat, & horas B. M. V. recitet,) nec imponi, nec vendi, nec redimi, nec transferri, seu etiam redimi sine Pontificis authoritate possunt, neque sine dispensatione in irregularem conferri: siquidem pensio in iure odiosa habetur, eo quod pensionarius actu in ecclesia non laborat, nec seminat; & tamen fructus manducat: vnde si concederetur ut quis propria authoritate illam transferre posset, esset perpetuam seruitutem beneficio imponere, & ecclesiasticum ordinē peruertere. De qua materia agit *Gigas & Caccialup. in tract. de pensionibus. Rebuffus in praxi beneficiorum. Lalius Zecchius in tract. de benefic. & pens. Garzias p. 1. de benef. c. 5. Lessius l. 2. c. 34 dub. 37. Gonzales reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 5. Nald. in ver. pensio Barbosa super Conc. Trid. sess. 23. de reform. Tusch. tom. 6. in v. Pensio. Vgol. de simonia. tab. 1. c. 21 §. 3. Grilenzon. cons. 72. Vasquez. de benefic. c. 2. §. 4. Salon. 22. q. 63. art. 2. Reg. l. 23. num. 274. & l. 3. c. 8. Azor. p. 2. l. 8. c. 5. & seq. Suarez. tom. 1. de relig. c. 26.*

Tolet.l.5.c.83. Molfes.tract.6.c.3. Vgol.tab.1.de simonia.c.28.Bisfeld c.9.q.2. Nau.c.23.num.111.& inconsilijs.tit.de simonia,& alij.

RESOLVTIO.

His sic prælibatis, dico resolutiue ad primam casus partem contractum hunc in foro conscientiæ posse sustineri, cum libere sit facta renunciatio,& hic pactio nec expressa,nec tacita interueniat,esto Petronius in mente sperauerit, Blasium erga se,suosque consanguineos gratum futurum,& fructus liberaliter daturum,per illa extrinseca principia,& supposita supra à nobis adducta. In foro vero exteriori confidentialis,& simoniacus præsumetur, cum illi Constit. Pij V.verba aduersari uideant quæ sunt. *Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimissi,& illi, vel illis de fructibus perceptis,aut percipiendis donationē fecerit,&c.*ut colligitur à *Menochio l.5.de præsumpt.præsumpt.9. & Mascar.vol.3. conclus.*136. Et cum *Parisius de confid.q.49.* quem sequitur *Garzias.p.11.c.3.num.*198. ait, ex donatione omnium fructuum, aut partis facta à resignatario resignanti, præsumptionem confidentiæ suboriri,intelligit tamen hoc,quoties remissio,vel donatio illico post resignationem fuit facta, secus si postea aliquo interiecto tempore,vel ex aliqua iusta causa. Et sic ex ista coniectura vera confidentia non inducitur,sed tantum præsumptio (cui in foro conscientiæ locus non est)colligitur.

Ad secundam partem resoluendo dico, hic expressius confidentialē simoniā apparere. Primo q̄a sine Pontificis authoritate uult pēsionē in aliū trāsferre,qđ nō licet. *ut per Azor p.2 l.8.c.11.q.2. Riccius. resol.*470. Secundo,quia in fraudem hoc facere conuincitur, cum eius nepos secundum præsentem iustitiam,capax ob irregularitatis impedimentum esse nequeat.*Nau.c.23.num.111.Sà in ver.pensio.num 6.* An autem in ista irregularitate Episcopus dispensare possit, uidendum est, ex quo capite illa descendat;nam si verbi gratia ex casuali homicidio aut ex illegitimo thoro consurgat; quia ipsi Ordinario integrum erit,cum legibus soluere, quò pensionem obtinere possit. *Sayrus lib.6.de cens.cap.11. num.8.& lib.7.cap.7.num.20.Garzias.de benefic.p.1.cap.5.num.*159. Si vero ex ætatis defectu oriatur, ut quia septennio minor sit, huius dispensatio ad Summū Pontificem spectat.*Caputaq.p.2.decis.*318 *Riccius.decis.*430.*Azor.l.8.cap.7.q.*1. Siquidem in omni irregularitate ex defectu ætatis proueniente, ei soli regulariter dispensare integrum est, prout cō munis DD.opinio tradit. Quod etiam annotaui-mus supra *tract.1.c.10.q.61.*

CONFESSARII IN PRAESENTI CASV MVNVS.

Primo aperiendū est à Cōfessario,qđ licet iste Petronius sic pensionem transferendo, Constitutionibus Pij IV. & V. non comprehendatur,& excommunicatione,alijsque ibi statutis pœnis non afficiatur,lethalis tamen culpæ,& simoniaci criminis reus factus est.*ut post Nau.Parisium,& alios tradit Garzias p.1.c.5.num.51.Reg.l.23.num.278.Vasquez de benef.c.2.§.4.dub.2.num.171.Molfes.trac. 6.cap.3.num.23.*

Secūdo admonendus erit pœnitens, ut immoderatum carnis affectum erga fratres,nepotes,aliosq; coniunctos, unde multorum malorum in ecclesia seminarium extat, deponat: & si pauperes sint, ijs, ut pauperibus ecclesiasticos fructus distribuat, moribusque,ac doctrina,ac bene uiuēdi institutis, eos potius quàm terrenis opibus contra ius augere cōtendendo.*Conc.Trid.sess.25.c.1.de reform.* Et quia hoc uitium perpetuam cum auaritia,quę est idolorum seruitus,coniunctionem habet, vel ut verius dicam,ab illa ut pessima matre nascitur, totis uiribus à se ablegare eā nitatur:quid.n. uiris ecclesiasticis, quorum animus ad beneficētiam exporrectissimus esse debet,indignius accidere potest? *Aluarus Pelagius de planctu ecclesiæ l.2.c.9.*

At Dæmone sic impellēte,ecclesiasticis illā frequentem esse,tradit *Besseus Dom.10.post Pent.*cum lepida metaphora sic loquitur, Quondam tenebrarum Princeps nubere uolēs, iniquitatem sibi in sponsam adoptauit,ex qua nouem sceleratas proles suscepit,quarum prima Principibus,& Magnatibus ut indiuisibilis comes credita est, & hæc est superbia. Secūda, simonia nēpe apud ecclesiasticos freq̄uēs residet. Tertia hypocrisis apud religiosos moratur. Quarta,scilicet rapina militib.data est. Quinta vsura mercatoribus. Sexta mendacium,& fraus artificibus,& mechanicis. Septima pigritia,& otiū nobilibus. Octaua detractio agricolis tradita est. Nona fornicationem, & luxuriæ uitium omnibus commune esse uoluit, siquidem ut ait Seneca,

Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria pestis blanda.

Tertio, aduertere etiam debebit Confessarius collationem beneficij simoniacā nullam esse si mala fide,& scienter simonia contracta sit:restituēdam vero pecuniam ecclesiæ, in cuius iniuriam res facta est,vel secundū alios, pauperibus;sed ex aliquorum etiam mente, ante sententiam ei à quo accepta est pecunia. Beneficium vero per simoniam ignoranter commissam adeptum, cum collatio irrita sit, renuntiandum proinde est,& extantes, nō bona fide consumpti fructus restituendi.*Nau.c.23.num.105. Graffius.l.2.decis.c.98.num.3.& Carbo.de restitut. q.60.*

q. 60. Riccius resolut. 32. & alij communiter.

Et quamuis quilibet Confessarius ab Episcopo approbatus, ordinariam, vel delegatam potestatem habens; in foro conscientiæ, vel pœnitentiæ huius criminis Iudex sit, & ad ipsum causam hanc cognoscere spectet, *iuxta c. omnis. ext. de pænit. & remiss.* excipitur tamen vbi simoniacus excommunicatus esset, utpote quia simoniam realem, in ordine, beneficiove commiserit, vel in aliis casibus delictum hoc perpetrauerit, in quibus in excommunicationē incidit, utpote quia simoniam confidentialem, vel in Romana Curia contraxerit, cum enim excommunicatione irretitus sit, ante eam ab Apostolica Sede sublatam, simplex Confessarius à peccatis absoluere nō poterit. *vt per* V*gol. tab. 1. c. 32.* §. 1. Qđ si forte occultus simoniacus in beneficio absolutionem ab Episcopo, vel eius Vicario, aut Pęnitentiario ab excommunicatione, & simonia, ui *Concilij Triden. c. 6 sess. 24. de reformat.* obtinuerit, nō poterit deinceps tuta conscientia beneficium sic acquisitum retinere, quia absolutio ab excommunicatione, & huiusmodi delicto iustum titulum ad idem beneficium possidendum non tribuit, & nisi noua confirmatio fiat, vacare dicendum erit. Et sublato excommunicationis impedimento Papæ reseruato, aliqui asserunt, posse Episcopum iustum titulum instaurare, quando iure communi, aut ob gratiam Alternatiuę ab Episcopo impetratam, collario prius ad ipsum pertinebat; secus si ad Pontificē spectabat. *Io. Chap. de cas. reseru. c. 22. in fine. Henriq. de excommun. l. 13 c. 14. nu. 2. Zerula in praxi Episc. p. 2. in v. simonia.*

Tertio, cum regulariter una actio aliam non tollat, & absolutus in foro interiori in externo quoque tribunali puniri possit, obseruandum erit, hoc simoniæ crimen eisdem rationibus argui, quibus quodlibet aliud factū in exteriori iudicio probari potest. Cum enim hoc crimen sit è grauissimorum, & exceptorum numero, in quibus etiam ob eorum immanitatem testes aliàs inhabiles admittuntur, eisdem modis comprobatur, quibus alia conuinci solēt, qui quidem his versibus continentur,

Aspectus, sculptum, testis, notoria, scriptum,
Iurans, confessus, præsumptio, fama probabunt.

vt per Bisfeldium. de simonia. c. 32. Et cum simonia in eorum delictorum album referatur, quæ secreto, clanculumque committuntur, siquidem magistrarum experientia compertissimum est, simoniacos secretissime solere sua negotia tractare, & cōtractus celebrare, hinc fit ut licet in alijs criminibus probationes luce meridiana clariores requirantur, in hoc tamen simoniæ uitio, quod difficilis admodum est probationis; coniecturæ, indicia, & præsumptiones, ut apud iuris Interpretes receptissimum est, pro plena probatione recipiantur; quæ tamen debent esse euidentes, & uiolentæ, quò reum de crimine cōuincere valeant. *Rolandus à Valle vol. 3. consil. 31. Cranetta cons. 122. Natta cons. 293. Menoch. vol. 1. cons. 67. Clarus l. 5 sent. in. §. simonia. Mascardus de prob. vol. 3. conclu. 1305. Farinac. cons. 74. Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 8. & 9. Rodoan. de simonia. p. 4. c. 6. Bisfeld. l. c. Alex. de* Neuo *cons. 74. Tuschus in ver. simonia. concl. 249.* Obseruat etiam *Decian. in tract. crim. l. 4. c. 27. num.* 5. quod licet simonia sit crimen mere ecclesiasticum, ita ut secularis Iudex de eo cognoscere nequeat, *vt per Clarum l. c.* excipitur tamē nisi forte laicus simoniacus foret, qui scilicet pecuniam dedisset, ut ipse, vel filius ad aliquod beneficium promoueretur, & tamen res ad effectum perducta non esset, hoc enim casu ob attentationem cū sit enorme, & graue delictum, fortasse, ait, per laicū puniri posset. Cui tamen sententiæ communis opinio, & recepta praxis repugnat, cum tantum Episcopus, vel eius Vicarius de illo iudicet. *vt per Vgol. de simonia. tab. 1. c. 32. §. 1.* Vbi tamen cum hæresi coniunctum est, non solum Episcopus, sed etiam Inquisitor in illo se ingerit, *vt ibidem ait idem Author.*

Vnde hanc materiā claudēdo illud admonitū velim, maxime cauendum esse, ne hęc teterrima pestis in ecclesiasticorum Antistitum aulas irrepat; & ne ſęcularium Principum manus, qui Pontificijs priuilegijs in sacerdotijs, seu ecclesiasticis beneficijs ius patronatus habent, ea inficiantur; siquidem vt Imperatores *Leo, & Anthemius in l. si quemquam. C. de episc. & cler.* aiunt, Quis locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecunijs expugnentur? Certe inter causas excidij Vrbis Hierosolymæ, hanc affert Egesippus, quod sacerdotia nonnisi ad homines ineptos, indoctos, atque auaros pretio deferrentur. Hinc Tranquillinus Martyr Agrestio, qui eum de Christiana fide disserentem audierat, ac auri certum pondus offerebat, quò se à podagræ cruciatibus precibus liberaret, respōdit, Scito grauem Dei furorem illis impendere, qui eius gratiam pretio vendi, aut emi posse existimāt. *Io. Choc. l. 5. Polit. c. 4. Sur. to. 1. in vita S. Sebast.*

C A P. VIII.

Articuli, Quæstiones, & casus, qui super contractus donationis adhiberi poterunt.

Q V AE S T I O XIX.

Quid, & cui restituendum, si donator moriatur, antequam nuntius qui donationis mandatum acceperat, ipsum mandatum non adimpleuerit. Audienti se ipsum occisurum, nisi quinquaginta aurei sibi dentur, gratis quis dare teneatur.

ARchangelus cum Antonium Sacerdotem ad quoddam beneficium Curatum, in quo

ius habebat, sponte,& liberaliter sine ulla remunerationis spe præsentasset, sex mox elapsis post adeptam possessionem mensibus, Antonius d. Archangelo patrono grati animi significādi causa, equum valoris quinquaginta aureorum per Bernardū suū famulum misit, qui oblatam sibi uidens cito conficiendi itineris occasionem, ad patriam suam contendit, & cum iniuste equum ei dare distulerit, interim Antonius donator è uita decessit, quæritur, an hic interueniat donationis contractus dominiū transferens,& cuinam equus sit restituendus. Item cum ex rure domum rediret, quendam ignotum sibi obuium habuit; qui ei dixit, quod nisi sibi 50. aureos donet, vult se ipsum interficere; vel in flumen se præcipitem dare, quæritur an illos 50. aureos quò illū desperatū à morte præseruet dare teneat, & qd in utroq; casu respōdere debeat Cōfessarius?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

Respon. Pro casus huius,& totius materiæ elucidatione supponendum, Primo est, donationem quæ dicitur à dono, quasi doni datio, nihil aliud esse, quàm liberalem alicuius rei dationē, vel esse contractum, in quo res propria ex liberalitate irreuocabiliter in alium uolentem transfertur. Qd tamen de donatione inter uiuos intelligitur: siquidem donatio duplex est, si una inter uiuos, quando rem quam dono malo illum habere cui dono, quā me, ac proinde contractibus comparatur,& irreuocabilis est. Altera dicitur causa mortis, quando rem quam dono, malo me habere, quàm illum cui dono & magis illum, quàm meum hæredem, quod testamenti naturam sortitur, quod quidem sæpe quandocumque mutari potest. *l. Senatus. ff. de mortis causa donat. l. 1. ff. de donat. l. donari. ff de regu. iur.* Quæ quidem donatio ad hoc ut ualeat, quatuor requirit Primo, ut ex liberalitate detur, tametsi ex gratitudine procedat, hæc enim rationem donationis non impedit. Secundo, vt id quod datur sit proprium donantis, alioqui dominium non transferretur. Tertio, vt irreuocabiliter tribuatur. Quarto, ut detur uolēti, & acceptanti per se, vel aliam idoneā personā. *Nolfes. tr. 6. c. 10. num. 23. & tr. 11. c. 15. num. 167.*

Secundo donationem in quatuor species diuidi prout Prima dicitur simplex,& absoluta, ut cum aliquid simpliciter,& sine causa, nullaq; adiecta cōditione donatur, ut cū quis ait, hoc tibi liberaliter do. Secunda conditionalis, quando conditio apponitur, ut si quis dicat, hoc tibi dono, si literis incumbes. Tertia modalis, qn dictio ut annectitur, v.g. dono tibi quinquaginta aureos, ut emas libros, qui quidem modus ex communi donationem non suspēdit. Quarta causalis cum illud verbum quia vel aliud simile adiungitur; cum scilicet aliquid ob præcedentem causam datur, quæ ut multis placet, potius retributio, quam donatio dicenda est, cum ob antidoralem obligatioē merita, obsequia, officia, & non liberalitatis intuitu fiat, ex quo secundum illos sequitur, ut insinuatione non indigeat, & propter superuenientes liberos reuocari non valeat, &c. Licet enim nullo iure cogente hæc donatio fiat, negari tamen non potest, quin saltem naturali ratione, qui beneficium accepit, benefacienti sit astrictus. Ex quo etiam patet, Decretum Clementis Octaui prohibentis religiosis donationem, & obligātis accipientes ad restitutionem, ita ut ante factam restitutionem absolui nequeant, intelligendum esse de donatione proprie sumpta, non de antidorali, modo munera accepta merita non excedant. Item res ecclesiæ quatum alienatio regulariter est prohibita, in remunerationem obsequij, & laboris alienare posse.& sic de alijs huiusmodi in praxi censendū est. *Ofasc. decis. 68. Arism. tit. 23. Menoch. l. 2. de arbit. iud. cent. 1. casu 434. Grat. in discept. forens. tom. 2. c. 202. Clarus in §. donatio. num. 1. Azor. 3. p. l. 11. c. 1. q. 1. Carbo. de rest. q. 44. Rebellus de oblig. iust. p. 2. l. 18. Tuschus. ver. donatio concl. 622. Barth. à Fausto. disp. 20 q. 4. Mantic. de tacit. & ambig. l. 13. tit. 2 & tit. 15. q. 6. num. 9. Roder. in summa. p. 1. c. 89. nu. 1. Bonac. de contr. q. 12. puncto 1. Mald. 2 2. tract. 1. c. 10. dub. 1. Megala p. 2. l. 2. c. 11. q. 1. n. 4. Molina de cōtrac. 2. disp. 373. Less. l. 2. c. 18. dub. 2.*

RESOLVTIO.

His notatis dico, quod licet donatio rationem contractus nominati habeat quando fit acceptatio, & traditio sequitur rei, quæ donatur; existimo tamen, quod quando iste Bernardus famulus iniuste equum vsurpauit, aut traditionem, vel manifestationē donationis Archāgelo cui facta fuerat, contra ius distulit, ut acceptare eam posset, & interim Antonius donans mortem oppetijt, in utroque foro ad duplicem rei illius restitutionem tenetur a vnam hæredibus donātis, eo quod mandatum impletum non fuerit, morteque mandantis expirauerit: alteram vero donatario, quem iniusta illa vsurpatione, & detentione emolumento illo priuauit, quod alias consequuturus erat. *Molina de contract. disp. 263. num. 7. Naldus in pract. qq. in ver donatio. num. 22. Bonac. disp. 3. q. 11 p. 4. Barthol. à S. Fausto. de contract. de donat. q. 42. Lessius l. 2. c. 18. dub. 6.*

Ad secundam quæstionem vnico verbo respondeo, Franciscum non teneri desperato illi uiro 50. aureos dono dare, cum ille non ex ignorantia, vel fragilitate, sed ex malitia delinquere dicatur. *ex D. Thom. 22. q. 43. art. 7. Beia p. 2. casu. 1. incip. Franciscus.* Sic enim vafris, ac prauis hominibus passim, & facile pecunias extorquendi ansa proberetur. Et

huius

huius resolutionis ratio ex illo fundamento desumitur, quod quãdo quis scienter, & ex propria malitia peccat; eius scandalum euitare non tenemur. *D. Thomas 22. quæst. 43. art. 2. & 3. vbi Scribentes.* Abundantioris tamen charitatis, & iustitiæ actus foret, si propria pecunia perditum illum à necis, tã animę, quàm corporis periculo erueret; nam quàm laudabiles illi sint, qui quomodo pretiosam alteri animam ab æterno interitu liberant, luculento exẽplo ostendit. *Baron. tom. 7. Anno Domini* 537. *nu.* 16 *& David. in Verid. Christ. c.* 86.

QVÆSTIO XX.

An donatio facta coacte à patre filio ad sacros ordines promouendo valeat, & in propriam legitimam sit computanda? &c.

PEtrus cum haberet Andream filium satis bonę indolis, qui clericalem statum assumere, & cœlesti militiæ nomen dare uolebat, nec donare aliquid vellet pro patrimonij titulo, quò sacros ordines suscipere posset, Vicarius Episcopi absentis ad hoc officium pręstandum eum compulit, qua donatione ab eo inuito facta, cum ipse Andreas impie manus in patrem iniecisset, & contumelijs affecisset, eandem donationẽ Petrus parens reuocare vult, & cum ipse pater ex hac uita migrauerit, orta est altercatio inter fratres, an illa quodammodo coacta donatio debeat in suam legitimam imputari. Quæritur quid Cõfessarius respondere debeat, &c.

SVPPOSITA.

REsp. Pręter ea quę in priori casu supposuimus, hæc rursus addo, Ad hoc ut donatio aliqua sit valida, hæ conditiones requiruntur. Primo ut sit uoluntaria, ita ut nulla interueniat uis, metus, uel fraus, nam ut notum est, cum sit liberalitatis actus, debet libere fieri, ut in casu cuiusdam uiduæ adulteræ resoluit *Cou. in reg. peccatum. p.* 1. *§.* 1. *num.* 3. *& Graffius l.* 2. *decis. c.* 131 *num.* 33. Non diceretur tamen coacta donatio, si quis verbi gratia testatorem ad sibi donandum induxit, quod alteri donare statuerat, quando ipse testator donare non tenebatur, sed pro suo libito rem suam alteri legare parabat, nec ui, metu, aut mendacio ad sibi potius legãdum est inductus, &c. Secundo ut donans liberam de illa re disponendi facultatem habeat, si enim aliquis lege prohiberetur, donare non posset, ut amens, furiosus, & alij naturali defectu laborãtes; pupillus, & minor 25. q. alienę potestati subsunt; ac pdigas cui Iudicis decreto bonis interdictum est. Tertio, ut donans sit absolute dominus, ut verbi gratia excludãt fur, simoniacus, vsurarius, & alij qui restitutioni obnoxij sunt: Item primogenitus, qui primogeniturã alienare non valet. Sic uxor donare nequit, cum sue dotis administratio uiro subdatur, nisi in casibus, in quibus etiam inuito marito eleemosynam facere potest, aliqua scilicet dando moderate, ex honesta, & laudabili regionis cõsuetudine, ut ex communi ait *Fernandes p.* 1. *c.* 16. *§.* 6. Nec religiosus sine expressa, vel tacita sui Superioris licentia, pręsertim post Clem. VIII. Cõstitutionem. *Riccius resol.* 25. *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 34. *c.* 3. Neque filiusfamilias, & famulus de bonis patris, vel domini donare possunt, & hmõi. Quarta conditio est, ut donatio sit vera, & non ficta, nam obligatio cuiuscum q. promissionis, quæ ex libera uoluntate oritur, ipsius uoluntatis, & intentionis terminos non excedit, ut patet in iuramẽto, uoto, & alijs promissionibus. Hinc multæ donationes à iure infringuntur, & reprobantur, quales sunt uulgo dictæ confidentiariæ, quæ cum tali pacto fiunt, ut aliquo particulari effectu secuto, res ad donatorem, vel ad eum, cui ipsi placuerit, redeat; ut verbi gratia in casu nostro, quando quis est suscepturus sacros ordines, & quia ad illos non admitteretur, nisi patrimonium possideret, solent aliqui parum timentes Deum parentes, filijs facere quandam fiduciariam donationem, ut ostendant illud ab ipsis liberis haberi; cũ hoc pacto, ut susceptis ordinibus, idẽmet patrimoniũ renuntient, illa fiat. Quando autem donatio fraudulenta censenda sit, Iudicis arbitrio reseruatur. *Menoch. lib.* 5. *consil.* 430. *Mar. Ant. resolu.* 40. *Filliuc. tom.* 2 *tract.* 35. *c.* 8. *q.* 8. An etiam donatio pro suscipiendis ordinibus simpliciter facta, in legitimam imputari debeat. Vide *Garziam p.* 2. *de benef. c.* 5. *num.* 159. *& Barbos. in remiss. ad Conc. Trid. sess.* 21. *de reform. c.* 2. Quinta, ut quod donatur non sit alteri ratione alicuius legis, vel alieni iuris obnoxium, vel titulo iustitiæ, ut sunt illius bona, qui multis creditoribus premitur, vel pietatis, ut patris pro filiorum sustentatione, cum quorum notabili detrimento ipsi parentes donare non possunt, cum teneantur eos alere, & curare, ut in bonis artibus instruantur, & cæt. ut annotaui in *Comment. de hum. vita stat. p.* 2. *c.* 20.

Vel ẽt ratione ipsius legis, ut sunt illorũ bona, qui delictum aliqđ perpetrarũt, propter quod eadẽ bona fisco ipso iure adiudicantur. A veritate tamen alienum non uidetur, quod aliqui dicunt, quod cum leges hoc prohibentes pœnales sint, & reus in animæ foro se ipsum punire non teneatur; sicut potest sibi retinere, ita etiam alteri donare integrum erit, nisi per Iudicis sententiam donum reuocatum fuerit. *ut post Sot. Vict. & Ban. Nau. c.* 23. *nu.* 89. resoluit *Barthol. à Fausto de donat. q.* 124. Sexta conditio est ut donatarius sit doni capax, siquidem nemo vsurario, simoniaco, proditorio homicidæ, aut Iudici, ut ius uiolet, dare potest, &c. Pręterea sunt aliæ personæ,

ſonæ, quas leges ad recipiendas donationes incapaces effecerunt, ut proinde huiuſmodi hominib. donatio fieri nequeat, hinc filiusfamilias non poteſt donare patri, nec pater filio, aut filiæ exiſtenti in eius poteſtate, nec maritus uxori, nec è contra, niſi in caſibus à iure exceptis, & niſi iuramento firmentur. *Seraph. de iur. priuileg. 70. Theſaur. deciſ. 211. & 72 Sanchez. de matrim. l. 6. diſp. 1. & ſeq. Roder par. 1. Summa. c. 92. Bonac. diſp. 3. q. 12. p. 3. & ſeq.* Septima donationis conditio huic annectitur, ut iuris ordo ſeruetur, quandoquidem lex tàm communis, quàm municipalis, partim ut dolis, & fraudibus obuiam eatur, partim ut imprudentia, prodigalitas, & familiatum deſtructiones cohibeantur, in ſingulis cõtractibus quaſdam conditiones ſeruari præcepit, & inter alias ſtatuit, ut donationes ſummam 50. ſolidorum excedentes, exceptis his quæ ſiunt ad cauſas pias, coram Iudice inſinuentur, (licet inter Scribẽtes quæſtio verſetur, an poſtremæ hæ duę conditiones in foro conſcientiæ ligent; ſed cum vtraque opinio ſuis grauiſſimis authoribus, & firmiſſimis rationibus fulciatur, probabilitate non caret) *vt per Lazarinum in trac. de Monit. ſect. 3. q. 6 Fillincium tom. 2. tract. 24. c. 4 q. 6.* Sicuti etiam ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 16.* Donatio facta ob ingreſſum monaſterij nulla eſt, niſi duobus menſibus ante ingreſſum fiat. Vbi non prohibetur teſtamentum, ſed donatio inter uiuos, nec diſpoſitiones de bonis antè ſuſceptum habitum. *vt per Quar. in ſumma Bullar. in ver. monaſteria, & conuenens. Ricc. in praxi proſeſſ. in relig. reſolut. 326. & 331. & in praxi renunt. monial. reſol. 353. Menoch. l. 2. arbit. iud. cent. 5. caſu 436. Roder. tom. 2. qq. regul. q. 47. art. 8. Barboſam de Epiſcopo p. 3. Alleg. 97. Gratian. deciſ. 37. nu. 2. & alij relati à Barboſa in d. c. 16. Theſaur. in qq. forenſ. l. 2. q. 56. vt etiam in ſeq. q. annotatum eſt.*

RESOLVTIO.

HIs ſic pro fundamento iactis, dico primo Petrum iure à Vicario ad conſtituendam patrimonij donationem cogi potuiſſe, cum in hac materia magis debitus, quàm elicitus paternæ uoluntatis conſenſus attendi debeat: ſiquidem ſi pater eſt diues, & filius literarum ſtudio vacare velit, Iudicis officio ad miniſtrandum ei neceſſaria compelli valuiſſet, cum titulus promouendi ad ſacros ordines, nil aliud, quàm alimenta contineat, ne cum dedecore mendicare cogatur, at clarum eſt maiorem publicam utilitatem in ſacris, quàm in litterarum, ac ſcientiarum ſtudio, & opera cõſiſtere. Sicuti etiam explorati iuris eſt, filio religionem ingredienti, ſi monaſterium eſt inops, & capax, patrem teneri aliquid pro ſuo neceſſario uictu aſſignare. Atq; ſic ſenſit *M. Ant. Gen. in pract. eccl. Tricc. 21. q. 624. Cran. vol. conſ. 136. & alij iuniores.*

Secũdo dico, quod licet ingratitudo maximum ſit ſcelus, præſertim ſi in parentes perpetretur, & una ſit ex cauſis, ob quas donatio reuocari poteſt, nec valeat pactum in donatione appoſitum, ut propter ingratitudinem reuocari nequeat; vera tamen reſolutio eſt, donationem factam filio ob clericatus cauſam per patrem reuocari non poſſe; hæc enim donatio non ſolum oneroſam cauſam matrimonij ſpiritualis reſpicit, ſed etiam ut DD. loquuntur, Epiſcopi intereſſe, & cauſam concernit: nam eum ſacris non initiaſſet, niſi ſub ſpe irreuocabilis donationis hoc officium præſtitum eſſet, ſiquidem filius debet habere bona, ut ſe commode ſuſtẽtare poſſit, ne, vt dixi, in opprobriũ clericalis ordinis mẽdicare cogatur, ex diſpoſitione *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 2.* & pluribus proſequens reſoluit *Riccius in deciſ. Cur. Neap. deciſ. 19.* vt attigimus ſupra *tract. 1. c. 2. q. 18. & ſeq.* & infra *hoc tract.*

Atqui an tertio loco quod pater filio pro hoc patrimonio dedit, in legitimam, ac partem ſuam imputetur, vbi diuiſio hæreditatis inter fratres fiet? Planè conferendam eſſe cenſeo, qñquidem ſi pater ẽt officium aliquod in Romana Curia filio emat, quod pro hoc impendit, conferendum eſt: nam talis donatio non ſimplex uidetur, ſed ob cauſam facta, ut filius ad clericatus officium peruenire poſſit, at, ut DD. dicunt, cauſatiua donatio filiorum legitimæ aſcribitur, niſi ex uoluntate patris donantis, vel ex meritis filij contrarium conſtaret; ut de communi ſententia, & recepta praxi teſtatur. *Viuius in ſua ſylua opin. opin. 324. Couar. in c. Raynaldus. §. 2. num. 7. ext. de teſtam. Lopez in ſcholijs ad Diaz. c. 18 num. 16. Vgol. de officio Epiſcopi. c. 26. §. 9. Genuenſ. l. c. q. 625. Mol. tract. 2. diſput. 237. & ſeq. Bonac. de contract. d. 3. q. 6. p. 6. §. 1. num. 4. Vaſq. tract. de teſtam. c. 7. dub. 1c. Molfeſ. tract. 13. c. 1. num. 186. Mantic. de tacit. & ambig. l. 13. tit. 14. Grat. in diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 231.*

QVAESTIO XXI.

An valeat donatio facta ante ingreſſum religionis, an quis à largiori religione ad ſtrictiorem abſque ſui Superioris licentia recedere valeat, & an ſi in ſecunda etiam profeſſus fuerit, poſſit ad priorem religionem redire; & cuinam eius bona acquirantur.

BErnardinus cum decreuiſſet Deo in regulari ſtatu, & uita deſeruire, die antequam religionem ingrederetur, in fauorem cauſæ piæ mille aureos donauit, poſtmodum cum per aliquot annos ibi permanſiſſet, & profeſſionem emiſiſſet, illius inſtituti pertæſus, in quo pro libito unuſquiſque uiuit, uota non obſeruantur, diſcordiæ, & diſſenſiones uigent, alium religioſum ordinem arctiorem, & obſeruan-

sernantiorem ingressus est, cui cum nouitiatus, & tyrocinij tempore opulentum legatum eius intuitu ab auo suo materno relictum esset, cum hac conditione, ut nihil acquiratur monasterio, sed solum illius fit religiosi, aliàs ad suos. i. testatoris ipsius heredes perueniat, postquam est professus, & per quinque annos in illo cætu uitam traduxisset, absque sui Superioris assensu discessit, & ad priorem religionem transiuit, eo potissimum prætextu nitens, quod eius generalem Præfectum non consuluerit, nec ab ipso abeundi facultatem petierit, ac proinde secunda professio non valuerit, &c. Nunc prædicta narrantur, quæritur, quid consulere debeat Confessarius, & quomodo hic casus ab eo discutiendus sit?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

Respon. Supponendum Primo ex Decreto *Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 16.* Nullam renunciationem, aut obligationem antea factam, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piè valere, nisi cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligi effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta etiam si cum huius fauoris expressa renũtiatione, etiam iuratam irritam esse, & nullius valoris. Item ante professionem excepto uictu, & vestitu nouitij, vel nouitię illius temporis, quo in probatione est, quocumque prętextu, à parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus, eius monasterio aliquid ex bonis eiusdē tribui non posse, ne hac occasione discedere nequeat, quod totum, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, &c. Idque sub anathematis pœna ibi prohiberi. Circa quod Decretum notandum est, illam pœnam eos non incurrere, qui ante professionem aliquid mutuo dant, vel commodant, monasterio ab eo pignora, vel fideiussionem recipiendo, ita ut si nouitij profiteri nolent, facile datum, & acceptum recuperari possit; mutuum enim, & commodatum actus liberalitatis est, quam à Concilio tolli, minime putandum est, ipsiusmet Concilij mente cessante; quandoquidem eius intentio est, ne traditione rerum suarum ipsi monasterio facta, coacte profitendi occasionem sumant. Atque ita in praxi seruari uidimus, ac sæpius consulti sic respondimus. Et de his rebus uidendi sunt. *Roder. tom. 3. q. 47. art. 3. & q. 48. art. 5. Mol. de iust. tract. 2. d. 139. Less. l. 2. c. 41. dub. 4. Azor. p. 1. l. 12. c. 2. Regin. lib. 18. num* 397. *Menoch. de arbitr. iud. centur. 6. casu* 136. *Grat. in discept forens. c.* 363.

Secundo ante religionis alicuius ingressum debere consultationem præcedere ne temere quid agatur, cum celeritatem pęnitentia, sed eadem sera, & inutilis sequatur; & præcipitata raptim consilia, neque reuocari, neque in integrum restitui possint. Vidit, & expedit quondam Cæsar Augustus, quem ut testatum cunctis faceret, quãtum rebus tùm publicis, tùm priuatis, inconsulta celeritas detrimenti afferat, efferre solitum legimus, Festina lente. Vnde & Statius.

Da spacium, tenuęq; moram, mala cũcta ministrat
Impetus. Et Periander.
Nihil est quod ampliorem curam postulet,
Quàm cogitare, quid gerendum sit dehinc.
Incogitantes fors, non consilium regit.

D. Thomas 22. q. 189. art. 10. Azor. p. 1. l. 12. cap. 1. Hier. Campan. in diuers. iur. canon. Rub. 12. c. 2. nu. 8. Trito sanè adagio effertur, maturandum quidem esse, & accelerandum, sed paulatim, & præmeditate, ne nimia festinatio, & parum considerata periculosa; neve prælonga tarditas, & mora perniciosa sit futura, sed mediocritas in omni negotio seruetur. Quod eleganter & teli, & remoræ hieroglíphico ob oculos ponitur; telum enim velocitatis indicium est remora autem tarditatem significat. *Alciat embl. 20. & emblem. 210.* vbi ait, quod sicut morus arbor non nisi hyeme preterita germinat, extra hiberni rigoris, & gelu periculum, sic & uir prudens nullo in negotio præpostere festinat, nec quidquam periclitatur, sed tuto rem agit; inconsulta enim, & temere suscepta negotia, & peracta cõsilia duri, & infelices exitus plerumque è vestigio consequuntur. ut annotat ibi Scholiastes. *Tusch. us v. repentina. concl.* 185

Tertio omnibus regularibus iure communi concessum esse, ut ad arctiorem religionem transire liceat, dummodo studio tutioris, melioris, & sanctioris uitę hic transitus fiat; nam nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem fiat, commendatione haud est dignus; siquidem monet Apost. 1. *ad Cor.* 7. ut quisque in ea uocatione maneat, qua uocatus est; tùm quia ij religiosi qui deseruntur, offendi solent; tùm etiam quia facilius, ac commodius in ea religione proficit, in qua assuetus est, quàm in alia, cuius consuetudines peregrinæ sunt, & insolitæ. ut notat. *D. Thom. l. c. art. 8. Cass. collat. 14. c. 5. Regin. l. 18. num.* 414 *c.* 5. Idem *Azor. c. 14. q. 1. Lessius. l. 2. c. 41. dub.* 13. Quippe Diabolus, qui multas nocendi artes habet, religionis mutationem sub specie boni aliquando suadet, ut in sua retia pertrahat. Vnde *Io. à S. Gemin. l. 5. de similit. c* 39. dicit, quod Diabolus ratione fraudis lupo comparatur, legitur enim lupum nonnunquam quasi hominis uoces emittere, & latratum canum fingere, ut ita pastores, & oues decipiat; sic interdum Dæmon humani generis hostis, aliquam suggestionem immittit, quę boni imaginem præseferat, ut sic homines seducat, in Angelum lucis se transfigurat, ut in perdirionis foueam præcipitet. Apostolus 1. *ad Corinth.* 11.

Vnde

Vnde requiritur Primo, ut hæc transmeatio matura, ut dixi, deliberatione, & melioris uitę studio fiat Secundo, ut petatur licentia à Prælato, qui tenetur eam dare, quam si nō concedat, ius hoc ipsum permittit, ut habetur *in c. licet, ext. de regul.* si non petita facultate transeat, reduci potest ad prius monasterium, ut faciat, quod iure debet. Si tamen non ex animi leuitate, sed maturo consilio transmigrauit, non est reducendus. ut colligitur *ex c. sane. eodē tit. de regul.* Tertio, ut monasterium ad quod transit, nō solum instituto, sed etiam vsu, & obseruatione sit arctius, ibi enim sit commutatio, ut sanctius, & tutius uiuat. Quarto debet illic probationis annum explere, nam *Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 13* generatim hūc annum exigit, quo expleto, professio ab eo emittenda est, ut tenet *Nau. conf. 60. de regul. Less. l. c. nu. 101. Azor. p. 1. c. 14. q. 13. & alij cōiter*

Quarto, quicumque regularis prætendat se per uim, & metum, ingressum religionem, aut etiam dicat ante debitam ætatem professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum quacumque de causa dimittere, aut etiam cum habitu sine licentia suorum Superiorum discedere, nō esse audiendum, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tūc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandū quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tāquam apostata puniatur: interim vero nullo priuilegio suę religionis iuuetur *Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 19. vbi Barbosa Nau. Comment. 4. de regul nu 73. Roder. in qq. regul. tom. 3. q. 17. art. 17. Zerula in praxi Episcopali par. 1. & 2. in ver. professio. Sanchez l. 7. de matrim. d. 37. Grat. in forens. disce pt tom. 3. c. 413. & alij communiter.*

Quinto, religiosum professum ex ui uotiuæ paupertatis dominij capacem non esse, ita ut nihil habere possit, possidere, vel eo uti tanquam proprio, idest affectu retinendi iure suo, seu independenter à uoluntate Superioris. Et adeò abdicatio proprietatis annexa dicitur monachali regulæ, ut contra eam nec Summus Pontifex valeat licētiam indulgere, &c. *c. cum ad monasterium. ext. de stat. monach. Couarr. in c. 2. num. 10. ext. de testam. & Graffius l. 3. decis. aur. c. 5. num. 57. Oldrad. cons. 172. & Aegid. consil. 16. Tusch. ver. Papa. conclus. 69.* Vbi aiunt Papam non posse cum monacho dispensare, ut proprium habeat, sed bene de monacho non monachum facere pōt, vt mutato statu peculiū possidere queat. Peculij vero nomine ea censentur bona, quorū quis habet dominium, seu proprietatē, deinde ea, quorum possidet vsumfructum, vel vsum, vel administrationem absque alterius uoluntate, ita vt arbitratu suo possit eorū fructibus uti, & de ijs spōte quod uoluerit statuere. Non tamen peculij notione ea bona intelliguntur, quorum quis habet vsum, vel administrationem, quæ ad nutum alterius reuocari possunt, cum hoc solemni paupertatis uoto non aduersetur, siquidem religiosus proprium quid habere non censetur, cum id habet, vel administrat, vel eo utitur Superioris sui nutu, & concessu expresso, vel tacito, & quod eiusdē uoluntate reuocari queat. *d. c. cum ad monasterium. de stat. monach. c. non dicatis vbi. T urrecrem. & Nau. 12. q. 1. Concil. Trid. sess. 25. de regul. c. 2. Rod. in qq. regul. tom. 2. q. 57. art. 2. & q. 47. art. 5. & alibi. Reg. l. 18. num. 397. Coriol. de cas. reseru. p. 2. casu 4. Molfes. tract. 7. c. 20. num. 43.*

Sexto, item religiosum post professionem, quidquid acquirit, monasterio bonorum capaci deferri, *Authent. ingressi. C. de sacrosanc. Eccles. c. in præsentia. de probat.* Nō tamen illorum sententia recipienda est, qui hanc assertionem etiam in nouitio procedere senserunt; quandoquidem quidquid monasterium acquirit, consequenter ad personę consecutionem, cui bona adhærēt, comparat; monasterium autem personam absolute nonnisi per solemnē professionem adipiscitur.

RESOLVTIO.

His dictis cum propositus casus in quatuor partes diuidatur, dū Primo quæritur, an valeat donatio facta ante ingressum religionis. Secundo, an d. Bernardinus ad strictiorem religionem transeundo non petita Superioris licentia peccauerit, & actum inualidum fecerit. Tertio, an donatio causa mortis ei facta in secundo ingressu, ita ut monasterio nihil acquiratur, valeat. Quarto, an ad priorem religionem transire potuerit, & quid de legato ei facto agendum, &c.

Ad primam quæstionem dico mille illorum aureorum donationem, vel dispositionem ante ingressum religionis factam valere, ut sacra DD. Cardinalium Congregatio his verbis declarauit, Congregatio Concilij censuit Decretum *Concil. Trid. c. 16. sess. 25. de regul.* non habere locum in renuntiatione, vel dispositione facta ante habitus susceptionē. Additio ad *Nauar. cons. 82. de regul. Steph. Quar. in v. monasteria §. dubium illud. Io. Franc. Leo in thes. fori eccl. p. 2. c. 16. nu. 38. Gratianus in discept. forens. cap. 96. & decis. 37. Bellon. de his, quæ incont. fiunt, c. 101. Sanchez. lib. 7. de præcept. cap. 5. num. 4. Menoch. in addit. ad 2. lib. de arbitr. ind. casu. 436. Mar. Ant. l. 1. var. resol. resolu. 112. casu. 62. V gol. de officio Episcopi, par. 1. cap. 20. §. 7. Roder. in summa par. 1. c. 90. num. 3. & Azor. p. 1. l. 13. c. 9. q. 2. Lessius l. 2. c. 4. dub. 4. num. 40. Sà in ver. religio. num. 5. Barth. à Fausto de donat. q. 17. & alij* asserentes ex ui Concilij non prohiberi testamentum, sed donationem inter uiuos, nec dispositiones de bonis suis ante susceptum

ptum habitum, modo (vt aliqui volunt) intuitu religionis non fiant, cum eadem ratio locum habeat.

Secundo, dico Bernardinum, si non matura præmissa deliberatione, sed ex leuitate, vel temeritate, vel ex odio prioris Prælati, non ex zelo melioris uitæ, nec petita licentia ad secundum ordinem uolauit, grauiter peccasse; licet quia debito modo non transiuit, possit ab illa reuocari. Nō tamen sic recedens ullam excommunicationem incurrit, etiam si sic transiendo habitum priorem dimittat, cum illū non deponat animo vagandi, &c. *gloss. in d. c. licet, de regul. Sylu. in ver. religio 4. q. 1. notab. 4. Miranda in Man. Prælat. tom. 1. q. 3. art. 6. & art. 19. Rod. in qq. regul. tom. 3. q. 52. art. 3. Sanchez. l. 6. de præcept. c. 7. nu. 89. & omnes alij DD. communiter.*

Ad 3. q. dico qđ etsi donatio causa mortis, vel legatum factum religioso professo cum conditione, ut illud habeat independenter ab eius Prælati uoluntate validum non sit, cum hoc omni modo paupertatis uoto aduersetur, subsisteret tamen, si relinqueretur ita ut nihil monasterio acquiratur, quia legatum illud intelligēdum est, ut religiosus illud habeat oculis Prælati conniuentibus, qui si illam licētiam dare nolit, relictum expirat, &c. Alij etiam illa verba, Nihil iuris monasterio acquiratur, interpretantur, ut illud relictum in vsus licitos, & honestos, ut vestimentorum, & librorum directe conuertat, tunc enim indirecte in ipsius monasterij commodū redundat, cum ab his oneribus releuetur, non tamē intelligendum est, ut ille ad libitum, & quomodocumque disponere possit, proprietatis namque uitium induceret, nec Prælatus illam facultatem dare posset. *Rod. tom. 2. qq. regul. q. 125. art. 2. Vincent. de Franchis decis. 718. Graffius l. 3. decis. c. 5. num. 41. Molfe. tract. 7. c. 20. num. 50.*

Ad quartam quæstionem dico, Bernardinum nō potuisse à secūda religione recedere, & ad priorem redire, si ibi professus est: & si enim indebito modo, & non seruatis quæ de iure seruanda erant, à prima ad secundā transierit, cum tamen illa ad substātiam rei non pertineant, nec ius resistat, sed non assistat, censendum non est secundam professionem inualidam esse, eo maxime attento, quod infra quinquennium non reclamauerit, in quo casu professionis nullitatem allegantem non esse audiendum statuit *Cōcil. Trid. sess. 25. de regul. c. 19. Nau. Comment. 4. de regul. num. 77. & seq. Sanchez. de matrim. l. 7. disput. 37. Azor p. 1. l. 12. c. 4. q. 10. Zerula in praxi Episcop. ver. professio §. 1. Paris. de resignat. l. 13. q. 5. num. 46. Rod. l. c. tom. 3. q. 17. art. 16. Beia p. 4. respons. cas. conscien. casu. 18. Emanuel Sà in ver. religio. num. 7.* (etsi etiam multi sentiunt, merito, vel bona fide credentem se non esse vere professum, & propterea à religione aufugit, ut reclamare commode possit, apostatæ pœnas non incurrere.) Hinc consequitur, si fateremur Bernardinum valide in hac strictiori, ac obseruantiori religione professum esse, ad hanc redire teneri, & legatum, vel donationē ei causa mortis factam huicmet secundæ acquiri. *Nau. in c. non dicatis. num. 30. & 31. & in c. statuimus. num. 24. 12 quæst. 1. Miranda l. c. art. 24. Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. casu. 436.*

CONFESSARII MVNVS.

Hinc boni Confessarij partes erunt, pœnitenti suadere, ut ad secundum ordinem melioris, ac sanctioris uitæ studio transmigret; nam ex communiori, & probabiliori Scribentium sententia, nec uotum religionis vbi regula non seruatur, & pro libito uiuitur, vbi odia, & simultates uigent, in foro conscientiæ tenet. *Caiet. 22. q. 88. Nau. c. 12. nu. 46. Rod. p. 2. c. 97. & in qq. regul. tom. 2. q. 63. art. 5. Sanchez l. 4. de præcept. c. 16. num. 14.* Siquidem *ex D. Hier.* pronuntiato *ep. 2. ad Heliod. & Eusebij Emisseni hom. 9. ad Monachos.* Monachus perfectus in patria sua esse non potest, perfectum autem esse nolle delinquere est. Venire ad eremum summa perfectio est, non perfecte in Eremo uiuere summa damnatio est. Et ut ait *D. Bernardus in Apolog.* Magna abusio est, vbi parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Econtra remissio discretio creditur, tristitia silentium, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Et sane qui huiusmodi est, is veritatis ipsius iudicio damnatus habēdus est; quippe qui magnam scandalorum segetem multis præbet, peruersoque exemplo alios ad sui imitationem instiget, ut proinde horrendi væ hæres miser sit factus; is namque animus qui semel in defectionem hanc se præcipitauerit, omni uitiorum genere cumulatur, & in extremis malis infixus, in profundum nequitiæ præceps abit. *Plat. de bono stat. relig. lib. 3. cap. 37.*

Item Confessarius addet sapientis esse, in melius cōsilium mutare, & reuocare quod male, & imprudenter egit. *Cagnol. in l. nemo potest. ff. de reg. iu.*

Et si enim ad prudentis uiri constātiam hæc quatuor pertinere uideantur. Primo stabilitas circa fidem, cum fit habitus intellectus à Deo infusus, quo reuelatis à Deo firmiter assentimur. Secundo æquanimitas in utraque fortuna, ut idem semper fit uultus, eadem frons. Tertio stabilitas circa locum, cum argumentum compositæ mentis fit in loco consistere, & secum morari. Quarto constantia in his, quæ cœpit, & agit, ne ei obijciatur,

Quod petijt, spernit, repetit, quod nuper omisit.

Tusch. v. Princeps. concl. 699. Et quod cancro similis sit, nunc ante, nunc retro, nunc in transuersum gradien-

gradienti, miraque inconstantia uitam suam traducenti. Nimirũ, quod q ingenio lubrico, & inconstãti sunt, mentem suam ab honesto instituto dimouere facile sinunt: quos etiam refert nauis, qua remora sistitur, &c. *Alciat. emblem.* 83. Vt tamẽ admonet *Cicero l. 1. offic.* Nemo tam doctus est, qui consilij in melius mutationem incõstantiam esse dixerit, cum hic portus pœniteti apertus habeatur. In quam sẽtentiam multa præclare scripta sunt à *Seneca l. 4. de benef. c. 34. & seq & Paleot. de sac. consist. consult. p. 5 q. 6.* Et vere Comicus dixit, Numquam ita quisquã bene subducta ratione ad uitam fuit, quin res, vsus, ætas, semper tibi quid noui apportet, aliquid semper moneat, ut quod nusquam te facturum putabas id postea facias. Omnibus exploratum est nihil esse quod ortus sui principium habuit, quod non mutationi sit obnoxium, solius Dei numen natura mutationis expers esse, tanquã increatum, & semper existens. ait *Damascen. Dial. contra Manich.*

CAP. IX.

QVAESTIO XXII.

An quis donare possit mille, vt donatarius singulis annis quoad vixerit, tali hospitali det centum. An alteri facta donatio ob ingratitudinem reuocari possit. Et cui debeatur legatum factum puellæ, vt nuberet, si antequam nubat, moriatur, & quid de legato quinquaginta aureorum facto puellis, vt nubant, an debeatur si aliquam dotem habent, sed non sufficientem.

Bartholomæus diues, & senex donatione irreuocabili inter uiuos donauit mille aureos Gaspari, ea lege ut donatarius singulis annis uitæ ipsius centum tali hospitali dono dare teneretur, ita ut ipso defuncto, nec ipsius hęredibus, nec Zenodochio quidquam dare amplius deberet. Quæritur an hic contractus sit licitus?

Item secundo cuidam suo nepoti ex fratre medicinali scientiæ incumbenti mille, & quingentos alios aureos nummos sine insinuatione largitus est, à quo cum graui, & atroci iniuria sit affectus, uult illam donationem cum iuramento factam reuocare, an hoc facere possit?

Tertio donatione causa mortis reliquit Lucretię pauperi puellæ legatum trecentum aureorũ, ut nubere possit, & antequam nubat, tàm ipsa puella, quã testator moritur, quærunt hæredes, an hoc legatum sit soluendum?

Quarto etiam an pariter soluere debeant legatũ quinquaginta aureorum factum quibusdam puellis, quæ educãtur in quadam hospitali, & pia domo si habent quidem dotem, sed non integram?

RESOLVTIO.

Respõ. Ad primam quæstionem resolutiue dico, contractum illum licitum, & iustum esse, siue n. dicatur contractus innominatus do, ut des, siue donatio sub modo, nullam iniustitiam cõtinet, quandoquidem donator, vel potius hospitalis domus periculum subit amittẽdi magnam partem illorum mille, quę donat, nam si paucis, vel nullis annis uixerit, lõge minus quàm donauit, accipiet, vel forte nihil ad eam domum perueniet. *Nau. consil. 1 tit. de donat.* quem iuniores communiter sequuntur *arg. Genuen. in pract. eccles. q. 460.* Vbi resoluit, rem donatam ecclesiæ, vel monasterio cum pacto præstandi alimenta donaturi, si res, v. g. fundus, vel domus pereat, ecclesiam, vel collegium teneri illa pręstare, cum ad donatarium translatum sit dominiũ.

Ad 2. q. dico reuocari posse donationem, nõ ea ratione, quod coram Iudice manifestata non sit, cũ quingentos nummos aureos excedat, appositum enim iuramentum eius uicem supplet, sicuti explorati iuris est, contractum qui alioqui ipso iure ciuili irritus, & inanis est, iuris iurandi religione confirmari, sic enim donatio inter cõiuges aliàs inualida iuramenti uinculo firma redditur. *c. 2. de pactis. l. 6 Roland. à Valle vol. 1. cons. 77 Menoch. l. 1. cons. 1.* Sed quia nepos ille cui donauit, in ipsum donatorẽ ingratus extitit, siquidem apud omnes est quoque cõstitutum, ex sex potissimum causis donationem rescindi posse. Primo ob ingratitudinem, ut cum is q accepit, donatori atrocem iniuriam intulit, atrox vero iniuria ex ipsius iniurię qualitate, loco, & persona spectatur, utpote si donatorem furem, maleficum, hæreticum, & huiusmodi, cum non sit, compellauerit. Secundo si impius, & uiolentus in donatorem manus iniecerit Tertio si donatoris rebus graue damnum intulerit. Quarto si donatori uitæ periculum fuerit machinatus, etiam si rem ad effectum minime perduxerit, ob delictum tamen, vel culpam Prælati, vel Capituli donatio facta ecclesiæ non reuocatur, cum Deo facta esse censeatur, &c. *Genuen. in pract. eccl. q. 307.* Vbi nihilominus notandũ, qđ in his casibus, in quibus per ingratitudinem donatio reuocari poterit, de illa legitime constare debebit, nec satis erit per unum testem cum iuramento suppletorio probare. *Cotta in Memor. in ver. ingratitudo. Guido Pap. q. 180. Seraph. de iur. priuileg. 108. num. 102.* Quinto, si conditionem in donatione appositam non impleuerit. Et etiam si causa subsecuta non fuerit, ut est donatio facta à sponso sponsæ, si enim nuptiæ non sequantur, donatio reuocaĩ, tùm defectu causæ, tùm ob cessationem uoluntatis donantis. Et sic qui religionem ingressus bona sua monasterio, vel alteri donat, si postea infra annum probationis egrediatur, ipsa donatio retrocedit; quia sub

ſub illa conditione facta uidetur, ſi mors ciuilis, hoc eſt profeſſio ſequatur, &c. Sexto ſi ipſi donatori in neceſſitate conſtituto alimenta denegauerit, & donatio in magna rerum quãtitate ſit facta. Septimo cum quis liberis carens eos poſtea ſuſcepit; ſi enim extraneo facta eſt donatio, in rotum labefactatur, quia teſtator hoc tacite uoluiſſe uidetur; ſi vero filio emancipato, vel patri, vel auo, ſolum ex parte infirmatur, uidelicet quatenus legitima portio filiorum ſuppletur. Idem dicendum ſi donatio in eccleſiam, vel piã causã collata ſit, ſolum enim reuocatur quantum neceſſe eſt, ut filij qui naſcuntur, ſua legitima portione non careant. Interdum tamen ad populi ædificationem expedit, ut id quod eccleſię, vel monaſterio ante liberos natos datum eſt, Pręlatus his poſtea ſuſceptis rotum reſtituat, ſicut D. Auguſtinus Eps Carthaginẽſis feciſſe legitur. *c.fi.17.q.4.* Vnde adde octauam cauſam, quando ipſa donatio eſt inofficioſa, cum ſcilicet pater tantum donat, ut quantum legitima filiorum portio poſtulat, non retineat, hoc enim paterno officio, & pietati filijs debitæ repugnat. Atque de his cauſis late proſequitur. *Tiraquellus. & Ripa in l.ſi vmquam. C.de reuocandis donat. Abbas, & alij in c.fin.ext.de donat. Clarus. §.donatio.q.21.& ſeq. Syluester, & Tabiena in ver.donatio. Molina de contract.diſp.281.& ſeq. Rebel.p.2.de obligat.iuſt.l.18.q.2. Leſſius.l.2.c.18.dub.19. Malderus.tract.1.c.10.dub.10. Azor.p.3.l.11.c.8 Bonac.de contr.diſp.3.q.12.puncto vlt. Mozzius.de donat.col.7. Barth.à Fauſto.de donat.q.97. Mant.de tacit.& ambig.l.13.tit.41.*

Ad tertiam quæſtionem, dum quæritur, an legatum relictum puellæ, ut nubat, ſi moriatur, extingui dicatur, &c. dico ꝙ aut teſtator in hoc legato uoluit habere rationem utilitatis puellæ, idque certum eſt, & tunc hæredes à ſoluendo liberi ſunt; aut ſpectauit propriæ animæ ſalutem, & ſpirituale commodum, idque pariter certum eſt, & in hoc caſu hęredes debent alteri puellæ tradere, ut teſtatoris uolunras impleatur. Si vero neutrum cõſtat, iuris pręſumptioni ſtandũ erit, quod ſcilicet in animæ ſuæ utilitatem donare uoluerit, & ita ſoluendum erit. *Medina de reſtitut.q.24. Carbo.qu.44. Zecchius in ſumma mor.c.61.num.15. Mol.tract.2.diſput.249. Mantica de coniect.vlt.volunt.l.8.tit.5.nu.24. Sanchez.l.4.op.mor.c.11.nu.35. Mar.Ant.Gen.in pract. eccleſ.Tricen.13.quaſt.387.num.4. Naldus in ver. legatum. num.20.*

Ad quartam quęſtionem dico, legatum illud factum puellis, quæ in illa domo educantur, poſſe dari, imo hæredes ad id teneri, illis puellis, quę dotem quidem habent, ſed non integram, cum qua commode nubere poſſint, modo illæ puellæ his qualitatibus præditæ ſint, quę in teſtamento, vel fundatione requiruntur: nã & executor datus ad diſtribuendum in pias cauſas, pro ſupplemento congruæ dotis erogare poteſt, vt decenter, & honeſte iuxta perſonæ conditionem aliqua matrimonio collocari poſſit, vt per *Bald.in l.ſi quis ad declinandum, C.de epiſcopis, & cler. Graff.l.1.deciſ.aur.c.26.num.20. Mar. Ant.Gen.in pract.eccleſ.q.279.* Et paria ſunt, quod dos congrua conſtitui petatur, vel ſuppleri, ſi iam mulier incongrue dotata fuit; hinc dos competens non dicitur illa, quæ etiam ex fideicommiſſo, vel in ſubſidium debetur, ſi ſemel tempore taxationis cõgrua fuit, at procedente tempore incongrua efficitur; quia ad hoc vt ſit idonea, & conueniens, non tẽpus dotationis, ſed matrimonij contracti inſpici debet, ideo, vt congrua fiat, augeri poterit. *Tuſch.in ver.dos, concl.733.& concl.784.* *Mantica de tacit.& ambig.l.12.tit.24.* Sic in ſimili dicit *Alex l.7.conſ.91.* quod dos parua, & minima non cadit ſub *Authen.præterea. C.vnde vir, & vxor*, quia in quarta ſuccedit vxor ſine dote, & vxor cum modica dote matrimonio iuncta: ſiquidem parum, & nihil ęquiparantur; & paruam dotem habere, ac nullam habere paria ſunt. *Tiraq.in tract.de ind.in caus.exig. ferend.verſ.9.* idem *Tuſch.in ver.minima, concluſ.239.* Et late conſiderat *Corneus l.3.conſ.249.* Vbi etiam ait, ſtatutum loquens de marito, qui vxori inopi, & nullam dotem habenti, aliquid relinquere cogitur, procedere etiam in vxore paruam dotem poſſidente. Quæ autem ſit parua dos in æſtimatione Iudicis conſiſtit. vt per *DD.in Authent. Quod locum. C.de collat. & Menoch.l.3.conſ.247.*

QVAESTIO XXIII.

An veſtes, & annuli dati à ſponſo ſuæ ſponſa donatæ cenſeantur. Et an vxor donationem ſibi à marito in fraudem creditorum factam reuelare teneatur, & æs alienum à marito contractum ſoluere.

LEonardus duos aureos annulos, & duas veſtes poſt contractum matrimonium ſponſæ ſuæ Aureliæ dedit. Cum item multos creditores haberet, quibus forte ſatisfacere nõ poſſet, mille aureos eidem hac tribuit lege, vt ſi excommunicationis ſententia contra eius bona occultantes ferretur, prędicti aurei donati cenſerentur: quo facto fugam arripuit. Poſtea excommunicatio in eiuſdem bonorũ detentores lata eſt, & interim ære alieno ob alendã familiam conflato, ex hac vita deceſſit.

Primo ergo quæritur, an prædicti annuli, & veſtes donatæ præſumi debeant.

Secundo, an dicta Aurelia abſcondita bona reuelare teneatur.

Tertio, an debita à marito contracta ſoluere iure cogatur.

RESOLVTIO.

Respon. Ad primam quæstionem dico distinguendo, quod vel sunt vilia, & ad quotidianum vsum destinata vestimenta, vel anuli, vel sunt pretiosa, & festiua: si vilia sint, donata censentur, & propria vxoris fiunt: secus si pretiosa, nam in dubio donata non videntur, sed potius commodata, vt in honorem, & mariti decus, ornatior, & cultior conspiciatur. Atque hic pro ratione militat illa regula, quod in dubio, & vbi alia coniectura capi nō potest, donatio non præsumitur, cum nō dilapidare, ac perdere, sed acquirere, & ditari velle, vnusquisque censeatur. Vnde si marito defuncto, inter vxorem, & hęredes mariti lis oriatur, & de annulis, vel vestibus disceptetur, resoluendum est pretiosas ad mariti hæredes spectare, nisi constet, eas donō vxori datas esse, eius enim erunt, cum donatio morte confirmetur. Si vero in dubio simus, & consuetudo extet, illi standum erit; cæterū si de cōsuetudine non appareat, & res modici sint valoris, & in quotidiano sint vsu, tunc mulier eas lucrari debet, cum donatæ censeantur. *Menochius l. 2. de arbit. iud. casu. 88. Mascard. de probat vol. 1 concl. 555. Tuschus ver. annulus. concl. 344. Sanchez l. 6. de matrim disp. 25. num. 10. Riccius in praxi rerum fori eccles decis. 256. Bonac. de contract. disp. 3. q. 1 2. puncto 4. Graff. p. 2. cons. 1. de donat. inter virum, & vxorem. Azor. p. 3. l. 11. c. 13. Surdus decis. 166. Nald. in ver. donatio, & Bellon. de his, quæ incont. fiunt. lib. 1. cap. 21. & alij communiter.*

Ad secundam, dico, q. Aureliam teneri ecclesiastico Iudici reuelare, cum illa vere prætendere nequeat prædictos mille aureos per viam donationis in se translatos esse, eo quod donatio non valuerit, cum in fraudem creditorum facta fuerit. Idem dicendum, quando maritus post aliquod delictū perpetratum pro quo bona fisco addicenda sunt, ad illum defraudandum vxori fictè donat. Si tamē hæc donatio iuramenti religione firmata fuerit, ita vt reuocari non potuerit; ipsi vxori integrum erit, dicta bona retinere, donec à Iudice petantur. *Graffius lib. 4. decis. aur. c. 8. num. 15. Roder par. 1. c. 92. num. 9. Lopez p. 2. c. 12. Io. Bapt. Corrad. p. 1. q. 215. in addit. Ala. de Adnot. Christ. p. 1. q. 58. & seq. Lazar. de monit. sect. 3. q. 10. num. 11.*

Ad tertiam quęstionem pariter dico, quando soluto matrimonio, nulla viri bona supersunt, vxorem non teneri de bonis dotalibus æs alienum soluere, quod ad se, familiamque alendam, ipse maritus cōtraxit: nihil enim vxor cum mariti creditorib. egit, nec pecunia, verbi gratia, ad alendam familiam mutuo accepta, ipsius nomine tradita est. vt multis prosequitur *Sanchez lib. 9. de matrimon. disputat. 4. num. 28. Mol. tom. 2. de iustit. d. 435. Reg. l. 31. num. 306. Bonac. de leg. disput. 6. quæst. 1. puncto 7. nu. 13.* & nos alibi paucis resoluimus.

QVÆSTIO XXIV.

An qui pauperem viduam se in vxorem ducturum, & ei mille pro dote daturum interna sponsione promisit, si de eius honestate suspicetur, à tali proposito recedere valeat. Et an legatum factum ecclesia pro se, & sua familia sepultura debeatur etiamsi ob suam culpam ibi non sepeliatur.

Marcus sola simplici promissione intra se ipsū retenta, absque vllo iuramento, vel voto, & alterius partis acceptatione, promisit se in vxorem ducturum Liuiam viduam pauperem, sed satis viridis ætatis, & elegantis formæ fęminam, illique pro dote mille aureos daturum, sed cum nunc audierit præteritis diebus quendam procacem iuuenem in domum admisisse, & de eius incontinentia, perpetrataque turpitudine valde suspicetur, ab illo proposito, & interna sponsione vult recedere. Item cum pro sua, & suæ familiæ sepultura legatū quingentorum aureorum Ecclesiæ Fratrum D. Francisci, confectis publicis tabulis, donatione reliquerit, nondum tamē soluerit. accidit, vt interim eiusdem Marci nepos quem domi alebat, in duello sit occisus, & ipse Marcus tædio vitę sibi mortem consciuerit, ita vt ecclesiastica sepultura uterque ob culpam sit priuatus. Quęritur, quid in duobus his casibus respondere debeat Confessarius?

SVPPOSITA.

Respon. Suppono Primo duobus tantum modis dominium transferri, nempe aut libera domini voluntate, aut legis authoritate, quæ rei dominium inuito domino, vel in pœnam alicuius criminis ab ipso commissi, vel in vtilitatem ipsius Reipubl. transferre potest. Rursus hanc translationem duplicem esse aliam scilicet quę per mutuum, & reciprocum contractum fit, quo vltro citroque nascitur obligatio, & hanc nemini dubium esse absque exterioribus signis, quibus contrahentes de mutuo consensu certiores efficiantur, fieri non posse; vt patet in emptione, & venditione, & similibus, & præcipue in contractu matrimoniali, cuius ideo consensus nullus est, nisi exterius explicetur. Aliam vero esse simplicem dominij translationem, qualis est donatio, quæ nullam ab altera parte obligationem postulat, & de hac ambigi inter Doctores, an solus actus interior voluntatis ad transferendum dominium sufficiat.

Secundo pręmitto, promissionem duplicem esse, nempe interiorem, & exteriorem, interior est quæ sine

sine verborum manifestatione, aut alterius signi ostensione rantum in mente fit. Exterior vero, quæ aliquo externo actu proditur: quæ rursus duplex est, nuda & simplex; quæ iuramento, testibus, vel scriptura caret, altera vestita, quæ aliquo istorum munitur. Simplex itidem duplex est, quædam quæ fit Deo, & dicitur votum. Alia fit homini, & hæc potest esse cum conditione, & sine illa, cum causa, & absque causa.

Tertio promissionem externam nihil aliud esse, quàm dationem fidei, deliberatam, veram, & spontaneam, de re licita, & possibili, ab altera parte acceptatam. Quę ex suo genere ad mortale peccatum obligat, nisi ex paruitate materiæ eius violatio venialis reddatur, præsertim si promittens non tãtum ex morali honestate, sed etiam ex iustitiæ lege se obligare intendit, &c. *Barthol. à Fausto. de donat. q.* 57. Quod assertum adeo verum est, vt fornicarius post habitam copulam, teneatur in conscientia meretrici promissum pretium soluere, & ipsa meretrix illud in foro exteriori exigere possit, vt resoluit *Regin. in respon. cas. consc. casu.* 8. Ex qua positione ẽt deducũt DD. impunitatẽ à Principe ꝓmissam, vel à Iudice de ipsius Principis mãdato, esse seruandã, & ex confessione deinde secura reum damnari non debere, vt de communi testatur *Clarus in praxi crimin. q. 55. & Guazzinus in tractat. ad defensam reorum. c. 25. defens.* 20.

Et differt à donatione, ꝙ promissio non transfert dñium rei ꝓmissæ in eũ cui res ꝓmittĩ, donatio vero in donarariũ illud cõfert, si realis interueniat traditio. Scđo à pollicitatione, ꝙ pollicitatio est solius offerentis promissio, nec tacite, nec expresse acceptata. Promissio vero, vt dixi, est datio fidei cũ acceptatione, siquidẽ res data nõ dĩ, nisi ẽt ab altero sit acceptata. Tertio à pactione in eo discrepat, qđ pactũ est duorum, vel plurium in idẽ cõsensus, ex qua vtrinque, siue ex vna tantum parte oritur obligatio; gratuita verò promissio obligationem tantum in promittente parit. Quarto à stipulatione, quod hæc sit verborum formula, quæ fit præcedente creditoris interrogatione, & secuta debitoris responsione; quæ verborum, seu contractus formula non semper in promissione contingit. *Azor. p. 3. l. 11. c. 14. Rebellus de promissione q. 1. Lessius l. 2. c. 18. dub. 2. Reg. l. 25. num. 68. Bonac. quæst. 11. disp. 3. p. 1.* Idem *Regius casu.* 29.

Quarto vt promissio in vtroque foro obliget, aliquæ conditiones requiruntur. Primo vt sit verax, & non ficta, ita vt qui promisit, tàm intentionem promittendi, quàm propositũ se obligandi habeat. Secundo debet esse deliberata, siquidem promissio est quædam priuata lex, quę non vltra intentionem legislatoris, idest promittẽtis obligat, promittens autem non præsumitur se voluisse obligare, nisi posita plena aduertentia, & perfecta deliberatione, quæ ad voti substantiam, vel ad constituendum peccatum mortale sufficiat. Qui vero anceps est an deliberate promiserit, pleno iudicio promisisse censendus est, nam pro ipsa promissione possessio stare vĩ: sicut & ille promissum adimplere tenẽ, qui sibi conscius est promisisse, de adimplemento tamen dubitat. Tertio, vt sit spontanea, inualida namque est saltem coram Deo promissio extorta per vim, aut dolum, aut per metum etiam leuẽ non cadentem in constantem virum, modo sit principalis causa actus promissionis, quæ alioqui facta non fuisset. Quarto vt sit de re iusta, licita, & possibili, tùm quia fieri non potest, vt quis ad peccatum obligetur, à quo abstinere cum oportet; tùm quia ad impossibile nemo tenetur, &c. Vnde suadens alicui, vt furetur, aut occidat promissa ei pœnæ, si ad eam vmquam condemnaretur, indemnitate, ad huiusmodi promissionem obseruãdam non tenetur, cum aduersus bonos mores nulla sit obligatio. *l. pacta quæ contra. C. de pactis.* Hinc nutrix illa apud Senecam *in Trag. Herc.*

Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat, interim scelus est fides.

Promissio tamen quæ fœminæ pro turpi actu fit, & si ab extrinseco vitietur, nempe à causa ob q̃ fit iure nihilominus naturę, ut dixi valida est, cũ pro re prętiosã, quæ pretio æstimari põt, vt attigimus ẽt infra.

Quinto debet esse de re notabili, quia vt sæpe repetitum est, paruitas materiæ in omni re à mortali excusat. Vt autem materia notabilis dicatur, necesse est, vt quadruplo maior sit, quàm sit ea, quæ ad lethale furtum sufficit, tùm quia minor videtur obligatio soluendi promissa, quàm furto ablata; tùm quia sicut maior quantitas ad mortale furtum vxoris, & filiorum requiritur, ita, &c. Sexto requiritur, vt non superueniat mutatio status rerum, quæ tempore promissionis non erat; nec in Superioris pręiudicium vergat. Quare qui promisit aliquam in vxorem ducere, quæ pro honesta habetur, si deinde fornicata fuerit, vel de turpi pc̃tõ perpetrato, ꝓbabiliter dubitẽ, nõ tenẽ. *Marta. de claus. clau.* 133. *p.* 1

Vñ si quis centũ aureos mutuo dare pollicitus est si deinde eius res ablatæ sint, vel in sinistram fortunam inciderint, obligatio cessat. Sic qui ex Superioris potestatis præcepto aliquid non facit, quod se facturum iurauerat, ab obligationis nexu, & periurij reatu eximitur.

Addo etiam in promissis intelligendam esse illã conditionẽ seruandi ad inuicem fidem, iuxta illud,

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Vt promitto tibi librum tuum dare, si meum mihi reddideris, te promissum tuum eludente, meum seruare non teneor. *Roland. vol. 1. consil. 57. Tusch. ver. fides. conclus.* 337. Quare in hac materia illa gene-

ralis regula constitui potest, quod omnis vera, deliberata, & voluntaria promissio obliget, quando est de re licita, possibili, & notabili, quam nec rerum status mutatio, nec Superioris iussum superueniens tollat, & mutua obseruetur promissio, &cæt. vt per DD. communiter tenetur. *Molfes. tr. 11. c. 9. num. 5.*

Quinto suppono, vt supra annotauimus, duplicem esse donationem, vnam inter viuos, quæ nunquam nisi ex causa à iure expressa reuocatur. Alia est causa mortis, quæ æquiparatur legato, quod est donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda, & ad libitum donantis retrahi potest. Donatio inter viuos diuiditur in puram, vel absolutam & in conditionalem, seu modalem, quæ scilicet sub conditione, vel modo concipitur, &c. Sexto ecclesiasticam sepulturam multis à iure denegari, vt excommunicatis, pugnantibus, & morientib. in duello, infidelibus, decedētib. in peccato mortali, & ijs, qui sibimet ipsis mortē consciuerunt, &c. In quo in postremo casu, possunt priuatim orationes, & preces ad Deum pro his fundi, potuit .n. fieri vt in vltimo vitæ spiritu de admisso pctō pœnituerint. *Cou. l. 2. var. resol. c. 1. Tusc. ver. sepeliri. concl. 157. Genu. in praxi Neap. c. 76. Gutierez l. 3. canon. qq. c. 2. Molfes. tract. 13. c. 8. Sylu. Ang. & Tab. in ver. sepultura. Bellarm. l. 2. de purgat. c. 19.* & dixi *in Comment. de humana vita stat. p. 1. c. 15.*

RESOLVTIO.

His suppositis, dico Marcum ob internam promissionem nō teneri in vxorem Liuiam pauperem ducere, siquidem Primo ex vulgato pronuntiato, propositum in mente retentum nihil operatur: nam sicut Principis lex in ipsius animo latens tantum, & nondum promulgata, ad sui obseruationem non astringit: ita neque interna promissio obligat. Secundo vt promissio obligandi vim habeat, ab altero acceptari debet, cum in diffinitione promissionis sæpe diximus, acceptationem necessariam esse, quod fieri nequit, nisi exterius proferatur, quia homo tantum ea cognoscit, quæ foris apparent, propter quod vulgo effertur:

Verba ligant homines taurorum cornua funes,
Cornu bos capitur, voce ligatur homo.

Nec dissentit Sapiens *Prouerb. cap. 6.* Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneos animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus, &c. Siquidem homo alteri homini non nisi humano more se obstringit, atqui mortales se obligare non censentur, nisi internum mentis consensum signis, aut verbis declarent. *Regius casu. 57.* Si aūt Marcus non solū deliberauerit, & firmiter apud semetipsum statuerit, illam in vxorem ducere, & dotare, verum etiam animum habuerit, se in conscientia ad illa obligandi, tunc reuera ita obligatus remanebit, vt si hæc recuset, in sacramentali iudicio absolui nequeat. Atque ita talis p̄missio Deo implicite, & virtualiter intuitu pietatis fieri dicitur, & voti naturam induit; nisi obstaret, quod votum Deo factum de matrimonio contrahendo, prout castitatis, continentiæ, & religionis statum maius bonum impediens, ex multorum sententia, in iure non subsistit. *Conc. Trid. sess. 24. de matrim. can. 10.* Quare ex horum placito, cum iste promisit ducere illam viduam pauperem in coniugem non valide uouit, nec tenetur illam ducere; imo si velit matrimonio iungi, potest cum alia contrahere. Quod tamen intelligitur, modo sub conditione Deo non promiserit, hoc pacto, si nubam, ducam pauperem, vel puellam, vel uiduam, seu quam alā pietatis causa, &c. Idem dicēdum, si sentiens se carnis tētationibus succumbere, cum paupere, vel meretrice coniugium inire uouit, nam supposito quod velit matrimonio iungi, præstar in Dei honorem, & gloriam pauperem ducere, ut ab indigentia subleuetur, vel meretricem, ut à miseria, & statu peccati liberetur. *Sanchez. lib. 1. de spons. d. 4. n. 12. & d. 6. nu. 17. Bonac. de cont. disp. 3. q. 11. p. 1. Rossella. Angel. Sylu. & Tab. in v. pollicitatio. Bar. in l. Illud C. de sacros. Eccles. Reginal. l. 25. num. 81.* vbi aiunt, Promissionē censeri factam per modum uoti, quoties p̄mittens suā intentionē ad Deū direxit, quibuscunq; uerbis usus sit, siue dixerit, uoueo Deo, siue p̄mitto tali pauperi, &c. Imò qn̄ dubitatur, an qui promisit, voluerit ne hoī, an Deo potius p̄mittere, Deo p̄misisse præsumendus est, & successiue ad promissionē adimplendam astringendus; nā solidissima præsumptio à cōiter accidentibus desumitur, cōiter autem accidit, ut qui aliquid causæ piæ promittit, mente, & intentione in Deum feratur.

Vbi tamen illud incidenter aduerto, eum qui per donationē, seu promissionē ēt exterius factā, alicui pauperi, uel pio loco 100. dare se obligauit; etiāsi per modum uoti, hoc est principaliter propter Deum sit facta, si sit secreta, ita ut locus ille, uel pauper nullam contra promittentem actionem habeat, posse propria authoritate illam promissionem in melius, & etiam ut aliqui volunt, in æqualē commutare, alteri pio loco, operi, vel causæ, illa centum applicando. *Azor. p. 1. l. 11. c. 19. q. 12. Graff. consil. 6. de voto. Molfes. tr. 11. c. 15. nu. 168. & seq. Barbosa de Episcopo p. 2. alleg. 36. Barthol. à S. Fausto. de donat. q. 125. Henriq. l. 2. de pænit. c. 20. nu. 5. & ibi in gl. Sanchez. l. 4. de pracept. c. 41. nu. 7. & c. 49. q. 2. nu. 14.*

Porrò non teneri Marcum Liuiam in vxorem ducere, siue illi ut homini, siue Deo promiserit, ob mutuatum rerum statum, satis constat, nā qui iurauit, uel uouit cum muliere contrahere, propter superuenientem fornicationem, vel deformitatem eam repellere

pellere potest. *c. quemadmodum. ext. de iureiur.* Et regulariter promissio vltra intentionem promittentis non obligat. Hinc Seneca *de beneficijs* ait, Ad hoc ut quis teneatur facere, quod promisit, requiritur, ut omnia immutata permaneant. Vbi autem res in suo statu iacent, ex iustitiæ legibus soluere debet, etiam si postmodũ promissionis eum pœniteat, promittere. n. & soluere, seu pretium promissum, & pretium datum quò ad obligationem in uiro bono in iure sunt paria, *iuxta gl. in l. iubemus §. 1. C. de sacrosan. eccl.* Sic etiam in foro externo, dos data, & dos promissa, à pari procedunt. Et statutum, & pactum lucrum dotis deferens, etiam in promissa tantum dote locum habet. Item constitutio dotatas fœminas repellens etiam cum dos est tantum promissa procedit, ut prosquitur *Tiraquel. de retr. conuent. §. sexto, numero* 30.

Cõmissæ uero fornicationis uiolenta cõtra Liuiã militat suspitio, quod ille petulans iuuenis in domũ dictæ Liuiæ iuuenis, & formosæ mulieris, nocte sit deprehensus, ut late prosequitur *Mascard. vol. 1. de probat. concl. 61. & Menoc. l. 5. de præsumpt. præsump. 41. Euerard. in top. legal. in loco cõiter accidentib.*

Ad 2. quæst. dico, quingentorum illorum aureorum legatum, uel donationem causa mortis Ecclesiæ, pro sua, & suorum sepultura relictum, adhuc ei ab hæredibus deberi, etiam si ipse Marcus, & eius nepos in mortali peccato decesserint, & per consequens ipsa ecclesiastica sepultura sint priuati, tùm quia principalis huiusmodi donationis finis pia causa, & non sepultura fuisse uidetur, tùm quia per Reuerendos Fratres non stetit, quominus conditio sepulturæ adimpleatur, iure enim cõi receptum est quoties per eum nõ stet, cuius interest conditionem pleri, perinde haberi ac si impleta fuisset, quod ad legata, & ad hæredum institutiones producitur. *l. in iure ciuili ff. de reg. iur. Lopez. in instruct. conscientiæ. tom. 2. l. 6. c. 27. q. 1. Philar. de off. Sacerd. tom. 2. l. 6. c. 21. concl. 4. Nald. in pract. quæst. in v. legatum. n. 15. Sylu. in v. legatum. 1. q. 6. Iodoc. in v. legatum. nu. 4. §. 5. Vasq. de testam. cap. 8. §. septimum dub. nu. 35. Molfes. tr. 13. §. 5. nu. 50.*

QVESTIO XXV.

Quas regulas, & quæ documenta Confessarius pœnitenti in donationibus faciendis præbere debeat.

QVas nam præceptiones pœnitentem in largitionibus, & donationibus faciendis docere debet Confessarius?

RESPONSIO.

PRimo docebit donationem esse actum liberalitatis, quæ maximè ingenuum, & nobilem uirũ decet. Hæc. n. sibi quodamodo nobilitas legem imponit, ut debere ẽt q̃ ipse tribuit, existimet, & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstitisse putet. *c. 1. de donat.* Hinc licet donatio regulatiter non psũmatur, excipitur tñ si dans est nobilis, uel diues, & recipiens pauper. ut per *Mascard. vol. 1. de probat. concln. 544. Tiraq. de nobilit. c. 37. num 47. Mantic. lib. 13. tit. 17. de tac. & ambig. Menoch. l. 2. de arbit. Iud casu 88. Aupit. 1.* Nihil esse quod magis Deo nos similes efficiat, quàm beneficentia, & liberalitas, vnde & Deus dicitur à dando, quia omnib. dat, quidquid commodum est; vt propterea Apostolus *Act. c. 20.* dixerit, Beatius esse dare, quàm accipere. Pythagoras interrogatus, qua ratione homines ad Deum proxime accederent, respondit, si veritatem amplecterentur, & cunctis benefacerent. Considera ò hõ, ait *D. Ambr. l. 3. off. c. 3.* vnde nomen tuũ assumpseris, ab humo vtiq. quæ nihil eripit, & omnia omnibus largitur, ac diuersos in vsus omnium animantium ministrat, &c. Christus non solum misericordiæ affectum, & effectum erga eos ostendit, qui spiritualibus morbis laborabant, sed etiã in eos, qui corporalibus premebantur calamitatibus. Alexander V. Pontifex Max. tanta munificentia in homines præsertim in pauperes in tota vita sua fuit, ut per iocum dicere soleret, se diuitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, & mendicum Pontificẽ. Leonis item X. Põtificis ea uox erat, Principis loco indigni sũt, q fortunæ munerib. benefica manu uti nesciunt. Thomas Bricottus, ut alibi dixi, cũ Franciscũ I. Galliæ Regẽ cõmendaret, scire, & lepide dicebat, eum instar D. Francisci de Assisio, qua si stigmata in manibus gerere, cum manibus velut terebratis nil continere posset, sed sibi, & statui superflua in egenos erogaret. Sanè beneficentiæ virtutem, vel ipsa natura nos docet, sic. n. teste Cassiodoro geminas homini manus tribuit, geminas aures, & geminos oculos, vt robustius, diligentius, & largius ea peragerentur, quę ad adiuuandam aliorum uitam, & subleuandam necessitatem spectant. *Instin. in Thob. c. 1. vers. 19. doc. 1.* Et vt obseruat *Chanas. de prud. l. 4. c. 3. §. 2.* Non deerunt, quæ in Dei cultu, & proximi necessitatibus profundamus, si hoĩes frugi fuerimus, parsimonia, nãq. maximus est c̃sus, & ingens vectigal: Dauid ex conseruatis manubijs ingentem thesaurum comparauit, atq. ad templi Domini structuram retulit. Leo paratos semper habet vngues ad pugnam, quia incedendo illis parcit, &c. *arg. Beia. p. v. resp. casu* 32. Homo tamen, inquiebat Democritus potius ad largiendũ, q̃ ad p̃mittendũ promptior esse debet, donum. n. licet exiguum prodest egenti, verba autem, & magnifica promissa nulli sunt utilia, & ubi opus est facto, uerba non sufficiunt. Magna debet esse in promissione discretio, qa inanis promissio sibi de amicis comparat inimicos

Quemadmodum cupressus arbor sublimi, compositoq. in conum vertice, procul egregium quiddã polliceri videtur, at uix ulla sterilior est: tales sunt illi, qui splendida, ac magnifica oratione aureos pollicentur montes, nihil tamen horum præstant. Sapientia moro arbori comparatur, nã vltima flores producit, prima vero fert fructus. Ita prudentis non est diu ante ostentare, quid possit, vel velit; tarde promittere, & maturè præstare, & dare debet. Quippe verba inania censentur, quæ operi non iunguntur: Et verba fœminina sũt, facta masculina. *Iust. in Thob. cap. 1. vers. 19. docum. 1. Tiraq. l. 6. connub. num. 186*

Nil est in hac vita, quod magis hominum animos cõciliare aptũ sit, quã munerum datio, iuxta illud,

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Magis tñ Deo per donationes placere studeat, largiendo de bonis suis in ueras eleemosynas, & opera pia ad cultum Dei, animæ suæ salutẽ, & redemptionẽ pœnæ proprijs peccatis debitæ, quamuis hæc uerè & propriè non sit donatio, sed donatio, ob causam, & tantam, quæ omnes hominis fortunas superat, ut ait *Nau. c. 26. nu. 31.*

Donandum est igitur, sed modo adhibito, Primo rerum, vt perpendat, quid, quare, & quomodo promittat, vel donet, nam teste Seneca *l. 1. de benef. c. 1.* Beneficia sine vllo delectu magis proijcimus, quã damus. Et benefacta male locata, male facta arbitrari solemus. Certe benefaciendum est prius sanguine coniunctis, quàm extraneis, & reipublicæ vtilioribus, quàm minus vtilibus, & indigentioribus, quàm minus indigentibus; nam & sanguis ad membrum grauius affectum confluit, & belli duces de imbecilliori muri parte primam curam suscipiunt; & amicis, quàm inimicis, & magis probis, quàm improbioribus, vtpote cum uirtus illos tuo auxilio digniores faciat. Et virtutum premia tribui merentib. conuenit. *l. fin. C. de stat. & imag.* Mox & senibus potius, quã iuuenibus impendendum est, cum ut ait *D. Benedictus in sua reg. c. 37.* Ipsa natura quodammodo ad senum misericordiam nos trahat.

Hinc quidam philosophus rogatus quid esset in hac vita calamitosissimum respõdit, Senex indigus, & senex etiam amator. *Graff. cõs. 5. de celebr. miss. p. 1. Molfes. tr. 1. c. 16. num. 49.* Secundo cauendũ, ne beneficiũ, vel donatio facultates donantis excedat. Dabo egenti, ait idem Seneca, sed non ut ipse egeã, perituro succurram, sed non ut ipse peream. Et plures inconsulta largitione læduntur, quàm beneficio deuinciuntur. Hinc prodiga promissio non obligat, cum rerum suarum profusio uitium sit. Socrates videns quendam facile omnibus gratificari, nulloque delectu suppeditare, male pereas, inquit, q gratias virgines, vt scorta prostituisti. *Scot. lib. 4. de iust. & iure q. 7. ar. 1. Sanchez. l. 1. de matr. d. 14. Lessius l. 2. c. 18. dub. 1. num. 9.* Anaxagoras vere dicebat, magno cum negotio pecunias comparari, sed multo maiori opera conseruari; nam

Non minor est virtus, quam quærere parta tueri.

Sæpe pecunias quas vnciatim multo cum labore, quis corraserit eas vniuersas semel in vnius scorti marsupium effundit homo ignauus, prodigus, & inutile terræ pondus. Nimiæ largitiones liberalitatis, ac beneficentiæ fontem exhauriunt, & exhausto fisco, uel ærario, ad furta, uel extorsiones fit trãsitus. Nero certe cum eo consumpto non haberet unde luxui, & impensis inutilibus more suo indulgeret, latrocinijs, alijsque sceleribus animum adiecit.

Tertio Personarum ratio, & delectus quidam habendus est, vt maior, & propensior in egenos, miseros, & calamitosos, eos præsertim, qui ex felici statu exciderunt, liberalitas existat. Scitum est C. Cottæ apophtegma, quo dicebat operam suam se omnibus polliceri solere, sed ijs impertiri, apud quos optime poni arbitraretur. Diogenes quibusdã cuiusdam benignitatem prædicantibus, qui ei donauerat, respondit, quin & me laudatis, qui accipere merui. Plus est. n. meruisse beneficium, quàm dedisse; Publio sic attestante, Beneficium dando accipit, qui digno dedit. Quarto libenter, & læta facie tribuendum est, Fabius Verucosus beneficium ab homine duro, & aspere datum panem lapidosum uocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, & si acerbum. Petrus Aldobrandinus rogabatur quodnam beneficium maxime gratũ existimaret, respondit, quod petitum non fuit, & uere, qui. n. sua sponte impẽsius benefacit, eo magis Dei naturam attingit. *Beyer. in Apoph. christ. v. liberalitas.* Non quid detur refert, aut quid fiat, sed qua mente, Regum æquauit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter. Sane vt in summis opib. summam tenacitatem, ita cum magna paupertate ingentes animos munifica quadam generositate nobiles reperies, ut non tã munera, resque ipsæ, quàm donantis animus, & largiendi modus intuendus sit; neq. n. donorum magnitudine, aut paruitate, sed animo munificentia metienda est. Et hoc est quod heroico illo hemistichio significatur, Munerum animus optimus. Tantũ liberalitas potest, animusq. etiam in quacunque tenuitate munificus, vt benigne qui dedit, omnia dedisse videatur. Huic conditioni quinta additur, vt celeriter, & vltrò detur, vere enim Publius.

Bis est gratum, quod opus est, vltro si offeras,
Beneficium accipere libertatem vendere est.

Et Ausonius,

Gratia, qua tarda est, ingrata est, gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Errat, ait Seneca, si quis sperat responsurũ sibi, quẽ dilatione lassauit, expectatione torsit, grauissimis uiris nulla res carius cõstat, q̃ quę precib. empta est.

Bis

Bis dat q citò dat, qui vero tarde nec semul q dē, nā q tarde, multum ante rogatur, cumq. preces nummū pretio superent, quid quid post multas preces ab homine erogatur, non tam gratis datur, quā venditur. Hinc & Tobias de exiguo, inquit, quod habes, libenter imperti. A quo officio non excluduntur pauperes quorum uoluntas si prompta sit, secundum id, quod habēt, & si parū dent, multū Deo acceptū est.

Sexto requirit ut gratis, & sincero aīo det, q nā q. dat, ut commodū reportet, uel ei tribuit, à quo plura sit accepturus, non beneficus, sed fœnerator est. *ex Arist. in 2. Rhet.* Sic donare ad inescandos homines, vel ad corrumpendas iuuenculas scelus potius, quàm donatio, vel liberalitas dicenda est. Quales sunt etiam captatoriæ institutiones; dum quis aliū instituit non alio nomine, quàm vt vicissim ad instituendum impellat. *l. captatoria, & l. illa institutio ff. de hered. instit.* Quod quidem vitium lepide descri bit. *Mart. l. 1. epig. ad Gargilianum,*

Munera quod senibus, viduisq; ingentia mittis
Vis te munificum Gargiliane vocem.
Sordidius nihil est, &c.

Sanè tria hominum genera à vera, & christiana prudentia absunt. Primum est eorum, qui ob malū finem bonum agunt, siue sit lethale peccatum, ut cum diues egenti fœminæ eleemosynam erogat, ut ad turpem actum alliciat; siue ueniale, ut cum eandem aucupandæ gloriæ causa largitur. Secundus ordo illos complectitur, qui per donationes, uel eleemosynas ad aliquod duntaxat temporale cōmodū peruenire studēt. Et tales etiam indubie nimis abiecti sūt, uiles, sordidi, iniusti, ac puersi, merito apud Deum se euacuantes. In tertio genere sunt, qui uitijs, & peccatis suis finem bonum ascribunt, ut qui v.g. propter Deum furantur, uel ut habeant unde alienæ inopiæ medeantur. Quod nullo modo licet, ita ut illis quadret,

Displicet imprudens unde placere putat.

Hinc D. Aug. *d. contra mendacium. c.7.* ait non esse licitum, rem alienam accipere, ut per eleemosynā proximo subueniatur. Quod intelligitur quando ipse, uel sufficiēter ex suis rebus illi succurrere potest, uel quando proximus non extreme indiget. *Salon. 22. q. 66. ar. 7. Sayr. lib. 9. cl reg. cap. 14. nu. 24.* Septimo loco requiritur in donatione, ut perfidiosa inficiandi malitia absit, Antigonus Diogeni talentum petenti, dixit plus esse, quàm Cynicus petere debeat; Petenti vero nummum respondit, minus esse quàm Regem dare oporteat, subole namq. negabat, cum talentum dare posset, quia Rex erat, uel nummum, quia pauperi philosopho dabat.

Octauo cauendum, de ingrato querelam facere; Si Deum imitaris, dà etiam ingratis, nam & scelestis sol oritur. Beneficio tanquam bonus agricola homo uti debet, cura, cultuq. soli sterilitatē vincens. Ingratus non meretur, vt beneficium, & liberalitas in eum conferantur, si tantum ipsius personæ meritum spectemus, tametsi aliunde propter charitatis obligationem, erga omnes in casu necessitatis illi quoque benefaciendum est. Alex. Mag. regium esse affirmabat à quibus male audias, in eos beneficium conferre, & uel erga indignos liberalitatem exercere. Atque huc facit, quod proprium est animi ingenui, & nobilis donare, & etiam male de se meritis benefacere. *c. 1. ext. de donat. Tiraq. de nobilit. c. 37. nu. 34.* Pœnitens admonendus est, vt in uita quatenus sibi per facultates licet, Dei & pietatis causa donet, ut. n. D. Lucia matrem suam admonebat, Non satis Deo gratus est, qui illi hoc dat, quod secum ferre non potest. Quò spectat illud Sapientis *Eccl. c. 14.* Ante mortem benefac amico tuo, & secūdum vires tuas exporrigens da pauperi. *Fabia. Iust. super Tob. c 4. vers. 9.* Item ubi alicuius miseriam per eleemosynā, uel beneficētiam subleuauerit, caueat ne, ut loquitur *Iob. c. 31.* Solem videat cum fulget. &c. idest ne cum nimia complacentia hæc sua bona opera consideret, quasi valde admirāda, & à se vno profecta. Ea magis prætereat veluti minimam sui partem muneris, cui longe maior adijcienda superest. Sic *Apost. ad Philip. 3.* quæ retro erant obliuiscens, ad anteriora se extendebat. Et S. Ioannes Eleemosynarius ab ijs laudatus, in quos sua effundebat, dicere solitus erat, Quod debui facere feci, & nondum pro te frater, iuxta Domini præceptum, sanguinem fudi. De ingratis uideas *D. Th. 2 2. quæst. 106. ar. 4. Vals. tom. 3. d. 7. q. 4. Perald. in sum. virt. & vit. tom. 1 de iust. p. 13.* & indicauimus sup. *tr. 6. c. 8. q. 37. & seq.*

Articuli, quæstiones, & casus, circa materiam ultimarum voluntatum.

CAP. X.

De testamentis, & legatis.

QVAESTIO XXVI.

Quid iuris si alicui naturali filio duo mille titulo institutionis relinquantur, & filiæ legitimæ mille si nubat in sæculo, & quingenti si religionem ingrediatur, quid si ante professionem mortua sit?

GEruasius testamentū condidit, in quo Gandulpho filio naturali ex illicita copula nato, titulo institutionis duo mille aureos reliquit, & Iuliæ ex legitimo thoro progenitæ mille legauit, si in sæculo nubat, quingētos, si religionem ingrediatur, quæ ante professionem, mortua est. Quæritur quid circa hunc casum Cōfessarius respondere debeat.

SVP-

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE INSPECTIONES.

SVpponendum Primo, inter quasi contractus, & inter donationes causa mortis, ultimam uoluntatem constitui, quæ est gratuita dispositio de bonis in tempus sequens disponentis mortem; atque ultimæ uoluntatis præcipuam speciem esse testamētum. *Thusc. v. heres. concl. 51. & v. testamentum. conclus.* 134. quod quidem testamētum nihil aliud est, quàm uoluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod post mortem nostram fieri uolumus, cum hæredis institutione. Cuius diffinitionis prima pars tanquā genus ostendit, quod cōe est testamento cum contractib. & donatione inter viuos, nempe esse uoluntatis decretum exterius prolatum, requirens ad ualiditatem, ut fit iustum, nam iniquum non valet, ut illud in quo qs sine causa filiū hæreditate priuat, aut quando præscribit corpus suum in mare deijci, aut quid aliud cōtra bonos mores. *Menoch. l. 6. de praes. praes. 45 num.* 42. Ideoq. vltima volūtas testamenti genus non nisi post fata confirmatur, & non valet, dum viuit, qui testatus est teste *Apost. ad Hebr. cap 9. Rand. de analog. & aequiu. in iure. c. 27. Abb. l. 2. cons. c. 4. Didacus Spinus in Spec. testam. in gl. rubr. 1. Tusch. l. c.* Scđa pars de eo, &c. testamentum à donatione inter viuos separat. Reliqua vero pars cum hæredis institutione, à reliquis ultimis uoluntatibus distinguit, in quibus hæredes non instituuntur, sed legata, seu donationes ab hærede præstandæ tantū relinquuntur, aut aliud quippiam testamēto accessorium disponitur, ut fit per codicillum in usu positum ad aliquid in testamento explicandum, uel mutandum. Vnde appellatione testamēti largo modo codicillus continetur, adeò ut sub pœna nullitatis aliquid pio loco in testamēto relinquere obligatus, prout Ianuæ, & Florentiæ cauetur, si in codicillo relinquat, statuto vel municipali legi satisfactum sit. *Ias. l. 4. cons. 174. Tusc. v. testādi facultas. concl 91.* In quo sane codicillo conficiendo pauciora, quàm in testō requiruntur; siquidem iure cōi septē testes rogati, masculi, & puberes in eo necessarij sunt. In codicillo vero quinque siue rogati, siue non, siue masculi, siue fœminæ sufficiunt. Nec in his mulierū, uel rusticorum ignorantia admittitur, cum eorū inscitia in his nō excuset, q̄ pro forma actus inducūtur, præcipuè si peritiores consulere potuerūt. *Sylu. in v. testamentum. 1. num. 1. Lessius l. 2. c. 19. dub. 1. Clarus in §. testamentum. q. 1. Vasq. c. 1. de test. Mant. de coniect. vlt. volunt. l. 1. tit. 8. Malderus de iust. & iur. tract. 1. c. 11. dub. 1. Euerard. in top. leg. in loco à defectu formæ. Io. Mohed. & ibi addit. decis.* 106. *Roder. tomo 3. qq. regul. q. 68. ar. 1. & alij communiter.*

Secundo annotandum, testamentum duplex esse, nempe scriptum, quod quis condit, cum non vult, ut tunc aliquis uoluntatem suam sciat, in quo multę solemnitates à iure ciuili requisitæ interuenire debent, & nuncupatiuum, in quo testatoris, & hæredis, & legatariorum nomina, ac cœa quæ in eo continentur, nuncupantur. i. manifestantur, & hodie in communi praxi usurparur. Nec tale esse desinit, etiamsi in scripturam sit redactum, quia illa non tanquam forma additur, sicut in primo, sed scripturæ adminiculum adhibetur, quò facilius testatoris intentio p̄betur. Ex fine quoque, & obiecto testamentum diuidi solet; ut aliud est ad pias causas, aliud ad profanas; aliud inter liberos, & aliud inter extraneos. Rursus testamentum aliud nullum est, ut cum qui illud condidit, testamēti factione carebat, uel quod debitis solemnitatibus nudatur: aliud iniustum, & inofficiosum, ut cum minus legitima filijs absque iusta causa relinquitur, prout cū parentes cōtra pietatem nouercalibus delinimentis, & instigationib. corrupti, liberos à iusta portione excludunt. *l. nō est, n. ff. de inoff. testam.* Quem textū ibi notat Paul. de Cast. contra nouercas, quæ priuignorū hostes præsumuntur, unde nouerca dicitur nocens arcus. *Alb. in Dict. in v. nouerca. Bertrand. p. 1. cons. 336. Mascard. vol. 1. concl. 196. Tusch. v. nouerca. concl. 120. Aluarus de planctu Ecclesiæ. l. 2. c. 45. Tiraq. l. 9. connub. p. 9. gl. 1. nu. 196.* Aliæ uero distinctiones omittuntur, quia antiquatæ, & usu abrogatæ sunt. In quibus quidem testamentis sicut quilibet de rebus suis disponere potest, ita etiam illam dispositionem semper reuocare cuilibet licet, etiamsi in ea iuramentum de non reuocando appositum esset, & si reuocans peccato periurij se obstringat. Excipitur tamen religiosus, cui post professionem, testamentum antea factum reuocare ob uotiuam paupertatem integrum non est. *Molfes. tr. 3. c. 2. num. 148. & 161. Genuens. in Pract. eccles. q. 268. Sanchez. l. 6. de mat. d. 17. num. 11.*

Supponēdum tertio, ex aliquorum sententia, testandi facultatem hominibus quasi ex gratia cōcedi, testator. n. in id tempus disponit, quo dominus futurus non est, nam mors omnia soluit, & testamētum morte confirmatur. Communem tamen DD. assertionem esse, testamēti usum à iure gentium inuentum fuisse, & approbatum, & à iure ciuili receptum, ac solemnibus ritibus cohonestatum; & quantum ad uoluntatem attinet, dispositionem in uita testatoris effectum suum sortiri, licet ipsius uoluntatis executio post mortem conijciatur. Quippe naturalis ratio dictāt (ex qua oē ius metimur,) uiuos de rebus suis disponendi facultatem habere, eā autem morientibus denegari. Vnde est illud enunciatum, Quādiū ex testamēto hæreditas adiri potest, successio ab intestato locum non habet; cum. n. quilibet rerum suarum moderator, & arbiter sit, integrum ex iuris permissione ei esse debet, in testamento

to pro libito disponere,eiusq. uoluntatem pro lege haberi par est,dummodo bonis moribus,sacrosanctis legibus,& sanctionibus non aduersetur. §. *dispo nat.in Auth.de nuptijs.* Quod multo magis procedit in foro animæ,etiam in testamento minus solẽni,in quo hæreditas,& legatum debetur,cum ex tali testatoris dispositione naturalis oriatur obligatio.ut per *Molinam de iust.tr.2.d.81.& per Sayr.in cl.reg.l.3.c.7.nu.9. Lazar.in qq.can.sect.3. q. 6. & Filliuc.tr.34 c.7.q.4.& alios.*

Portò testorum vsus apud oẽs gentes plus q̃ manifestus est,& ueteris nouiq. testi authoritate cõprobat. *vt Gen.c.27.& Apost.ad Gal.c.3. Et NicepCalist. in hist. Eccles.l.2.cap.21.* vbi dispositionis B.Mariæ Virginis Deiparæ meminit. Sic apud Xenophontẽ. *l.8.* de Pœdia Cyri habetur, Cyrum ante mortem cõuocatis filijs,coram amicis seniori.s. Cambysi imperium,& regnum, alteri vero Medos,& Armenios reliquisse,& pia mandata dedisse. *Oinot.* §. 1. *instit. de testam.ord. Bursat.l.3.consf.226. Roder. l. c. Ozas. decis.* 100. Et Plinius secundus refert de quodam toto uitæ genere dissoluto, qui tamen moribundus optimum testamentũ cõfecerat,vnde colligit nõ semper esse ueridicum prouerbium , Testamentum esse speculum morum. *l. 8. epist.* 18. Hinc & Iuristæ dicũt in testamentis plenius testantium uoluntates interpretandas esse,cum reipub. intersit,ipsa testamenta locum habere, & legata in eis relicta paratam executionem sortiri. *l.in testamentis,vbi Dec. & Cagn. ff.de reg.iur.* Ideo *Ioseph.Lud.decis.Luc.59. nu.85.* dicit,quod opinio unius Doctoris,uel singularis,nõ obstantibus alijs sentẽtijs,est tenẽda,quando aliqđ testamẽtum defendit: Et ut ait *Mãtic.de coniect.vlt. volunt.l.2.tit.6.* In dubio præsumitur pro testatore, nec fieri dẽt interpretatio , in testamẽti perniciem; proinde qui illud impugnat,impedimentum probari eum oportet. Teste etiam *Tusch.in v.absurditas. concl.65.* Absurditas magna dicitur cum testatoris dispositio destruitur;& nullum dubitare,quin absurda dicatur interpretatio,per quam ipsius testatoris voluntas impugnatur. Addo testamentorum causã adeo à iure foueri,ut donatio omnium bonorũ præsentium,& futurorum non ualeat,quia ex tali donatione quis testandi facultatem sibi adimeret, quod leges maximè abhorrent. Sicut etiam in simili uidemus,donationem factam in pœnam mutationis testamenti à iure infringi. Siquidem lex noluit aliquẽ modum reperiri,per quem libera testandi facultas tolli possit,cum hominis voluntas vsque ad vltimos cineres ambulatoria sit. *Clar.de cõi atteftaus.in§.donatio.q.19.& Molfes.tr.12.c.17.n.47. Mancin.de iuram.p 4 effect.53.Tusc.v. donatio.cõcl.648.* An aũt ex simplici productione testi mors testatoris probet. tradit *Riccius in Prax.var.resol.for.eccl.resol.707.*

Quarto quemlibet nisi à iure prohibeatur,testandi potestatem habere,modo sufficienti rationis vsu potiatur,& liberam bonorum administrationem habeat. *Surd.l.4.consf.462.*

Item omnes non solum priuatos , uerum etiam communitates,hæredes institui posse, & legata eis relinqui,modo capaces sint, & à iure nõ impediantur. Siquidem ut quis hæres instituatur , uel legatis donetur,& plena potestas in disponente , & forma à iure præscripta,atque in hærede ipso capacitas, & habilitas requiritur. vt præfati Doctores prosequuntur,& *Regin.l.25.nu.624.& seq. Molina tract.2. de iust.d.154.& seq. Bonac.de contract.d.3.q.vlt.p.3.& Sylu. Aug. Tab.& Arm.in v.testamentum. Zecchius in sum.mor.de testam.c.58. Bustus in Rosar. par. 2. serm.1. Losaus.de iure vniuers.p.5.c.1.*

RESOLVTIO.

His sic præcognitis,dico, quod licet ex iuris ciuilis dispositione, filij illegitimi à paterna hęreditate excludantur: & tantum alimenta ad uictũ necessaria relinqui possint,multis tamen placet naturales filios etiam uniuersales hæredes institui posse,si eorum parentes legitima prole careant. *per l.humanitatis.& Auth.licet.C.de natur. liber. Lessius.l. 2.de iust.c.19.l.2.dub.6.nu.71. Regin l.25.nu.626. Beia p.2.responf.casu 3.incip.Ioannes filium. Molin. tr.2d.166. Bonac.de contract.d.3.q.vlt.punct.3.*

Item & si ex Cęsareo ipso iure legitimi filij in testamento hæredes instituendi sint, nisi eos paterna hæreditate priuandi causa subsit, nihilominus quò ad ius canonicum,quod potius ueritatem,q̃ uerba considerat,testamentum ualidum reputatur,si quid eisdem,sed non iure institutionis relinquatur. *Host. Abb.in c. Raynutius.ext.de test.* eosque sequitur *Guliel.de Beued ibi nu.10.& Marc. Ant. Gen. in Pract. eccles.Tricen,26.q.757.Tusch.v.Canones.concl.26.* Ac proinde prima pars propositi casus resoluta manet(nisi aliud ibi sit in vsu)integrũ fuisse Gãdulpho, summam illã mille aureorũ naturali filio suo quocũq. titulo relinquere. *Filliuc.tr.34.c.7.q.8.n.162.*

Ad secundam partem casus,an filiæ religionem ingredienti quingenti aurei tantum , an mille debeantur,resoluendo dico,in puncto iuris ueriorem illam esse sententiam,& in praxi magis receptã, nẽpè quod si pater mentem suam expressit, quod filiæ mille dare nollet,si in monasterium se reciperet, ut Deo per tria uota se consecraret , Geruasij hęredes illa dare non teneantur,sed tantum ad quingentos astringantur . Quæ assertio hac duplici ratione fulcitur. Primo quod pater rerum suarum dominus est,& pro suo arbitrio de illis disponere potest,quæ quidem paterna uoluntas satis manifestè exprimitur,si dicat , Si filia mea religiosa fiat,habeat quingentos aureos,si in mundo nubat mille. Secundo

succe-

succedit ratio, nam certum est, quod si in sæculo matrimonium contrahat, pinguiori, ac abundantiori pecuniæ quantitate indiget, tùm propter alendos filios, tùm ob matrimonij onera sustinenda, & alias expensas, quæ ad status, & familiæ conseruationem necessariò in sumendæ sunt, &c. Magni quippe, & ineuitabiles sunt cõiugatorum labores, & sumptus, quibus patiētia solum in remedium est, & subsid: & fi. n. impium, & illic tum esset, testatorem aliquā conditionem adijcere eo fine, vt à religionis proposito eā auerteret, iuste tamen posset eidem filiæ minus legare, si religionē ingrediatur, quàm si nubat, tùm quia filię, vt experientia docet, largiori opus est dote, tùm quia pater maiorem bonorum partē vult posteris, & familiæ relinquere. Quando quidem in sæcularibus uiris posteritatis propagandę studium sua laude dignum est, quando illius finis ad Dei gloriā dirigitur, nec ambitionis ardore peruertitur, nec auaritiæ sordibus corrumpitur, aut alio crimine, qđ Dei præceptis repugnet, non violatur. *l. liberorum. ff. de verb signific.* Si autem non ita manifestè ex testamento disponentis voluntas constaret, sed pro vtraq. parte probabiles rationes militarent, tūc dicerem, pro religione iudicandum esse, & per cõsequēs filiam mille consequi debere, siquidem in donationibus donantis volūtas semper est inspicienda, quæ si satis pateat, ad vnguem obseruanda est, si vero dubitetur, in meliorem partem illam interpretari debemus. Vnde etiam *Tusch. in v. æqualitas, concl.* 305. in simili ait, quod licet in dubio pater semper æqualitatem inter filios seruare præsumatur, attamen secus est, si de mente constet, quod voluit esse inæquales, quia tunc testatoris voluntas absolute pro lege seruāda est. Et ita ēt in terminis tenet *Graffius. p. 2. cons. 1. de testam diff. 2. Fulg. conf. 53. Boer. dec. 3.* dicentes hunc esse morē totius Italiæ, qui per oēs prudentes patresfamilias seruatur, ut filiabus aliquod monasterium ingredientib. minorem dotem ex sua substantia tribuat, &c. Atq. sic etiam sentit *Conar. l. 1. var. resol. c. 19. Dec. in c. præsentia. n. 233. extra de probat. Molina tract. 2. d. 207. Phil. de off. Sacerd. l. 6. c. 212. Farin. p. 1. tom. 1. decis. 9. Gabriel. l. 1. concl. 2. Graff. l. 2. decis. aur. c. 56. nu. 11. & c. 59. nu. 15. Mantic. de coniect. vlt. volunt. l. 11. tit. 18. nu. 29. Menoc. de præsump. l. 4. præsump. 83. nu. 26. Nald. in v. legatum. num. 43. Molf. s. tr. 12. c. 16. nu. 18. Ant. Thes. l. 1. q. 60. Gutier. in qq. can. l. 1. c. 32. nu 58. Sanch. l. 1. de matr. d. 34. nu. 13.* contra multos ab eo allegatos. *& Comit. l. 7. c. 7. Genuen. q.* 149. Et ita intelligenda sūt, q̄ tradidimus in *Cõment. hum. vit. stat. p. 2. c.* 20.

Ad 3. q. dico, dotem illam 500. aureorum datam puellæ pro religionis ingressu, si ante factam professionē decedat, monasterio nō acquiri, sed à ꝓximiorib. vendicari posse, si quidē ab intestato monialis nō ꝓfessa sui iuris est. *ex Cõc. Trid. sess. 25. de regul. c. 15.* & 16. vbi habetur, nouitio, vel nouitię, ante professionem à religione exeunti, oīa bona sua, quæ in monasteriū intulerat, restitui debere; q̄ ēt intelligendum est vna cum fructib. inde perceptis, deductis tamen alimētis illius temporis, quo in monasterio fuit. teste *Azor p. 1. l. 3. c. 9. q. 2.* Et nouitij nomine professi in his tantum comprehendūtur, quæ gratiam, & fauorem concernunt, & non quæ sibi pœnalia, & onerosa sunt. Atq hanc quæstionem resoluunt. *Menoch. vol. 4. cons. 396. Honded. vol. 1. cons. 44. Riccius resol.* 188. Posse tamen de dote sibi à patre constituta in fauorē monasterij disponere, si ante professionē moreretur, & extaret statutū, q̄ stantib. masculis fœminæ non succedāt, tradit. *Genuen. in pract. eccl. q.* 259.

Addo etiam huc, quod si nouitiam anno nondū expleto, in articulo mortis pro anima suæ consolatione, ex Pontificijs priuilegijs, ad professionem admittatur, non monasterium, sed proximiores agnatī in eius bona succedunt, tū quod priuilegium proprie ad lucrandam plenariam indulgentiam concessum fuit, qua religiosi, & sacræ virgines in illo uitæ termino gaudēt, ut patet ex Pij V. cõcessione incip. *Sane exhibita* de qua *apud Roder. tom. 3. qq. regul. q. 15. art. 6. & Mirand. in Man prælat. tom. 1. q. 22. art.* 10. Tum quia gratiam strictè interpretari debemus, quando in alterius præiudicium uergit. *c. cum olim. ext. de verb. sign.* Proinde eius bona sunt succedentiū ab intestato, & solum eiusdem professæ consanguinei monasterio pro alimentis vsq. ad mortem dictæ sanctimonialis correspondere tenentur, sic prętereo latos DD. contra *Io. Bapt Confess. in Compend. priuileg. p. 1. tit. de monial. c.* 13. tenet etiam *Molf. tr. 9. c. 12. nu.* 58.

QVESTIO XXVII.

An testamentum à Parocho coram tribus testibus conscriptum, in quo quis filium suum ad causas profanas instituit, & ad pias causas legata reliquit, in foro conscientiæ valeat; & an filius hæres pia legata adimplere teneatur: & num sacerdoti liceat testatoris volūtatem anteuertere; & an legatum sub conditione relictū, illa non adimpleta ante Iudicis sententiam restituendum sit?

Bernardus dum esset ruri, nec ibi notarius, uel tabellio adesset, Andream Parochum aduocauit, rogans, ut ipsius notarij uice testamentum suum coram tribus testibus conscriberet. In quo de bonis à se acquisitis filium suū hæredē instituit, ac de quodam fundo fideicommisso subiecto, & restitutioni obnoxio, cum iure patronatus, ecclesiam cum cõsensu ordinarij construi mandauit. Cum autem pōstea conualuisset, Curatus importunis precibus effecit, vt legatum illud reuocaret, & propriam sororem

paupe-

pauperē dotaret, & D. Caroli altare in sua Ecclesia ædificari curaret: quod ab ipso testatore præstitum est. Item cum Ecclesiæ eiusdem Andreæ Gregorius ducentum aureos reliquisset eo pacto, & ea conditione, vt centum missas vnius anni spatio celebraret sub poena, vt si intra illud tempus non celebrarētur, illud legatum ad Georgium suum consanguineum deuolueretur, ipse Parochus sex tantum missas pro Gregorij legantis anima celebrauit. Quæritur quid tàm in primo, quàm in secundo casu Confessarius respondere debeat?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

Respond. Suppono, Inter substitutiones quib. hæres alteri sufficitur, nempe vulgarem, pupillarem, exemplarem, & reciprocam, frequentiorem esse illam, quæ fideicommissaria dicitur, qua hæres ab intestato, vel testamento institutus, grauatur ut totam hæreditatem, vel partem eius. v.g. dimidiā, tertiam, aut quartam alteri qui fideicommissarius est restituat. Qui quidem hæres si sit de numero descendentium, aut ascendentium, ante omnia suā legitimam detrahere potest, quæ est certa portio bonorum, qua nequit suos descendentes priuare, & in ea quantitate à iure decernit, ut si testator quatuor, aut pauciores filios haberet, tertia ipsius bonorum pars inter illos æqualiter diuideretur, sin plures, quàm quatuor essent, dimidium bonorum inter eosdem distribueretur.

Si uerò sit alius hæres legitimam quidem detrahere non ualet, quæ non est ei à iure cōstituta, Trebellianicam tamen potest; qui. n. ea ratione est hæres institutus, ut onere alteri restituendi hæreditatē grauetur, quartā partem eius in quo institutus est, defecare ei licet, ne vana sit talis institutio. *Authen. nouissima & seq. C. de inoff. test am. §. sed quia stipulationes. Instit. de fideicom. heredit. Molina tract. 2. d. 182. Zechius in summa c. 59. Lessius l. 2. c. 19. dub. 7. Reginal. l. 25. nu. 629. Bonac. d. 3. q. vlt. p. 4. Molf. tr. 13. c. 4. num. 11.*

Secundo tribunal conscientiæ cui principali auctoritate præest Deus, ministeriali uero iurisdictione Sacerdos, omnia humana, & sęcularia tribunalia excedere, ut proinde huius tribunalis iudicia, & iura omnes alias humanas leges infirmet. Et cōiecturale iudicium, ac ciuilem pręsumptionem ueritati, certæq. sciētię cedere debere: unde cum positiua lex propter solemnitatum defectum testamentum, uel aliquem contractumn, ullum esse pronuntiat, sępe ex fallaci coniectura hoc statuit, siquidem dolum, & fraudem suspicatur, ergo cum dolus abfuisse cōspicitur, in foro conscientiæ actus ualidus iudicādus est: *vt per Tusch in v. forus conscientia concl.* 447. Et vt ait *Gennen. Tric.* 25. q. 734. de æquitate canonica valet testamentum nutu factum, etiamsi non sit ad pias causas, dummodò de disponētis uoluntate constet. Rectè apud *Tacit. Germ. l. 2. Annal.* Non hoc præcipuum, inquit, est amicorum munus prosequi defunctū ignauo quæstu, sed quę uoluerit meminisse, quæ mandauerit exequi. Scribit *Plin. l. 2. epist. 16.* propriā legē sibi dixisse, ut defunctorū uoluntates licet iure quasid eftituerent ptectissimas tueaē. Hinc à nobis aliàs est enuntiatio firmata; Imperiales leges noluisse irritare vltimas uoluntates, quæ aliqua careant solemnitate, ut testium numero, &c. neq. impedite voluisse illam naturalem obligationem, quæ ex natura rei oriri solet; sed eas tanquam legitimas ad probandam testatoris uoluntatem in foro exteriori admittere noluisse. Vnde si hæredi de uoluntate defuncti constet, legata in testamento minus solemni relicta persoluere tenetur, non solum quando ipsa legata sunt pia, hoc. n. clarum est, sed etiamsi extraneis personis debeentur. Hac ratione dicit et *Abb* ex cōmuni *cons.* 73. quod in foro conscientiæ, & si inuentariū nō confecerit hæres, nisi pro viribus hæreditatis nō tenetur, siquidem pręsumptio in animæ iudicio locum non habet. *Tusch. in v. heres. concl. 59. num. 24. Bonae. de contract. d. 3. puncto vlt. nu. 3.* ex traditis per nos. *tr. 5. c. 8. q. 53.*

Atq. supra firmatā assertionem, ut in puncto iuris veriorē, & cōi praxi receptā sequit̄ *Molina tra. 2. de iust. d. 81. Lessius l. 2. c. 19. dub. 3 nu. 14. Regin. l. 25. nu. 105. Lazar. de Monit. sect. 3. q. 6. Sayr. l. 3. cl. reg. c. 6. nu. 8. Ala. de aduoc. christ. q. 66. Mald. 22. trac. 1. t. 11. dub. 7. Tiraq. in legib. connub gl. 4. nu. 20. Mantica de coniect. vlt. volunt. l. 2. tit. 14. nu. 10. Surd. l. 2. Decis. decis. 346. nu. 25. Nau. cons. 1. de test am. Nald. in v. testamentum. Molf. tr. 13. c. 2. n. 147. Anneus Robert. l. 1. rerum iudic. c 3. Fusch. in singul. in v. voluntas. num. 46. & alij communiter.*

RESOLVTIO.

His sic positis, dico Primo testamentum à Parocho coram tribus testibus conscriptum, in quo Bernardus ad causas profanas filium suum instituit, & ad pias causas legata reliquit, in foro conscientiæ validū esse. Seu. n. ipse testator sciuerit, siue ignorauerit legis solemnia, siue seruare, siue non seruare potuerit, siue in terris ecclesiæ, seu extra eius ditionem, testamentum, quod condidit, dummodo à iure naturæ, uel gentium non recesserit, legitimum, & perfectum iure conscientię subsistit; cum de disponentis uoluntate constare sufficiat, & contra legem ciuilem, & humanam iuri diuino standū sit, in quo scriptum est, In ore duorum, uel trium stat omne verbum. *c. relatum. c. cum esses. ext. de test am.* ut late prosequitur. *Comit. l. 7. respon. mor. q. 1.* Quidquid aliqui senserint, ut *Menoch. l. primo, de præsumpt. q. 80.*

&

*& Bonac.de contract. d.3.q.1.p.3.& Ricc. in praxi. resol.*461.& nonnulli alij.

Atq; huc spectat notabilis. *D. Antonini* doctrina cũ *in 3.p.tit.* 10.§.14.his verbis loquit. Cum quis la nus,uel infirmus,qui est sanæ mentis,vltimo dispo nit de bonis suis,de quibus potest disponere,per sim plicem scripturam,vel per verba solum nõ coactus, vel circumuentus,sed libere sine notario,& testibus debitis, standum est eius talis dispositioni, in foro conscientiæ;& hæredes,quibus hoc constat,certitu dinaliter tenentur ad illud obseruandum, etiamsi prius per solemne testamentum aliter disposuisset. Executores etiam tenentur ad hoc,si certi sunt de vl tima voluntate,in quantum possunt. Vnde *B.Greg. relatus.in c.vltima voluntas.* 13.q.2.ait,Vltima vo lũtas defuncti modis omnibus seruari dẽt,vbi *glos.* dicit,quod intelligitur,cum voluntas est rationabi lis;nam si moriẽs vellet exhæredare filium sine cau sa,hæc uoluntas non est seruanda.In foro tamẽ cau satum,vbi proceditur secundum allegata,& proba ta,nisi sint sufficientes probationes per testes,& hu iusmodi,stabitur testamento solemniter facto,& si nullum fecit,iudicabitur ut intestatus, hæc ille.

Secundo dico,ex fundo subiecto fideicommisso, filium heredem Bernardi teneri ecclesiam, uel ca pellam construere,& dotare; cum vera,& probabi lis etiam sit multorum Doctorum resolutio, Bona fideicommisso obnoxia,sicut ex causa dotis, uel in eius supplementum,alienari possunt, vt per DD. *in Auth.res quæ.C.cõia,de legatis.Tusch.in v fideicom missum.concl.*284.*Peregr.de fideicom.ar* 42.ita etiã ad construendum,quæ necessaria sit ecclesiam, vel eam dote ornandam,distrahere ea licere,cum iura magis pietati,&religioni, quàm matrimonijs fa ueant.*Paul.Citad de iure patronat.in* 12.*q.* 2.*cau sa.Marc.Ant.Genuen.in pract.Eccles.Tricen.* 12.*q.* 333.*arg. Euerard. in topica legal. in loco à dote ad piam causam.*

Tertio non esse prorsus à culpa,& iustitiæ uiola tione immunem parochum illum ruralem, qui im portunis pene precibus,quæ quodammodo uim in ferunt,Bernardi animum ad illud piũ legatum reuo candum induxit,& sub pietatis specie in proprium commodum deriuauit.Vnde tùm ex hoc capite uis illatæ,tùm quod negotium iam perfectum erat, le gatum hoc rescindi non potuit; nam etsi testatoris uoluntas sit usq.ad ultimos cineres ambulatoria, ẽt si testator se eã non reuocarurũ iurauerit, ut ꝑ *Molf. tr.*13.*c.*2.*n.*153. Cum tamen ipse testator in eccle sia de consensu Ordinarij beneficium instituerit, & res iam perfecta sit,retrahi non poterit, imo ad exe cutionem.i.ad construendum,& dotandum,eum co gere licebit.*Lambert.de iure patron.l* 1.*p.*1.*q.*5.*art.* 8.*Genuen.l.c.q.*335.vbi aiunt, liga hoc dictum di gito,quia tibi i ad pluta deseruiet.

Ad resolutionem secundi casus propositi deue niendo,dico qđ & si explorati iuris sit, neminẽ tene ri ad soluendam pœnam legalem,aut conuentiona lem,antequam à Iudice præcipiatur,contrarium.n. asserere esset occasionem præbere hominib. in mul ta peccata ꝓlabendi, ut qui pœnarum contra seip sos inflictarum executores naturaliter fieri recusent, nihilominus hoc in pœna,uel conditione à testato re imposita locum non habet,*vt per gl. Abb. & alios scribentes in c.Raynaldus.ext.de testam.* Quando quidem cum quis quippiam sub conditione legauit huiusmodi conditio non est lex pœnalis,quia defun ctus cum sit priuata persona,legem condere nõ po terat,lex.n.actus iurisdictionis est,ergo est cõditio nale pactum.s.do,ut facias, & ideo si tu conditio nem non impleas,teneris mihi meum restituere, cũ non nisi adimpleta conditione, dominium trans feram,ex doctrina Soti cõiter recepti.*l.*1.*de instit.& iur.q.*6.*ar.*6. Et ut cõcors Theologorũ placitum do cet,cum contractus ex mera uolũtate nascatur, eius obligatio metas voluntatis contrahentis non exce dit;vt patet in voto,& iuramento, ubi obligatio se cundum intentionem vouentis,& iurantis attendi tur. Vnde cum testatoris uolũtas disposuerit illa du centum,sub illa determinata, & certa conditione centum missas infra annum in subsidium animæ suę celebrandi, velitq.vt illa non executa conditione,il lud legatum ad proximiorem consanguineum de uoluatur,ideo sicut reliqua à testatore disposita in diuersis casibus Iudicis declaratione non egent, ut cõstat de uxore relicta à marito domina, & vsufru ctuaria,cum conditione,si castè vixerit, hæc.n. siue clam,siue publice castam uitam nõ degat, in dñio, & usufructu ꝑseuerare non põt, tenetur q.de cõsum ptis à die quo honeste nõ uixit,ẽtsi nullus Iudex ad hoc cõpellat.Ita ĩ casu nr̃o cũ Gregorius testator ec clesiæ Andreæ Parochi sub conditione tot sacrificia in redemptionẽ animæ suæ legauerit, plane sequitur pacto,ac lege non seruata,noluisse illud legatum ad ecclesiam transire, ac proinde vllũ ius in illis bonis habere,ea que possidendo,excepto iusto stipendio ꝑ sacris iam factis,re aliena uti. *Abb.in d.c. Raynaldus. Caiet.in v.pœna.*Nau.c.23.num.67.*Beia.p.* 1.*casu.* 41.*Fernandes.p.*4.*c.*11.§.4. Necualet quod quis dicat,delictum Prelati solius non nocere ecclesię, ut habetur in *reg.delictum.de reg.iur.in* 6. in promptu enim est responsio,in acquisitis,& in his quæ donan tur,uerum esse, solum Prælatum ecclesiæ officere nõ posse:secus est quando donatio sub conditione fit; nam si solus Prælatus,uel Rector eam non seruat, do natio non ualet,quia in acquirendis præiudicare po test. *Innoc.in c.fraternitatem.ext. de donat. Angel in v.donatio.*1.§.48.*Tabie.eod.*§.14. *Beia in l.c.Tusc in verb.Prælatus concl.* 502. *Nald.v. Prælatus.nu.*7. & alij communiter.

CON-

CONFESSARII MVNVS.

PArtes Confessarij erunt, Parochum admonere, ut in posterum petentib. infirmis, quid pro anima sua relinquere possint, caueat, ne illud consilium præbeat, qđ auaritiam sapiat; sed potius generalib. verbis dicat, Fac locis pijs, & miserabilib. personis eleemosynam, & pro redemptione animę tuæ legata relinque. Aliquando tñ etiam propriam ecclesiā proponere poterit, si vere indigeat, sed tamē prudenter agat, ne alijs scandalum præbeat, vel ægri domestičorum offensionem incurrat. Vnde quia ecclesiastica dignitas, ac monasticæ religionis splendor in suspicionem sordidæ auaritiæ, quando ex illorum sollicitatione, pia eis legata accrescunt, facilè trahitur, multaq. alia mala inde consequi solent, plerisq. magnis viris uisum est, non decere, aut religiosos, aut quoscunq. ecclesiasticos, in rem suam, aut suorum, vltimæ voluntatis iudicium affectare. Nam cum sacerdotes sunt petaces. i. nimij, & importuni in petendo, & quærendo, oritur in consanguineis, & amicis oibus, à quibus pecunia, aliæq. res petuntur, opinio, qua secum ipsi suspicantur, & palam dictitant, clericos, & religiosos rerū temporaliū auidos esse, nō re vera, sed simulate uale mūdo dixisse, & aliqñ adagiū illud obijciunt, Si vultur es, cadáuer expecta; si quidē captatores testōrū, & hæredipetæ vulgata metaphora vultures appellantur, quod cadaueribus inhiēt, nā huic aui proprium est, mortuis tñ corporib. uiuere; unde & natura tmilli sagacitatis addidit, vt biduo, aut triduo illuc peruolet, vbi cadauera futura sint. *Plin. l. 10. c. 6. Scholiastes. in embl. Alciati. emb. 159. Manut. super illud adagiū, vultur es, &c.* D. Chrysostomus *hom. 13. in 1. ad Corint. 4.* meminit quosdam aut minis, aut falsis pmissionib. alios decipere, quos si vident, etiam paruæ possessionis dominos, persuadent, vt familiares omnes, & sæpe inopia conflictatos prætermittant, & se pro illis hæredes scribant, quos ille ferarum crudelitatem, atq. immanitatem superare asserit. &c. Non est sacerdotum testantia iudicia interuertere, aut perturbare, in supremo. n. uitæ positi suum habent iudicium, ut libere quod sentiunt testētur, ait *D. Ambr. l. 3. off. c. 9.*

Non diffitemur tamen, quin ad sacerdotes, & religiosos aliquoties spectet imprudentem testatorem monere, quando id spiritualis causa efflagitat. v. g. si multa iniuste acquisiuit, ut ea dominis suis, aut si eos ignoret, ut Christo domino restituat, si id vltro non faciat. Alioqui. n. eum male consulturum, tùm animæ suæ, cui non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, tùm etiam hæredibus suis, qui fere dicere solent, si parens noster ausus fuit reseruatis istis bonis mori, nos secuti ea seruamus. Rursus si ex carnalibus causis inæqualiter liberos hęredes instituat, unde periculū sit perpetuæ inter fratres discordiæ; siquidem cupressi hieroglyphico in folijs, & in fructib. æqualitatem obseruātis, suadetur in liberos hæreditariæ successionis iusta diuisio. De qua *D. Amb. lib. de Iosepho Patriarch. c. 2.* Iungat, liberos inquit, æqualis gratia, lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispēdium est. Quid inanius si propter fundum, aut domum, oriātur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter S. Iacob filios exarsit inuidia? hæc ille. Deniq. quādocunq. spirituale aliquod rimetur dispendium, aut testatoris, aut hæredum, & legatariorum, aut eorum, quos heredes, & legatarios scripsisse oportebat, aut etiam creditorum, quibus satisfaciendum erat, sacerdotis officium exigit, ut prudenter eum per se, aut per alios sapientes uiros moneat, & instruat, *Molanus de pijs testam. c. 69.*

Item ad memoriam Andreæ Parochi reducet eū ualde officio suo defuisse, cū in tàm graue animæ Gregorij iacturam sacra facienda ex crassa negligētia prętermisit, ob quam etiam ecclesiam suam huiusmodi legati emolumento priuauit. Quippe ad Episcopos pręcipuè, & ad Parochos eorum cooperatores, & adiutores spectat, ut defunctorum uoluntates adimpleantur, & summopere vigilare circa missarum celebrationem ab ipsis relictarum, in Purgatorio. n. carcere cruciatæ maxime contra sacerdotes clamant, Miseremini mei, quare carnibus meis saturamini? i. ecclesiarum redditibus, quos nostris laboribus acquisiuimus, & uobis donauimus? Vnde isti qui fidelium oblationes defraudant, necatores pauperum, infideles, fures, sacrilegi, in iure appellātur. *c. qui oblationes. 13. q. 2.* Proinde deberet Episcopus acriter in eos animaduertere, & apposita pœna mandare, ut omnes missæ, quæ in ecclesijs celebrantur, fideliter ab æditius describantur, & cum uisitat. an uoluntates defunctorum executioni mandentur, diligenter inquirere, & pro sacris non factis beneficiorum fructus, ut I. C. loquūtur, sequestrare. *Marc. Ant. Genuen. in Manual. Past. c. 72.*

QVAESTIO XXVII.

An quis fratre consobrino praterito possit extraneum instituere. Nūm hares testatoris dispositionem aliquando mutare. Item an hares teneatur testatoris Confessario credere, vt ex eiusdem mente aliquid disponat. Vtrum maritus qui in infirmitate vxoris medicum idoneum, & alia medicamenta necessaria non adhibuit, dotem à statuto sibi delatā lucretur.

MAuritius diues mercator, vir solutus, ac prole carens, prętcrito Salustio fratre suo consobrino, Florianum socium, & amicum suum in testamento suo hæredem instituit, illumq. grauauit, ut monasterium virorum in sua ciuitate ædificari curaret. Cum autem Episcopus, cuius cōsensus necce-

sario ad hoc opus exquiritur, illud construi renuat, ea de causa, quod multi alij religiosi ordines tàm virorum, quàm mulierum, & pia loca ibi adsint, quę ob ciuium paupertatem, & inopiam commode ali nequeant, ipse hæres uellet in quodam vicino oppido illud extrui.

Item in ipso testamento adiecit, ut hęres illa præstaret, quæ Cōfessarius ei diceret pro obligationum satisfactione, quibus tenebatur. Quo mortuo uolēs ipse Florianus defuncti uoluntatem adimplere, à Confessario petijt, ut ei aperiret, quę piá opera testatot facere iusserat, & ille respondit, ut ei 500. aureos traderet, quò ipse ex eis secreto faceret, quæ testator suus pœnitens ei commiserat. Insuper ipsi Cōfessario aperuit, in curanda uxore sua infirma, se olim negligentem gessisse, nam medicum tarde admodum, & imperitum ei adhibuisse, & opportunis pharmacis, & medicamentis, ob auaritiam se usum non fuisse fassus est, vnde nunc dubitat, an lucro dotis sibi à statuto delatæ gaudere potuerit, quęrirur quid in pręsenti casu à Confessario sit respondendum, & consulendum?

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE INSPECTIONES.

REsp. Suppono Primo, Circa hæreditatem de iure communi tres esse gradus, siue consanguineorum lineas, s. Ascendentium, siue parentum, Descendentium, siue liberorum, & Collateralium, vt fratrum, & consobrinorum, &c. & testatorē quàdiù habet aliquem ex Descendentib. vel Ascendentibus teneri eos hæredes instituere, uel ex causa hæreditate priuare. Sed duabus illis lineis deficientibus non astringi ex iustitiæ legibus collaterales instituere; vnde nulla de illis mentione facta, integrum est, quosuis alios, modo non turpes personas, ad hæreditatem suam admittere. *Beia. p. 1. respons. casu 57. Bonac. d. 3. q. vlt. p. 3.* & est cōis sententa.

Scdō *in Cōc. Trid. sess. 25. de reg. c. 3. & Roder. tom. 2. qq. reg. q. 49. ar. 3.* sanciri ut in monasterijs, & domibus tàm virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui ex redditibus proprijs monasteriorum, vel ex cō suetis eleemosynis commodè possit sustentari: nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cuius diæcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. In Decreto etiam Clementis VIII. incip. *Quoniam ad institutam*, statui, locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos Conuentus cuiusque etiam Mendicantium ordinis, in Ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis, erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuētuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs quorū res agitur, constiterit, in eisdem locis nouos huiusmodi erigendos conuentus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse, vt habetur apud *Vgol. de off. Episc. p. 1. c. 20. §. 6. & Piasecium in praxi episc. p. 2. c. 3. nu. 47.* Aliquib. rā religiosis ordinibus per priuilegium concessum est, vt de sola Ordinariorum licētia, nullo aliarum personarū cuiusuis ordinis requisito consensu, monasteria constructa, seu ab alijs erecta recipere possint. *Alex. Pereg. in Compend. Priuileg. Congreg. cler. reg. in v. Aedificare.*

Tertio testatoris voluntatem tāquam legem habendam esse, ita ut quod In testamento disposuerit, ad vnguem sit obseruandum *§. disponat in Auth. de nupt.* vnde obligatus ad aliqd in certo loco faciēdū, aliud, vel alibi id præstando, non liberatur. Hinc alibi intulimus, Capellanum institutum ad sacrum faciendum in certo templo, oratorio, vel sacello, præscriptis diebus, fundatoris, & testatoris menti, & obligationi propriæ non satisfacere, si alibi tem diuinam faciat, cum lex, & testator æquiparentur. *Nauar. de oratione. c. 5. nu. 2. & 12. Euer. in topic. legal. in loco à lege ad testatorem. Menoch. tom. 6. cons. 644. Azor. p. 1. l. 10. c. 24. q. 8. arg. Simon. de Prat. lib. 1. de interpr. vlt. vol. l. 1. interpr. 1. dub. 4. Mant. de cōiect. vlt. volunt. lib. 10. tit. 6. & l. 1. de tacit. & amb tit. 17.* Hinc est, quod in interpretandis vltimis voluntatibus, in primis inspicitur, quid testator senserit, nam vbi de voluntate cōstat, præsumptiones, & interpretationes cessant. Et semper illa interpretatio fieri debet, quæ secundum testatoris ipsius mentem magis verisimilis est, & quæ exponat, declaret, non autem eius voluntatem perimat; adeour potius à verborum significatione, quàm ab ea recedendum sit. Quo fit ur legatum factum à marito vxori, si caste, & honeste vixerit, ex cōi usu loquendi, & præsumpta testatoris voluntate, amitti dicatur, si ipsa secundas nuptias contrahat, cum per illas anima ipsius mariti contristetur, vt ex communi air idem *Mant. l. 11. de coniect. vlt. volunt. tit. 19. nu. 31.* Et cum omnia testatorum præcepta, quæ legibus, & bonis moribus non repugnant, legis uim habeant, dicendum etir, quod si testator hæredem, tota hæreditate, vel parte sibi relicta priuauerit, si vxorem in vsufructu molestauerit, si contingat eum huic præcepto non paruisse, etiam in foro conscientiæ, priuationis pęnā non effugiet. *Abb. & Couar. inc. Raynaldus. ext. de testam. Riminal. in cons. 275. Ala de aduoc. p. 2. q. 10.*

Quarto cæteris paribus melius esse, Deo acceptius, & magis gratum, monasterium, seu regularem Ecclesiam ædificare, quàm collegiatam sæcularem constituere. Primo quia religiosorum status pręstantior est, quàm sæcularium. Sunt. n. in statu, & perfectionis schola positi, quorum proinde preces cum meliorum sint, Deo magis gratæ, & acceptæ, efficaciores

ciores sunt. Secundo quia non tantum orationibus, confessionibus audiendis, prædicationib. & lectionib. habendis, & bonis exemplis ædificant, verum etiam multis alijs modis, & rationibus, militanti ecclesiæ prosunt, &c. Tertio quod paupertatis status magis Deo placet, quem ipse Christus in se suscepit, prædicauit, & Apostoli secuti sunt. Quarto magis Deo placet, qui se Deo voto obstringit, quã alij qui sine voto id faciunt. vt per *D. Thom. 22. q. 88. ar. 6. & q. 184. art. 3.* ergo illorum opera magis prodesse poterunt ei, qui monasterium aliquod cõstruxit, quàm aliud quodcunq. opus. vt tenent *Nauar. consilio 1. de reg. Roder. tom. 2. qq. regul. q. 49. art. 2. Miranda. tom. 1. Man. Prælat. q. 33. art. 6.*

Quinto vni testi in re magni momenti, si est fide dignus, possumus quidem credere, sed nõ tenemur. Aliquando tamen vnus testis probat, vt cum nulli fit præiudicium, sicut quod quis sit baptizatus, ecclesia consecrata, uel cum impediẽdum peccatum, vt illiciti matrimonij, vel de consensu partium, vt cum quis dicit se cõfessum, vel de eius licentia Cõfessor pœnitentem esse emendatum; se in tali causa esse delegatum (si probus vir, ac integræ fidei habeatur) quod tot, & tales missæ sint in tali ecclesia, vel altari celebratę, &c. Sic in Paschate non est à Parocho illi Eucharistia deneganda, qui approbato Cõfessario se confessum asserit, modo sit fide dignus, nec publicus sit peccator: & si nullam schedulam, vel testem eius rei exhibeat; quamuis improbanda non sit Parochorum consuetudo, qui in scriptis confessionis testimonium exigunt, &c. *Bonac. de sacr. d. 5. sect. 2. p. 4. Nald. in v. Eucharist. nu. 18. Tusch. ver. asserenti. concl. 806. Salon. 22. q. 69. art. 2. Sayr. l. 12. cl. reg. c. 21. nu. 15. Sà in v. testis. n. 1. Molfes. tr. 13. c. 5. nu. 168. Mascar. vol. 2. de probat. concl. 1091. Mar. Ant. l. 1. resol. 74. etiam sup. tr. 8. c. 3. q. 8.*

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

His sic præiactis, Dico primo Mauritium iuste Salustio consobrino præterito, potuisse Florianum socium, sibi non attinentem, hęredem instituere, modo non extreme egeat, nullumq. sit oriturum scandalum ex eo quod illum præterierit, nullaq. de eo facta mentione, quidquam ei reliquerit, cum vt supposuimus, nulla extet lex, quæ præcipiat, ut deficiẽtib. descendenrib. & ascendentibus, in collaterales bona conferãtur. *Beia. p. 1. respon. casu 57. Salon. 22. q. 5. de dñio. ar. 5. concl. vlt. Syl. in v. testm. 1. §. 10. Nau. c. 26. nu. 36. Molan. de pijs testam. c. 22. Bonac. de contr. d. 3. q. vlt. p. 3. nu. 13.*

Atque huc spectat quod inter à Christi fide alienos Solon cum antea Atheniensibus ius non esset testamenta condere, liberum eis fecit, non extantibus liberis, cui visum esset, sua donandi, amicitiamque propinquitati, & gratiã necessitati pręferendi, si mõ neq. dolo, neq. vi, neq. voluptate, aut blanditijs vim paterentur, nec de statu mẽtis deijcerent, &c. Admonendus tñ esset Mauritius à Cõfessario, vt in signũ christianæ charitatis, q̃ suggerit, vt prius nr̃is, quã extraneis subueniamus, aliq̃d Salustio legaret. *c. nõ satis. d. 86. Anch. cons. 436. Tusc. in v. charitas. concl. 220.* Præsertim cum Doctores non desint, qui asserant, charitatis, ac iustitiæ leges abeo uiolari, q omissis consanguineis, extraneos hęredes instituit: ꝑinde hęredes sic institutos, bona sibi relicta, sãguine coniunctis ipsius testatoris, restituere debere. vt per *Riccium in decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 213.* Vt omittam etiam magnam notam, & iniuriam ipsis consanguineis pręteritis irrogaram censeri, ut è contra veteres honori ducebant, si morientis testamento hęredes instituerentur, vel quantum libet ẽt modicum supremo morientium iudicio relinqueretur, eo quod hoc ipso eorum fides, probitas, & integritas, vltimo ex hac uita decedentis arbitrio, probata, eius liberalitate digna videretur, teste *Paulo Monta. tr. de tutelis. c. 26 nu. 3.*

Secundo dico, quod si monasterium legato, seu testamento ædificari mandatum, certo, ac determinato loco, ob iustam illam causam ab Episcopo adductam, ædificari non possit, non liberum est hæredi illud in aliud opus commutare; sed de eiusdẽ Ordinarij, & Executoris testamẽti consensu, alibi de verisimilis testatoris uoluntate construendum erit. *c. tua nobis. ext. de testam. vbi Abb. & Conar. Molina. tract. 2. d. 249. Zecchius. in summa. cap. 58. num. 33. Graff. cons. 2. de testam Beia. p. 4. respon. c. 22. Comit. l. 7. q. 9. Gennen. in Man. Past. c. 73. Vgol. de off. Episc. p. 2. c. 61. Card. Tusch. litera L. concl. 114. Rota Rom. in nouiss. lib. 3. decis. 1122. Riccius in praxi fori eccl. decis. 576. Marius Antonin. l. 1. var. resolut. casu 40. Miranda. in Man. Past. regul. tom. 1. q. 33. art. 7. Bonac de contr. d. 3. q. vlt. p. vlt. nu. 33.*

Tertio si ille Confessarius, cuius dicto pro obligationibus adimplendis, ipse testator stãdum iussit, est honestæ, ac probatæ uitę, & spectatę virtutis, atq. commẽdatæ famę, dico ei soli fidem eẽ prẽstãdam, teneriq. hæredem pecuniam dare, ut illam, prout ei dixit testator, disponat. Sicut etiam in simili ipsi Confessario fidem habendam esse DD. asserunt cum in controuersiam vertitur, an de licentia pęnitentis confessionem reuelauerit. Siquidem etiam Iudici creditur in his, quæ ad eius officium spectant, & aliter sciri non possunt, quia in eis pro ipso Iudice præsumitur. vt per *Mascar. de probat. concl. 951. Molfes. tr. 7. c. 23. nu. 65.*

Ideoq. eo magis, q fraus in Sacerdote non pręsumitur, quem sola religio commendare debet; licet olim multæ de clericis audirentur expostulationes, quod captatorijs blãditijs legata extorquerent

rentinam ut ait *Saluianus l.4.de guber. Dei*. Aliquã-do atrocius sub nominis ꝓfessione peccatur. Et vbi solemnior est prærogatiua, grauior est culpa. *Anneus Robert.l.1.rerum Iud.c.3.Nau.de testam.cons.16. Zechius.p.2.c.61.nu 15.Mant.l.3.tit.19. Sà in ver. testamentum.nu.31.Gutierez.in l.nemo potest. num. 247.ff.de legat.2.Nald.in v.testamentum. num.11.*

Ad quartum caput casus propositi, seu ad quartã quęstionem respondendo dico, Mauritium, qui in curanda uxore morbo laborãti, valde negligentē, & impium se prębuit, dotem ipsius vxoris sibi à municipali lege delatam, lucrari non potuisse, & per cõsequens etiam in foro conscientię coniugis defunctę hæredibus esse restituendam, nam ut in terminis firmauit *Alex.in l.7.cons.23.& 183.* Medicos adhibere debet maritus in infirmitate uxoris, & alia medicamenta, aliàs lucro dotis sibi à statuto d. l. *itæ* priuatur. Imo si quis in ea nimis tarde adhibet, in culpa esse dicitur, ac si non adhibuisset, & cum sequitur *Tusch.v.Medici.concl 161.* Addunt alij decisionem hanc locum habere, etiam si medicum, sed imperitũ adhibuisset, si quidem paria sunt non accersere medicum, & imperitum uocare. *glos.in l.3.ff.de his, quæ vt indig. aufer.* Imo istud quodammodo peius censendum est, medicus.n. imperitus, vt est in vulgato adagio, plura gibbosa facit cæmiteria, quã corpora sanet. Vnde cũ *Apostolus 1.ad Timot.v.* infideli deteriorem cum iudicauerit, qui ne domesticorum quidem curam habuerit; multo magis qui imprudérer, & impie vxoris suæ, diuinæ, atq. humanæ domus sociæ debitam curam, & optatam salutem neglexerit: vt propterea eius bonis merito sit priuatus, cum iuxta vulgatum pronuntiatum, Qui non facit quod debet nõ recipiat quod expectat. videatur. *Rolsnd. de lucro dot.q.66.& seqq.& Iodoc. Darchon.in Enchir. parium.v.medicus. Boerius.decis.323.nu.24. Tiraq. de nobilit.c.31.n.396. Actius de Infirm.p.1.rub.47.*

Non tamen illorum sententia est improbanda, qui tenent, Mauritium ante Iudicis sententiam, vxoris defunctæ bonis se abdicare nõ teneri, ex illo principio, quod nemo in foro conscientiæ, nisi à Iudice compellatur, legalem pœnam soluere obligatur, ẽtsi ipso iure, vel facto incurratur, quando pœna est talis naturæ, quæ aliquam executionem requirat, qualis est bonorum amissio, &c. vt tradidimus *sup. p. 1. tr. 5.c.8.q.55.* Ac proinde eius hæredes, ad quos dicta bona deuenerunt, à restituendi obligatione, antequam à Iudice exigantur, immunes erant. *arg. Sanchez.l.2.de precep.c.14 n.31.& Bonac. de cõtr. d.3. q.vlt.p.3.n.1.* cũ aliis relatis, vbi satis ꝓbabiliter tenẽt, posse legata, & acceptã hæditatem ab hæreticis retineri, donec per Iudicis sententiam priuẽtur, aut saltem donec catholici hæredes eos excludere attententent, hęc.n. est pœna, quę cum hoc rigere usu recepta non uidetur, ut sponte statim restituant. &c.

QVÆSTIO XXVIII.

Sacerdos cui certa pecunia fuit ab amico relicta, vt in quasdam causas erogaret post eius obitum, an vi monitorialium literarũ reuelare teneatur. Legata relicta puellis pro dote, an debeantur, si moriantur antequam nubant. Vtrum si plus expenderit quã testator præscripserit, possit sibi compensare. Num si missa in aliquo altari semel, vel bis in hebdomada sint celebrata, nec appareat de onere, Capellanus in futuro celebrare teneatur. Nunquid quò ad Missarum celebratarum probationem, sacerdotis assertioni standum sit; & intra quantum temporis spatium pia legata exequenda sint.

ALbertus cum longo, & diuturno morbo conflictaretur, apud Syluestrum sacerdotem, de cuius integritate multum confidebat, sine scriptura fidem faciente, certam, & notabilem pecuniæ quantitatem hac lege, ac cõditione deposuit, ut post eius obitum de eisdem nummis duas pauperes puellas in matrimonio collocaret, capellam in ecclesia D. Pauli erigeret, cum certo missarum onere, iuxta disponentis intentionem, eidem sacerdoti significatã. Alberto defuncto, cũ eius hæredes monitoriales lr̃as cõtra bona, uel occultas pecunias ipsiusmet Alberti vita functi detinẽtes, ab Episcopo obtinuissent, multa dubia insurrexerunt. Primo an dictus Syluester sacerdos prædictam sibi concreditam summam restituere, vel reuelare teneatur; vel potius sibi cõmissa, absq. manifestatione adimplere: & dato quod hoc præstare à iure non cogatur, an secundo, si illæ puellæ decedant antequam nubant, debeatur legatum. Tertio nunquid si iste sacerdos plus de suo in capella extruenda expendit, quàm disponens præscripsit, possit clam surripere, & sibi compẽsationem facere. Quarto an si missæ in dicta capella bis in hebdomada per decennium sint celebratæ, nec de onere, uel fundatione constet, Capellanus ibi rem sacram facere in posterum teneatur. Quinto vtrum quò ad missarum iam celebratarum probationem, Capellani, vel sacerdotis fidei, ac assertioni standum sit. Sexto intra quantum tempus hæc commissa, & legata sint præstanda?

RESPONSIO.

CVm ob alibi à nobis allata, pręulijs inspectionibus, quò ad præsentium quæstionum resolutionem, opus esse non uideatur. Primę quæstioni resolutorie respondẽdo, dico, Syluestrum nil restituere debere, nec reuelare teneri; si quidem monitoriũ edictum contra detinentes latum, de his qui iniuste detinent, intelligendum est, aliàs notorie esset iniquum, & manifestum iuris errorem contineret, quo

casu

casu non ligaret, sed cum iste in cuius manu illæ pecuniæ sunt depositæ, bona defuncti voluntate retineat: ergo monitorialium literarum virtute ad restituendum, vel denuntiandum cogēdus non erit; nec pariter scientes, cum naturam principalis sequātur, palam facere astringuntur. *Nauar. cons. 7. de senten. excom. Ripa in trac. de peste. tit. de remed. ad cur. pest.* §. *sed quia. nu.* 118. *Sayr. l.* 12. *cl. reg. c.* 14. *num.* 31. *La Zar. de monit. sect.* 3. *q.* 4. *Fillinc. tr.* 14. *c.* 2. *q.* 9. *n.* 40. *Gutierez. l.* 1. *can. q. c.* 11. *nu.* 67. *Bonac. de cens. q.* 6. *p.* 1 *num.* 26.

Nec obstare potest, quod huiusmodi scriptura in externis tribunalibus non probet, quādoquidem in foro poli, & conscientiæ, de quo quæritur, omnis cui detestantis defuncti voluntate, licet non solemni, ꝑ se constat, relicta retinere potest. Forus. n. conscientiæ, & animæ apices iuris, & verborum formulas nō admittit, sed ipsam nudam rei veritatem attendit, vt omnes æquiori sententiæ innitentes, tradunt *in c. quia plerique. extr. de immunit. eccles. & in l. nemo potest. ff. de leg.* 1. *vt ait idem Sayr. l. c. l.* 3. *c.* 7. *nu.* 8. *Malder.* 22. *tr.* 1. *c.* 11. *dub.* 7. *Ala de aduoc. christ. p.* 1. *q.* 66. *Mol. de iust. tr.* 1. *disput.* 81. *&* 134. *Spinus in spec. testam. gl.* 31. *nu.* 26. *Molfes. trac.* 9. *c.* 8. *n.* 61. *& tr.* 13. *c.* 2. *nu.* 141. *LaZar. l. c. Tusch. in ver. forus conscientia. concl.* 447. *Salas de legib. d.* 16. *sect.* 12. *nu.* 45. contra multos præsertim. *Bonac. de contr. d.* 3. *q.* 1. *p.* 3. *nu.* 5. *& de leg. d.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 3. *nu.* 9.

Quippe nulla priuati commodi, vtilitatisve propriæ ratio Syluestrum ad hoc pium opus suscipiendum inuitat, sed cum Albertus eius conscientiam, & ministerium elegerit, ipsa fidei morięti præstitæ religio facit, ut sine aliqua pudoris, aut impietatis nota, officio suo deesse nequeat. Et ipsi hæredes quib. satis esse deberet, defuncti voluntatē nosse, uix pertinaciam suam apud bonos excusabunt. Et quidem *Plinius lib.* 2. *ep.* 16. vt supra insinuaui. *c.* 10. *quæst.* 27. scribit, se propriā quandam legem sibi dixisse, ut defunctorum uoluntates licet iuris solemnitatibus destituerentur, quasi perfectissimas tueretur.

Et Eusebius Constantinus refert generaliter sanxisse, quibuscunque modis expressa testantium iudicia valere; cum sane nullum maius sit mortis solatium, quàm uoluntas ultra mortem, ait *Quin. declā.* 308. Et recte apud Tacitum Germanicus, Non hoc, ait, præcipuum amicorum munus est prosequi defunctum ignauo quæstu, sed quæ uoluerit, meminisse, quę mandauerit exequi. *Ann. Rob. l.* 1. *rerum ind. c.* 3. Sic in re simili dicit *Farinac. de testib. q.* 61. *numero* 126. solere religios viros Dei obsequio mancipatos à testatoribus in testes adhiberi, tanquam legaliores, & sub spe quod eorum uoluntates non reuelent.

Ad 2. q. dico, vt alibi aduerti, si illæ puellæ antequam nubant, decesserint, Iudicem in foro externo, & Confessariū in interno iudicio, ex uarijs coniecturis arbitrari debere, nunquid testator ad animæ salutem respexerit, uel potius ad fauorem illarum puellarum, quas nominauit, uel ad earum merita rationem habuerit, utputa si ei longo tempore inseruierunt; nam in primo casu legatum non defecisse intelligitur, sed alij, pietatis, & religionis intuitu, pro defuncti animæ salute præstandum est. Sic in simili dicimus, legata pia nunquam caduca fieri, & ita esse interpretanda, ut quouis modo ualeant, & si solui nequeant, cui relinquuntur, alteri pio loco applicari debere. *Tiraq. de priuileg. pia causa. priuileg.* 33. *Tusch. v. legata pia. concl.* 109. *&* 110. Et legatum relictum puellis pauperibus pro dote deberi ipsis sine dote, uel cum modica dote nuptis, quia causa pietatis adhuc durat, & uoluntas testatoris omni meliori modo adimplenda est, ut tradit *Genuen. in pract. eccles. q.* 386. Quod etiam nos alias obseruauimus.

Posteriori uero casu legatum extinctum cēsetur, & remunerandi gratia reliquisse præsumitur; ideo cum ipsæ puellæ ante condirionis implementū decesserint, legatum intercidere, & apud hæredes remanere dicendum est, ut per *Mantic. de coniect. vlt. volunt. l* 8. *tit.* 5. *nu.* 23. *& per eundem Genuensem in pract. eccl.* 387. *Carbon. de rectit. q.* 44. *arg. Sanchez. l.* 1. *de spons. d.* 4. *num.* 9. *& Bonac. de cont. d.* 3. *q. vlt. p.* 5. *n.* 5. Si autem testator, uel disponens certā quantitatem pro puellis maritandis legasset, & illæ adhuc uiuente testatore nupsissent, certum est legatū extingui, nisi essent pauperes, & testator eas esse nuptas sciuerit, & cum testm̄ mutare potuerit, nō mutauerit; intelligitur. n. cum eadem uoluntate decedere uoluisse, ac proinde ipsū legatum, ac si nuptæ non fuissent, debetur. idē *Mātica. de coniect. vlt. vol. l.* 17. *tit.* 1. *Genuen. q.* 386. *argum. Sanchez. libro* 7. *de matrimon. disput.* 91. *nu.* 65. *& Gutierez. cap.* 20. *numero* 28.

Ad 3. q. respondendo mihi dicendum uidetur; perpensa conditione defuncti, & eius facultatibus, posse boni uiri arbitrio considerari, an Syluester bene illud pluris de suo expenderit, etsi potest ab hęredib. exigere, aliàs. n. remoto scandalo, integrum ei esse, de illo pluri sibi iustam compensationem facere, ex illa regula, quæ multum in testamētorum momentis perpendendis ualet, quod si testator interrogatus fuisset, an plus insumi uellet, idem respōdisset. *l. tale pactum* §. 1. *ff. de pactis.* Si quidē testantium dispositiones ex iuris communis pariter dispositione, ex uerbis testamenti, & ex ipsorum testantium verisimili mente interpretari debemus, ita ut à sapientibus, & recte sentientib. reprehendi nō possit. *Menoch. vol.* 7. *cons.* 623. *Molfes. tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 189.

Et regulariter in dispositionibus ad pias causas fieri solet larga interpretatio, & de casu ad casum

 extensio

extensio.*c.cum dilecti.ext.de donat.Tusch. v. interpretatio conclus.*331. Atq. hic facit, quod si testator viuens ecclesiam fundasset, & nihil de donatione dixisset, ex tacita eius perficiendi opus voluntate, illam etiam dotare voluisse censetur, & ad dotem cōstituendam compelli potest. Nam sicut in matrimonio carnali pr̄ filiæ, sm̄ psonæ qualitatē, & patrimonij quantitatem, regionis consuetudinē, sufficiētem dotem assignare tenetur, sic in matrimonio spirituali, quod inter beneficiarium, & ecclesiam, cui præficitur contrahitur, statuendum est. *Reginal.l.30.tr.3.nu.144. Idem Molfes.tr.6.c.1.nu.28. Vsnian. in praxi iur.patron.l.2.c.4.* Multo magis id præsumere debemus post eius mortem, ob animæ suæ refrigerium, quæ forte in atrocissimis Purgatorij pœnis torquetur; idq. tacita voluntas exigit, vt boni viri arbitrio, hæredis expensis, modo immoderatus non sit excessus, pium opus perficiatur: præsertim cum canonica æquitas in hoc versetur, & in dubijs illa amplectenda sit opinio, quæ pietati, religioni, & animæ fauet. *l.sunt personæ ff. de relig.& sumpt.funer.* ut resoluit *Marc.Ant.Gen.l.c.q.388. arg. Bonac.de contr.d.3.q.vlt.punct.vlt.nu.6.*

Porrò certi ac explorati iuris est, debitis conditionibus concurrentib. cuiq. licere rem suam, vel æquiualentem compensationem accipere, & illa est rō manifesta, quia in tali casu nulli iniuriā irrogat, imo rem ad æqualitatem, ex commutatiuæ iustitiæ legibus reducit, cum alia via commodè ius suū consequi nō valet, ut ex cōi tàm Theologorum, quàm Iurisfrarum sentētia tradit *Menoch.l.2 de arbit.iud. casu 516.& Lazar.in can.qq.lect.2.q. 8. Barbos. de off.Episc.alleg.96.p.2.nu. 49. Gutierez.in qq.canon. l.1.c.11.num.67.* Vbi ad multa inferens dat etiam exemplum in pulchro casu mulieris habentis res quasdam amici sui, qui eam stuprauit, & dotem ante ei promiserat, nam eo defuncto, pro iusta cōpensatione eas retinere potest, donec promissa dos soluatur, neque ad generales monitiones reuelare tenebitur, ut annotauimus supra *tr.7.c.29.q.118.& c.31.q.125.*

Quartæ.q.ac dubitationi sic satisfaciendum puto, si semel, vel bis ī hebdomada, in altari aliquo, vel capella, per decennium missæ celebratæ fuerint, nec de onere particulari in tabulis, vel scripturis cōstet, in futurum, capellanum ad celebrandum teneri, atque ab Episcopo compellendum esse, ex vulgata doctrina cōiter à DD tradita *in l.cum de in rem verso. ff.de vsuris.& in l.si certis annis, C.de pactis*, quod .s.per decennalem præstationem cum tituli allegatione in posterum obligatio inducitur, donec contrarium probetur. Ad quod facit, fauore ecclesiæ, & piæ causæ laudabilem consuetudinem decennalem in futurum obligationem parere. *c. ad Apostolicam. ext.de simonia.* Quod præcipue in capellanijs procedit, quæ ex generali consuetudine, & communi praxi pro sacrificijs faciendis fundari solent, ac proinde plures coniecturæ, & præsumptiones ad hoc cōprobandum concurrunt. *Io.Franc. Leo in Thes.fori eccl.p.2.c.26.num.43. Genuen.l.c.q.390.& Ricciu in praxi ad facr.missæ,&c.resol.366.* Sicut etiam idem *Genuen.q.391.* decidit legatum factum in testamento imperfecto, & inualido, & per triennium solutum ecclesiæ, fauore piæ causæ in futurum obligare.

Atq. huc cōfert, qđ cū cōi scribit *Bonac.de sacr.d.4.q.vlt.puncto 7.§.2.nu.13.* & quod nos resoluimus *tr.4.c.13.q.121.* Capellanum teneri quotidie missæ valorem fundatori applicare, si de quotidiana obligatione constet, & si de fundatione capellaniæ per scripturam non appareat; quia fundator omni meliori modo sibi consulere uoluisse censetur, siquidem cum de testatoris uolūtate dubitatur, id quod verisimilius est, p̄sumere debemus, cum fortissima illa sit præsūptio, quæ ex usu, & à cōiter accidentib. ducitur, ut multis allegatis probant. *Euerar. in top. leg.loco à cōiter accidentibus, & in loco ab vsitato*, ac *Menoch.de præsumpt.l.1.q.18.*

Ad 5.q.dico, quò ad missarum iam celebratarū probationem capellani assertioni standum esse, si p librum qui ad hoc confici solet, id probari nequeat; licet.n.*Gaspar Ant.Thesaur l.1.qq forens q.86.* referat in Senatu Sabaudiæ decisum, non standum esse iuramento missas celebrantium, quia in causa propria deponerent, & legatarius, ut legatum cōsequatur, impletā conditionem probare tenetur, cui adhærere uidentur. *Riccius l.c.resol.365.& Genuen.q.226.* verius tñ resoluendum uidetur, Sacerdotis fidei acquiescēdum, ut alias nos animaduertisse meminimus. *ex Tusch.in v.asserenti.concl. 806. nu.10.* Imo addo cum *Molf.tr.13.c.5. nu. 168.* Nullā quò ad hoc dari posse probationem, nam etiam si missæ per ipsosmet hæredes, vel alios sacerdotibus stipem dantes celebrari uideantur, uriq. intentionem, & applicationem sacerdotum non cernūt, cū solus Deus sit cordium scrutator, nam quantascunq. tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est, inquit. *Tertull.l.1.de pœnit.* Spectat nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamuis humanæ mentes profundos gerant cogitationum recessus, insinuat tamen sese totam seruata diuinitas, ait *Nazian.in Paneg. Cōst. Aug.* Vere apud *Liuium l.2.* dicebat Marcus Fabius Consulem Romanum miles semel in acie fefellit, Deos nunquam fallit. Vnde si in hoc dicto sacerdotum fides p̄statur, quod pro receptæ mercedis satisfactione missas applicarunt, quod magis latet, & occultum est, non est conuincens ratio, cur superstali celebratione eorum asserrione contenti esse non debeamus. In quo tamen casu, vt DD. animaduertūt, eorum qualitas, cōditio, integritas, existimatio, & fama multum attendenda sunt.

Sextæ

Sextę pariter quæstioni respondendo dico, quod quando testator de tempore prouidit, v. g. ut altare, uel capella intra sex menses construatur, ut infra quatuor menses, centum tali ecclesiæ dētur, tot missæ celebrentur, tot puellæ cum nubiles fuerint dotentur, & huiusmodi, tunc hæres, uel alius, ad quem defuncti voluntatem adimplere præcipue spectat, cum ad ipsum omnia iura, & actiones transeant, à die scientiæ, & aditę hæreditatis, ipsius disponentis placitum seruare, & exequi debet. §. *disponat in authen. si nuptijs.*

At si tempus à testatore præscriptum non est, legata ad pias causas cum statim debeantur, peccat qui non soluit, quàm primum potest, & in iuris pœnas incidit, si illa intra sex menses ab insinuatione testamenti non persoluit, alia uero intra annum, ut per *Cou. in c. si hæredes ext. de testam. Molfes. tra.* 13. *c.* 5. *num.* 202. Addo si hęres illo temporis spatio exequi non potest, annum à iure constitui, in quo si ea non præstentur, ad Episcopum deuolui. *c. nos quidē. ext. de testam.* qui tamen de monasterio construēdo loquitur, ꝙ infra sex menses ędificari non ualebat.

Possunt. n. hodie Episcopi tāquam sedis Apostolicę delegati, hæredes cogere ad exequendum pias dispositiones, iuxta formam *Concil. Trid sess.* 22. *de reform. c.* 8. etiāsi Executores Officiales sint Inquisitionis, & religiosi, & ob id ab Ordinariorū iurisdictione exempti, cum in hoc Episcopi, ut dixi, non ordinaria, sed delegata à Sede Apostolica iurisdictione procedāt, ut proinde etiam excommunicatio ob hanc rem ab ipsis lata eosdem exemptos afficiat. *Graff. de cas. reser. l.* 2. *c.* 26. *nu.* 1. *Barbosa de pote st. Episc alleg.* 82. *p.* 3. *nu.* 14. *Marta de iurisd. p.* 2. *c.* 18.

Quinimo testator prohibere non potest, ne Eps data hæredis, uel executoris negligētia, se intromittere, uel immiscere ualeat. *c. tua nos. ext. de testam. Tusch. in v. Episcopus. concl.* 293. *nu.* 35. *idem Barb. nu.* 27. *Molf. tr.* 13. *c.* 11. *nu.* 19 *& seq.* Quod procedit etiamsi nullus hęreditatem adierit, nam communior est sententia, & magis usu recepta, ob ecclesiæ fauorem, legata pia & non adita hęreditate deberi, eo quia talis pręsumitur esse testatoris uoluntas, ex relatis per *Fachineum l.* 6. *controuers. iuris. c.* 84.

Et quamuis relicta ad pium usum ad alium trāsferri non possint; multipliciter tamen hæc regula, & positio fallit, & Primo si tale relictum, uel legatum, propter aliquod impedimentum adimpleri nō posset. *c.* 3. *de testam. Guido Pape. decis.* 556. Secundo qū testatoris voluntas nondum executioni mandata fuit, quia illam nedum Episcopus, sed eius Vicarius ex causa commutare potest, quia facilius facienda, quàm facta tolluntur. *Riccius. p.* 3. *collect.* 558. Tertio quando pecunia ad certum usum legata, ad illū non sufficeret, tunc. n. ab Episcopo in alium usū conuerti posset, ut notat *Innoc. in c. nos quidem. ext. de testam.* Quarto quando testator pecuniam ꝓ nouo opere faciendo reliquisset, ꝑut capellā, uel altare in ecclesia aliqua ædificari, quo non egeret, sed potius noua reparatione, uel paramentis opus esset, in quo casu Episcopo testatoris uoluntatem commutare integrum esset. ut per *Graff. cōs.* 2. *de testam. Ric. l. Spin in spec. testam. glos.* 1. *in rub. num.* 24. *Roder. tom.* 2. *qq. regul. q.* 125. *art.* 9. *& seq. Raud. in Pisan. decis. decis.* 44. *Mar. Ant. l.* 1. *var. resol. casu* 40. *Beia p.* 4. *respons. casu* 22. *Tusch. v. legatum. conclus.* 114. *Vgol. de off. epis. p.* 2. *c.* 161. *Barbosa l. c. alleg.* 83. *Molfes. tr.* 13. *c.* 5. *respons.* 16. *Bonac. de contr. d.* 3. *q. vlt. puncto vlt. nu.* 37. *Genuens. in Praxi Cur. Arch. Neap. c.* 24. *Comit. l.* 7. *respons. q* 9 *vt infra de art. circa Episcopos dicetur.*

Etsi autem Vicarius Episcopi in spiritualibus, & temporalibus constitutus, vnum tribunal cum Episcopo facere, & ordinariam iurisdictionem habere dicatur. *c.* 2. *de off. Vicarij. l.* 6. *Romana. tit. de appell. eod. lib.* vt propterea per inclusionem Ordinarij, vel Episcopi in sacris canonibus, & cōcilijs factam, eius Vicarius non excludatur, ut per *Sanch. l.* 3. *de matr. d* 29. *Lazar. in can. qq. lect.* 1. *q.* 6. *Gutierez. l.* 2. *can. qq. c.* 17. *& de not. c.* 66. *Azor. p.* 2. *l.* 3 *c.* 41. *Tusch. in v. Vicarius. concl.* 186. Pias tamen defunctorum voluntates, nisi specialis facultas ab Episcopo cōcessa fuerit, nec exequi, nec commutare potest; siquidem generalis concessio Vicarij, etiam cum clausula dan ti ei plenam, & liberam potestatem, ea non cōtinet, quæ speciale mandatum requirunt. *c. qua generaliter. de procur. in* 6. vt proinde dum constituitur, ac creatur, i eius forma necesse sit ea in ea specie exprimere, ut late per *Barbosum. de off. & pote st. Episc. p.* 3. *alleg.* 54. *Sbroz. de off. Vicarij l.* 2. *q.* 49. *Tusch. l. c. concl.* 189. vt etiam attigi in *Comment. de hum. vit. stat. p.* 1 *c.* 7. Vbi autem in his, quæ speciale mandatum requirunt, potestatem habet, ea non solum in diœcesi, sed etiam extra illam, si voluntariæ iurisdictionis sunt, sicut & Episcopus, expedire poterit, ut per *Riccium.* 3. *p.* 3. *decis. Cur. Archiep. Neap. decis.* 7.

QVESTIO XXIX.

Vtrum clericus sine licentia Episcopi Romanā peregrinationem suscipere possit; An valeat testamentum filij familias in Romano itinere factum; & quid de legatis in eo relictis. Num Romam pergens pro consequēdo Iubileo, si in via moriatur, illum lucretur?

POmponius Sacerdos beneficiarius, & filiusfamilias, dum pietatis, & Iubilei lucrandi causa sine Episcopi licentia, Romam peteret, & in itinere graui morbo corriperetur, testamentum coram duobus tantum testibus condidit, & prætérito patre, ac Mattheo suo consobrino instituto hærede,

capel-

capellam, seu oratorium in suæ ecclesiæ prędio construi mandauit, & quādam domum de bonis ipsius ecclesię emptam Liuio clerico amico suo reliquit. Cū autem in via sit defunctus, quæritur an fine Episcopi uenia discedens peccauerit, an hoc testamentū valeat, & quid iuris de his legatis in testamēto relictis statuendum sit? Et an Iubileum eum consecutum fuisse censendum sit?

RESPONSIO, ET RESOLVTIO.

SVpposito quod alias annotauimus, ad Iubileū consequendum oīa in Bullis præscripta adimplenda esse. Supposito etiam clericos Episcopis inferiores, quidquid sit de iure, & consuetudine, quæ in multis locis uiget, de acquisitis beneficiorum intuitu testari, ac vt multis placet, etiam in profanās, honestas tamen, & licitas causas disponere posse, & consanguineis suis etiam diuitibus relinquere, ut p *Clarum §. testamentum. q. 27. Garziam. p. 2. de benef. c. 1. nu. 13. & seqq. Barbosam p. 3. de Epo. alleg. 114. nu. 6. Azor. p. 2. l. 7. c. 9. q. 1. Tusch. v. clericus. concl. 396. num. 28. Valenz. cons. 98. Molf. tra. 6. c. 1. 5. Bonac. de contr. d. 3. q. vlt. p. 2. Filliuc. tr. 37. c. 7. quæst. 7. Sanch. de precep. l. 2. c. 20 nu. 25. Mala. tr. 1. c. 11. dub. 3. Molan. de pijs testam. c. 40.* His inquam suppositis, dico Primo, Pōponium à culpa salrum ueniali nō excusari si absq. Episcopi sui uenia, Romanam peregrinationem suscepit, cum sacros Canones, & ecclesiasticas sanctiones quas ignorari ei non licet, violauerit. *§. interdicimus. in Auth. de Episc. & cler. & Conc. Laodicenum. cau. 42.* vbi dicitur, Non oportet ministrum altaris, uel quemlibet clericum præter iussionem Episcopi, ad peregrinādū proficisci, q etiam tradidimus in *Comment. de hum. vit stat. p. 2. c. 27. oblig. 5. Ricc. p. 3. dec. cur. Neap. dec. 42. Benz. de anno Iubil. l. 5. c. 15. dub. 15.* Secundo dico Pomponiū Sacerdotem, & filiumfamilias testū condere potuisse, contra regulam *l. 6. ff. de testam.* quæ est, ut qui in potestate parentis est, adeò ius testamenti faciendi non habeat, ut quamuis pater ei permittat, nihilomagis iure testari possit: Nā & si clericatus, & sacerdotium quò ad patrimonialia, & profectitia, & sic temporalia, à patria potestate non liberet, secus tamen est quò ad spiritualia, quę in laicum non cadūt, & quò ad bona, quæ post clericatum sunt acquisita; siquidem in clericorum bonis pater usumfructum non habet, cum quasi castrensia censeantur. *l. sacrosancta. vbi Bald. & alij. C. de Episc. & cler. Oinot. in Sfiltius familias instit. quib. mod. ius patr. potest. solu. Molf. tr. 1 2. c. 2. nu. 25. & tr. 13. c. 2. num. 96. Marc. Ant. Genuens. in pract. ecclef. q 633.*

Hinc cōsequenter tertio dicendum est, testamentum hoc etiam cum duobus conditum testibus in infirmitate, si plures commode in Romano itinere habere nō potuit, fauore cultus diuini ualere, & sustineri posse, secundum *Angelum. in Authent. omnes peregrini. C. communia de success. & Castr. in l. nu tritorib. C. eod. tit. & Actium de infirmitate. p. 1. c. 17.* (vbi dicunt hoc esse verum, si Romipeta in via, qua Romam tendebat, moriatur, secus si superuiuat; qa licet regulariter non oporteat ægrotum ex morbo decedere, ut priuilegia infirmis concessa consequatur; nihilominus verum est in multis casibus ægti mortem necessariam esse, vt de illis disposita locum habeant.) Nisi patris pręteritio sine causa facta idēmet testamentum infringeret, ad testamentariæ. n. dispositionis validitarem necessario exigitur, ut ille hęres instituatur, qui de iure instituendus est. Vnde sicut liberis in bonis parentum, sic etiam parentibus in bonis liberorum filijs carentium, legitima iure institutionis debetur, alioqui his prętermissis, testamentum inualidum, & nullum est, vt de communi testatur. *Clarus in §. testamentum. q. 38. num. 8.* Et in cōfesso est apud rectius sentientes, licet clerici laicorum statutis non ligentur, nec pœnis legū ciuilium subijciantur, eis tamen subdi, quatenus cōtractus, & testamenta irritant, nisi tali modo, & solemnitate fiant, easq. ab ecclesiasticis esse obseruandas, & ab eis alio modo factum inualidum esse; quod hæ irritationes non sint pœnæ, sed legum dispositiones, ad infringendos contractus, ut communi reipublicæ bono, ac paci consulatur, & ut litibus obuiam eatur. &c. vt probat *Vasquez. 1. 2. q. 96. art. 1. d. 167. Molin. to. 1. de iust. d. 133. & Sanchez. de precept. l. 7. c. 3. nu. 20.*

Quarto quò ad ultimā q. dico, clarissimam huius dubitationis dilucidationem, ex verbis colligi, quę in Diplomate apponi solēt; cæteri nāq. ut facilius ad peregrinationem suscipiendam excitentur, hoc priuilegio gaudent, ut inchoato itinere, si aliquo impedimento, ne illud perficere valeant, infirmitatis nēpe, vel mortis prępediti sint, si promptam, ac piam voluntatem habuerint, ac uere pœnitentes sint, Iubilei beneficio gaudere possint. Votum. n. in hoc casu pro facto reputari debet, cum à Papa pro facto ipso acceptetur, iuxta illud,

Vt desint vires, tamen laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse Deos.

c. magna. de pænit. d. 1. Nauar. in Comment. de Iubil. notab. 19. num. 4. Benzon. de Anno Iubilei. l. 5. cap. 15. dub. 10.

RESOLTIONIS CONTINVATIO, & Documenta.

POrro quantum liberi etiam clerici in conficiendis extremę uoluntatis tabulis parentes honorare debeant, ipsum naturale lumen, quod nec in malis, & perditis hominib. extinguitur, satis docet, quis. n. ut ait *Molan. de testa. pijs. c. 19.* ex iuris ciuilis, vel canonici constitutionibus nihil parentib. debeatur,

tur,quando proles legitimam posteritatem, ex se relinquit;non.n.ut loquitur *Apost.2.ad Corint.12.* debent filij parentibus,sed ij illis thesaurizari,nihilominus nemo adeo naturę sensu, & humanitatis legedestituitur, ut in rependendis parentibus gratis vicibus,eum pudere non debeat, Ciconijs nulla recti rationis vi preditis inferiorem deprehendi: quarum obsequiū,ita diuulgatū est,& notum erga suos senio confectos parentes,ut harum ipsarum alitum nomine,vicaria gratię redditio appelletur. ut per *Alciat.& ibi Scholiast.Embl.30.* Et sane sicut ascendentium hęreditas,ut supra dictum est,iure naturæ descendens debetur, adeo ut legitimam absq. grauamine ei relinquere teneantur, ita è conuerso ratione pietatis,turbato mortalitatis ordine,non minus descendentium hęreditas ipsi ascendenti debita est, iuxta illud vulgatum,

Ordine turbato succedis Bulgare nato.

Vnde D. Augustinus prudentissimus piarum dispositionum Iudex,non tam iuris apices,quàm ęquitatem considerans, neque ex iure fori, sed ex iure poli, quid fieri conueniat decernens, hęreditatem aliquoties contra carnalem quorundam sensum parentibus integram reliquit. Nam & aliquas eum hęreditates recusasse nouimus, ait *Possidius in eius vita.c.24.* non quia pauperibus inutiles esse possēt, sed quoniam iustum, & ęquum esse uidebat, ut à mortuorum,uel filiis,uel parentibus, uel affinibus magis possiderentur. Imo etiam si nullum aliud hoc pręciperet, ipsa naturalis ratio optimus clypeus legis hoc suadet, quod in diffinitione causarum sufficere dēt. Vnde ut ait *Bal.in l.testiū.C. de testib.* quęrere legem, vbi naturaliter sentimus, nil aliud est,quàm infirmitas intellectus.consentit *Iaf.in l.3. §.si liber.ff.de condict.ob causam.*

Proinde quò ad 1.q.verius resoluēdum uidetur, hoc Pōponii testim non subsistere, tùm quia cōmunior est sententia, & magis recepta,clericos de fructibus beneficii testari non posse,*cum in officijs.ext. de test.vbi Cōm.& alij.* nisi Summi Pontificis facultas accedat,uel consuetudo de eiusdem tacita licentia suffragetur,prout in regno Hispaniarum,quò ad clericos Episcopis inferiores adesse fertur, ut. s de beneficiorum fructibus disponere valeant,& vt illis ab intestato succedatur.Si verò iste beneficiarius,ex eiusdem fructib. bona emisset, illa ecclesię esse quò ad dominium constitutum est,ita ut dum uiuit, dictorum bonorum fructus,percipiat,at post eius mortem, illimet ecclesię cuius est beneficium, acquiri, siue nomine proprio,siue ecclesię intuitu, illa bona emerit,quia sic ꝑ sacros canones disponitur, ut post alios prosequitur *Vasqu.de reddit.eccl c.1.l.3.dub.1. nu.38.& seq.& Reginal l.3.tr.3.nu.110.& Molfes. tr.6.c.10.nu.55.& seq. Valēt.cōs.98.* Tùm quia ēt si ad testm̄ Pontificium assensum,vel loci consuetudinem id permittentem habuisset, cum duo tantum testes adfuerint,& ad pias tantum causas factū non sit. *ex c.relatum.de test am.& Clar.§.testamentum.q. 6.& 7.& 52.* ac in eo condendo partem contra iuris formam pretererit,inualidum esse dispositionē conuincitur,& legata ad causam intestati reduci,& ipsi ecclesię,uel ad Apostolicam,ut dicunt camerā, ratione spoliorum deuolui dicendum est.

Addo meliorationes,ut dicunt, factas in beneficio proprio,non esse ipsiusmet clerici beneficiati,ut propterea de illis (etiamsi usq.ad mortem possidere possit) disponere ei nō liceat,siquidem regulare est, vt ædificium super ecclesię fundo constructum,solo cedat, & ad ecclesiam spectet. Si ēt ex proprię persone industria, rem ecclesię meliorē fecit, tunc pariter resoluti iuris est,quod impendit repetere non posse, sed ecclesię statim adiudicari,neq. de illo testari possé,etiamsi simpliciter testandi licentiam à Summo Pontifice obtinuerit,quandoquidem hęc augmēta, uel melioramenta uirtute obligationis facta censentur,qua beneficiarius quilibet tertiam,vel quartam redditum partem,pro locis ecclesię instaurandis, uel augendis insumere tenetur. *Abb in c.si quis. ext. de pecul.clericorum.Bursat.vol.3.cons.226. nu.93. & vol.2.cons.278.Alex.vol.3 cons.44.nu.6.Bellett. in disq.clerical.p.1.tit.de bonis.cler.§.4.*

Nec hic omittendum uidetur, quod Alexander III.*in c.ad hec,ext.de testam.* rescripsit, quod uiuentes clerici moderate valent aliqua de bonis ipsis nō ratione testamenti,sed intuitu eleemosynę erogare in ęgritudine constituti. Quibus uerbis ait *Molanus de pijs testam.c.39.* mota est generalis synodus Laodiensis,ut inter alia statuerit, ut clerici bona maxime immobilia,quę per ecclesiam sunt adepti, relinquant ecclesię,à qua sunt profecta; sed intuitu eleemosynę,siue pauperibus,religiosis locis, & illis qui ipsis seruiūt,siue cōsanguinei sint,siue alii,iuxta seruitii meritum de mobilibus dare possint.Nam & Episcopi possūt familiarib.& aliis sibi obsequentibus in seruitiorum gratificationem, ecclesiastica beneficia conferre, dummodo tale pactum nō pręcedat.Nec simoniacam labem Prelatus contrahit, q beneficiū in aliquem cōfert. quò se ab antidorali obligatione liberet. *Abb Fel.& But.in c.cū esset.ext. simonia. Couar.l.1.var.resol.c.20.num.3. Nauar.in Man.c.23.num 106.Bellett.l.c.§.5 nu.7.Vgol. de simonia.tab.1.c.11.nu.8.* Obligatio autem antidoralis nihil aliud est,quàm illud naturale ius,quo quis obligatur, vt benefacienti benefaciat, cum omne animal etiam rationis expers, naturę instinctu ad gratas vices rependēdas moueatur.Quę quidem obligatio nisi ad iuris ciuilis necessitatē redacta sit, nullius aut modici est effectus, licet enim donatarius ad benefaciendum donatori obligetur,attamē cogi non potest, ut vicissim aliquid donet, neque actionem,

actionem, nec exceptionem producit. vt per *Iaſ. in l.ex hoc iure.ff.de iuſt.& iure.& Oinot.in* §. 1. *Inſti. de obligat.vt dixi ſup.in pranot.de contract.c.* 1.

Cum autem nemo moriens ſalutis ſuæ immemor eſſe præſumatur, quicunq. teſtatuius eſt, attendere debet, quales gratias amicis ſuis, & benefactoribus etiamſi ſanguine innĉti non ſint, rependere deceat, ne ingratum teſtamentum condidiſſe cenſeatur: Ingrata.n.teſtamenta dicuntur, in quibus de nobis benemerentibus nihil relinquimus. Et quamuis ex Seneca *l.3.de benef.c.6.* conſtet apud Macedones actionem aduerſus ingratos datum fuiſſe; poſtea tamen reipubl.bonum docuit, nullam ex ingratitudinis vitio actionem inſtitui debere, his.n.litigioſis actionibus omnia fora non ſufficerent. vt ait *Conar. in c.cum in officijs.ext.de teſtam.vt etiam diximus ſu pra tr.6.c.8.q.36.* Et ut inqt *Menoc.l.5.de praſump. praſump.4.* Ingratitudinem imprudentia ſequitur, quæ ad omnem turpitudinem dux eſt. Quippe ut lo quitur *Anch.conſ.158.& Tuſch.v.ingratitudo.concluſ.131.* Ingratitudo eſt maximum vitium, quæ æquiparatur muri, viperæ, & ſerpenti, & quæ in iure multa operatur. *vt tradit Tiraq in l.ſin.C.de reuo can.donat.* & oppido ſacroſanctis legibus odioſa eſt, adeo ut etiam teſtator, uel diſponens, donans. v.g. 500. aureos Antonio ſtatuere nequeat, ut ex cauſa ingratitudinis reuocati non poſſit, vel ſi tali renunciationi iuramentum ſit appoſitum, quia hoc eſſet ingentem delinquendi occaſionem præſtare, & futurum dolum remittere, quod omnino eſt legibus prohibitum. *l.ſi vnus* §. *illud,& l. conuenire ff. de pa ctis.* At quando aliquid bonis morib. repugnat, iurō non firmatur. *c.non eſt obligatorium.de reg.iur.in 6.* Vnde ſicut multa ſpecialia in iure ob affectionem, & amicitiā inducta sūt: ita è cōtrario multa ob ingratitudinem ſtatura, & retractata *Mollius.in reſp.dub. 2.nu.125. Tiraq.d.c.in praſat.nu.155.contra Man. ſ.de iuram.effectu 156.*

QVÆSTIO XXX.

Filia maior 25.annis inſcio patre nubens, an m.p. & exheredari poſſit. Et vtrum pater contrà loci ſtatu tum plus vni filio, quàm alteri relinquere valeat, & teſtamentum ſubſiſtat; num legatum factū vxori ſi caſte vixrit debeā, ſi religionē ingrediatr,&c.

Raphael habet filiám natu maiorem. 25. annū excedentem, quam cum negligeret in matrimonio collocare, inſcio, & inuito patre, cuidam ſibi impari, & inferioris cōditionis viro nupſit. Habet & tres alios filios maſculos, quorū vnū cū ſtudioſior, & ſibi obſequentior eſſet, maiori etiam amore proſequitur; nunc lethali morbo correptus condit teſtamentum, in quo filiam exhæredauit, & magis probū filiū pinguiori etiam hæreditatis portione auget. Queritur an filia ſic contrahendo peccauerit, matrimonium ualeat, & ſic exheredari potuerit.

Secundo cū in ſua ciuitate municipalis extet lex, vel ſtatutum, ne pater plus vni, quàm alteri filio relinquere poſſit, an in æqualitatem hanc inter illos conſtituendo, pater ipſe deliquerit, & teſtamentum valeat. Tertio an cum ſuæ vxori legatum fecerit, donec caſte, & vidualem lectum ſeruauerit. & ipſa monaſterium ſit ingreſſa illud legatum debeatur, Quarto an legatum factum ancillis, ſi cum heredibus manſerint, illis nihilominus ſit ſoluendum, eo quod ab ipſiuſmet hæredib. filijs male tractentur?

SVPPOSITIO.

Breuiter ſuppono, filios, & filias triplici obligatione erga parentes teneri. Primo amore, & reuerentia. Secundo obedientia. Tertio obſeqnio, & ſubſidio. Parentes è contra tria pariter officia filijs debere. Primo alimenta. Secundo inſtructionem in fide, & moribus. Tertio in ſtatu congruo, & decenti collocationem; ut ex illis Sapientis enuntiato. *c.7.* colligitur, Filij tibi ſunt, erudi illos, & curua eos à pueritia eorum, Filiæ tibi ſunt, cuſtode corpus illarum, & non oſtendas hilarē faciem ad illas; trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam, *Viguerius in Inſt.Theolog.de virt.Iuſt.c.5.§.7* vt ſignificaui ſup. *tr.7.c.14.q.64.& eod.trac.c.32. q.128.* & explicaui *in Commen.de hum. vit.ſtat.p.2. c.20.& 21.& ſeq.*

RESOLVTIO.

VNnde ad primam quæſtionem reſpondendo dico, grauiter, & lethaliter peccaſſe filiam cū abſque ſcientia, & conſenſu parentum ſub quorum cura degit, matrimonium præſertim cum ſe ipſa indigno viro cōtraxit; ſiquidē negandū nō eſt, filiam magnam iniuriam parēti inferre, ſi matrimonii immutabilē ſtatum ſine eius conſenſu, & conſilio aſſumat; expectare debebat genitorū iudicium, nec illis inconſultis, virginalis pudoris erat, maritum eligere. Hinc apud Euripidem in Andromacha. Sponſaliorum meorum pater meus curā ſubibit, hoc. n. nō eſt meum. teſte *D. Ambroſ.l.1.de Abraham.c.vlt. relato in c.honorātur.32.q.2.* Vnde in Andria *Teren.* Simon ita conqueritur de filio,

Adeo impotenti eſſe animo, vt prater ciuium
Morem, atq. legem, & ſui voluntatem patris,
Tamē hanc habere ſtudeat, cum ſummo pro[...]

Non tamen diffiteor à peccato eximi poſſe filiam, quando iuſta, & rationabilis cauſa ſubeſt, aut pater irrationabiliter eſt inuitus, aut eidem filiæ de honeſto coniugio proſpicere neglexiſſet, aut tanti iudicii non eſſet, ut ſuorum utilitati conſulere poſſet; tūc

enim à culpa excusaretur, nec patri integrum esset, illam exhęredare, quinimo congruam dotem ei constituere teneretur, nec ipsi filiæ imputari poterit, qđ virum indignum patre inuito duxerit: siquidem arguipotius debet ipsius negligētia, & socordia, q̃ cōtra naturalem æquitatem tādiù matrimonio illam collocare distulerit, nec vel illo vulgato proloquio admonitus,

Virgo matura nisi nubat erit ruitura.

Menoch. l. 4. de præsum. præsum. 199. *num.* 58. *Molina. tom. 1. de iust. tr. 2. d.* 176. *Sanch. l. 4. de mat. d.* 24. *n.* 3. *& dixi in Cōmēt. d. c.* 20. *adde Cou. ī c. Raynutius n.* 15. *ext. de testam. Sā in v. hǣreditas. n.* 30. *Bonac. d.* 3. *q. vlt. p.* 3. *nu.* 37. *Reg. l.* 20. *n.* 37. Ideoq. prudētes parentes ne qđ turpe contingat, neue filię præcipites in impudicitiam prolabantur, honesta coniugij cautione oĩ periculo prouidere debent. Magna sane est apud omnes castitatis comendatio, pudorem tamen, & continentiam in mulieribus, ac puellis, multo potius, quã in uiris requiri, etiam ipsa natura testis est: nam si quando defunctorum cadauera fluctibus euehũtur, fœminarum prona fluitant, virorum supina, uelut ipsa natura pudoris disciplinam inter defuncta corpora discernente, teste *Plinio l.* 7. *c.* 17. Itaq. scita & pia est Sapientis sententia *eccl.* 42. Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium uenire inimicis. Parentum. n. censeri debet idem esse animus, qualis Virginij illius apud Liuium, qui morte, quàm contumelia filiam amitti melius esse ducebat. Quid. n. inqebat Lucretia, salui esse pōt mulieri pudicitia amissa? Hinc *D. Ambr. l.* 2. *off. c.* 15. eorũ eleemosynas eximia laude cōmēdat, q. uirgines parentib. orbatas, tuendæ pudicitiæ gratia, cōnubio locāt, nec solũ studio, sed ēt sũptu adiuuāt.

Ad 2. quæstionem pariter respondeo, ex iusta causa, & secluso scandalo, parentibus integrum esse saltem in cōscientiæ foro, vni filio plus quàm alteri relinquere, modo reliqui filij legitima portione nō priuentur, parentes namq; legitimam portionem, quæ loco alimētorum succedit, iure naturali filijs debēt, nec fœminis denegari potest, licet ciuitatũ statutis, ab hęreditatis successione excludātur, cum reipubl. ītersit familias cōseruari; qñquidē, ut ait Euripides,

Filij masculi columna sunt familiarum. Et alibi.
Mulier egressa paternis adibus,
Non amplius est parentum, sed coniugis;
Masculum vero genus perpetuò manet in adibus
Deorum paternorũ, & sepulchrorũ limitē honorat.

Azor p. 2. l. 2. c. 27. *q.* 6. *&* 7. Eadem ratione sequitur posse aliquando vni filiæ maiorem dotem, & alteri minorem tradi, habito respectu dignitatis mariti, aliarumq. conditionum, circumscripta municipaliũ legum prohibitione, &c. *Tusch. v. dos concl.* 733. *Sãchez. l.* 4. *de matr. d.* 26. *nu.* 8. *Menoc. l.* 2. *de arbit. iud. casu.* 149. *Bonac. de legib. d.* 6. *q.* 1. *p.* 6. *§.* 2. *nu.* 4.

Quod autem patet in hæreditate magis unam filiam, quàm alteram augere possit, ea communis affertur ratio, quod huiusmodi bona sunt ipsius testatoris propria, & in re sua quilibet est moderator, & arbiter. At q iure suo utitur, nemini iniuriã facit; ut propterea de se ipsis duo illi filij conqueri possint, quod suis malis moribus, & indignis actionib. malam, ut dicitur, fortunam sibi fabricauerint, & filiũ studiosum, & paternis monitis morem gerentem, auctiori portione ornauerit. &c. *D. Ant.* 3. *p. tit.* 10. *c.* 1. §. 2. *Nau. c.* 17. *nu.* 159. *Syl. in v. legitima nu.* 8. *Beia. in resp. p.* 1. *c.* 57. *idem Tusch. in v. æqualitas. conclus.* 305. *Decian. l.* 2. *consf.* 61. *Anneus Senec l.* 3. *rerum iud. c.* 3. *Philiarcus tom.* 1. *de off. sacer. l.* 4 *c.* 20. *Borellus in summa decis. tit.* 45. *in fine. Bonac d.* 3. *q. vlt. p.* 3. *nu.* 12. *Ang Hellens. in ros. sacerd. c.* 19. Vbi aiũt nō obstare statutum, uel municipalem legem, qua decernitur, siue inter uiuos, siue in ultima uoluntate, uni plus quàm alteri, tradi non posse, nam intelligendũ esse dicũt nisi iusta beneficia sibi præstita remunerandi, & compensandi subsit causa; alioqui naturali æquitati aduersaretur; uel etiam censendum, in contentioso iudicio, non in foro conscientiæ, legem illam locum habere.

Non tamen me latet, usu quandoq. euenire, ut superius dixi. & tradit etiam *Menoch. vol.* 6. *consf.* 544. ut ipsimet parentes dissensionum ansam filijs præbeant, dum ob aliquas minutas rationes, uel ob quasdam nescio propensiones, magis, ad unum, quã ad alium amãdum se inflectunt, ut alium interdum tanquam idolum quoddam adorent, alium uero tanquam suppositititium, & adulterinum despiciant, ac proinde parum in testamento ei relinquant. Quæ res à paterno officio longissime abest, cum parer omnes filios tãquam sui particulas, & à se genitos æque quò ad fieri potest, diligere, ac nisi magna, ac rationabilis subsit causa, æqualiter fouere debeat. Siquidem ex Taciti sententia, ubi inæqualitas, ibi liuor obrepit, & inuidia regnat, adeò, ut subditi pari dolore aliena commoda, ac suas iniurias metiantur. Scholiastes ad Emblema Alciati *embl.* 199. vbi ex *D. Ambrosio lib. de Iosepho Patriarcha. c.* 2. ait, Iũgat liberos æqualis gratia, lucrum picra snescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est, &c. Ægyptij per hirundinem in primis quę suis filijs cibũ subministraret, hominem intelligebant, qui liberis æquas hæreditatis portiones distribueret; necnon Principē, qui sc ciuib. æquaret suis, neq. ullo uellet ornatu, uel apparatu magis, quàm reliqui, sumptuosiori accipi; hirundo nãq. mira filios alit æqualitate, singulis parem cibum impartiens, ea adhibita diligētia, ne qui semel acceperit, bis accipiat, atq. ita sane par sit omnium sportula. teste *Pierio in Hieroglyphic. l.* 22. *Socin. iun. l.* 2. *consf.* 147. *Rimin iun. consf.* 241. *Tholos. in syntag. in l.* 41. *c.* 4. *nu.* 17. Quin etiam non ineleganter iuris

iuris Doctores dicunt, patrem qui duos habet filios non debere hunc vere filium, alterum autem priuignum tacere. *Ang. & alij in §. illud quoq. in Auth. de nupt.* Et hæc inæqualis in paterno amore disparitas, ut dixi non modo prohibetur, sed & perniciosa est, fratrum.n. inter se animos exasperat: cum ipsa propinquitas, & fratrum proxima coniunctio, tùm maxime ad inuidiam prona sit, cum inter eos aliquem cæteris præferri, & prædiligi cernunt; adeoq. vehemens est naturalis eorum liuor, vt magis doleant fratri, quàm extraneo donari. *l. cum oporteat C. de bonis quæ liber.* Pleriq. parentes interdum filios præstantes, & summi ingenij, si quos habent, solent facultatibus augere, & quæcunq. per leges licet, eis donare: liberos autem qui vel corpore inualidi, & deformes, vel ingenio stupidiores habentur, nullo libera litatis, & charitatis genere fouent, atque his nihil successionis iure relinquunt, quàm quidquid auferri leges non patiuntur, æquius facturi, si aduerterent ingeniosos aliena ope minus indigere, obtusiores autem, qui magnis animi dotibus carent, paternum auxilium, & alienam industriam merito expectare. Crates Thebanus grandem pecuniam dicitur apud trapeziram deposuisse ea conditione, ut si filij sui idiotæ essent, pecuniam eis redderet, sin autem Philosophi, nummos plebi largeretur, & inter egenos distribueret, quod pecunijs philosophi non indigerent. *Rob. l. c.*

Ad 3. q. dico, legatum vxori à uiro, vel à quocunque relictum quandiu caste vixerit, & uidualem lectum seruauerit, non extingui, fœmina ipsa religionem ingrediente, eo quod per hoc spirituale cum Christo matrimonium, vidualis uita minime cesset; imo plenius testatoris voluntati satisfactum sit, cuius mens ea fuisse creditur, ne ad ea sua dispositio trahatur, quæ sibi odiosa sunt, maxime autem molestum esset, si bona, ad eum peruenirent, à quo iniuria affectus est. i. ad maritum secundum, ob cuius repetitum matrimonium testatoris anima contristaretur, ut ex communi sententia tradit *Marta de iurisd. p. 4. cent. 1. casu 81. Mantica de coniect. vlt. volunt. l. 11. tit. 19. nu. 28. Sanchez. l. 7. de matrim. d. 91. nu. 46.*

Quarto dico legata ancillis relicta eis deberi, si hæredes male se erga illas gererent, ita vt ipsorum hæredum culpa, in domo morari non possent; ad quod probandum, alijs argumentis deficientibus, earum assertioni cum iuramento, si bonæ essent conditionis, & famæ, standum esset, præsertim si aliquæ verisimilitudines, & præsumptiones concurrerent. *Bart. in l. Mauia §. vxor. ff. de annu. legatis. per l. in iure ciuili ff. de reg. iur. & c. cum non stat. de reg. iur. in 6. Seraph. ex com. de priuileg. iuramenti. priuileg. 41. Nald. v. legatum. nu. 29.*

CAP. XI.

QVAESTIO XXXI.

Mater an in bonis filij ab intestato defuncti propria auctoritate se immiscere possit; an de bonis fideicommisso subiectis legitimam, & trebellianicam detrahere. Ecclesia nunc patrono egenti alimenta præstare teneatur: An valeat, & debeatur legatum factum ea lege vt donataria tali personæ nubat.

VEronica vidua nobilis cum vnicum haberet filium Philibertum, qui ab intestato subita morte extinctus decessit, omnium eiusdem filij bonorum, tanquam hæres, nullo confecto inuentario, possessionem apprehendit, etiamsi ex fama sciret illa fideicommisso subiecta masculis de agnatione deberi. Et cum paulo post à Felice patritio opulentum legatum sit ei cum hac conditione relictum, si eiusdem Felicis testatoris filio Rocho illegitimo nuberet. Hic de multis quæritur, Primo an cum in bonorum ius & possessionem propria authoritate non conscripto eorum indice, se immiserit, peccauerit, & aliquam pœnam in foro externo contraxerit. Secundo num si hæreditatem illam à iure Mario fideicommissario restituere cogetur, legitimam, & trebellianicam in ea habere debeat.

Tertio cum Veronica deuenerit ad grauem admodum inopiam ob multa infortunia, & æs alienum, tàm à marito, quàm à filio contractum, & ab ipsa ex pietate solutum, num à sacerdote præsentato, & in ecclesia instituto, alimenta eidem Veronicę nobili matronę debeantur?

Quarto vtrum si Rocho tanquam indigno nubere nolit, legatum amittat, & ex testantis voluntate inter Christi pauperes diuidendum sit?

SVPPOSITIONES, ET PRAEVIAE INSPECTIONES.

REsp. antequam præsenti casui respondeam, suppono Primo fideicommissum esse liberalitatem, qua alicui ex testamento, vel ab intestato per interpositam personam aliquid precario relinquitur; & dicitur à fide, quia regulariter fidei hæredis ipsa hæreditas committitur, ut alteri nempe fideicommissario restituat. Quod duplex est, unum vniuersale, quo vniuersum patrimonium, vel totam hæreditatem continet. Alterum particulare, quod rem singularem mobilem, vel immobilem includit. *Ointonus in §. 1. Instit. de fideicom. hæredit. Peregrin. de fideicom. art. 1. Molfes. tr. 13. c. 4.* Et licet hinc inde inter scribentes decertetur, an fideicommissum fauorabile, uel odiosum censendum sit; vera tamen resolutio, & magis communiter recepta videtur, quod si sumus in fictione ad introducendum. f. fideicommissum, odio potius, quam

quàm fauore dignum iudicandum est. Si vero iam semel introductum est, quia publicam vtilitatẽ respicit, ut defunctorum voluntates executioni mãden tur, bona in familia conseruentur, tunc fauorabile censeretur, & in dubio pro fideicõmisso pronuntian dum esset. *Peregr. l. c. num.* 38. *Molfes. num.* 19. *Mãt. l. 7. de coniect. vlt. volunt. tit.* 1. *Tusch. in v. fideicommissum. concl.* 248. *Mascard. de probat. eod. v. conclusione* 774. *Menoch. l.* 5. *consf.* 432. *nu.* 1.

Porro hæres grauatus bona fideicommisso subiecta restituere tenetur, quod si non facit, Iudicis officio ad restituendum cogitur. Non tamen fideicõmissarius propria auctoritate illa bona capere potest, aliàs in commissum incidet, vt etiam delegatario statuitur, siquidem nemo sibi ipsi ius dicere potest. Quod locum habere intelligunt, quando legatarius, vel fideicommissarius post aditam hæreditatem ab ipso hærede, tale facinus committeret; at si antequam hæres hæreditaria bona caperet, seu ante aditam hæreditatem, id faceret, ea non amitteret, sed solum huiusmodi rerum possessionem hæredi restituere teneretur, vt inde trebellianicam ex fideicommissis, & falcidiam ex legatis detraheret. ut post alios tradit *Farinac. de furtis q.* 113. *nu.* 304. Vbi etiam *nu.* 300. excipit, quando legatarius, vel fideicommissarius de licentia testatoris expressa, vel tacita sponte, & proprio marte legatum, vel fideicõmissum cæpisset. Quod late examinat. *Molf. tom.* 2. *ad consuet. Neap. consf.* 32. *& Cæsar. Argel. in tr. de legit. cõtrad. q.* 12. *& Maresc. l.* 1. *var. resol. c.* 1.

Secundo suppono Trebellianicam (ab Trebellio Maximo eius auctore dictã) esse quartã eius quod per vniuersale fideicommissum restituitur: quia. n. antiquitus multoties hæredes grauati hæreditatem restituere, illam adire recusabant, & hac de causa fideicommissa extinguebantur, ideo statutũ fuit, ut Trebellianica. i. quarta pars hæreditatis de vniuersalibus fideicommissis, sicut etiam falcidia de singularibus legatis detrahatur, nisi tamen vt *DD.* excipiunt, hæc Trebellianicæ detractio à testatore in specie prohibita sit, uel nisi restitutio alicui pio loco immediate facienda sit. vt per *Mantic. de coniectu. vlt. volunt. l.* 7. *tit.* 11. *Tusch. ver. Trebellianica. conclus.* 375. *& seqq. Peregrin. de fideicommiss. art.* 3.

Legitima vero quæ dicitur ex eo q̃d' f m naturales leges alimentorum vice subrogatur (quæ alio nomine vocatur debitum bonorum subsidium, & quasi ta iure, naturæ debita) describitur, vt sit certa portio ab intestato certis personis à lege taxata, deducto ære alieno, & funeris impensa, quæ descendentib. in bonis ascendentium, & è contra debetur. An autem matri debita sit tertia pars bonorum filij, uel sit tertia pars illius, quam ab intestato habitura erat. explicat *Molfes. tom.* 2. *de consuet.* Neap. *p.* 4. *q.* 46. *nu.* 10. Illud certum est legitimam ascendentium, siue patentum quam liberi parentibus debent, eodem modo hodie auctam esse, sicut de legitima liberorũ sancitum est. ut per *Gomez. l.* 2. *var. resol. c.* 1. *& Tusch. in v. legitima. concl.* 185. Nam & si parentib. nõ debeatur filiorum hæreditas propter naturale ipsorum parentum uotum, & insitam erga liberos dilectionem turbato tamen ordine naturæ, non minus parentib. q̃ liberis, ut dixi, pie relinquẽda est; & hoc ipsum tàm ex iusta pietatis ratione, quàm iusto dolotis, ac miserationis intuitu indulgeri par est. Rogo proinde omnes Parochos eorũq. Vicarios, & tabellarios, vt quandocunq. vltima uoluntas in tabulas est excipienda memores sint, aut testatori suo consilio adsint, & in memoriam diuinum præceptũ reuocent, Honora patrem tuum, & matrem tuã, &c. ait Molanus. *depijs test am. c.* 19. Hinc laudat à Plinio Traianus in Panegyr. quod sicut in hæreditate patris filius, sic in filij hæreditate pater esset immunis, nec lachrymas parentum vectigales esse pateretur. Bona filij (inquit) pater sine diminutione possideat, nec socium hæreditatis accipiat, qui non habet luctus. Quis non misereatur parẽtum, qui lugent defunctum eum, quem sibi superstitem naturali uoto poscebant? quid vero miserius, aut crudelius, quàm si parenti orbo nihil aliud relinquatur, præter præter luctum, & lachrymas? Infelices ait Quintilianus. *declam.* 344. qui liberos suos ad rogũ deflent, summũ orbitatis est malum, superstites manere. Vnde si is qui in religione aliqua profitetur liberis, uel nepotibus caret, sed patrem, auũ, uel auiã habet, iure cõi legitimã eis debet, nec obstat, quod monasterium loco filij, vel hæredis habeatur. *cap. in præsentia. de probat.* ac proinde nil ascendentib. deberi uideatur, hoc. n. verũ non est, nisi ad effectus in iure expressos, qualis hic non est. *vt per Ann. Robert. l.* 1. *rerum iud. c.* 1. *Lessium l.* 2. *c.* 41. *dub.* 10. *argum. Peregr. de fideicom. ar.* 28. *nu.* 89.

Tertio præmitto duplex remedium in hæredum fauorẽ introductũ, nempe ius deliberandi, & inuentarij, seu repertorij conficiendi; nam quò ad primũ cum pluribus legibus morientibus consultum fuisset, & ut eorum successiones conseruarẽtur, & ut gratos hæredes haberent, æquum visum est, ut hæredibus prospiceretur, dandum esse tempus, quo possẽt sibi antea cauere, quàm in sui perniciem repentinis aliorum negotijs inuoluerentur.

Deliberatio sane omnibus in reb. necessaria est, quæ indiscussos hominum calores compescere possit, neque sunt præcipitanda opera nostra, aut consilia, nec ordo corrumpẽdus. Cautela illa laudabilis, in qua ratio negotium regit, & furor nihil sibi vendicat; rectè. n. dicebat Martialis,

Non ignorat onus quod sit succedere Macro,
Et qui metit ur pondera, ferre potest.

Quippe hæreditates quamuis lucrosæ esse videantur

tur, nihilominus sæpe damnum afferunt, vel ratione æris alieni latentis, quod post mortem detegi solet, vel ratione legatorum, & fideicommissorũ, quæ aliquando totam hæreditatem exhauriunt, vel ob lites, quibus nõ uexari nostra maximè interest. Sunt plures creditores, qui pendente debitorum vita, vel metu eorum potentiæ, & dignitatis, vel amicitiæ, seu spe beneficij consequendi, debita non repetunt, postquam autem vitæ, & arboris superbiæ truncus cecidit, ad sua repetenda statim accurrunt. Sæpe plures alienis ornati plumis viuunt, qui fauore, & secundo vento destituti, cum pudore exuũtur. Quis vnquam Epimanundam inopem fuisse credid sset, nisi vidisset eum ob inopiam, publico funere à Thebanis sepultum, & postquam repertorium bonorum eius fecisset, ferreum tantum veru in eius domo inuenisset? Propterea hisce, & alijs de causis moti legislatores anni spatium ad deliberandum hęredibus concesserunt, quod tamen arbitrari ex causa in manu Iudicis est. *Osnot. in §. extraneis Instit. tit. de hæred. qualit. & diff. Tholos. in Syntag. Iu. l. 46. cap. 2. & alij communiter.*

Quò ad 2. dico, iuri deliberandi inuentarij remedium succedere, quod ex Iustiniani Imperatoris beneficio introductum fuit. *l. fin. C. de iure delib.* si hæres inquit, dubius est, vtrum admittenda sit nec ne defuncti hæreditas, non putet esse sibi necessariam deliberationem, sed adeat hæreditatem, vel se immisceat, omni tamen modo ab ipso inuentarium conficiatur. Quod adeo, vt multis placet, necessarium est, vt ipsius inuentarij remissio vsufructuario facta, & liberatio à præstatione fideiussionis, de vtendo, & fruendo arbitrio boni viri non valeat, delinquendi enim occasio præberetur. *Bar. & Iason. in l nemo potest ff. de leg. 1. & l. scire debetis C. de vsufructu. Gabriel. l. 5. concl. tit. de vsufructu concl. 1. n. 28. Tusch. v. Inuentariũ concl* 348. Illud namq. neminem latet, vsufructuarium ad duas cautiones pręstandas teneri, alteram se arbitrio boni viri usurum: alteram qua finito vsufructu, se rem restituturum promittit. Et si ab his cautionibus multi immunes sint, vt fiscus, pater habens vsufructũ in bonis filij, donans aliquid eodẽ vsufructu retento, is cui hęres remisit, & alii relati à *Gabr. l. c.* Est autem inuentarium illud scriptum in quo reperta, & inuenta in hæreditate describuntur. &c. *Menoc h. l. 5. cons.* 471.

Huius vero iudicis rationes ex pluribus colligi possunt. Primo quia illum facere tenentur, qui de acceptis rationem reddere debent, vt tutor, & curator pupillorum, & minorum, vniuersalis bonorum vsufructuarius, & generaliter, qui bona post suam mortem alteri restituere tenetur, Episcopus etiam, & Prælatus, quò ad bona Ecclesiæ suæ, Capituli, & Canonici, mortuo Episcopo. Rectores Hospitalium, Executores testamẽtorum, clericus beneficiarius, & principaliter hæres in testamento scriptus, vel qui ab intestato succedit, nec solum hæres ad quẽ hæreditas peruẽtura est, verum etiam ille, qui hęreditatem restituturus est, indicem bonorum facere obligatur. Quod officium qui ex dolo, vel negligentia prætermittit, nisi à testatore sit remissum, non solum falcidiam in legatis, verum & trebellianicam in tota hæreditate amittit.

Item ipsemet hæres siue sæcularis, siue ecclesiasticus, siue sit mulier, & rusticus (& si alias à iuris ignorãtia excusẽtur) quidqd fit in foro consciã, vltra vires hæreditarias tenetur. vt per *Graffinm l. 2. decis. aur. c. 10. nu. 37. Tusch. v. Inuentarium. concl.* 348. *& seq. Tholos. l. c. c. 3. Iason. in l fin. §. etsi prefatam. C. de iure delib. Mols. de iust. d.* 217. *Reginal. l. 25. numero* 626. *Bonac. de contract. d. 3. q. vlt p. vlt. num. 3. Lazar. de monit sect. 3. q. 6. Menoch. l. 1. cons. 37. nu. 56. Alam. de aduoc. Christ. p. 1. q. 61. Spinum in Spec. testam. glo. 35. titu. de confect. Inuent.* Vbi rationem afferunt, cur hæres qui inuentarium nõ confecit, vltra vires hæreditarias in foro iudiciali teneatur, secus in foro animæ. Secundo ratio inuentarij conficiendi ab honestate pendet, conuenit. n. probo uiro non solum malum non esse, sed esse alienum ab omni mali specie, is autem qui repertorium conscribi non vult, dolosus esse præsumitur, & dolo malo facere; nec quidquam hęredi officit illud confici, cum non suis, sed hęreditatis sumptibus fiat. Tertio quia quamuis negotium ex vi Inuentarij non pendeat, attamen ad certitudinis probationẽ scriptura conducit, tùm ad eluendam, vt dixi, rerum furtiuarum suspicionem, tùm etiam ad hæredis liberationem, ne vltra hæreditatis vires ad onera soluenda astringatur.

Porro plura ad solemnis inuentarij confectionẽ necessaria sunt, inter quæ illud pręcipuũ est, ut postquam hæres delatam sibi hæreditatem ex testamento, vel ab intestato cognouit, tunc infra 30. dies, q à die scientiæ incipiunt, inuentarium incipere debeat, & infra 60. dies Iudice decretum interponẽte, publici tabellionis manu illud absoluatur. *vt per Osnot. d. §. extraneis. de hæred. qualit. & differ.*

Quarto breuiter ẽt suppono, conditionẽ esse futurũ euentũ, in quẽ dispositio suspenditur, euentum intelligendo generalẽ, siue in facto, siue in iure consistat. Cuius quidem triplex est species, prout alia est necessaria, alia impossibilis, & alia possibilis, & vera. Rursus conditiones omnes aut sunt casuales aut potestatiuę, aut mixtæ. Et ex multis quæ contractib. affigi solent, quatuor sunt, q̃ à iure humano pro non adiectis habentur, nimitũ cõditio impossibilis, natura, iure, vel facto, turpis, ea q̃ matrimonii impedit, & quæ à maiori bono retrahit, q̃ speciatim in causis pijs & fauorabilib. reijciuntur, ut per DD in c. verum ext. de condit. appos. & in l. fin. C. de cõdi *Instit.*

Instit. Sanchez. l. 1. de matrim. d. 33. Gutierez. cap. 2. Tusch. v. conditio. concl. 578. Carbo. de restit. q. 44.

RESOLVTIO CASVS, ET QVAESTIONVM.

His sic præiactis dico Primo, Veronicam iure, & prudenter fecisse, cum defuncto filio tanquam hæres ab intestato succedens, bonorum eius possessionem apprehēdit; nam, ut supradictum est, sicut legatarius de manu hæredis legatum capere tenet, ita ut si propria authoritate excipiat, in cōmissum cadat, & ipsum legatum amittat; sic etiam si de iure suo conster, de fideicommissario dicendum est, quia nemo sibi ius dicere pōt, *Bar. & alij cōiter in l. re statuta. ff. ad Trebel. Graffus in §. fideicōmissū. q. 43.*

Nec illa in aliq. legalem pœnam incidit, si intra tempus debitum inuentarium confecit, dummodo intra 60. dierum spatiū sit absolutū, & perfectū. Et si intra 30. dies nō inchoetur, nō uitiat, si infra reliquū tempus perficiatur; quia cum hoc ad legis tantum solemnitatem spectet, eius omissio dispositionē non infringit. Addunt multi, vel si hæres simpliciter hæreditatem adeat, etiam si non dicat cum beneficio legis, & inuētarij, si tñ illud intra debitū tps cōficiat, būficio ipsius inuētarij eum gaudere. Imo si bona in longinquis partib. sita sint, sufficere si intra quatuor menses inchoetur, & intra alios octo menses continuos perficiatur. Hoc verò tempus sic constitutum adeo præcisum est, vt à Iudice nec augeri, nec minui possit, & ita omnibus cōcedit, ut minorib. quoq. currat, licet in integrum restitui possint: quæ restitutio sic eis competit, ut interim illa pēdente, nihil cōtra ipsos agēdum sit. Pœna vero hæredis dolose omittentis aliqua describi facere est, ut falcidiam, & trebellianicā perdat, & in duplo rei omissæ puniatur. *Tusch. v. inuentarium. concl. 349. Thol. 146. c. 3.*

Secundo dico Veronicam in bonis filij etiam fideicommisso subiectis, legitimam, & Trebellianicā habere debere, sicut. n. liberis in bonis parentum, sic etiam parentibus in filiorum facultatibus debetur legitima. *l. nam & si parentib. ff. de inoff. test. am D. D. in Auth. ex causa. C. de lib. prat. Pereg. de fideicom. artic. 49. nu. 44.* Et ut aliquib. placet, descendentib. arctiori vinculo debetur, nempe iure naturę, ita ut per statutum tolli non possit. Liberis uero parentib. ex positiuo iure illa defertur, ut proinde municipalium legum abrogationi subiecta sit. *Dec. & Cagnol. in l. iura sāguinis ff. de reg. iur. Ripa in l. 2. n. 45. ff. vulg. & pupil. Molfes. tr. 13. c. 4. n. 75. Idem Tusc. v. legitima. concl. 185. Spinus in Spec. testam. glo. 1. tit. de his q succedūt ab intest. n. 29. Pereg. l. c.* At sicut legitima, & Trebellianica, & sic duæ quartæ detrahi possunt à filio grauato sub cōditione de hrditatē restituēdo q. legitima à principio, Trebellianica vero tpe restitutionis auferē, *c. Raynaldus. ext. de testa.* Ita etiā de parentibus statuēdum est, vt. *l. vtramq. quartam* porrionē deducere possint, cū hęc pari passu ambulēt. Siquidē parētes, ut dixi, sicut necessario filios saltem in legitima, vel in eius parte, in testamento hæredes instituere debent, vel cum iusta causa exhæredare, ita è contra de liberis respectu parentum dicendum; est. n. exhæredatio liberorum, uel parētum inuitorum exclusio à tota hæreditate sibi debita, in testamento legitime facta, ut ait *Bald. in l. in suis. ff. de lib. & posth. & Simon. de Prat. de interprat. vlt. volūt. l. 3. interpr. 1 dub. 6.* Iustę autē exhæredationis cāæ, ut inferius dicemus, enumeranē. *in §. cās. in Auth. ut cū de appell. cognos. Mald. dub. 9. de test. Clar. in §. testamētum. q. 41. Tusch. in v. exhæredatio concl. 807. Molfes. tr. 13. c. 2. num. 178. Vasquez. de testam. c. 6. §. 3.* Porro apud Aegyptios Coruum Hieroglyphicum fuisse hominis, qui liberos suos exhæredaret, abdicaretue, aut quoquomodo eijceret. tradit *Pierius l. 23. §. filiorum exhæredatio.*

Tertio dico, etiam si concedatur iuspatronatus nō transmitti ad fideicommissarium (cui tamen praxis repugnat) adhuc tamen sacerdotem pręsentatum, & tali ecclesiastico beneficio gaudentem, de iustitiæ lege Veronicam ad inopiā redactā, alere non teneri. Iura enim quæ patrono fauēt, vt honore in sua ecclesia afficiatur, & ad ipsam ecclesiam, seu capellaniā vacantem posit, imo teneatur, idoneum ministrum præsentare, si laicus sit intra 4. mēses, si ecclesiasticus intra sex, aliàs Episcopi collatio, vel institutio effectum non sortiatur; & si ad egestatē vergat, ab ecclesia ipsi modeste succurratur, &c. proprie de illo patrono loquuntur, qui ipsam ecclesiam, vel sacellū, seu capellam, ut dicunt, extruxit, fundauit, uel dotauit. *c. illud. c. nobis. ext. de iure patr. c. quicunq. c. decernimus. 16. q. 6.* Vnde patronatus diffinitur, ut sit ius honorificum, & utile, competens alicui in ecclesia, ex eo quod ex Diæcesani consensu, ipsam construxit, fundauit, & dote ipse ornauit, vel is à quo ipsemet accepit. *Azor. p. 2. l. 6. c. 19. Garzias. p. 5. c. 1. Molfes. tr. 6. c. v. Vinian. l. c. d. c. 1. Riccius in d. praxi. dec. 210. & in praxi prast. alim. à benef patron. resol. 277.* Vbi tradunt per successionem ēt iuspatronatus acquiri, quæ tamen non in capita, sed in stirpes fieri debet; at si iure particulari, ut legati, vel donationis succederetur, nempe si familię esset legatum, uel donatum ius patronatus, tūc omnes de domo iu capita ius illud comparatent. Sed quidquid sit de hac quæstione, an de iure patronus, vel patrona, quę ius patronatus non fundauit; nec extruxit, sed tantum distāti hæreditaria via acquisiuit, ab ecclesia ali debeat si Veronica egena, vel paup sit effecta, libenter censerē, tū à fideicommissario, tū ab ipsius ecclesiæ Rectore alimenta ex pietate ei pstanda esse; eum & bona fideicommisso subiecta, pro alimentis grauati alienari possint. *vt per Surd. de alimen. tit. 3. q. 9. numer. 39.*

me.39. Costam de remed. subsidiar. remed. 106. illat. 2. Martā voto 41. Et hæc ipsamet patrona ex misericordiæ lege, & Iudicis officio petere poterit, ut sibi miseria, & egestate laboráti, ab ecclesia succurratur, præsertim cũ ut infra dicemus, viduæ, sicut & pupilli, senes, & diuturno morbo fatigati, & hmōi, miserabiles personæ dicantur. Rolan. à Valle. l. 1. conf. 76. Menoc. l. 2. de arbit. Iud. casu 66. Tusch. v. miserabiles. concl. 273. Et cum dxiimus supra, quod ius patronatus est ius honorificum, & utile, vtilitas in hoc cõsistit, quod patronus, vel patrona inopia conflictata, de bonis ecclesiæ alenda est, deductis primo Rectoris, & eius ministrorum alimentis, ac reparationũ ecclesiæ impensis. Appellatione uero alimentorum ueniunt victus, potus, cibaria, vestimenta, domus, cubile, & omnia ad uitam transigendam, & conseruãdam necessaria. Surd. l. c. tit. 4. q. 1. tit. 3. q. 3. tit. 7. q. 32. Lapus alleg. 52. Viuian. d. l. 1. c. 1. Extra quem casum patrono, uel patronæ, ecclesiæ bona vsurpare non licet, nec aliquid ex beneficij fructibus percipere, sed illos Rectori ecclesiæ, vel bñficiario relinquere dẽt, aliàs ipsius bona, uel fructus quouis quæsito colore occupantes, excōicatione feriuntur. Conc. Trid. sess. 22. c. 11. & sess. 25. c. 1. Zerula in praxi episc. p. 1. v. bona.

Ad 4. q. dicendum mihi videtur, quod licet inter alios à contrahentibus valida sit pœna in lucro non acquirendo consistens, ut si v. g. aliquid legetur Luciæ, ut Ioanni nubat; si. n. illi non nupserit, lucrum illud legati non comparabit, siquidem hæc non est vera pœna, sed potius spe lucri faciendi ad matrimonium inuitari, ut per Mant. multos referentem. de coniect. vlt. volunt. l. 11. tit. 18. Hæc tamen positio cum duobus temperamentis intelligenda est. Pilmo nisi conditio in legitima portione apponatur, cum enim lege debita sit, ac proinde nullam gratiam testator faciat, nullam conditionem patitur. Secundo nisi legatarius ad ducendã indignam personam grauetur, si namque his nuptijs indigna sit, conditio reijcitur, quandoquidem id posse dicimur, quod honeste possumus. l. nepos Proculo. ff. de verb. sign. Ex quo loco communiter DD. colligunt, fieri non posse, & posse fieri, sed nõ cõgrue, aut ĩdigne paria esse. Hinc Bar. in l. cum ita legatum ff. de cond. & demon. declarat illam esse matrimonio indignam, quæ sine dedecore ex patriæ more, natalium considerata qualitate, in uxorem duci non potest; & exemplum affertur in ex illegitimo toro natis, qui infames dicuntur, & ab honoribus arcentur, ut per Tiraq. de nobilit. c. 15. nu. 14. Cassan. in catalogo glor. mundi. p. 11. consid. 15. Vnde cum Veronica iussa esset Rochio illegitimo nubere, cum quo matrimonium inire secundum ciuitatis mores inhonestum erat, dicendum est, ad legatũ illud admitti debere, etiamsi conditioni non paruerit, ut resoluunt Sanch. l. 1. de matr. d. 33. nu. 11. Gutierez. c. 20. nu. 9. Mollin. responso. 1. dub. 1. nu. 32.

CONFESSARII PARTES, ET DOCVMENTA.

Porro Confessarius, vel fideicommissarium, uel beneficiarium sacerdotem ad opem, Veronicæ patronę destitutę, cõsanguineis carẽti, & alimentis egenti, hortari, & ei hoc pium officium suadere facile poterit, si ad memoriam reducet, viduas, pupillos, senes, nobiles pauperes, diuturno morbo fatigatos, & omnes alios, miserabiles personas dici, quibus natura ad miserandum, & compatiendum mouetur. Vnde de vidua speciatim loquens Iobus. c. 29. Benedictio, inquit, perituri super me ueniebat, & cor viduę cõsolatus sum. Cor. s mœrẽs, atq. amarum viduę, quę prę afflictione, & mœrore neque loqui, audebat. neq. vociferari valebat, tantum in corde suo clamabat; illius desiderium exaudiuit Iob numinis instar pauperũ desideria exaudiẽtis, uiduę, inquam, cuius conditio miserrima est. Hinc & per Esaiã c. 1. hortat Deus, Discite benefacere, quęrite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Vbi quę sit uiduæ peculiaris miseria significat, quod uiro careat, qui illam defendat; ac tueatur. Quid si etiam liberis careat, & omni sit præsidio destituta (ut hęc Veronica matrona) quam Paulus 1. ad Timoth. 5. describit, Quæ uere uidua est, & desolata, uidelicet quod neq. uirum, nec filios, nec nepotes, neq. alios cõsanguineos hẽat, à qbus opis & subsidij aliquid sperari possit. Viduę atq. pupilli nomina, & per se singula, & iuncta sępe in sacris eloquijs repeti solẽt, de quo eleganter dixit Tertullian. l. 1. ad uxorem. cap. 8. Duo ista nomina in quantum despectui humano, in tantum diuinę misericordię exposita, atq. per viduam, & pupillum omne miserorum, & imbecilorum hominũ genus significari videtur. Ideo in c. 1. d. 87. Episcopis pręcipitur, ut uiduis præsidiũ implorantib. adsint, & contra improborum uiolẽtias protectionis patrocinium non denegent.

Singulare huius rei exemplum teste Genebr. in Man. pa. c. 80. extitit Marcus Antonius Imperator, qui dũ è uita migraret, uberes lachrymas effundebat, ex quo cuiusdam uiduę causam non expedierat, timens ne propter eius inopiam inueniret nõ posset, qui ei ius diceret: Iniqui. n. Magistratus non nisi pretio viduas tuentur, ut prosequitur Saluianus l. 5. de provid. Quod autẽ uiduę subsidio, & miseratione dignę sint, ac miserabiles personę dicantur, ut propterea etiam legata huiusmodi uiduis facta pia dicantur, ut supra tactum est, tradit Roland. à Valle vol. 1. cons. 76. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. cas. 66. Mascard. de probat. vol. 2. concl. 1061. Tusch. v. miserabiles. concl. 273. & Molf. tr. 13. c. 5. n. 152. Idem Tusch. v. legata pia. concl. 106. Cassan. in catal. glor. mun. p. 3. consider. 40. & nos obseruauimus in Comment. hum. vitæ Hat. p. 2. cap. 26. Tiraq. in præfat. de privileg. pia causa

causa §. quod adeo verum est. Arg. Azor. p. 1. l. 13. c. 8. q. 4. vbi resoluit, licere Episcopis, vel Superioribus dare facultatem recipiendi viduas in monasteria, quæ viris suis orbatæ, tanquam miserabiles sub ecclesiæ protectione existētes, honestatis causa, se in monasterium conferre, & abdere cupiūt, modo sint bonæ existimationis, & famę. Aliqui tamē referunt à sacra Cōgr. Card. decisū, de cætero nullas huiusmo di viduas recipiēdas esse, nisi moniales fieri velint. Item viduas, quibus ipsa monialium monasteria ingredi permittitur, his conditionibus uti debere, vt nullas secum ancillas ducant, & illo animo eò se recipiant, ut inde amplius redire nolint: & dum ibi sunt, legibus quibus ipsæ moniales utuntur, teneantur. *vt per Camp. in. in diuer. iur. can. rub. 12. c. 16. nu. 30. Barbosam de Episcopo. p. 3. alleg. 102. nu. 67. Mirandam tract. de Monial. q. 2. art. 7. concl. 1.*

QVAESTIO XXXII.

An legatum in tot nummis puellis maritandis factū illis debeatur, si minori pecuniæ summæ nubant. Et an executor ad distribuendas aliquas pecunias constitutus, possit sibi vel suis, si pauperes sint, illas ascribere, &c.

CArolus vir diues, & solut⁹, dū esset lethali morbo infectus, vtpote qui odio Sigismundum aliàs amicum odio prosequebatur, ob quasdam zizanias, & dissensiones à susurronibus inter eos satas, in bona valetudine condidit testamentum, in quo duos fratres vni uersales hęredes instituit; in eoque multa pia legata reliquit, inter alia, quatuor mille aureos legauit, ut decem puellę pauperes, quę in quadam hospitali domo educantur, in matrimonio collocentur. Et ut mille pro male ablatis pauperibus dispensentur. Sui vero testamēti Executorem Michaelem, cui multo confidebat, constituit; postmodum susceptis ex christiano more sacramentis ex hac uita in bono statu, ut pie creditur, discessit. Ipse uero Executor illud testamentum, et si post annum posset, per biennium, ex quadam negligentia exequi distulit; & cum puellę cum minori summa nupserint, residuū sibi, & hęredibus retinuit, & partem pecunię Christi pauperibus erogandæ, sibi ut pauperi ascripsit. Quæritur quomodo in præsenti casu se gerere debeat Cōfessarius, ut tàm testatoris, quàm hęredum, & Executoris saluti consulat?

PRAENOTIONES.

SVpposita illa inspectione, quam aliàs animaduertimus, Moralia opera in triplici differentia constitui, prout alia sunt viua, ut quæ ex gratia, & charitate procedunt. Alia vero mortua apud Deum vt cuncta quæ in lethali peccato peraguntur; nam animæ vita in sola gratia, & charitate cōsistit; quare quæ ex illo fonte non dimanant, licet moraliter bona esse possint, nullius tamen meriti apud Deum existunt, siquidem de sola fide charitate informata est illa Christi vox. *Io. 4.* Fiet in eo fons vitæ salientis in vitam æternam. Alia deniq. opera sunt; quæ viua quidem prodierunt, sed tamen per peccatum (vt Theologi loquuntur) sunt mortificata, lethale. n. crimen antecedentia hominis merita nō extinguit, sed quasi sopita, atque obruta reddit: vnde eadem merita per pęnitentiam reuiuiscunt, instar arborum frugiferarum, quæ hyeme quidem nō intereunt, nec arescunt, sed veluti languescunt, ac nouo vere florescere, ac quodammodo resurgere incipiunt. Hac inquam præ habita notione, dico quod testator iste sapienter se gessit dum considerans nihil esse certius morte, & nihil incertius hora mortis, salutis studio inuigilans, in statu sanitatis corporis, & sanæ mentis iudicio, rerum suarum dispositionem per testamentum instituit, vt consulit clarissimus vir Franciscus Petrarcha in suo testamento apud *Mol. de pijs test. cap. 34.* Nam etsi quouis tempore libera sit testandi facultas, ēt eo die, quo ex hac peregrinatione discedimus, etiam post sumptum viaticum corporis Christi, & post sacræ vnctionis (contra popularium quorundam errorem) perceptionem, modo integra sit mens; attamen quia circa exitum, an mens ipsa sana fuerit; facile difficultas mouetur, quādo potissimum defuncti iudicium nonnulli conuellere volunt; & facile animaduertimus, multum animo conuulsos esse, qui sani per Iudicis sententiam ad laqueum, vel gladium abducuntur; ut non mirum sit, turbatiores sæpe eos esse, qui ex morbo conflictantur, quique ex anteactæ vitæ meditatione, & futuri iudicij, nec non dæmonū insidiarum cogitatu, multifariam contristantur, iō non male monuit, qui ad quendā amicū suum sic scripsit, Disponere debes ante morbum, sæpe quis efficitur infirmitatis seruus, & seruus testari nequit, liber ergo testeris, antequā seruus efficiaris. Quis. n. crediderit, ait *Seneca. l. 4. de benef. c. 11.* testatorem ægrum, doloribus oppressum, vicino mortis timore anxium, quieto mentis iudicio frui, & animo bene composito, de rebus suis disponere, cum vt plurimum habitus animi corporis temperamenta sequi soleant? & c. Et quid quæso officit de reb. suis quantocius disponere? an necessaria mors post testamentum? nonne in manu testatoris situm est, quandiu viuit, quotannis illud innouare, ac conuiuium in ipsa die amicis, & familiæ hæredum sumptibus, ut alicubi mos est, efficere? Et sic in nonnullarum diœcesum synodalibus statutis, sacerdotibus præcipitur, ut clericos, & laicos adhortentur, ne testamenti cōfectionem ad mortis angustias differāt, præsertim cum lecto assistāt amici, & alij affines, vel

consanguinei, velit dominici sepulchri custodes, nō soliciti vt Dominum Christū custodiant, aut ægrotanti animę consulant, sed tantum aduigilātes, ne Mammonam iniquitatis amittant; impedientes, videlicet, & vrgentes, graui sane cum scelere, & restituendi obligatione, ne ægrotus restetur, aut ne qua vellet, & deberet, rōne, testamētum suum conficiat. *D. Ant. 3. p. tit. 10. c. 1. §. 2. Molan. de piis testam. c. 47 Surd. conf. 373. Ala. de Aduoc. Christ. p. 2. q. 25. Nau. c. 26. num. 36. Iustin. in Tobiam. c. 4. vers. 22. doc. 1.*

Adde testamentum conditum à laborante in extremis, vel in mortis periculo constituto, ad alterius priuatæ personæ interrogationem, valde suspectum reddi, imo ex aliquorum sententia, nullum, & inualidum esse, cum grauiter infirmi (quorum mens rapitur vbi est vis doloris) non aliter loquantur, ac de omnibus respondeant, quàm interrogentur, vt sic, ita est, &c. vt per *Menoch. conf. 45. & Tusch. in ver. testamentum. concl. 124. & 133. Scardium. in verbo mors. Clarum in §. testamentum. q. 37.*

Insipienter tamen egit Carolus testator, cum lethali culpa labefactatus, & à gratia Dei alienus testamentum condidit: curare namque debebat, ut supremæ suæ voluntatis iudicium in statu gratiæ tabulis consignaretur, ut piorum legatorum dispositio illi ad animæ suæ redemptionē prodesset, siquidē bonum opus in peccato mortali factum, opus mortuū censetur. Hinc *Apost. 1. ad Cor. 13.* Si tradidero, ait, corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sane ut *Clemens Alex. c. 5. strom.* ait, Gratia saluamur, sed non sine bonis operibus, quia vt & Æschilus Ethnicus protulit,

Adesse gaudet, sed laboranti Deus.

Neque. n. qui nos sine nobis fecit, saluabit nos sine nobis; curandum tamen est, vt opera nostra nō quomodocunq. fiant, sed iuxta diuinæ regulæ præscriptum. Cęca est omnis bona operatio, quæ oculis rectæ intentionis caret, mortua, quæ sine charitate efficitur, quæ duo si bono operi desint, quodcunque sit illud, malum semper erit, & nullius apud Deum meriti, qui, ut aiunt, non ad mensuram publici ponderis, sed ad stateram sanctuarii iudicat. Legata tamen impleta per hæredem in mortali peccato existentem testatori prosunt, cum ex generali regula actus illi mandāti potius quā exequēti attribuantur. Sicut & in re simili S. Card. Congr. cēsuit, cognationē spiritualem per procuratorē quidē contrahi, sed eam non procuratorē, sed mandantē principalē sibi comparare. *Nald. v. testām n. 46. Bonac. de cōtr. d. 3. q. vlt p. vlt. n. 28. Vgol. de off. Epi. p. 1. c. 15. §. 6. Rebel l. 4. de obli. Iust. sect. 4. c. 2. Sāch. l. 7. de mat. d. 59. n. 12.*

Proinde testator si lethalis noxæ reus erat, cum testamentum confecit, quò legata in eo relicta ad salutem prodesset, postquam diuinam gratiam sibi conciliauit, eadem rata habere debebat. vt per *Nauar. c. 26. n. 36. Beiā. p. 1. cas. 57. Regiā cas. 56. Alan. de Aduoc. Christ. p. 1. q. 68. Bonac. d. 3. q vlt. p. 5. n 6. Auch. conf. 429. Tusch. ver. eleemosyna. conclus. 107.*

Imprudenter quoq. fecit, cum oblatas criminationes contra amicum statim non repulit, sed susurronib. Diaboli filijs, & Regis pacifici hostibus, tam facile credidit, nam ut Menander dixit,

Qui calumnijs cito credit,
Aut ipse improbis est moribus,
Aut omnino puerile ingenium habet.

Debebat potius Platonem imitari, qui cū ei à quodam diceretur, Zenocratem eum uerbis insectari, primo negauit id verum esse, & cum ille instaret, iurareque, adiecit, se existimare, Zenocratem illa nō dixisse, nisi expediuisset, vt ex *Carbone de amore, & concordia. c. 15.* alibi scriptum reliquimus.

RESOLVTIO.

AD quæstionem ergo primam respondendo dico, legatum puellis maritandis factum, illis deberi, etiamsi minori cum pecuniæ quantitate nubant; nam illud legatum pium dicitur, ut proinde in illarum, uel aliarum puellarum dotem, & commodum conuerti debeat. Nec hæres, aut executor censetur testantis intentioni satisfacere, qui eam summam ad exonerandam forte conscientiam suam, vel tollendam, qua constringebatur obligationem eam nummorum summam assignauit, &c. *Conar. in c. si cüjc. nu. 10. extr. de testam. Marc. Ant. Gennen. in prac. eccl. Tricen. 8. q. 224. & in Man. Past. c. 73. Bonac. l. c. num. 8. & nos inferius dicemus.*

Ad 2. dico Michaelem ad distribuendum constitutum, non posse regulariter seipsum eligere, vel in proprios vsus conuertere, nisi forte graui necessitate premeretur, tunc. n. videtur aliquid moderatum sibi retinere posse, si reuera indigeat, iuxta tradita p D. *Th. 2. 2. q. 62. art. 5. vbi Salon. Arrag. & aly. & Canonistas in c. cum tu. ext. de vsuris. Mant. de cōiect. vlt. vol. l. 8. tit. 5. Valēz. qui plures alios allegat. conf. 98. & Molf. tract. 13. c. 11. nu. 37. Nau. c. 17. nu. 75. & c. 7. de orat. num. 34. & conf. 5. titu. de solut. Zerulam. in praxi pœnit. c. 25. q. 37. Graff. l. 1. decis. aur. c. 26. nu. 21. & seq. Sayrum l. 10. cla. reg. tract. 11. c. 2. nu. 21.* Notandum uero est illud D. Antonini monitū. *p. 3. tit. 10. c. 1. §. 2.* His verbis testatori exhibitum, Caueat testator, ne de male ablatis, quæ restitutioni obnoxia sunt, heredibus suis relinquat, uel ut fiat inde Sacellum, Paramenta, vel Calices, & huiusmodi; sed si salubriter vult animæ suæ prouidere, dimittat restituenda certa certis personis, & incerta pauperibus, non ædificijs; non est hoc pauperibus dare, qui sunt vt hæredes in incertis; & religiosi, vel alij male faciunt, & male consulunt, qui pauperibus eroganda, in alia conuertere faciunt, sine alia dispensatione

tione, hæc ille. Quod etiam animaduertit. *Salon. & Aragon. & Sayr. l. c.*

Admonere quoq. Confessarius hæredes, & executorem debebit, graui scelere se obstrinxisse, cum solutionem ex pijs legatis debitam, diutius sine iusta causa distulerunt; & si biennium excesserint, in casum etiam reseruatum incidisse, si hoc peccatum ab episcopo ob eius grauitatem, ut multis in locis fit reseruetur. Imo in hoc delictum in aliquibus diœcesibus excommunicationis gladio animaduerti solet, & iure merito, quandoquidem ex sacris sanctionib. non solum qui oblationes. i. ea quæ relicta sunt, ecclesijs negant, sed qui difficile, & sero reddunt, tanquam egentium animarum necatores huiusmodi pœna plecti, & tanquam infideles, & de resurrectione male sentientes ab ecclesia eijci iubentur. *c. qui oblationes. 1. & 2. 13. q. 2. Graff. l. 1. decis. c. 26. num. 14 & de cas. reser. l. 2. c. 26. n. 17.* Legata tamē pia non impleta animam defuncti in purgatorijs pęnis non retardant, ut ob huiusmodi moram ibi puniatur, ob hoc. n. negligens executor plectetur, sed quia remedium expiationis pœnæ non adhibetur, quæ per actuale suffragium subleuatur. Vnde cōiter DD. colligunt, hęredem & executorem lethali vulnere, animam propriam ob talem præcipue magnā dilationē in exequendo sauciare *Pet. Nau. de restit. l. 3. c. 4. num. 169. Bellarm. tom. 1. l. 2. de Purg. c. 16.*

Quippe executores quorū fidem testator elegit, oportet esse fideles, & prudentes, ut ea statim exequantur, quę pro anima sua pie largiri uoluit, cum nulli dubium esse posit, quin ea fuerit prima testatoris cura. Sed licet eius voluntas, nisi ipse aliud statuerit, de iure infra annum executioni demandari debeat, attamen sicut Episcopus dictum tēpus contrahere potest, ea ratione, quod legatorum ad pias causas cura ad eum pertineat, ita etiam ex causa illud temporis spatium producere poterit. *c. nos quidem. c. tua nobis. ext. de testam. Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 4. & sess. 22. c. 8. Couar. in c. si heres. extr. de testam. D. Ant. 3. p. tit. 10. c. 3. §. 5. Valenz. consil. 36. Grat. in discept. forens. c. 329. Molfes. tr. 13. c. 11. Spinus in spec. testam. gl. 28. Tusch. tom. 3. concl. 537.*

Sciendum est namq. quod executores sunt in duplici differentia, quidam. n. sunt à iure, quidam ab homine, & isti testamētarij, illi vero legitimi uocantur, ut sunt, prour dixi, Ordinarij locorū, quò ad pia legata exequenda, quò vero ad profana legata hoc munus ad sæculares Magistratus spectat.

Secundi autem. i. testamentarij omnes deputari possunt, qui à iure non prohibētur, ut sunt religiosi, si sine Superioris licentia hoc officium subeant, *cap. religiosus. de testam. in 6. Roder. in qq. regul. tom. 3. q. 70. art. 2. Nald. v. testamentum. nu. 11.* Quorum proinde executorum munus est, testatoris æs alienū soluere, & quidqd ultimarū uoluntatū executionem concernit adimplere, & si dolo, uel negligenter in administratione se gesserint, præter peccatum mortale, quod admittunt, damnum quoq. secutum resti tuere tenentur: ad quod etiam per Episcopum loci cogi possunt. Non tamen improbabile est, testamentorum executores, sicut & tutores, pro exequendo suo officio, & defuncti uoluntare adimplenda, præmium aliquod accipere posse, nam qui sentit onus, & commodum sentire debet. Secus esset dicendum, quando restamenti executor solum ad pias causas administrandas datus foret, tunc. n. nullum stipendium consequi deberet, cum uideamus et de legatis ad pias causas falcidiam non detrahi. *Authen. similiter. C. ad l. falcid. Spinus l. c. nu. 80.*

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum monialibus pro conditione in hæreditate sibi relicta apposita non adimpleta, detur restitutio in integrū. An donatio causa mortis facta à religioso ante ingressum monasterij reuocari possit. Nū annuum legatum relictum Fratribus Minoribus *de Obseruantia pro fabrica ecclesiæ valeat. Et an renuntians omni hæreditati, ab ea semper excludatur, etiamsi eius æstimationem pro ecclesiæ fabrica impendere velit?*

Dionysius donatione causa mortis, reliquit cuidam sanctimonialium monasterio hæreditatem, sed ea lege, vt infra annum xenodochium ædificet, q si non cōstruatur, hæreditas ad hospitale in ciuitate sitium deuoluatur. Paulo post in religionem D. Francisci de obseruantia ingressus est, & ibi professionem emisit; cum aūt dictus monialium cœtus donantis voluntatem non adimpleuerit, vult nunc dictam donationem reuocare, & illam in fabricam monasterij in quod intrauit, & in quo professus est, conuertere, ac simul quoddam legatū, seu annuum redditū, pro vsu eiusdem fabricæ à suo con sobrino sibi relictum recipere. Vnde quatuor hic po tissimum quæruntur. Primo vtrum sacris virginibus post lapsum anni in quo hospitale constructum non est, restitutio in integrum detur. Secundo an dicta donatio à Dionysio retractari possit. Tertio an annuus redditus eidem monasterio pro fabrica, & alijs vsibus ecclesiæ, eiusdem Dionysij contemplatione relictus, sit ualidus. Quarto cum antequam ingrederetur, omni alij hæreditati renuntiauerit, & Albertus eius frater ex illegitimo toro natus, in patrui sui bonis successerit, & ab intestato occisus subito decesserit, an monasterium, alijs proximioribus nō extantibus, pro eiusdem fabricæ usu, & monasterij necessitatibus subleuandis, ea bona capere possit, & quid Confessarius illi consulere debeat?

SVP-

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE INSPECTIONES.

RESpon. Suppono Primo restitutionem in integrum esse in pristinum statum repositionē; est.n.restituere in eum statum rem reducere,in quo ante lesionem causa erat *l.quod si minor.§. restitutio. vbi Bart ff.de minor.Ozasc. decis.9.* Natura autem restitutionis in integrum est,ut contra iuris commu nis rigorem militet,non tamen contra æquitatem in ipso iure scriptam, & ideo ex æquitate introducta fuit,ex generali clausula. Si qua mihi iusta causa,ac proinde etiam æquitas scripto rigori præfertur. *Castrens.l.2.cons.452.Tusch.v. restitutio.concl. 277.* Quæ non datur nisi præuia causæ cognitione,vnde petens rescindi sententiam,tanquam latam contra absentem ex capite restitutionis in integrum,debet de iure suo,& quod sua intereest,docere. Tempus autem eius petendæ est quadriennium continuum, nisi iusta causa absentiæ,impedimenti, uel ignorantiæ probetur. *Iasin §.rursus,Inst.de act. Idem Tusc. concl. 297.Mascard.de probat.vol.3.concl. 1275.*

Hoc porro beneficium competit maioribus ex dicta clausula,si qua mihi,&c.minorib.uero pupillis, ecclesijs,locis pijs,mulieribus, rusticis,fisco, & alijs priuilegio munitis,simpliciter & iure proprio conuenit. Videatur *Oddus in tract.de in integr. restit.q. 1. & 8.& Melfes. tom. 3. ad consuet. Neap.tit.de in integ.restit.Menoch.cons.932. Marta.p.1. claus.336.*

Secundo suppono ex traditis à nobis in materia de donationib.donationē (quæ est concessio ex mera liberalitate proueniēs, cum quis ita donat,vt velit rem accipientis fieri,& nullo modo ad se reuerti) duplicē esse,unam inter viuos, quando quis ita rem donat,vt potius uelit donatarium rem habere, quā ipsum donantem se viuente. Aliam causa mortis,qñ quis viuens bona retinet, sed post mortem suam po tius donatarium,quàm suum hæredem illa bona ha bere vult. Et sicut prima contractibus,ita secunda ul timis uoluntatibus comparatur. De qua postrema donationis specie fit mētio *in §.1.Instit.de donat.& in l. 1.ff.de donat.causa mort.* Et constat à iure gentium descēdere,cum ibi ex Homero allegetur donatio à Telemacho Pyræo facta; ex quo loco notant DD.authoritates Poetarum, Medicorum, Philosophorum,& Historicorum,ad causarum decisionem afferri posse.*L.septimo mense,ff.de stat.hom.c. nec mirum. 26.q.5.c.nunquam.& c.ne tales.de consec.d.5. c.clericus.d.41. D. Basil. in homel.de legend.libr.Gēt.* Hinc *Rossignoli de discip.christ perfect.l.3.c.22.* Inter omnes,inquit, libros ad sana consilia capienda in rebus omnibus tenent principem locum libri sacri. Secundum hos legendę sacrę historię,auctoresq. sacri, ij pręsertim qui de christianis officijs scripserunt. Quibus adiungendi libri Ethnicorum, à quib. vt docent SS. Basilius, & Hieronymus, Magna ad omnes humanę uitę partes emanare potest vtilitas.

RESPONSIO, ET RESOLVTIO.

HIs sic suppositis, propositis quæstionibus breuiter respondendo, Prima q.sic mihi resolui posse uidetur,sacris virginibus, uel monialium monasterio,post elapsum annū,quo hospitalis domus ædificata non est,dari restitutionem in integrū,mo do dolo construere non omiserit, nam contra dolū in omittendo restitutio non datur. Dolus autem esset, si cum sciret,& posset,conditioni parere noluisset,ut colligitur ex *Bal.in l.pupillorū.C.de repud.hared.& Comit.l. 1.q.84. Mātic.de tac.& ambig. tom. 1.l.4 tit.31.num.65.Paul.de Cast. in l. orphanotropos.C.de Epis.& cler. Ludou.Rom in singul.95. Euerard.in Topic. legal.in loco à Min.ad eccles.* Vbi hanc similem, & finitimam quæstionem decidunt. Hospitali relicta erat hęreditas sub conditione,si intra annum ædificet sacellum in certo loco,& si illud in designato loco intra illud tempus constructum nō fuerit, voluit testator,vt alius locus pius illam hęreditatem haberet. Administratores hospitalis oratorium illud non construxerunt, quęritur an ipsum xenodochium aduersus lapsum temporis, & negligentiam ab Administratoribus commissam, in præiudicium alterius pii loci restitui in integrum possit, & ipsi singulariter resoluunt quod sic,ad instar minoris,siqui dē oīa iura de pupillis,& minorib. loquētia, in restitutionis materia,ad ecclesias, & pia loca trahi dñt.

Ad secundam quæstionem dico, Dionysium donationem causa mortis factam reuocare non posse, quando monasterium succedēdi incapax est ingressus,ut est religio Ordinis Minorum de obseruantia, cū.n. professio tanq̄ naturalis mors reputetur, oīno testū̄m,& donationem causa mortis,quæ ipsi vltimę volūtati æquparat, confirmat,ita ut irreuocabilis sit, ut ex cōi tradit *Dec.in c.in præsentia.extr. de probat. Sanchez.l.6.de matrimon.d.17.num. 11. & de præceptis.l.7.c. 11.n.1.Melfes.tr. 13.c.2.num.163. Megal. l.2.Institut.confess.c.14.nu.18.Menoch.cons.980.*

Et ex his resolui poterit alia quæstio, quando legatarius,vel fideicommissarius legatum, uel fideicommissum in testamentis relictum consequatur; vera.n.resolutio est,quod si testatoris professionem in religione bonorum in communi incapaci emiserint, statim nuncupatis votis testū̄m vires assumit; & successiue ipsi testatores pro mortuis habentur, & legatarii,ac fideicommissarii emolumentum, ac lucrum statim percipiunt. At si religio bona in com muni possidere queat,tunc legatarii, ac fideicōmissarii legatum,uel hęreditatem,nisi post naturalem mortem testantium,non consequuntur,& interim monasterium talium bonorum vsumfructum acquirit.

rit, ita ex cõi *Molfes. d. c. & tom. 1. ad consuet. Neapol. p. 4. q. 65. Vasq. de redd. c. 3. dub. 4. nu. 20.* Hinc sequitur vt cum mors ciuilis in multis casibus naturali æquiparetur, substitutũ alicui si sine liberis moriatur, admitti, instituto Mendicantium religionem ingrediente; licet secus esset si in aliquẽ religiosum ordinem bonorum capacem intraret. Quod dictum DD. memoriæ commendandum esse animaduertunt, quia est in praxi quotidianum, & ad multa seruit. *Alex. lib. 3. cons. 13. Tusch. v. mors concl. 393. Euerard. in topic. leg. in loco ab æquipollenti. Menoch. l. 4. de præsumpt. præsumpt. 69. num.* 1091. *Sanchez. l. 7. c. 3. nu. 89. & seq.* & alij quos ipse refert, *& Sfort. Oddus de Compend. subsistit. p. 6. q. 2. art. 5. Surd. vol. 4. cons. 557.* vbi etiam deducunt, si statuto, aut consuetudine, masculi fœminas à parentum successione excluderent, non excludendas esse à masculo profesßo in ordine succedendi incapaci, siquidem illud statutum, & illa consuetudo existente masculo capaci intelliguntur, sicq. communi praxi recipiuntur.

Ad 3. q. respondendo dico valere annuum redditum testamento legatum cœnobio Fratrum Minorum, qui obseruantes dicuntur, pro fabrica templi, vel sacelli, aut pro vino, cera, oleo, & uestimentis ad missarũ sacrificia facienda, & offerenda necessarijs, eo quod in *c. exiji, de verb. signif. in 6.* & recepta praxi, solum prohibetur, quominus Fratres Minores legatum pro suo conuentu accipiant, non tamen ad templi, vel oratorij necessarios vsus relictum; hoc. n. non legatur ipsis Fratribus, sed sacris ædibus, & templis, quæ ordo ipse habet. Nec in *Clem. Exiui. de verb signif.* nec in regula D. Francisci aliquid continetur, quo ordo annuos reddirus recipere prohibeatur ad ecclesiarum pios vsus, sed tantummodo legata, quę ad ipsorum religiosorum victum, & vtilitatẽ spectent. vt contra *Azor. p. 1. Instit. mor. l. 12. c. 23. q. 15.* ex cõi tradit *Sanchez. de precep. l. 7. c. 26. n. 41. præsertim ex Nau. cons. 9. de testam. Roder. in qq. reg. tom. 2. q. 126. ar. 5. Cordub. in reg. D. Frãc. c. 6 q. 11. p. 3.* cõsentit *Menoch. vol. 11. cons* 1014. *Riccius 3. p. dec. cur. Neap. dec. 292. Bonac de cont. d. 3. q. vlt. p. 3.* Vnde etiam valere legatum Fratribus Mendicantibus pro studio, & emendis libris relictum, aliàs tesol ui ex *Abb. p. 2. cons. 63.* Imo ex *Feder. de Senis. cons. 12.* sustineri legatum sic singularibus Fratribus factum, cum hoc nõ ipsorum commoda, sed diuinum cultum concernat, ac proinde pia causa dicatur. Et omnibus notum est, studiorum causa multa à iure indulgeri, ut per *Alciat. & alios in l. 1. ff. solut. matr. Tusch. v. studentis conclus. 707. Monet. de distribut. quotid. p. 2. q. 10. Gratian. in forens. discept. c. 62.*

Porro triplici modo cõsuli potest eisdem Fratribus Minorib. aduersus hęredem, ne legato ad quod ille tenetur, defraudetur. Primũ est ut Ciuitas, seu eius syndicus, hoc petat, quia ei obligatio, & actio competit. Secundo potest Iudex tàm ecclesiasticus, quã secularis ex mero officio, neminem peten ti hæredem compellere, vt adimpleat, quia reipubl. interest, ne quis sua re male vtatur, atque testatoris voluntas adimpleatur. Quinimo eisdem Fratribus integrum est, opem implorando, & extraiudicialiter admonẽdo, Iudici denũtiare, vt ex offõ suo cõpellat. Vltimum medium est, ut syndicus Minorum, nomine ecclesiæ Romanæ petat, quippe cũ Fratres eo uti possint, dũmodo aliæ debitæ circunstantiæ cõcurrãt. Cuius quidem vsus antiquus est, & tempore D. Frãcisci introductus, nec regulę puritati cõtrarius. *Cord. l. c. c. 4 q. 16. p. 2. & Roder. tom. 2. q. 78. art. 1. & tom. 3. q. 39. art. 2. Sorbus in annot. ad Compend. Priuileg. Mend. v. legatum. Sanch. d. l. 7. de precept. c. 26. n. 63.*

Cœterum legatum relictum religioso extra ordinem Fratrum Minorum de obseruantia potest Prę latus eo inuito, in conuentus utilitatem impendere, etiamsi eius intuitu, uel cõtemplatione sit relictum; nam quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, & ei statim incorporatur; & tunc huic magis, quàm antea, vel alijs obligabitur, sed ei tantum necessaria subministrare tenebitur. Siquidem nec legans religionis ius infringere potuit, nec id in dubio uoluisse pręsumitur. Idem *Roder. tom. 2. q. 125. art. 6. & Sanch. l. 7. c. 5. 16. & 17. Bellet. in disquisit. cler. p. 1. tit. de bonis cler. §. 20. & 22. Tiraq. de nobilit. c. 26.*

Sicut & monasterium succedendi capax ex persona professi in eius maioratũ iurisdictione carentẽ succedit, & totã illius cõmoditatẽ cũ toto cætu recipit, dũ interim naturaliter viuit, at eo mortuo ad vlterius vocatũ transit. Nobilitas tamen, & alia prærogatiuæ, siue iura sanguinis in monasterium non transferuntur. Hinc qui erat origine comes, si postea clericus, vel Episcopus creetur, & si comitatum non amittit; secus tamen est si monachus factus fuisset. Insuper grauatus ut bona aliqua alicui tertio relinquat, si absque liberis decedat, si religionem non relictis filijs ingrediatur, in ea bona monasterium succedit, nisi de contraria restantis uoluntate constet.

Quartæ ac postremę quęstioni sic mihi satisfieri posse uidetur dicendo, monasterium hanc hereditatem sibi acquirere non posse, cum ex antedictis Fratres Minores, nec directe, nec indirecte in hereditarijs bonis succedere queant. ut per *Sorb. in Compend. Priuileg. Mendicant. v. hæreditas*, & si alij succedentes ab intestato non extent, ecclesiæ fiscus succedet. Vel etiam uerius dicẽdum uidetur, illa, bona acquiri monasterio quò ad usum, & commoditatem, præsertim si, vt aliqui uolunt Pontificis cõcessu hoc fiat. *Feder. cons. 12. Molin. tom. 1. de iustit. disput. 140. lib. 2. Lessius l. 2. cap. 41. dub. 11. num. 88. Sanchez. l. c. c. 25. num. 24. Molf. tr. 2. c. 1. nu. 62. & seq.* Aliter autem dicendum, si monasterium esset bonorũ capax, nam ad illud ipso iure etiam quò ad dominium deuolueretur.

dote legauit, Lauiniam vxorem suam, dominam, & vt dicunt massariam, quamdiù caste, & honeste in statu viduali vixerit, esse voluit. Michaelem amicum suum ipsius testamenti executorem constituit, eique præcepit, vt Mauritio regulari viro, & suo Confessario, quinque centum aureos datet, quos in puellis in matrimonio collocãdis, vel in alijs pijs operibus ratione debiti incerti aliàs ab ipso testatore contracti, insumeret. Ex qua facti specie hæ difficultates insurgunt. Prima est an eum Olympia in seculo nubere noluerit, sed in virginali statu emisso voto, viuere, & Deo inseruire statuens, D. Vrsulæ congregationem sit ingressa, illos duo mille aureos pro dote sibi assignatos prætẽdere iure possit? Secundo vtrũ Lauinia relicta domina, massaria, &c. censeatur instituta hæres, & rerum, facultatumque sui mariti simul cum filio dominium, & proprietatem acquirat. Tertio an d. Mauritio absque sui Superioris licentia disponentis mentem exequi licuerit, & illos nummos ex suo arbitratu, partim in suis pauperibus puellis consanguineis, extra testantis patriam degentibus, impendere, partim in libris pro vsu sui monasterij emendis expendere?

RESOLVTIO.

Respon. Quò ad 1. q. resolutiuè dicendum videtur, Olympiam etiam si in seculo nubere nolit, duorum mille aureorum quantitate, qui pro dote ad carnale matrimonium contrahendum, à patruo legati sunt, carere non debere, etiam si non nubat, sed in cætum congregationis Vrsilinarum in separata domo communiter degentium coaptetur. Sicut in re simili, celebriori calculo receptum est, ac resolutum, quando alicui determinatæ personæ legatum relinquitur, vt matrimonium ineat, ei deberi, si religionem ingrediatur §. *sed hoc præsenti in Authent. de Sanctiss. Episcop.* Quæ decisio testatoris voluntati innititur, vbi enim oppositum minimè declarauit, ius fore præsumitur, vt idem testator disposuisset, si hoc meminisset, casu quo matrimonium contrahere iussus: ad religiosum statum conuolaret, præsertim quod ob præsumptam testantis affectionem erga sanguine iunctos legatum plenius & latius interpretandum est. vt per *Menoch. l. 4. de præsumpt. præsumpt.* 148. *Mant. de coniect. vlt. volũt. l.* 11. *tit.* 18. *nu.* 16. *Molinam tom.* 1. *de Iustitia. tract.* 2. *disp.* 207. *Sanchez l.* 1. *de sponsal. disp.* 33. *nu.* 29. *& seqq. Bonac. de contr. d.* 3 *q. vlt. p. vlt. nu.* 19.

Et quamuis D. Vrsulæ virgines, quæ renunciatis mundi pompis, mutato paululum habitu, in domo propria cum parentibus, & cognatis, absque particulari obedientiæ, & paupertatis voto, habitant, vel vt in aliquibus sit Ciuitatibus, in communi, & simul vitam degunt, propriè religiosæ non sint, etiam si priuatum castitatis, & cõtinentiæ votum emiserint, negari tamen non potest, quin puellæ istæ, vel virgines, talem cœtum ingredientes, largo quodã modo spirituale matrimonium contrahere dicãtur. per notata à DD. *in d.* §. *sed & hoc præsenti*, ut proinde quò in tali vita se sustentate valeat, à legato sibi pro dote relicto, ipsa Olympia excludi non debeat *arg. Boer. Decis.* 3. *num.* 13. *Euerard. in top. leg. in loco ab alim. ad dotem, & à mat. spirit. ad carn.*

Ad 2. q. dico Lauiniam, si Galeacius filius à testatore pro hæres sit institutus, & ipsa dña, ac massaria sit relicta, sola alimenta cõsequi posse, cum in administratione bonorũ mobiliũ, & fructuum, quandam in domo præeminẽtiam prout vsufructuaria sibi hre cẽseat. *Thesau. in qq. forẽs. l.* 1. *q.* 54. *Borgn. de vsufr. n.* 17. *Tusch. v. vxor, concl.* 403. vbi aiunt, verbũ dña & Massaria, secundum vulgarem Italorum vsum, honorem, & eminentiam in domo, non dominium inferre, & per illa verba, dato alio hærede, ex consuetudine ad vsumfructum adaptari. Imò addunt, administrationis rationem reddere teneri, etiam si maritus eam liberasse videatur, quia talis liberatio, nisi quò ad scrupulosam, & seueram redditionẽ non intelligitur *arg. Marta, in trac. de clausulis p.* 1. *clausula* 8. vbi ait, quod licet clausula illa alte, & basse quantum sibi placuerit, denotet liberam, & absolutam potestatem, hoc tamen intelligitur, nisi cum dolo fecerit, cum ad fraudem committẽdã nunquam facultas data censeatur. Nec ab hac firmata nostra resolutione abludit *Peregrinus de fideicom. artic.* 12. *num.* 28. cum sic loquitur; Nec contra prædicta obstat decisio illa communiter recepta, quod relicta vxore vsufructuaria omnium suorum bonorum, relictum illud extantibus filijs, restringitur ad alimenta: filijs autem defunctis, succedẽtibus extraneis hæredibus, relictum illud reducitur ad intellectum pleni vsusfructus, cum distinctione. vt per *Bartol. in l. Titia* §. *Titia ff. de leg.* 2. quę est cõmuniter recepta, *vt per Curt. sen. cons.* 14. *&* 15. *& Decium cons.* 620. Nam respondetur, filijs extantibus, reduci ad intellectum alimentariẽ, non ex defectu potestatis testatoris, sed ex pręsumpta eius mente, sic à Bulgaro interpretata, cuius quidem interpretatio ex consuetudine in curijs, & iudicijs recepta fuit, hęc ibi. Et *in art.* 47. *num.* 50. Vbi inquit, quod quamuis ex ui illius verbi domina, legatum per filiorum existẽtiam restringeretur ad honorabilia alimenta, cum præeminentia in domo, posset tamen vxor propria sua auctoritate, nõ de filiorum manu, alimenta capere, vt per *Bart. in Authen. hoc locum C. de secund. nupt. & Ias. in l. nemo potest. in prima lect. num.* 34. *ff. de leg.* 1. *& consuluit Decianus cons.* 607. *ac docuit Menoch. in* 4. *remed. de adipiscen. poss. n.* 54. *& cons.* 141. *n.* 10. Quib. addo q cõsuluit *Bellon. cons.* 6. *n.* 13. Non censeri relictam proprietatẽ uxori, licet adscripta fine testa-

nonulla uerba statim post legatum usufructus, quę dominium inferre uidantur, siquidem uoluntatem testatoris quam potissimum in ultimis, uoluntatib. & testamentis spectamus, mutatam maximè incontinenti non præsumimus, cum nihil sit quod homines magis deceat, quã constantia, & in proposito firmitas, Tritum est.n. omnium sermone dictũ quod iniquissimum virum auctorẽ habuit, Quod scripsi, scripsi. *Dec. & Cagnol. in l. nemo potest. ff. de reg. iur. Tusch. v. variatio. concl. 21. Paul. Bellon. de potest. eorum qua in cont. fiunt. c. 37. & 143.*

Ad 3.q. respondendo, illam sic resoluendam esse existimamus, nempe in iuris rigore, Mauritio religioso integrum fuisse saltem ex sui Superioris tacita, & interpretatiua licentia, Theodori vltimam voluntatẽ, quò ad distribuendos arbitratu suo quingẽtos aureos exequi. Primo quia hæc pauperũ puellarum electio, quib. matrimonio collocandis partẽ nummorum insumpsit, est quid facti potius, quã iuris cuius quidem facti religiosus capax est. Secundo qa in hoc euentu omnes prohibitionis rationes cessant, quæ deducuntur ex *c. fin. de testam. in 6.* non.n. ut ait *Abbas in c. nos quidem. ext. de testam. & Cou. in c. tua nos nu. 1. ext eodem. Gratian. in discept. forens. c. 124.* regularis dicitur testamenti executor, si ei aliquid in confidentia relictum fuit, vt quantitatem legati declaret, vel personas, seu loca, quibus pecunia soluenda sit, ut etiam sensit. *Molfes. tr. 13. c. 11. nu. 13.* In hac siquidem pauperum electione nulla est iure proprio contrectatio, aut pecunię administratio, sed executores testatoris mandato, media electione per religiosum facta, distribuunt, nec litigium aliquod illi subesse potest, sed si quod suboriatur, id cum Executoribus intentandum est, vt eorum executio impediatur. Tertio cum hæc res valde pia sit, religiosos non dedecet, nec à spiritualibus occupationibus, & exercitijs auocat, cum ea electio breuissimo temporis spatio fieri possit. Nec iniuste egisse Mauritium dicendum est, cum nummos illos partim in consanguineis puellis collocandis, partim in librorũ ad monasterij pauperis vsum impẽdit, nã Executores ad distribuendum pauperibus, vel in pia opera erogandũ delecti egenis sibi sãguine cõiunctis, sicut alienis dispensare possunt. *Anch. 84. & 175. & 436.* Vbi ait ordinem charitatis suggerere, ut prius nostris, quàm extraneis subueniamus. *arg. c. non satis. dist. 86.* vbi habetur, Proximos seminis tui ne despicias, si egere eos cognoscas, melius est.n. vt tu ipse tuis subuenias, quibus pudor est ab alijs deposcere, aut charitatis subsidium postulare. *Tusch. in v. charitas. concl. 220. Roder. in qq regul. tom. 3. q. 70. ar. 4.* Nec obstare debet qđ istæ pauperes, & egenæ puellæ extra testantis patriam degant, nam vt ait *Feder. de sen. conf. 282.* quem idem *Tusch.* sequitur *in ver. pauperes. concl. 168.* Quando testator simpliciter pauperibus legauit, vel eos hæredes instituit, tunc Episcopus legis minister inopes de vrbe, & parochia, eligere debet, ad quos maiorem affectionem habuisse censetur. Sicut in simili resoluit *Durand. in spec. art. test. l. 2. p. 2. tit. de instrum. edit. §. nunc vero. num. 64.* Quod si testator mandauerit pontem, vel hospitalẽ domũ construi, vel quid simile, nec in quo loco expresserit, id intelligendũ est, ut in loco sui domicilij fieri dẽat. Quod si vbi testator iussit id fieri nequit, tũc alibi præstabitur. Secus tñ esset, ait idẽ *Feder. & Mantica infra citand. nu. 2.* si disponens distributorem, vel certam personam deputauit, quia tunc homo ille electus quibusuis pauperibus distribuere poterit. Nec hoc legarum incertum dici poterit, etiamsi pro puellis à Mauritio nominandis, & eligendis, sit factum; siquidem fauore vltimarum voluntatum hoc est speciale vt quod testator in alterius arbitriũ confert, pro expresso habeatur. *l. 1. ff. de legat. 2. Oldr. cons. 61. scholiastes ad Bullam 9. Clem. VII. Bald. l. 5. consil. Tusch. v. legata. concl. 43. nu. 2.*

Quod vero partem nummorum in emendis libris pro suo, & religiosæ domus suæ vsu, insumere potuerit, hinc constat, quod donatio, vel legatum factum religiosis etiam Mendicantibus, pro sacræ Theologiæ, & Canonum libris emendis valet, cum diuinum cultum, & christianæ reipublicæ commodum cõcernat; siquidem vniuersalis ecclesia sciẽtia, quę ex libris comparatur ad sui regimen maxime indiget, & multos libros habere expedit, nec nõ qui multa scire vult, multum in multis legere debet. *Auth. habita. C. ne filius pro patre cũ ñ ex. eo. vbi Io. Monachus. & Probus. ext. de elect. Abb. in c. de multa. ext. de prabend. & par. 2. conf. 62. Felin. & Nauar. in c si quãdo, ext. de rescript. Gemin cons. 37. Oldr. cons. 84.*

Et certi iuris est, cum qui incertis creditorib. quid restituere tenetur si uere est pauper, posse sibi, tanq̃ pauperi, & suis restituere, cum ordinata charitas à se ipso, à suis, & propria familia incipere debeat. ut per *Nauar. de orat. c. 7. nu. 34. & cons. 5. de solut. Zerula in praxi pœnit. c. 25. nu. 37. Sanchez. l. 6. de precept. c. 11. nu. 62. Roman. cons. 364. Mantic. de coniect. vlt. volunt. l. 8. tit. 5. num. 16. vt ex communi deduximus sup. casu incip. Carolus. c. 12. q. 32.*

Porro quod in praxi, vt tutiori religiosus incedat pede, ad electionem pauperum faciendam, & pecuniam eis distribuendam, & illius partem in emẽdis libris insumendam, saltem tacita Superioris licẽtia requiratur, ex hoc liquere videtur, quia & si id proprie nõ sit Executoris munere fungi, quod prohibetur. *in c. fin. de testam. in 6.* quędam tamen eius, ut aliquibus placet, pars censetur *Chech. de iurisd. ord. in exemp. p. 4. q. 49.* Item quia regularis in re præsertim alicuius ponderis, nil absq. Superioris licentia agere potest, quæ satis est, saltem quò ad forum conscientiæ, ut tacita sit, quando. s. Præfectus contradi-

*me.39.Costam de remed.subsidiar.remed.*106.*illat.* 2. *Martā voto* 41. Et hæc ipsamet patrona ex misericordiæ lege, & Iudicis officio petere poterit, ut sibi miseria, & egestate laborāti, ab ecclesia succurratur, præsertim cū ut infra dicemus, viduæ, sicut & pupilli, senes, & diuturno morbo fatigati, & hmōi, miserabiles personæ dicantur. *Rolan. à Valle. l.* 1.*consf.*76.*Menoc. l.* 2.*de arbit. Iud.casu* 66.*Tusch.v.miserabiles.concl.* 273. Et cum dximus supra, quod ius patronatus est ius honorificum, & utile, vtilitas in hoc cōsistit, quod patronus, vel patrona inopia conflictata, de bonis ecclesiæ alenda est, deductis primo Rectoris, & eius ministrorum alimentis, ac reparationū ecclesiæ impensis. Appellatione uero alimentorum ueniunt victus, potus, cibaria, vestimenta, domus, cubile, & omnia ad uitam transigendam, & conseruādam necessaria. *Surd.l.c.tit.*4.*q.*1.*tit.*3.*q.*3.*tit.*7.*q.*32. *Lapus. alleg.* 52. *Vivian.d.l.* 1.*c.*1. Extra quem casum patrono, uel patronæ, ecclesiæ bona vsurpare non licet, nec aliquid ex beneficij fructibus percipere, sed illos Rectori ecclesiæ, vel bñficiario relinquere dēt, aliàs ipsius bona, uel fructus quouis quæsito colore occupantes, excōicatione feriuntur. *Conc. Trid.sess.*22. *c.*11.*& sess.*25.*c.*1.*Zerula in praxi episc.p.*1.*v.bona.*

Ad 4.q. dicendum mihi videtur, quod licet inter alios à contrahentibus valida sit pœna in lucro non acquirendo consistens, ut si v.g. aliquid legetur Luciæ, ut Ioanni nubat; si.n. illi non nupserit, lucrum illud legati non comparabit, siquidem hæc non est vera pœna, sed potius spe lucri faciendi ad matrimonium inuitati, ut per *Mant. multos referentem de coniect.vlt.volunt.l.*11.*tit.*18. Hæc tamen positio cum duobus temperamentis intelligenda est. Primo nisi conditio in legitima portione apponatur, cum enim lege debita sit, ac proinde nullam gratiam testator faciat, nullam conditionem patitur. Secundo nisi legatarius ad ducendā indignam personam grauetur, si namque his nuptijs indigna sit, conditio reijcitur, quandoquidem id posse dicimus, quod honeste possumus. *l. nepos Proculo. ff. de verb.sign.* Ex quo loco communiter DD. colligunt, fieri non posse, & posse fieri, sed nō cōgtue, aut īdigne paria esse. Hinc *Bar. in l.eum ita legatum ff. de cond.& demon.* declarat illam esse matrimonio indignam, quæ sine decore ex patriæ more, natalium considerata qualitate, in uxorem duci non potest; & exemplum affertur in ex illegitimo toro natis, qui infames dicuntur, & ab honoribus arcentur, *ut per Tiraq. de nobilit.c.*15. *nu.*14.*Cassan. in catalogo glor. mundi.p.*11.*consid.*15. Vnde cum Veronica iusta esset Rochio illegitimo nubere, cum quo matrimonium inire secundum ciuitatis mores inhonestum erat, dicendum est, ad legatū illud admitti debere, etiamsi conditioni non paruerit, ut resoluunt *Sanch.l.*1.*de matr. d.*33.*nu.*11. *Gutierre.c.*20.*nu.*9. *Molina responso*, 1.*dub.*1.*nu.* 32.

CONFESSARII PARTES, ET DOCVMENTA.

PORro Confessarius, vel fideicommissarium, uel beneficiarium sacerdotem ad opem, Veronicæ patronę destitutę, cōsanguineis carēti, & alimentis egenti, hortari, & ei hoc pium officium suadere facile poterit, si ad memoriam reducet, viduas, pupillos, senes, nobiles pauperes, diuturno morbo fatigatos, & omnes alios, miserabiles personas dici, quibus natura ad miserandum, & compatiendum mouetur. Vnde de vidua speciatim loquens Iobus. *c.*29. Benedictio, inquit, perituri super me ueniebat, & cor viduę cōsolatus sum. Cor.s moerēs, atq; amarum viduę, quę prę afflictione, & mœtore neque loqui, audebat. neq. vocisetari valebat, tantum in cor de suo clamabat; illius desiderium exaudiuit Iob numinis instar pauperū desideria exaudiētis, uiduę, inquam, cuius conditio miserrima est. Hinc & per Esaiā c. 1. hortat Deus, Discite benefacere, quęrite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Vbi quę sit uiduæ peculiaris miseria significat, quod uito careat, qui illam defendat; ac tueatur. Quid si etiam liberis careat, & omni sit pręsidio destituta (ut hęc Veronica matrona) quam Paulus 1.*ad Timoth.* 5. describit, Quæ uere uidua est, & desolata, uidelicet quod neq. uirum, nec filios, nec nepotes, neq. alios cōsanguineos hēat, à qbus opis & subsidij aliquid sperari possit. Viduę atq. pupilli nomina, & per se singula, & iuncta sępe in sacris eloquijs reperi solēt, de quo eleganter dixit *Tertullian. l.* 1.*ad vxorem.cap.* 8. Duo ista nomina in quantum despectui humano, in tantum diuinę misericordię expositę, atq. per viduam, & pupillum omne miserorum, & imbecilorum hominū genus significari videtur. Ideo *in c.*1.*d.*87. Episcopis pręcipitur, ut uiduis præsidiū implorantib. adsint, & contra improborum uiolētias protectionis patrocinium non denegent.

Singulare huius rei exemplum teste *Genuensi in Manu.past.c.*80. extitit Marcus Antonius Imperator, qui dū è uita migraret, uberes lachrymas effundebat, ex quo cuiusdam uiduę causam non expedierat, timens ne propter eius inopiam inuenire nō posset, qui ei ius diceret: Iniqui.n. Magistratus non nisi pretio viduas tuentur, ut prosequitur Saluianus *l.* 5. *de provid.* Quod autē uiduę subsidio, & miseratione dignę sint, ac miserabiles personę dicantur, ut propterea etiam legata huiusmodi uiduis facta pia dicantur, ut supra tactum est, tradit *Roland. à Valle vol.* 1.*cons.*76. *Menoch.l.* 2.*de arbit. Iud.cas.*66. *Mascard.de probat.vol.* 2.*concl.*1061.*Tusch.v.miserabiles.concl.*273.*& Molf.tr.*13.*c.*5.*n.*152. *Idem Tusch. v.legata pia concl.*106.*Cassan.in catal.glor.mun.p.*3. *consider.* 40. & nos obseruauimus in *Comment.burn. vita Hat.p.*2.*cap.*26.*Tiraq.in præfat.de privileg.piæ causæ*

causa §. *quod adeo verum est. Arg. Azor. p.* 1. *l.* 13. *c.* 8. *q.* 4. vbi resoluit, licere Episcopis, vel Superioribus dare facultatem recipiendi viduas in monasteria, quæ viris suis orbatæ, tanquam miserabiles sub ecclesiæ protectione existẽtes, honestatis causa, se in monasterium conferre, & abdere cupiũt, modo sint bonę existimationis, & famę. Aliqui tamẽ referunt à sacra Cõgr. Card. decisũ, de cætero nullas huiusmo di viduas recipiẽdas esse, nisi moniales fieri velint. Item viduas, quibus ipsa monialium monasteria ingredi permittitur, his conditionibus uti debere, vt nullas secum ancillas ducant, & illo animo eò se recipiant, ut inde amplius redire nolint: & dum ibi sunt, legibus quibus ipsæ moniales utuntur, teneantur. *vt per Camp. in. in diuer. iur. can. rub.* 12. *c.* 16. *nu.* 30. *Barbosam de Episcopo. p.* 3. *alleg.* 102. *nu.* 67. *Mirandam tract. de Monial. q.* 2. *art.* 7. *concl.* 1.

QVAESTIO XXXII.

An legatum in tot nummis puellis maritandis factũ illis debeatur, si minori pecuniæ summa nubant. Et an executor ad distribuendas aliquas pecunias cõstitutus, possit sibi vel suis, si pauperes sint, illas ascribere, &c.

CArolus vir diues, & solut*, dũ esset lethali nora infectus, vtpote qui odio Sigismundum aliàs amicum odio prosequebatur, ob quasdam zizanias, & dissensiones à susurronibus inter eos satas, in bona valetudine condidit testamentum, in quo duos fratres vniuersales hęredes instituit; in eoque multa pia legata reliquit, inter alia, quatuor mille aureos legauit, ut decem puellę pauperes, quę in quadam hospitali domo educanrur, in matrimonio collocentur. Et ut mille pro male ablatis pauperibus dispensentur. Sui vero testamẽti Executorem Michaelem, cui multo confidebat, constituit; postmodum susceptis ex christiano more sacramentis ex hac uita in bono statu, ut pie creditur, discessit. Ipse uero Executor illud testamentum, & si post annum posset, per biennium, ex quadam negligentia exequi distulit; & cum puellę cum minori summa nupserint, residuũ sibi, & hęredibus retinuit, & partem pecuniæ Christi pauperibus erogandæ, sibi ut pauperi ascripsit. Quęritur quomodo in pręsenti casu se gerere debeat Cõfessarius, ut tàm testatoris, quàm hęredum, & Executoris saluti consulat?

PRAENOTIONES.

SVpposita illa inspectione, quam aliàs animaduertimus, Moralia opera in triplici differentia constitui, prout alia sunt viua, ut quæ ex gratia, & charitate procedunt. Alia vero mortua apud Deum vt cuncta quæ in lethali peccato peraguntur; nam animæ vita in sola gratia, & charitate cõsistit; quare quæ ex illo fonte non dimanant, licet moraliter bona esse possint, nullius tamen meriti apud Deum existunt, siquidem de sola fide charitate informata est illa Christi vox. *Io.* 4. Fiet in eo fons vitæ salientis in vitam æternam. Alia deniq. opera sunt; quæ viua quidem prodierunt, sed tamen per peccatum (vt Theologi loquuntur) sunt mortificata, lethale. n. crimen antecedentia hominis merita nõ extinguit, sed quasi sopita, atque obruta reddit: vnde eadem merita per pęnitentiam reuiuiscunt, instar arborum frugiferarum, quæ hyeme quidem nõ intereunt, nec arescunt, sed veluti languescunt, ac nouo vere florescere, ac quodammodo resurgere incipiunt. Hac inquam præ habita notione, dico quod testator iste sapienter se gessit dum considerans nihil esse certius morte, & nihil incertius hora mortis, salutis studio inuigilans, in statu sanitatis corporis, & sanæ mentis iudicio, rerum suarum dispositionem per testamentum instituit, vt consulit clarissimus vir Franciscus Petrarcha in suo testamento apud *Mol. de pijs test. cap.* 34. Nam etsi quouis tempore libera sit testandi facultas, & eo die, quo ex hac peregrinatione discedimus, etiam post sumptum viaticum corporis Christi, & post sacræ vnctionis (contra popularium quorundam errorem) perceptionem, modo integra sit mens; attamen quia circa exitum, an mens ipsa sana fuerit, facile difficultas mouetur, quãdo potissimum defuncti iudicium nonnulli conuellere volunt; & facile animaduertimus, multum animo conuulsos esse, qui sani per Iudicis sententiam ad laqueum, vel gladium abducuntur, ut non mirum sit, turbatiores sæpe eos esse, qui ex morbo conflictantur, quique ex anteactæ vitæ meditatione, & futuri iudicij, nec non dæmonũ insidiarum cogitatu, multifariam contristantur, ideo non male monuit, qui ad quendã amicũ suum sic scripsit, Disponete debes ante morbum, sæpe quis efficitur infirmitatis seruus, & seruus testari nequit, liber ergo testeris, antequã seruus efficiaris. Quis. n. crediderit, ait *Seneca. l.* 4. *de benef. c.* 11. testatorem ægrum, doloribus oppressum, vicino mortis timore anxium, quieto mentis iudicio frui, & animo bene composito, de rebus suis disponere, cum vt plurimum habitus animi corporis temperamenta sequi soleant? &c. Et quid quæso officit de reb. suis quantocius disponere? an necessaria mors post testamentum? nonne in manu testatoris sirum est, quandiu viuit, quotannis illud innouare; ac conuiuium in ipsa die amicis, & familiæ hæredum sumptibus, ut alicubi mos est, efficere? Et sic in nonnullarum diæcesum synodalibus statutis, sacerdotibus præcipitur, ut clericos, & laicos adhortentur, ne testamenti cõfectionem ad mortis angustias differãt, præsertim cum lecto assistãt amici, & alij affines, vel

consanguinei, velit dominici sepulchri custodes, nō soliciti vt Dominum Christū custodiant, aut ægrotanti animę consulant, sed tantum aduigilātes, ne Mammonam iniquitatis amittant; impedientes, videlicet, & vrgentes, graui sane cum scelere, & restituendi obligatione, ne ægrotus testetur, aut ne qua vellet, & deberet, rōne, testamētum suum conficiat. *D. Ant. 3. p. tit. 10. c. 1. §. 2. Molan. de piis testam. c. 47 Surd. cons. 373. Ala. de Aduoc. Christ. p. 2. q. 25. Nau. c. 26. num. 36. Iustin. in Tobiam. c. 4. vers. 22. doc. 1.*

Adde testamentum conditum à laborante in extremis, vel in mortis periculo constituto, ad alterius priuatæ personæ interrogationem, valde suspectum reddi, imo ex aliquorum sententia, nullum, & inualidum esse, cum grauiter infirmi (quorum mens rapitur vbi est vis doloris) non aliter loquantur, ac de omnibus respondeant, quàm interrogentur, vt sic, ita est, &c. vt per *Menoch. cons. 45. & Tusch. in ver. testamentum. concl. 124 & 133. Scardium. in verbo mors. Clarum in §. testamentum. q. 37.*

Insipienter tamen egit Carolus testator, cum lethali culpa labefactatus, & à gratia Dei alienus testamentum condidit: curare namque debebat, ut supremæ suæ voluntatis iudicium in statu gratiæ tabulis consignaretur, ut piorum legatorum dispositio illi ad animæ suæ redemptionē prodesset, siquidē bonum opus in peccato mortali factum, opus mortuū censetur. Hinc *Apost. 1. ad Cor. 13.* Si tradidero, ait, corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Sane ut *Clemens Alex. c. 5. strom.* ait, Gratia saluamur, sed non sine bonis operibus, quia vt & Æschilus Ethnicus protulit,

Adesse gaudet, sed laboranti Deus.

Neque. n. qui nos sine nobis fecit, saluabit nos sine nobis; curandum tamen est, vt opera nostra nō quomodocunq. fiant, sed iuxta diuinæ regulæ præscriptum. Cęca est omnis bona operatio, quæ oculis rectæ intentionis caret, mortua, quæ sine charitate efficitur, quæ duo si bono operi desint, quodcunque fit illud, malum semper erit, & nullius apud Deum meriti, qui, ut aiunt, non ad mensuram publici ponderis, sed ad stateram sanctuarij iudicat. Legata tamen impleta per hæredem in mortali peccato existentem testatori prosunt, cum ex generali regula actus illi mandāti potius quā exequēti attribuantur. Sicut & in re simili S. Card. Congr. cēsuit, cognationē spiritualem per procuratorē quidē contrahi, sed eam non procuratorē, sed mandantē principalē sibi comparare. *Nald. v. testām n. 6. Bonac. de cōtr. d. 3. q. vlt p. vlt. n. 28. Vgol. de off. Epi. p. 1. c. 15. §. 6. Rebel l. 4. de obli. iust. sect. 4 c. 2. Sāch. l. 7. de mat. d. 59. n. 12.*

Proinde testator si lethalis noxæ reus erat, cum testamentum confecit, quò legata in eo relicta ad salutem prodessēt, postquam diuinam gratiam sibi conciliauit, eadem rata habere debebat. vt per *Nauar. c. 26. n. 36. Beiā. p. 1. cas. 57. Regiā cas. 56. Alam. de Aduoc. Christ. p. 1. q. 68. Bonac. d. 3. q. vlt. p. 5. n 6. Anch. cons. 429. Tusch. ver. eleemosyna. conclus. 107.*

Imprudenter quoq. fecit, cum oblatas criminationes contra amicum statim non repulit, sed susurronib. Diaboli filijs, & Regis pacifici hostibus, tam facile credidit, nam ut Menander dixit,

Qui calumnijs cito credit,
Aut ipse improbis est moribus,
Aut omnino puerile ingenium habet.

Debebat potius Platonem imitari, qui cū ei à quodam diceretur, Zenocratem eum verbis insectari, primo negauit id verum esse, & cum ille instaret, iurareque, adiecit, se existimare, Zenocratem illa nō dixisse, nisi expedijsset, vt ex *Carbone de amore, & concordia. c. 15.* alibi scriptum reliquimus.

RESOLVTIO.

AD quæstionem ergo primam respondendo dico, legatum puellis maritandis factum, illis deberi, etiamsi minori cum pecuniæ quantitate nubant; nam illud legatum pium dicitur, ut proinde in illarum, uel aliarum puellarum dotem, & commodum conuerti debeat. Nec hæres, aut executor censetur testantis intentioni satisfacere, qui eam summam ad exonerandam forte conscientiam suam, vel tollendam, qua constringebatur obligationem eam nummorum summam assignauit, &c. *Conar. in c. officij. nu. 10. extr. de testam. Marc. Ant. Gennen. in prac. eccl. Tricen. 8. q. 224. & in Man. Past. c. 73. Bonac. l. c. num. 8. & nos inferius dicemus.*

Ad 2. dico Michaelem ad distribuendum constitutum, non posse regulariter seipsum eligere, vel in proprios vsus conuertere, nisi forte graui necessitate premeretur, tunc. n. videtur aliquid moderatum sibi retinere posse, si reuera indigeat, iuxta tradita p D. *Th. 2. 2. q. 62. art. 5. vbi Salon. Arrag. & aly. & Cameristas in c. cum tu. ext. de vsuris. Mant. de coiect. vlt. vol. l. 8. tit. 5. Valēz. qui plures alios allegat. cons. 98. & Molf. tract. 3. c. 11. nu. 37. Nau. c. 17. nu. 75. & c. 7. de orat. num. 34. & conf. 5. titu. de solut. Zerulam. in praxi pœnit. c. 25. q. 37. Graff. l. 1. decis. aur. c. 26. nu. 21. & seq. Sayrum l. 10. cla. reg. tract. 1 c. 2. nu. 21.* Notandum uero est illud D. Antonini monitū *p. 3. tit. 10. c. 1. §. 2.* His verbis testatori exhibitum, Caueat testator, ne de male ablatis, quæ restitutioni obnoxia sunt, heredibus suis relinquat, uel ut fiat inde Sacellum, Paramenta, vel Calices, & huiusmodi; sed si salubriter vult animæ suæ prouidere, dimittat restituenda certa certis personis, & incerta pauperibus, non ædificijs; non est hoc pauperibus dare, qui sunt vt hæredes in incertis; & religiosi, vel alij male faciunt, & male consulunt, qui pauperibus eroganda, in alia conuertere faciunt, sine alia dispensatione

tione, hæc ille. Quod etiam animaduertit. *Salon. & Aragon. & Sayr. l.c.*

Admonere quoq. Confessarius hæredes, & executorem debebit, graui scelere se obstrinxisse, cum solutionem ex pijs legatis debitam, diutius sine iusta causa distulerunt; & si biennium excesserint, in casum etiam reseruatum incidisse, si hoc peccatum ab episcopo ob eius grauitatem, ut multis in locis fit reseruetur. Imo in hoc delictum in aliquibus diœcesibus excommunicationis gladio animaduerti solet, & iure merito, quandoquidem ex sacris sanctionib. non solum qui oblationes. i. ea quæ relicta sunt, ecclesijs negant, sed qui difficile, & sero reddunt, tanquam egentium animarum necatores huiusmodi pœna plecti, & tanquam infideles, & de resurrectione male sentientes ab ecclesia eijci iubentur. *c. qui oblationes. 1. & 2. 13. q. 2. Graff. l. 1. decis. c. 26. num. 14. & de cas. reser. l. 2. c. 26. n. 17.* Legata tamẽ pia non impleta animam defuncti in purgatorijs pœnis non retardant, ut ob huiusmodi moram ibi puniatur, ob hoc. n. negligens executor plectetur, sed quia remedium expiationis pœnæ non adhibetur, quæ per actuale suffragium subleuatur. Vnde cõiter DD. colligunt, hæredem & executorem lethali vulnere, animam propriam ob talem præcipue magnã dilationẽ in exequendo sauciare *Pet. Nau. de restit. l. 3. c. 4. num. 169. Bellarm. tom. 1. l. 2. de Purg. c. 16.*

Quippe executores quorũ fidem testator elegit, oportet esse fideles, & prudentes, ut ea statim exequantur, quę pro anima sua pie largiri uoluit, cum nulli dubium esse posit, quin ea fuerit prima testatoris cura. Sed licet eius voluntas, nisi ipse aliud statuerit, de iure infra annum executioni demandari debeat, attamen sicut Episcopus dictum tẽpus contrahere potest, ea ratione, quod legatorum ad pias causas cura ad eum pertineat, ita etiam ex causa illud temporis spatium producere poterit. *c. nos quidem. c. tua nobis ext. de testam. Conc. Trid sess. 25. de reform. c. 4. & sess. 22. c. 8. Couar. in c. si hares. extr. de testam. D. Ant. 3. p tit. 10. c. 3. §. 5. Valenz. consil. 36. Grat. in discept. forens. c. 329. Molf. c. tr. 13. c. 11. Spinus in spec. testam. gl. 28. Tusch. tom. 3. concl. 537.*

Sciendum est namq. quod executores sunt in duplici differentia, quidam. n. sunt à iure, quidam ab homine, & isti testamẽtarij, illi vero legitimi uocantur, ut sunt, prout dixi, Ordinarij locorũ, quò ad pia legata exequenda, quò vero ad profana legata hoc munus ad sæculares Magistratus spectat.

Secundi autem. i. testamentarij omnes deputari possunt, qui à iure non prohibẽtur, ut sunt religiosi, si sine Superioris licentia hoc officium subeant, *cap. religiosus. de testam in 6. Roder. in qq. regul. tom. 3. q. 70. art. 2. Nald. v. testamentum. nu. 11.* Quorum proinde executorum munus est, testatoris æs alienũ soluere, & quidqd ultimarũ uoluntatũ executionem concernit adimplere, & si dolo, uel negligenter in administratione se gesserint, præter peccatum mortale, quod admittunt, damnum quoq. secutum restituere tenentur: ad quod etiam per Episcopum loci cogi possunt. Non tamen improbabile est, testamentorum executores, sicut & tutores, pro exequendo suo officio, & defuncti uoluntate adimplenda, præmium aliquod accipere posse, nam qui sentit onus, & commodum sentire debet. Secus esset dicendum, quando testamenti executor solum ad pias causas administrandas datus foret, tunc. n. nullum stipendium consequi deberet, cum uideamus ẽt de legatis ad pias causas falcidiam non detrahi. *Authen. similiter. C. ad l. falcid. Spinus. l. c. nu. 80.*

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum monialibus pro conditione in hæreditate sibi relicta apposita non adimpleta, detur restitutio in integrũ. An donatio causa mortis facta à religioso ante ingressum monasterij reuocari possit. Nũ annuum legatum relictum Fratribus Minoribus de Obseruantia pro fabrica ecclesiæ valeat. Et an renuntians omni hæreditati, ab ea semper excludatur, etiamsi eius æstimationem pro ecclesiæ fabrica impendere velit?

Dionysius donatione causa mortis, reliquit cuidam sanctimonialium monasterio hæreditatem, sed ea lege, vt infra annum xenodochium ædificet, q si non cõstruatur, hæreditas ad hospitale in ciuitate situm deuoluatur. Paulo post in religionem D. Francisci de obseruantia ingressus est, & ibi professionem emisit; cum aũt dictus monialium cœtus donantis voluntatem non adimpleuerit, vult nunc dictam donationem reuocare, & illam in fabricam monasterij in quod intrauit, & in quo professus est, conuertere, ac simul quoddam legatũ, seu annuum redditũ, pro vsu eiusdem fabricæ à suo consobrino sibi relictum recipere. Vnde quatuor hic potissimum quæruntur. Primo vtrum sacris virginibus post lapsum anni in quo hospitale constructum non est, restitutio in integrum detur. Secundo an dicta donatio à Dionysio retractari possit. Tertio an annuus redditus eidem monasterio pro fabrica, & alijs vsibus ecclesiæ, eiusdem Dionysij contemplatione relictus, sit ualidus. Quarto cum antequam ingrederetur, omni alij hæreditati renuntiauerit, & Albertus eius frater ex illegitimo toro natus, in patrui sui bonis successerit, & ab intestato occisus subito decesserit, an monasterium, alijs proximioribus nõ extantibus, pro eiusdem fabricæ usu, & monasterij necessitatibus subleuandis, ea bona capere possit, & quid Confessarius illi consulere debeat?

SVP-

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE INSPECTIONES.

RESpon. Suppono Primo restitutionem in integrum esse in pristinnm statum repositionē; est.n.restituere in eum statum rem reducere, in quo ante lesionem causa erat. *l.quod si minor.§. restitutio. vbi Bart.ff.de minor. Ozasc. decis.* 9. Natura autem restitutionis in integrum est, ut contra iuris commu nis rigorem militet, non tamen contra æquitatem in ipso iure scriptam, & ideo ex æquitate introducta fuit, ex generali clausula. Si qua mihi iusta causa, ac proinde etiam æquitas scripto rigori præfertur. *Castrens.l.2.cons.*451. *Tusch.v. restitutio. concl.* 277. Quæ non datur nisi præuia causæ cognitione, vnde petens rescindi sententiam, tanquam latam contra absentem ex capite restitutionis in integrum, debet de iure suo, & quod sua interest, docere. Tempus autem eius petendæ est quadriennium continuum, nisi iusta causa absentiæ, impedimenti, uel ignorantiæ probetur. *Iasin §.rursus, Inst.de act. Idem Tusc. concl.* 297. *Mascard.de probat.vol.3.concl.* 1275.

Hoc porro beneficium competit maioribus ex dicta clausula, si qua mihi, &c. minorib. uero pupillis, ecclesijs, locis pijs, mulieribus, rusticis, fisco, & alijs priuilegio munitis, simpliciter & iure proprio conuenit. Videatur *Oddus in tract.de in integr. restit.q.* 1. *&* 8. *& Molfes. tom.* 3. *ad consuet. Neap.tit.de in integ.restit.Menoch.cons.*932. *Marta.p.*1. *clausi.*336.

Secundo suppono ex traditis à nobis in materia de donationib. donationē (quæ est concessio ex mera liberalitate proueniēs, cum quis ita donat, vt velit rem accipientis fieri, & nullo modo ad se reuerti) duplicē esse, unam inter viuos, quando quis ita rem donat, vt potius uelit donatarium rem habere, quā ipsum donantem se viuente. Aliam causa mortis, qñ quis viuens bona retinet, sed post mortem suam potius donatarium, quàm suum hæredem illa bona habere vult. Et sicut prima contractibus, ita secunda ultimis uoluntatibus comparatur. De qua postrema donationis specie fit mētio *in §.*1. *Instit.de donat. & in l.*1. *ff.de donat.causa mort.* Et constat à iure gentium descēdere, cum ibi ex Homero allegetur donatio à Telemacho Pyræo facta; ex quo loco notant DD. authoritates Poetarum, Medicorum, Philosophorum, & Historicorum, ad causarum decisionem afferri posse. *l.septimo mense, ff.de stat.hom.c. nec mirum.* 26.*q.*5.*c.nunquam. & c.ne tales.de consec.d.*5. *c.clericus.d.*41. D. *Basil. in homel. de legend.libr. Gēt.* Hinc *Rossignoli' de discip.christ perfect.l.*3.*c.*22. Inter omnes, inquit, libros ad sana consilia capienda in rebus omnibus tenent principem locum libri sacri. Secundum hos legendę sacrę historię, auctoresq. sacri, ij pręsertim qui de christianis officijs scripserunt. Quibus adiungendi libri Ethnicorum, à quib. vt docent SS. Basilius, & Hieronymus, Magna ad omnes humanę uitę partes emanare potest vtilitas.

RESPONSIO, ET RESOLVTIO.

HIs sic suppositis, propositis quæstionibus breuiter respondendo, Prima q. sic mihi resolui posse uidetur, sacris virginibus, uel monialium monasterio, post elapsum annū, quo hospitalis domus ædificata non est, dari restitutionem in integrū, modo dolo construere non omiserit, nam contra dolū in omittendo restitutio non datur. Dolus autem esset, si cum sciret, & posset, conditioni parere noluisset, ut colligitur ex *Bal.in l.pupillorū.C. de repud.hæredit. & Comit.l.*1.*q.*84. *Mātic.de tac. & ambig. tom.* 1.*l.*4.*tit.*31.*num.*65. *Paul.de Cast. in l. orphanotropos.C.de Episc. & cler. Ludou. Rom in singul.*95. *Emorard.in Topic. legal.in loco à Min.ad eccles.* Vbi hanc similem, & finitimam quæstionem decidunt. Hospitali relicta erat hęreditas sub conditione, si intra annum ædificet sacellum in certo loco, & si illud in designato loco intra illud tempus constructum nō fuerit, voluit testator, vt alius locus pius illam hęreditatem haberet. Administratores hospitalis oratorium illud non construxerunt, quęritur an ipsum xenodochium aduersus lapsum temporis, & negligentiam ab Administratoribus commissam, in præiudicium alterius pii loci restitui in integrum possit, & ipsi singulariter resoluunt quod sic, ad instar minoris, siqui dē oīa iura de pupillis, & minorib. loquētia, in restitutionis materia, ad ecclesias, & pia loca trahi dnt.

Ad secundam quæstionem dico, Dionysium donationem causa mortis factam reuocare non posse, quando monasterium succedēdi incapax est ingressus, ut est religio Ordinis Minorum de obseruantia, cū.n. professio tanq̄ naturalis mors reputetur, oīno testūm, & donationem causa mortis, quæ ipsi vltimę volūtati æq̄paraē, confirmat, ita ut irreuocabilis sit, ut ex cōi tradit *Dec.in c.in præsentia.extr. de probat. Sanchez.l.*6.*de matrimon.d.*17.*num.*11. *& de præceptis.l.*7.*c.*11.*n.*1.*Molfes.tr.*13.*c.*2.*num.*163. *Megal.* 1.2. *Instit.confess.c.*14.*nu.*18. *Menoch.cons.*980.

Et ex his resolui poterit alia quæstio, quando legatarius, vel fideicommissarius legatum, uel fideicommissum in testamentis relictum consequatur, vera.n.resolutio est, quod si testatoris professionem in religione bonorum in communi incapaci emiserint, statim nuncupatis votis testūm vires assumit; & successiue ipsi testatores pro mortuis habentur, & legatarii, ac fideicommissarii emolumentum, ac fructum statim percipiunt. At si religio bona in communi possidere queat, tunc legatarii, ac fideicōmissarii legatum, uel hereditatem, nisi post naturalem mortem testantium, non consequuntur, & interim monasterium talium bonorum vsumfructum acquirit.

rit. ita ex cōi *Molfes. l. c. & tom. 1. ad consuet. Neapol. p. 4. q. 65. Vasq. de redd. c. 3. dub. 4. nu. 20.* Hinc sequitur vt cum mors ciuilis in multis casibus naturali æquiparetur, substitutū alicui si sine liberis moriatur, admitti, instituto Mendicantium religionem ingrediente; licet secus esset si in aliquē religiosum ordinem bonorum capacem intraret. Quod dictum DD. memoriæ commendandum esse animaduertunt, quia est in praxi quotidianum, & ad multa seruit. *Alex. lib. 3. conf. 13. Tusch. v. mors concl. 393. Euerard. in topic. leg. in loco ab æquipollenti. Menoch. l. 4. de præsumpt. præsumpt. 69. num.* 101. *Sanchez. l. 7. c. 3. nu. 89. & seq.* & alij quos ipse refert, & *Sfort. Oddus de Compend. substit. p. 6. q. 2. art. 5. Surd. vol. 4. conf. 557.* vbi etiam deducunt, si statuto, aut consuetudine, masculi fœminas à parentum successione excluderent, non excludendas esse à masculo professo in ordine succedendi incapaci, siquidem illud statutum, & illa consuetudo existente masculo capaci intelliguntur, sicq. communi praxi recipiuntur.

Ad 3. q. respondendo dico valere annuum redditum testamento legatum cœnobio Fratrum Minorum, qui obseruantes dicuntur, pro fabrica templi, vel sacelli, aut pro vino, cera, oleo, & uestimentis ad missarū sacrificia facienda, & offerenda necessarijs, eo quod in *c. exijt, de verb. signif. in 6.* & recepta praxi, solum prohibetur, quominus Fratres Minores legatum pro suo conuentu accipiant, non tamen ad templi, vel oratorij necessarios vsus relictum, hoc. n. non legatur ipsis Fratribus, sed sacris ædibus, & templis, quæ ordo ipse habet. Nec in *Clem. Exiui. de verb. signif.* nec in regula D. Francisci aliquid continetur, quo ordo annuos reddirus recipere prohibeatur ad ecclesiarum pios vsus, sed tantummodo legata, quę ad ipsorum religiosorum victum, & vtilitatē spectent. vt contra *Azor. p. 1. Instit. mor. l. 12. c. 23. q. 15.* ex cōi tradit *Sanchez. de præcep. l. 7. c. 26. n. 41. præsertim ex Nau. conf. 9. de testam. Roder. in qq. reg. tom. 2. q. 126. ar. 5. Cordub. in reg. D. Frāc. c. 6. q. 11. p. 3.* cōsentit *Menoch. vol. 11. conf.* 1014. *Riccius 3. p. dec. cur. Neap. dec. 292. Bonac de cont. d. 3. q. vlt. p. 3.* Vnde etiam valere legatum Fratribus Mendicantibus pro studio, & emendis libris relictum, aliàs resolui ex *Abb. p. 2. conf. 63.* Imo ex *Feder. de Senis. conf. 12.* sustineri legatum sic singularibus Fratribus factum, cum hoc nō ipsorum commoda, sed diuinum cultum concernat, ac proinde pia causa dicatur. Et omnibus notum est, studiorum causa multa à iure indulgeri, ut per *Alciat. & alios in l. 1. ff. solut. matr. Tusch. v. studentis concl. 707. Monet. de distribut. quotid. p. 2. q. 10. Gratian. in forens. discept. c. 62.*

Porro triplici modo cōsuli potest eisdem Fratribus Minorib. aduersus hæredem, ne legato ad quod ille tenetur, defraudetur. Primū est ut Ciuitas, seu eius syndicus, hoc petat, quia ei obligatio, & actio competit. Secundo potest Iudex tàm ecclesiasticus, quā secularis ex mero officio, nemine petente hæredem compellere, vt adimpleat, quia reipubl. interest, ne quis sua re male vtatur, atque testatoris voluntas adimpleatur. Quinimo eisdem Fratribus integrum est, opem implorando, & extraiudicialiter admonēdo, Iudici denūtiare, vt ex offō suo cōpellat. Vltimum medium est, ut syndicus Minorum, nomine ecclesiæ Romanæ petat, quippe cū Fratres eo uti possint, dūmodo aliæ debitæ circunstantiæ cōcurrāt. Cuius quidem vsus antiquus est, & tempore D. Frācisci introductus, nec regulę puritati cōtrarius. *Cord. l. c. c. 4. q. 16. p. 2. & Roder. tom. 2. q. 78. art. 1. & tom. 3. q. 39. art. 2. Sorbus in annot. ad Compend. Priuileg. Mend. v. legatum. Sanch. d. l. 7. de præcept. c. 26. n. 63.*

Cœterum legatum relictum religioso extra ordinem Fratrum Minorum de obseruantia potest Prælatus eo inuito, in conuentus utilitatem impendere, etiamsi eius intuitu, uel cōtemplatione sit relictum; nam quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio, & ei statim incorporatur; & tunc huic magis, quàm antea, vel alijs obligabitur, sed ei tantum necessaria subministrare tenebitur. Siquidem nec legans religionis ius infringere potuit, nec id in dubio uoluisse pręsumitur. Idem *Roder. tom. 2. q. 125. art. 6. & Sanch. l. 7. c. 15. 16. & 17. Bellet. in disquisit. cler. p. 1. tit. de bonis cler. §. 20. & 22. Tiraq. de nobilit. c. 26.*

Sicut ēt monasterium succedendi capax ex persona professi in eius maioratū iurisdictione carentē succedit, & totā illius cōmoditatē cū toto cætu recipit, dū interim naturaliter viuit, at eo mortuo ad vlterius vocatū transit. Nobilitas tamen, & aliæ prærogatiuæ, siue iura sanguinis in monasterium non transferuntur. Hinc qui erat origine comes, si postea clericus, vel Episcopus creetur, & si comitatum non amittit; secus tamen est si monachus factus fuisset. Insuper grauatus ut bona aliqua alicui tertio relinquat, si absque liberis decedat, si religionem non testatis filijs ingrediatur, in ea bona monasterium succedit, nisi de contraria testantis uoluntate constet.

Quartæ ac postremę quęstioni sic mihi satisfieri posse uidetur dicendo, monasterium hanc hereditatem sibi acquirere non posse, cum ex antedictis Fratres Minores, nec directe, nec indirecte in hereditarijs bonis succedere queant. ut per *Sorb. in Compend. Priuileg. Mendicant. v. hæreditas*, & si alij succedentes ab intestato non extent, ecclesiæ fiscus succedet. Vel etiam uerius dicēdum uidetur, illa, bona acquiri monasterio quō ad usum, & commoditatem, præsertim si, vt aliqui uolunt Pontificis cōcessu hoc fiat. *Feder. conf.* 12. *Molin. tom. 1. de iustit. disput.* 140. *lib. 2. Lessius l. 2. cap. 41. dub. 11. num. 88. Sanchez. l. c. c. 25. num. 24. Molf. tr. 12. c. 1. nu. 62. & seq.* Aliter autem dicendum, si monasterium esset bonorū capax, nam ad illud ipso iure etiam quō ad dominium deuolueretur.

uolueretur. Arg. etiã *Sanch.l.7.c.7.vbi n.6.* ex com muni sententia, illam & ibi quæstionem resoluit, quã ego in facto habui. An renuntiãs parentũ hrẽditati à fraterna hrẽditate excludat, decidit.n. virtute huius renuntiationis ab immediata parentum successione arcendũ esse, nõ aũt à mediata. v. g. si frater renũtiantis in parẽtis bona successit, atq. ab itestato decedat, renuntians vna cum alijs fratribus illi succedet, quia ea bona non tanquam patris petit, sed tanquam fratris, & post aditam hæreditatem non est amplius patrimonium patris, at soli parẽtum successioni renuntiauit. At ad eum excludendum verba adeo generalia sufficerent, quæ omnem succedendi modum includant, vt renũtio oĩ, & cuilibet successioni; quia cũ hæ dictiones generales sint, ita oẽ successionis genus claudunt, ut nulla ꝑsona cui succedendum est exẽpta uideatur. vt late probat *Menoch. vol.4. conf.335.*

QVÆSTIO XXXIV.

An pater filium qui cum nouerca se immiscuit, exhæredare possit. Num turpis persona, vt blasphemus, aleator, & sodomita heres institui valeat. Vtrum statutum parricidam, & fiscum à successione occisi excludens, iustum sit, &c.

DAmianus cum Eugeniam nouercam suã turpiter se commiscẽdo cognouisset, & hoc duarum famularum relatu, ad Roberti patris sui aures peruenisset, tanto dolore contestim est correptus, ac tàm ingenti tristitia affectus, ut in grauem morbum inciderit, ac propterea de mortis conditione, ac ad eam se præparandi ratione, cogitare cæperit. Vnde postquam animæ suæ sacramentorũ ministerio consuluit, testamentum condidit, in quo iracundiæ calore ipsum Damianum vnicum filium hæreditate priuauit, & Claudium proximiorem agnatum. i. ex sorore nepotẽ (turpẽ persona m) hæredem instituit. Quod ille animaduertens, impio adactus consilio, & ira percitus, ipsi Roberto genitori venenum propinauit, & ei mortem intulit. Cum autem in ea Ciuitate extet statutum quo sancitum est, quod occisor ex testamento, vel ab intestato, non succedat ei quem interfecit, sicut nec parricida patri succedit, sed quod occisi hæreditas, excluso fisco, ad proximiores perueniat. Nunc de aliquibus dubitari contingit. Primo an Robertus pater Damianum filium ex illa causa exhæredare potuerit.

Secundo an Claudius, qui cõiter in vrbe turpis persona habetur, cum publicus sit aleator, blasphemus, & de nefando vitio in iudicium sit delatus, & conuictus, hæres institui potuerit.

Tertio an huiusmodi statutum parricidam, & fiscum à successione excludens, & proximiores ad eam admittens, valeat, & iure subsistat, & quid Confessarius in præsenti casu consulere debeat?

RESPONSIO, ET RESOLVTIO.

REsp. Mirũ sane christiane lector, adeo nequitia sua hoĩem excæcari, adeoq. in obscuris, sicut mortuos seculi collocari, ut nõ cernat, quàm hostiliter secum ipse agat, dum lethale peccatum committit; dum eidem consentiendo, plus mali sibi ipsi, & alteri sæpe accersit, quàm vniuersa rerum creatarũ cohors inferre possit, ut in ꝑsenti casu videri licet.

Quod autem ad primam quæstionẽ attinet. Supposito, vt meminimus supra *c. 10. q. 24.* omnes hæredes institui posse, modo sint hæreditatis capaces, & à iure non impediantur; siquidẽ, vt aliqui institu antur, nil aliud requiri videtur, quàm vt adsit plena potestas in disponente, forma à iure præscripta, & capacitas in hærede: dico Robertum ob incestum cum nouerca perpetratum, iure Damianum exhæredare potuisse; nam inter exhæredationis causas, quę recensentur *in §. causas in Auth vt cũ. de appellat. cognoscitur*, ea etiam numeratur, si filius cum nouerca patris se immiscuerit. Prima namq. est si violentas manus in parentes iniecerit. Secunda, si grauem Iudicis arbitrio iniuriam intulerit. Tertia, si in criminalibus causis, excepto læsæ maiestatis crimine, eos accusauerit. Quarta, si cũ maleficis fuerit versatus. Quinta, si per venenum, vel alio modo ipsorum vitæ fuerit insidiatus. Sexta, si cum nouerca, vel cum patris concubina turpitudinem perpetrauerit. Septima, si delatot contra eos fuerit, vt proinde grauia dispendia ex hoc passi fuerint. Octaua, si à carceribus fideiussione illos non liberauerit. Nona, si testari prohibuerit. Decima, si contra parentum voluntatem mimis, & histrionib. se adiunxerit. Vndecima, si eos furiosos, vel alio morbo laborantes diligenti cura non custodierit. Decima secunda, si ab hostibus captos, si potuerit, non redemerit. Decimatertia, si filius hæresi sit infectus. Decimaquarta, si filia ante 25. annum in corpus suũ peccauerit. Quę quidẽ causæ expresse, vel, vt multis placet etiã illis similes, seu maiores, si à testatore remissæ non sint, efficiunt, ut priuatio illa etiam ad alimenta extendatur, ita vt non solum hæreditatis, sed etiam alimentorum ordinariorũ (non tamen eorum quæ simpliciter ad vitæ sustentationẽ necessaria sunt) filium expertem faciat. Licet.n. filij viuentib. parentib. quodãmodo patemorũ bonorũ condñ. sint, & participes dicti, vt est apud Terentiũ.

Nec fas est me vlla voluptate frui, nisi tibi
Huc saluus venerit.

Meus particeps. Horum nihilominus bonorũ ex causa filius à patre exhęres fit. *Pereg. de fideic. ar. 36. nu. 145. Molf. tr. 15. c. 2. n. 182. Bonac. in fra citand.* De qua materia videatur etiã *Clarus §. testam. q. 41. Tusch. v. exhæredatio. concl. 580. Mantic. de coniect. vlt. volun. l. 4. tit. 11. Vasq. in opusc. tit. de testam. c. 6. §. 13. Mol. de iust. tr. 2. d. 565. & seqq. DD. in Instit. ciuil.*

similit.tit. 13.de exhared.liber. Tholos.in syntag.iur. p.3.l.94.c.3. scribentes *in c. Quintauallis. ext. de iureiur. Bonac.de contract.d.6.q.1.p.6.§. 3. Reginald. l.20.num.36.*

Maneat ergo Damianum à Roberto patre ex sexta causa exhæredari potuisse, cum vt Virgilianis verbis vtar, tãto cum scelere, thalamum parentis inuaserit, vetitosq. Hymeneos.

Hic ausus immane nefas, ausoq. potitus.

Neque obstare debet quod hæc exhæredatio iræ calore ob huiusmodi sibi illatam iniuriam, à parente sit facta, ut proinde valere non videatur, ut considerat *Menochius l.12.cons. 1139. ex traditis per DD. in l.si filiam.C.de inoff.testam.* nã vt obseruat *Cagnol. in l.quidquid calore.ff.de reg.iur.* hoc intelligendum est, quando iracundia talis est, quæ mentis alienationem inducit, aliàs secus; talis verò impotentis passionis rationis vsum absorbentis actus exigitur probatio, quę sane admodum difficilis est. vt per *Felin.in c sicut.ext.de iureiur.*

Ad 2.q. respõdendo dico, Claudium aleatorem, blasphemum, & de nefando scelere cõuictum, à Roberto hæredem institui non potuisse, nã in infamiũ, & turpium personarum album referendus est, quæ ab hæreditatibus excluduntur. vt per *Mascard. de probat.concl.995.& Molin.de iust.tr.2.disp.154. & & 159. Lazarium de blasphemia.q.5.num.66.* Hinc illud distichon sæpe à nobis vsurpatum,

Qui sequitur Bacchum, taxillos, & meretrices,
Infamis semper, semper egenus erit.

Vt proinde etiam dicendum sit, Robertum à graui culpa non excusari, qui scienter Claudio huiusmodi vitijs contaminato, hæreditatem testamento reliquit, quæ ut infra dicemus, eo modo accepta, fisco defertur. teste. *Azor.p.1.l.5.c.8.q.1.*

Ad 3.q. dico, quod licet statutum quatenus homicidã à successione à se occisi arcet, & vult proximiores gradu, loco homicidę, illi interempto, excluso fisco, succedere. æquum, & legi cõi cõsentaneum censeatur. ut p *Menoch.l.6.cons.*502. in ea tñ parte, qua fiscus excluditur, & turpis psona ad successionẽ admittitur locum non habere fatendum est; fiscus enim regulariter, alijs proximiorib. agnatis dignis non extantibus, de iure indignis succedit, quibus ex delicto hæreditas aufertur. *l.hæreditas, C.de his quibus vt indign. Tusch.v.fiscus concl.394. Menoch.l.c.*

Non est tamen improbabile, hæreditatem à Roberto Claudio relictam, posse ab eo in foro cõscientiæ retineri, donec per sententiam à fisco priuetur, & illum excludere attentet; nam, vt alibi diximus, hæc est poena, quæ cum hoc rigore recepta non videtur, ut personæ à iure hæreditatis incapaces redditæ, propria sponte statim restituant, sed solum si petantur, & ab eadem successione arceantur. *arg. eorum quæ tradit Molina tom.1.de iust. disput. 154. Lessius l.2.de iust.c.19.dub.5.num.52. Sanch.l.2.de precept.c.14.num.34. Bonac.de contract.disput. 3.q. vlt.puncto 3.num.1.*

Porro etiam dicendum est, Claudium nullã culpam contraxisse, nec in aliquam iuris pœnam incidisse, cum viuente adhuc Damiano parricida, hęreditatẽ auunculi occisi adiuit, tùm quia clara, & aperta erat testatoris mens, & dispositio, iuris diffinitioni innixa, ob probatum incestum cum nouerca perpetratum, eum ab hæreditate excludens; tùm quia ipse Damianus parricida in carcerem coniectus fuerat, conuictus, & de crimine confessus, & propterea magis credebatur illum securi feriendum fore, quã absoluendum: atque ideo Claudius agnatus, & hæres institutus, eum potius mortuũ existimans, quàm quod viuere posset, hæreditatem impunè adire potuit; siquidem quæ incontinenti actum sequuntur, illi censentur inesse, & potentia proxima actui pro ipso actu habetur. *l.penul.vbi Bart.& Bald.ff.de milit.testam. Tiraq.in ll.connub.gl.2.nu.2. Gratian. in discept forens p 1.c.96.num.19. Costa.de facti scientia in spect.25.* Hinc scholasticus qui statim est laurea ornandus, in multis pro laureato habetur. Condemnandus item intra breue tempus pro condemnato censetur, prout etiam ad multa inferens scribit *Bellon.l.1.de potest eorum quæ in cont.fiunt.c.69.* Vbi tamen hanc positionem non esse perpetuã. ex DD. obseruat, sic.n. vir, & vxoris appellatione sponsum non contineri, multis docuit. *Tiraq.l.c. nu.25. Sanchez.de matr.d.1.num.2. Gutierez.eod.tr.1.c.1.* Sic victualiũ appellatione, non contineri messes in paleis, nec in dispositione vini cõprehendi vuas. consuluit *Surd.cons.550.num.13* Siquidem nihil est tàm proximum, quod repentinus aliquis casus auferre, & interuertere non possit. Ideo fera etiam lethaliter vulnerata, ut proxime capi queat, nondum vulnerantis efficitur, nisi capta fuerit. §. *illud quæsitum. Instit.de rer diuis.* vbi scribentes illud adagium; in medium proferunt,

Multa cadunt inter calicem, supremaq. labra.

QVAESTIO XXXV.

An puella duo mille aureis dotata, quò nubere posset, eos habere debeat, si in Congregatione Vrsulinarũ in virginali statu viuere velit. Vtrum vxor relicta in testamento domina, & massaria, dominium, & proprietatem facultatum mariti acquirat. Vtrũ regularis absq. sui Superioris licentia, testatoris mentem in pecunijs suo arbitrio distribuendis exequi possit?

THeodorus testamentum condidit, in quo Galeaciũ filiũ hæredẽ suũ vniuersalem instituit; Olympiæ nepti suę, vt nuberet, duo mille aureos pro dote

dote legauit, Lauiniam vxorem suam, dominam, & vt dicunt massariam, quamdiu caste, & honeste in statu viduali vixerit, esse voluit. Michaelem amicum suum ipsius testamenti executorem constituit, eique præcepit, vt Mauritio regulari viro, & suo Confessario, quinque centum aureos daret, quos in puellis in matrimonio collocãdis, vel in alijs pijs operibus ratione debiti incerti aliàs ab ipso testatore contracti, insumeret. Ex qua facti specie hæ difficultates insurgunt. Prima est an cum Olympia in seculo nubere noluerit, sed in virginali statu emisso voto, viuere, & Deo inseruire statuens, D. Vrsulæ congregationem sit ingressa, illos duo mille aureos pro dote sibi assignatos prætẽdere iure possit? Secundo vtrũ Lauinia relicta domina, massaria, &c. censeatur instituta hæres, & rerum, facultatumque sui mariti simul cum filio dominium, & proprietatem acquirat. Tertio an d. Mauritio absque sui Superioris licentia disponentis mentem exequi licuerit, & illos nummos ex suo arbitratu, partim in suis pauperibus puellis consanguineis, extra testantis patriam degentibus, impendere, partim in libris pro vsu sui monasterij emendis expendere?

RESOLVTIO.

RESpon. Quò ad 1. q. resolutiue dicendum videtur, Olympiam etiam si in seculo nubere nolit, duorum mille aureorum quantitate, qui pro dote ad carnale matrimonium contrahendum, à patruo legati sunt, carere non debere, etiam si non nubat, sed in cætum congregationis Vrsulinarum in separata domo communiter degentium coaptetur. Sicut in re simili, celebriori calculo receptum est, ac resolutum, quando alicui determinatæ personæ legatum relinquitur, vt matrimonium ineat, ei deberi, si religionem ingrediatur §. *sed hoc præsenti in Authent. de Sanctis. Episcop.* Quæ decisio testatoris voluntati innititur, vbi enim oppositum minime declarauit, ius fore præsumit, vt idem testator disposuisset, si hoc meminisset, casu quo matrimonium contrahere iussus ad religiosum statum conuolaret, præsertim quod ob præsumptam testantis affectionem erga sanguine iunctos legatum plenius & latius interpretandum est. vt per *Menoch. l. 4. de præsump. præsumpt. 148. Mant. de coniect. vlt. volunt. l. 11. tit. 18. nu. 26. Molinam tom. 1. de Iustitia. tract. 2. disp. 207. Sanchez. l. 1. de spons. disp. 33. nu. 29. & seqq. Bonac. de contr. d. 3 q. vlt p. vlt. nu. 19.*

¶ Et quamuis D. Vrsulæ virgines, quæ renunciatis mundi pompis, mutato paululum habitu, in domo propria cum parentibus, & cognatis, absque particulari obedientiæ, & paupertatis voto, habitant, vel vt in aliquibus fit Ciuitatibus, in communi, & simul vitam degant, propriè religiosæ non sint, etiam si priuatum castitatis, & cõtinentiæ votum emiserint, negari tamen non potest, quin puellæ istæ, vel virgines, talem cætum ingredientes, largo quodã modo spirituale matrimonium contrahere dicãtur. per nota ta à DD. *in d. §. sed & hoc præsenti,* ut proinde quò in tali vita se sustentare valeat, à legato sibi pro dote relicto, ipsa Olympia excludi non debeat *arg. Boer. Decis. 3. num. 13. Euerard. in top. leg. in loco ab alim. ad dotem, & à mat. spirit. ad carn.*

Ad 2. q. dico Lauiniam, si Galeacius filius à testatore pñe hæres sit institutus, & ipsa dña, ac massaria sit relicta, sola alimenta cõsequi posse, cum in administratione bonorũ mobiliũ, & fructuum, quandam in domo præeminẽtiam prout vsufructuaria tñ hñe censeat. *Thesau. in qq. forẽs. l. 1. q. 54. Borgn. de vsufr. n. 17. Tusch. v. vxor, concl. 403.* vbi aiunt, verbũ dña & Massaria, secundum vulgarem Italorum vsum, honorem, & eminentiam in domo, non dominium inferre, & per illa verba, dato alio hærede, ex consuetudine ad vsumfructum adaptari. Imò addunt, administrationis rationem reddere teneri, etiam si maritus eam liberasse videatur. quia talis liberatio, nisi quò ad scrupulosam, & seueram redditionẽ non intelligitur *arg. Marta, in trac. de clausulis p. 1. clausula* 8. vbi ait, quod licet clausula illa alte, & basse quantum sibi placuerit, denotet liberam, & absolutam potestatem, hoc tamen intelligitur, nisi cum dolo fecerit, cum ad fraudem committẽdã nunquam facultas data censeatur. Nec ab hac firmata nostra resolutione abludit *Peregrinus de fideicom. artic. 12. num. 28.* cum sic loquitur; Nec contra prædicta obstat decisio illa communiter recepta, quod relicta vxore vsufructuaria omnium suorum bonorum, relictum illud extantibus filijs, restringitur ad alimenta: filijs autem defunctis, succedẽtibus extraneis hæredibus, relictum illud reducitur ad intellectum pleni vsusfructus, cum distinctione. vt per *Bartol. in l. Titia §. Titia ff. de leg. 2.* quę est cõmuniter recepta, *vt per Curt. sen. cons. 14. & 15. & Decium cons. 620.* Nam respondetur, filijs extantibus, reduci ad intellectum alimentarię, non ex defectu potestatis testatoris, sed ex pręsumpta eius mente, sic à Bulgaro interpretata, cuius quidem interpretatio ex consuetudine in curijs, & iudicijs recepta fuit, hęc ibi. Et *in art. 47. num. 50.* Vbi inquit, quod quamuis ex ui illius verbi domina, legatum per filiorum existẽtiam restringeretur ad honorabilia alimenta, cum præeminentia in domo, posset tamen vxor propria sua auctoritate, nõ de filiorum manu, alimenta capere, vt per *Bart. in Authen. hoc locum C. de secund. nupt. & Ias. in l. nemo potest. in prima lect. num. 34. ff. de leg. 1. & consuluit Decianus cons. 607. ac docuit Menoch. in 4. remed. de adipiscen. poss. n. 54. & cõs. 141. n. 10.* Quib. addo q cõsuluit *Bellon. cons. 6. n. 13.* Non censeri relictam proprietatẽ uxori, licet adscripta sint testa-

nõnulla uerba statim post legatum usufructus, quę dominium inferre uidãntur, siquidem uoluntatem testatoris quam potissimum in ultimis,uoluntatib. & testamentis spectamus, mutatam maximè incontinenti non præsumimus, cum nihil sit quod homines magis deceat, quã constantia,& in proposito firmitas, Tritum est.n. omnium sermone dictũ quod iniquissimum virum auctorẽ habuit;. Quod scripsi, scripsi. *Dec.& Cagnol.in l.nemo potest.ff. de reg. iur. Tusch.v.variatio.concl.* 21. *Paul.Bellon.de potest. eorum qua in cont.fiunt.c.*37.*&* 143.

Ad 3.q.respondendo,illam sic resoluendam esse, existimamus,nempe in iuris rigore, Mauritio religioso integrum fuisse saltem ex sui Superioris tacita,& interpretatiua licentia. Theodori vltimam voluntatẽ,quò ad distribuendos arbitratu suo quingẽtos aureos exequi. Primo quia hæc pauperũ puellarum electio, quib. matrimonio collocandis partẽ nũmorum insumpsit,est quid facti potius, quã iuris cuius quidem facti religiosus capax est. Secundo qa in hoc euentu omnes prohibitionis rationes cessant, quæ deducuntur ex *c.fin.de testam.in* 6.non.n.ut ait *Abbas in c.nos quidem.ext.de testam.& Cou.in c.tua nos nu.* 1. *ext eodem.Gratian.in discept.forens.c.*124. regularis dicitur testamenti executor, si ei aliquid in confidentia relictum fuit, vt quantitatem legati declaret, vel personas,seu loca, quibus pecunia soluenda sit,ut etiam sensit. *Molfes.tr.*13.*c.*11.*nu.*13. In hac siquidem pauperum electione nulla est iure proprio contrectatio,aut pecunię administratio, sed executores testatoris mandato,media electione per religiosum facta,distribuunt, nec litigium aliquod illi subesse potest,sed si quod suboriatur,id cum Executoribus intentandum est,vt eorum executio impediatur. Tertio cum hæc res valde pia sit, religiosos non dedecet,nec à spiritualibus occupationibus, & exercitijs auocat,cum ea electio breuissimo temporis spatio fieri possit. Nec iniuste egisse Mauritium dicendum est, cum nummos illos partim in consanguineis puellis collocandis, partim in librorũ ad monasterij pauperis vsum impẽdit, nã Executores ad distribuendum pauperibus, vel in pia opera erogandũ delecti egenis sibi sãguine cõiunctis,sicut alienis dispensare possunt. *Anch.*84.*&* 175.*&* 436. Vbi ait ordinem charitatis suggerere, ut prius nostris,quàm extraneis subueniamus. *arg.c. non satis. dist.*86.vbi habetur,Proximos seminis tui ne despicias,si egere eos cognoscas, melius est.n. vt tu ipse tuis subuenias,quibus pudor est ab alijs deposcere, aut charitatis subsidium postulare. *Tusch.in v.charitas.concl.*220. *Roder.in qq regul.tom.*3.*q.*70.*ar.*4. Nec obstare debet qđ istæ pauperes,& egenæ puellæ extra testantis patriam degant,nam vt ait *Feder. de sen.cons.*282.quem idem *Tusch.*sequitur *in ver. pauperes.concl.*168. Quando testator simpliciter pauperibus legauit,vel eos hæredes instituit,tunc Episcopus legis minister inopes de vrbe,& parochia,eligere debet,ad quos maiorem affectionem habuisse censetur. Sicut in simili resoluit *Durand.in spec.art. test.l.*2.*p.*2.*tit.de instrum.edit.*§.*nunc vero.num.*64. Quod si testator mandauerit pontem, vel hospitalẽ domũ construi,vel quid simile, nec in quo loco expresserit,id intelligendũ est, ut in loco sui domicilij fieri dẽat. Quod si vbi testator iussit id fieri nequit, tũc alibi præstabitur. Secus tñ esset, ait idẽ *Feder. & Mantica in fraciniand. nu.*2. si disponens distributorem,vel certam personam deputauit, quia tunc homo ille electus quibusuis pauperibus distribuere potrit. Nec hoc legatum incertum dici poterit, etiamsi pro puellis à Mauritio nominandis, & eligendis,sit factum; siquidem fauore vltimarum voluntatum hoc est speciale vt quod testator in alterius arbitriũ confert,pro expresso habeatur.*l.*1.*ff.de legat.*2.*Oldr. cons.*61.*scholiastes ad Bullam* 9.*Clem.VII.Bald.l.*5. *consil.Tusch.v.legata.concl.*43.*nu.*2.

Quod vero partem nummorum in emendis libris pro suo,& religiosæ domus suæ vsu, insumere potuerit,hinc constat,quod donatio,vel legatum factum religiosis etiam Mendicantibus, pro sacræ Theologiæ,& Canonum libris emendis valet,cum diuinum cultum,& christianæ reipublicæ commodum cõcernat;qñquidem vniuersalis ecclesia sciẽtia,quę ex libris comparatur ad sui regimen maxime indiget, & multos libros habere expedit, nec nõ qui multa scire vult,multum in multis legere debet. *Auth. habita.C.ne filius pro patre cũ ñ ex. eo. vbi Io. Monachus. & Probus.ext.de elect. Abb.in c.de multa.ext.de praebend.& par.*2.*cons.*62.*Felin.& Nauar.in c si quãdo, ext.de rescript.Gemin cons.*37.*Oldr.cons.*84.

Et certi iuris est,eum qui incertis creditorib. quid restituere tenetur si uere est pauper, posse sibi tanq̃ pauperi,& suis restituere,cum ordinata charitas à se ipso,à suis,& propria familia incipere debeat.ut per *Nauar.de orat.c.* 7.*nu.*34.*& cons.*5.*de solut.Zerula in praxi pœnit.c.*25.*nu.*37.*Sanchez.l.* 6. *de pracept. c.*11.*nu.*62.*Roman.cons.*364.*Mantic.de coniect. vlt. volunt.l.*8.*tit.*5.*num.*16.*vt ex communi deduximus sup.casu incip.Carolus.c.*12.*q.*32.

Porro quod in praxi,vt tutiori religiosus incedat pede,ad electionem pauperum faciendam,& pecuniam eis distribuendam,& illius partem in emẽdis libris insumendam, saltem tacita Superioris licẽtia requiratur,ex hoc liquere videtur, quia & si id proprie nõ sit Executoris munere fungi,quod prohibetur.*in c.fin.de testam.in* 6.quędam tamen eius,ut aliquibus placet, pars censetur *Choch.de iurisd. ord. in exemp.p.*4.*q.*49. Item quia regularis in re præsertim alicuius ponderis, nil absq. Superioris licentia agere potest,quæ satis est,saltem quò ad forum conscientiæ,ut tacita sit,quando.f.Præfectus contradi-

cere potēs,& videns,taeet;vel si Mauritius subditus ab eo petijsset,iuste,& liberaliter concessisset, ut per eundē *Sanch. l.c.n.* 11.*arg.Nau.l.3.de reg. cōment.* 2. *num.* 20. *Graff.l.* 3.*decis.aur.c.*5.*nu.*54. *Mirandam in Man.Pralat.tom.* 1.*q.* 28.*art.*14.

ARTICVLI, QVÆSTIONES, ET CASVS, qui circa materiam mutui formari poterunt. Cap. XII.

QVAESTIO XXXVI.

An qui 25.*aureos mutuos habet, & pallium commodatum,& equum locatum, &* 12. *nummos aureos deposito consignatos,si hac pereant,vel surripiātur, de his in foro conscientia teneatur.*

IVlianus filiusfamilias cum ad conficienda quædam sua negotia Rauennam profecturus esset, à Gaspare amico suo petijt,vt 25. aureos nūmos mutuo sibi daret,simulq; pallium suum pro pluuiæ iniuria arcenda sibi commodaret,ac etiam equum suum conuento pretio locaret,quæ omnia non solum sibi data sunt,sed etiam 12.aurei deposito consignati, vt Rauennę Gasparis creditori solueret,qui quidem Iulianus postmodum fuit à lattronibus spoliatus, atque omnibus nummis,pallio, & equo denudatus. Quæritur,an horum omnium restitutioni sit obnoxius,& quid à Confessario resoluendum sit?

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

SVppono non solum per emptionem, & venditionem,donationem,testamentariam dispositionem,sed & per mutuationem, rerum dominia in alterum transferri;diffinitur.n.mutuum , ut sit contractus,quo rei dominium spe recipiendi rem similē in specie,& bonitate,in accipientem transfertur, & datione rei consistentis in numero,pondere,& mensura perficitur.ut per *Bar.& alios in l.*2.§.*si ff.si cert. pet. Aret.& alios in rub. Insti.ciuil.ti.quib. mod. re cōtrah.oblig.* Dicitur contractus loco generis, cum ex eo vltrò,citroq.oriatur obligatio.s. mutuans ad dandum,& mutuo accipiens ad reddendum. Dictū est quo dominium transfertur,tùm ad differētiam aliorum contractuum, qui solo consensu celebrantur, ut contingit in uenditione,tùm ad ostendēdum discrimen commodati,depositi,&locationis,&c.in quib. proprietas,vel dominium alteri non traditur. Vnde rectè mutuum à meo,& tuo appellatū est,quia à me tibi datur,vt ex meo fiat tuum,& omne incrementū rei mutuo datæ tibi mutuatario tanquam domino cedat,& si res mutuo datæ pereant, ipsi mutuatario damnum ascribatur. Addidimus eum spe recipiendi,&c.nam si eadem res reddenda esset,non mutuū, sed commodatum,vel si pretium interueniret, esset locatio.Si vero alterius speciei res redderetur,non mutuum,sed permutatio foret. Tandem in descriptione subiecimus,quod datione rei consistentis,&c. vt ostendatur,mutuum de his rebus celebrari, quæ in genere suo functionem recipiunt .i. quarum vna loco alterius dari,& substitui potest, vt uinum pro vino,pecunia ꝓ pecunia,q̄ cū in aliū ꝑ mutuū transfertur,exponenti petit. Hinc quatuor ad substantiā mutui reqri colligitur.Primo ut res accipientis fiat. Secundo q̄ aīus contrahentiū mutuū sit ut nō idem corpus,q̄ traditur,restituat̄.Tertio ut illud q̄ reddit̄ eiusdē gn̄is existat.Quarto vt res in quib mutuū celebrat̄,in numero pōdere,&mēsura consistant. Propterea n.equus,l ber,domus,& hmōi nō mutuo, sed cōmodato dati dicuntur,vel q̄si illorū vsus pro mercede conceditur,locari censentur,cum hæc functionem non recipiant,sed idem corpus in eodem genere recipiatur. Vt proinde colligatur, duas esse mutuantis, & alias duas etiam mutuatarij obligationes. Prior mutuantis obligatio est, quia damnum resarcire tenetur, si sciens rē vitiosam in substātias vel in quantitate,seu qualitate,mutuo dedit.

Secunda est quia mutuū repetere non potest ante tempus præscriptum,vel antequam mutuatarius re mutuo data vsus fuerit, nisi ipse mutuans æquali necessitate cum mutuatario laboraret; nam vt ex cōmuni resoluit *Ripa.*2.*singul. obseruat.* Mutuum duo reijcit extrema,nec.n.primo vult statim reuocari,& repeti,sed post tempus boni viri arbitrio æstimandum.Secundo non debet esse irreuocabile, quod si ex pacto,in mutuo pecunia irreuocabilis conueniatur,mutuum esse desinit, & donationis naturā induit.In quem prope similem sensum Diogenes cū aliquid in necessitate petebat,dicebat,non peto, sed repeto,amicus.n.amico egenti dans non donat, nec mutuo dat,sed reddit. Mutuarius etiam duo onera subit,Primū quia constituto tempore mutuum eiusdem generis,& bonitatis in substantia,qualitate,& quantitate restituere debet.Secundū est,quia de casu fortuito,si res res pereat, tenetur. *Regin.l.*25.*num.* 174. *Menoch.de arbit.iud.casu* 22.*Capic. decis.*116. Ex his etiam constat, mutuum contractum esse ex natura sua gratuitum , & ex charitate factū, sicut & commodatum,atq. ideo speciem esse euiusdam donationis,& beneficij ratione vsus concessi,licet dein de æqualia restitui oporteat. Et quia mutuum est magis frequens,& utile, quàm depositum, ideo in dubio mutui potius, quàm depositi contractus præsumitur,& vbicunque magna pecuniæ quantitas alicui sine expressa causa datur,semper ex mutui causa data censetur. *Bald.conf.*47. *Alex. l.*2.*conf.*28. *Decius conf.*116.*Tusch.v.mutuum.concl.*442.*Gratian. in foren. discep.c.*174. Ecclesia tamen,locus pius, ciuitas,& minor, hoc priuilegio gaudent,ut ex mutuo

non

non obligentur ad mutui accepti restitutionem non teneantur, nisi in eorum utilitatem uersum esse probetur. *Regin.l.25.num.176. Lessius.l.2.c.20. dub.2. Bonac.de contract.q.3.p.1. Genuens.in Pract. eccles. q.139.*

Secundo supponendum, mutuum duplex esse, nempe verum, quando re ipsa quis pecuniam, vel aliud pecunia æstimabile consumptibile mutuo gratis dat, & palliatum, quod secundum suam apertam formam, & contrahentium verba est alius contractus, quàm mutui, sed secundum latentem speciem est mutuum, quod etiam tacitum, & virtuale dicitur, & in alijs contractibus includitur, vt accidit, cũ quis alteris domum maiori pretio vendit, concessa ad soluendum dilatione, censetur.n. virtualiter pretium emptori mutuo dare, vsq. ad terminum solutioni præfixum. Alij quoq. mutuum in tres alias species diuidunt, ut aliud sit naturale, quãdo nulla scriptura, sed sola mutuatio interuenit. Secundũ nẽpe ciuile tantum, dum quis per chirographum sub spe futuræ numerationis se aliquid mutuo recepisse fatetur, quo casu, transacto biẽnio, in foro externo illud soluere cogitur, sed in animæ iudicio, quod naturali ratione, æquitate, & veritate adæquatur, & in quo iuris fictio non attenditur, ad illud pendendum non tenetur. Tertium sit naturale, & ciuile simul, dum mutuatio cum scriptura intercedit. Videantur de hac materia. *Nauar.cap.17.nu.206. & in Commentar. de vsuris. numero 4. & 26. Molin.de contract.disp.313. Bisfeldius in rub.de vsuris. notab.11. Vgol in tract.de vsuris.c.6. nu.2. Azor.p.3.l.7 c.9. Regin.l.25.num.168. Graff.l.2.c.109.nu.3. Berous cons.168. Canale.l.2 decis.32. Farinac. decis.30. Menoch.cons.109.lib.2. Summista in v. mutuum. Lessius.l.2.c.20.dub.2. Rebellus l.8.q.1.sect.1. Simon de Prat.cons.198. Mant.de tacit. & ambig.l 8. tit.2. Oinot.in §.1. Insti.quibus modis re contrahitur oblig. Meg.2.p. Instit.confess.l.2.c.14.& 15. Molfes. tr.12. c.13. Tusch.in v.mutuum.concl.441. Maresc.l.2.variar.resol c.132.* Vbi communiter tradunt; vsuram non dari, nisi in solo contractu mutui, veri, vel palliati, & ex generali regula, quæ nullam exceptionẽ patitur ad iudicandum de vnoquoq. contractu, an vsurarius sit, attendẽdum esse, an in eo mutuum formaliter, uel uirtualiter interueniat, & ex eo lucrũ intendatur, talis.n. contractus vsuræ labe inficitur, sin minus, ibi vsura esse non potest, siue contractus sit iustus, siue iniustitiæ morbo laboret. Quæ positio ad similia in praxi resoluenda notanda est, regulæ.n. officium est, rationis clauõ plures similes casus coniungere. *Cagnol.l.1.ff. de reg. iur.*

Tertio recolendũ, illũ solũ posse mutuo dare, qui rerum suarum liberum dñium habet, uel saltem mutuandi, & dominium transferendi à Domino facultatem accepit. Item omnes qui contrahere possunt, iure naturæ ex mutuo obligari, nisi priuilegio iuris positiui eis concessũ sit, ut in certis casib. nõ obligentur, vel certe ope exceptionis obligationem elidere possint. Hinc filius familias, qui sub potestate patris cõstitutus est, si mutuã pecuniam, absq. patris cõsensu acceperit, ad restitutionem non tenetur, cum Senatusconsultum Macedonianum obstet, nisi bona castrensia, uel quasi castrensia possideat, uel nisi expresso, uel tacito patris cõsensu, mutuam pecuniam acceperit, ut negotiaretur, seu etiam in domus utilitatem illud sit conuersum. *Molf.tr.12.c.13.nu.39. Mant.de tac.& ambig.l.8.tit.7.nu.16.* Licet multi graues DD. valde probabiliter sentiant, talem ciuilem præceptionem in foro conscientiæ locum non habere, cũ falsæ præsumptioni innitatur, ac propterea si constaret, aliquem filiũ familias ob necessitatem, uel charitatis, & pietatis intuitu, mutuum accepisse, à restituẽdi obligatione in animæ iudicio nõ eximeretur. Atque idem est de religioso, qui mutuo accipiendo monasterium obligat, si in eius utilitatẽ sit conuersum. *Sanchez.l.7.de precep.c.3.nu.18.*

RESOLVTIO.

HIs sic prẹcognitis, ad casus resolutionem deueniendo, dico, Iulianum solum 23. aureos nũmos ad restituendũ teneri, cum ꝑ mutuum in eũ sit trãslatũ dñium, & res dño suo perierit, siue casu fortuito, siue lata, vel leui culpa pecunia subtracta fuerit; ad pallij vero, & equi æstimationem resarciendã non astringi, si in commodatione pallij culpa saltẽ leuissima non interuenerit, & in equi locatione, nec dolum, nec latam, uel leuem culpam, sed casum fortuitũ adfuisse supponatur. Multominus quò ad restitutionem 12. aureorum depositorum tenebitur, cum in depositario, nec dolus, nec lata culpa dignoscatur. *l.contractus.* vbi *Dec. & Cagnol ff. de reg. iur.*

De qua re infra suo loco dicemus, cum de articulis circa commodarum, & locationem sermo erit; interim uide auctores supra citatos. In foro uero exteriori casus naufragij, furti, & similium, non præsumitur, ideo eum allegans probare debet. *Mascar.de probat.in ver.casus fortuitus.conclus.272.* Item ex *Sanchez.l.1.de precept.cap.10.num.18. & Bonac.de contract.disp.1.quæst.2.p.4* in foro tàm interno, quã externo dubitãs, num res cõmodata, locata, uel deposita sua culpa perierit, restitutioni obnoxius non erit, tùm quia possessio stat pro libertate, tùm quia nec in fori exterioris Iudicio deliquisse non præsumitur. Siquidẽ regulariter reus in pari causa absoluendus est, & officium Iudicis magis in absoluendo, quàm in condemnando exuberare dẽt. *c.cum partiũ iurã.de reg.iur.in 6.* Et in dubijs maxime in materia iustitiæ potior est rei possidentis conditio. Et in dubio debet fieri interpretatio, delictũ excludẽs.

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum qui mutuum petenti illud denegauit, propter quod ille se interemit, charitatem, & iustitiam violauerit, & se ipsum occidens ecclesiastica sepultura sit priuandus; & an filius teneatur soluere mutuũ acceptum à patre ad alendam familiam, & domum reficiendam?

Robertus cum esset in graui necessitate constitutus, ut ab illa si liberaret 50. aureos à Laurentio amico mutuo petijt, à quo cum repulsam passus esset, eo quod aliàs se nunquam mutuo daturum iurasset, ipse Robertus Diabolico actus spiritu, in flumen se præcipitem dedit. Quæritur an hoc piũ opus denegando charitatis, & iustitiam legis violauerit, ita vt præter culpam admissam, omne damnũ eius familiæ secutum Laurẽtius restituere teneatur.

Secundo an Robertus qui sibi ipsi mortem cõsciuit ecclesiastica sepultura sit priuandus. Tertio an cũ à Blasio aliàs pecuniã mutuo acceperit ad alẽdã familiam, & domum reficiẽdam Geminianus eiusdem Roberti filius huiusmodi æs alienum conttactum soluere teneatur.

SVPPOSITA.

Resp. Mutuum dare aliquando consilium, aliquando præceptum agnoscitur, sicut & eleemosynam dare, ad quod dijudicandum quatuor casus ex *Regin.l.25.nu.173.* & communi, considerãdi sunt. Primus est, quando proximus mutuo petẽs nõ magnopere eget, & ille à quo petit, sine suo incommodo mutuo dare nequit, in quo casu non præceptum, sed consilium datur; & si quis tũc mutuo dat, ratione incommoditatis, vel damni licet aliquid præter sortem exigere. Secundus gradus est, quando proximus mutuum petens necessitate non tamẽ graui premitur, & ille à quo petitur, sine suo incommodo illud dare potest: In eoq. casu mutuum dare charitatis est præceptum exigentis, ut bonum proximi eligaẽ, quando ipsum proprio nostro nõ obest. Non tamen mortalis culpa videtur, nisi proximus notabile damnum ex eo patiatur. Tertius casus est, quando mutuo petens extrema, vel quasi extrema, vel graui necessitate conflictatur: & tunc mortalem admitti culpam contra charitatem manifestum est. Ob id in dominica oratione dicimus, panem nostrũ da nobis, non autem mihi; illud est proprium christianæ charitatis non ut quisq; de se vno solicitus sit, sed vt præterea de proximo laboret, & in cura suæ vtilitatis aliorum etiam meminerit; Deinde quia, quæ alicui munera diuinitus tribuuntur, non idcirco donantur, ut solus illa possideat, uel in illis luxuriose viuat, sed ut cum alijs in necessitate communicet, ut ait Catechismus Romanus. *p.4. de Orat. Dom. D. Basil. in Psal.* 14. illud Euangelicũ Mutuum Date &c. de conferendis in egenos beneficijs exponit, pro quibus abunde compensat Deus, ut uere dicat Sapiens *Prouerb.* 19. Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo, nã quod pauperi propter Deum datur donum est, sed fœnus respectu Dei, qui magna pro paruis æterna pro caducis tribuet. Hucque spectat illud *Ioan.1.c.3.* Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quõ charitas Dei manet in eo? Nec abludit illud adagium. Ne verba pro farinis, aduersus eos iactatum, qui beneficium sponsionib. non re dabant, cum peculium re non uerbis augendum sit, nec vt aliàs diximus, verbalis consolatio sufficiat, ubi auxilio, & facto opus est. Et ut Germani dicere solent, verba marsupium non implent. *Tiraq. l.6. connub. nu.*18.

Quartus gradus est quando is à quo mutuũ petitur, non solum proximo necessitatem patiẽti ex charitate non subuenit, cum id sine suo incommodo facere possit, sed etiam lucrum ab eodem inuito extorquet, quod peccatum nõ solum charitati, sed etiam iustitiæ aduersatur, cum alienum nullo iure sibi debitum capiatur, & vsuraria prauitas committatur.

Misericordia quæ teste D. *Thoma* 2.2. *quæst.* 30. *art. primo.* est alienæ miseriæ in corde nostro passio, ac tristitia inducens nos ad eam pro viribus mitigandam, est præ clarissima virtus, sieq. humanæ naturæ medullitus impressa, ut Phocion dixerit, nec ex templo aram, nec ex homine misericordiam rollendam esse. Et alienas miserias, ac defectus subleuare viri maxime potentis est, & super alios eminentis, vnde misereti ponitur velut Dei omnipotentis proprium, sicut orat Ecclesia, Deus qui omnipotentiã tuam parcendo maxime, & miserando manifestas. Ad quem proinde accedunt, & viros magnos se esse probant, qui hanc uirtutem imitantur. Causam vero cur alieno malo per misericordiam cõpatiamur, duplicem affert *Apost. l. rhet. c.*8. Alteram ꝙ alienam miseriam ob mutui amotis unionẽ nr̃am ducamus. Alteram quod metuamus ne similia nos mala apprehendant. Propterea à paupere, & indigente quãuis improbo mutuum, uel eleemosyna subtrahenda non est; siquidem si non eius meritis, naturæ saltem hoc officium debetur. Vnde & Aristoteles increpanti cuidam quod homini malo aliquid errogasset, nõ mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Si re aliqua extreme proximus egear, nec alius sit ꝙ ei præbere velit, uel possit, tu ipse etiam nõ rogatus, & gratis sub culpæ lethalis reatu ministrare teneris si actu alibi bona rei tuæ æquipollentia non habet; nam si habet, mutuo dare sufficiat. Nec patiare ociosas, & superfluas apud te opes residere, proximis magna, & graui necessitate cõflictatis nec sis, vt vulpes,

quæ

quæ nudæ simię impie partē negauit superfluæ caudæ suæ,& terram vertentis.

RESOLVTIO.

VNde quò ad 1.q.dico Laurētiū mortalē culpā contraxisse,cū mutui dationē denegauit, qñ Robertus extreme indigebat,vel saltē uehemēti necessitate premebatur,& mutuū petebat: Vehemēter indigere dicitur is,cuius vita,& salus,uel honor maxime periclitatur;diximus etiam & mutuū petebat, quia si absolute eleemosynam postulasset, ad dandum ēt obligatus fuisset, nec præceptū eleemosynā largiendi mutuo dando impleuisset; velut si simpliciter indigus esset,nec alibi hrēt bona,ex qb.mutuū solueret,neq.aliquid in futurū habēdi vlla spes assulgeret. Nec illū à mortali peccato excusat, q̃ aliàs se nunquam mutuo daturum iurasset;illud.n.iuramētum,ut temerarium,& charitati contrarium,obseruandum non est,ut per *Azor.p.1.l.11.c.5.q.1. Sanchez.de precept.lib.4.cap.8. num.*18. vt supra resoluimus *tract.7.cap.5.quæst.*40.

In dādo tñ mutuo,& ī nostris negotijs cōficiēdis caute procedendū esse,suo exēplo senior Tobias docuit. *c.1.* ita utsicut hr̄ in *lib.Paralip.2.c.*19.cū diligētia cūcta faciam*. Nec immerito admonebat Cato,Mutuum da,cui des videto. Quare non dñt amici ægre ferre,si ab eis chirographa deposcātur,quandoquidem non solum fidei pignora sunt, sed etiam gratitudinis,& beneficentię argumenta, & obligantia,si forte,vt sæpe contingit,illi quib.datum est mutuum,uita defungerentur,&c.

Porro Laurentius quidquā Roberti familiæ restituere non tenetur,cum mutuum dare renuens iustitiam non læserit;nam ex communi Doctorum placito, Nemo vnquā ad restitutionē obligatur,quantumuis contra solam charitatē peccet, nisi aliquod peccatum admisceatur,quod aliquo pacto contra iustitiam sit per inæqualitatem,vim,dolū, vel fraudem,vel etiā illius,ad qd̄ ex officio tenetur, omissionē. *Azor.p.3.l.7.c.11.Conrad.de cōtrac.c.8.q.9.Reg. l.25.n.172.Carbo.de rest.q.7.* uide sup.*tr.9.c.q.*19.

Ad 2.q.respondendo dico,cum se ipsum occiden do in statu peccati mortalis decesserit, ecclesiastica sepultura priuandum esse, posse tamē pro eo priuatim orari,potuit.n.fieri vt in vltimo vitæ suæ spiritu de admisso scelere interius pœnituerit.&c.*c.placuit. 23.q.5.Gutierez.l.2.can.99.c.3.Rolan.à Valle.l.3. c.*20.*Menoch.l.2.de arbit.Iud.casu* 284. *Nau. cons. 7.tit.de sepult.Sylu.in v.sepultura.q.9. Tusch.in v. sepeliri.concl.*187.*Molfes.tr.13.c.8. Marc. Ant. Geneuen.in Praxi Neap.c.76.Graffius.de sepult. cons.1. Peregrin.de immun.eccl.c. 2.& attigimus etiam supra.9.c.9.q.24.*& infra p̄ subiecta materia dicemus.

Quò ad 3.q.dico Geminianum Roberti filium non teneri ad soluendum debita patris,quę ad alendam familiam mutuo accipiendo cōtraxit, nihil.n. iste cum creditoribus paternis egit,& res inter alios acta alteri præiudicare non debet; & quia actio ob mutuum personalis est, & creditori solum aduersus eum competit,cui mutuo pecunia data est,non vero aduersus eos,quibus mutuatarius pecuniam mutuo acceptam tradidit.*l.eum cui.C.de act.& oblig.vt sentit Molin.tom.2.de iust.d.*435.*Sanch.l.9.de matr.d. 4.nu.29.Regin.l.*31.*nu.*306.*Bonac.de legib. d 6.q. 1. p.*7.Idemque statuendum videtur de pecunia accepta ad domum ruinosam reficiendam;leges namq. ædificiorum restaurationi multum fauent, quib. ēt labentibus,vrbis aspectus deformaretur.*l.1.& 2.C. de adific.priu.* Hinc & si ex vulgata regula,Prior tēpore posteriori præferendus sit, interdum tamen posterior priori potior est. vt late prosequitur *Mantic. de tac.& ambig.l.11.tit.*23. vt exemplum est inter alia *in l.creditor.ff si cert.pet.*vt puta si quis mutuam pecuniam in refectionem domus dederit,cuius fauo tem,vt dixi,maxime iura respiciunt.*Grat.p.1. discep. Foren.c.25.num.22.& seq.Bellon.de his qui fiunt in conv.l.1.c.*136.*Surd.de alim.tit.6.q.8.nu.* 20.*& tit. 8.Priuileg.*34.

QVÆSTIO XXXVIII.

Mutuator qui fratri suo in dando mutuo extraneum pratulit,an peccauerit? Item mutuum iuxta quem valorem restituendum sit,quando pecunia æstimatio creuit.&c.& an qui mutuo centum accepit, & secreto restituit,si conueniatur,à mutuante exigente ab eo in iudicio solutionem centum, negare possit se centum ab eo mutuo accepisse?

RAymundus,centum nummos aureos mutuo dedit Stephano extraneo viro,quos antea Alexandro proprio fratri egēnti,& eos sub mutuationis titulo petenti denegauerat:cū postea aureæ monetę valor publica authoritate sit auctus, & ad soluendum præfinitum tempus aduenerit,ipse Stephanus mutuatarius vellet restituere iuxta æstimationem pecuniæ,quæ erat tempore contractus,mutuās vero vult sibi reddi secundum valorem, qui solutionis tempore currit.Insuper idem Stephanus cum ab ipso Raymundo centum mutuo accepisset, & secreto restituisset,at non possit restitutionem in iudicio probare,& à mutuante coram Iudice conueniatur, iurare vellet se nil ab eo accepisse. Quæritur, quid Confessarius respondere debeat?

SVPPOSITA, ET RESOLVTIO.

REsp.Primo,Negari non potest,Raymundum cum fratrem suum in mutui datione post-

posuit, & despexit, grauiter fraterna iura violasse: siquidem cognati, ac consanguinei iuxta gradus suos magis, quã extranei diligendi sunt, ac pietatis officijs fruendi. Huc n. spectat illud Apostoli *1. ad Tim. 5* Si quis suorum, & maxime domesticorũ curã nõ habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Nec abludit adagium illud, Genu sura proprius, vsurpatum ab *Arist. in 9. Eth.* Quod ex tali euentu natum esse traditur. Cum in prælio quidã conspiceret duos de uita periclitantes, fratrem defendit, atque hanc interim sniam protulit. A quò Plautus suã effinxit, Tunica pallio propior. Vere & ingeniose, à Sotione pronũtiatum fuit, eos q fratrib. relictis, alios amicos quærunt, eis esse p similes, qui suũ rus incultũ sinunt, & alienum colunt, quo nil ineptius excogitari põt.

Vt mutuum licitum sit, debitæ circunstantiæ obseruandæ sunt, quę his voc b. indicantur. Quis, quid, cui, cur, quomodo, quando, quo ordine, quoue loco. Et quò ad ordinem, coniunctio, seu vinculum, quo colligati sumus, spect ndum est, magis. n. & potius, ut dixi, coniunctis, seu sanguine, seu aliquo alio uinculo per mutuum subueniendum est. Non satis est bene uelle, sed etiam benefacere oportet. Nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate proficiscatur. Perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, vt primum cæteris parib. opeteris circa domesticos fidei, ait D. *Ambr off. l. 1. c. 30.* relatus etiam in *c. non satis. d. 86. Regin l. 25. nu. 170. Tusch. v. charitas. conclus. 220.* Quare Nicolaum I. Pontificem anno Christi 862. Bulgaris interrogantibus de ordine in eleemosyna facienda seruando, respondisse ferunt illam propinquis prius faciendam esse Apostoli verba in medium adducentem. Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei; siquidem vt docte D. Thomas ratiocinatur. *in 2. 2. q. 31. artic. 3. & Iustin. in Tob. c. 2. vers. 2. in decum.* Gratia, & virtus naturæ ordinem à diuina sapientia institutum imitatur, qui talis est, vt vnumquodque agens naturale per prius, magisq; suam actionem ad ea diffundat, quæ sibi plus propinqua sunt, sicut ignis rem sibi magis proximam calefacit, & similiter Deus in substantias sibi propinquiores per prius, & copiosius suæ bonitatis dona profundit.

Secundo proprius ad 2. quæstionem accedendo, dico, quod licet aliqui moralium rerum scriptores senserint, mutuum soluendum esse iuxta priorem ualorem, qui erat tempore contractus, cõis tamen opinio videtur, solutionis tempus attendendum esse, siue valor creuerit, siue decreuerit ea ratione; qđ satis sit, vt in substantia, qualitate, & quantitate, & in omnibus intrinsecis condition bus, res æque bona reddatur, nec necesse esse, ut res sit eiusdem æstimationis, cum hoc quid extrinsecum sit. Ideóq; eadem queratione dicendum uidetur de alijs rebus, quę in pondere, & mensura consistunt, vt si idem Raymundus mutuo dedisset decem frumenti modios, & postea Principis decreto frumenti mensura decurtetur, restitutio secundum nouam mẽsuram sit facienda, nam etsi aucta esset, à ratione, ut dicunt, casus cõuersiua, eadem reddenda foret. Sicut etiam cõis uidetur opinio, generaliter meliora mẽta soluenda esse secundum æstimationem, & ualorem temporis in quo petuntur, siue æstimatio aucta fuerit, siue decreuerit, eum res transeat cum suo onere, & par debeat esse utriusq; contrahentis conditio. *Bar. in l. Paulus. ff. de solut. Ias. in l. mutuũ. ff. si cer. pet. Abb. in c. quãto ext. de iureiu. Euer i top. leg. in loco à rõne. cas. cõuers. Viuius in sylua cõmu. opi. op. 514. Vgol. de vsur. c. 33. §. 1. Molfes. tra. 12. c. 13. Gutierez. l. 2. pract. qq. q. 68. n. 62. in fin. Bal. in cons. 213. Menoc. cons. 138. Bellon. de pot. cor. qui incõtinẽti fiũt, l. 1. c. 12.* ubi multos alios refert. *cõtra Reginal. l. c. n. 182. Filliuc. tom. 2. tr. 34. c. 10. n. 228.* & nonnullos alios, quorum sententiam vtpote probabilem, in praxi ẽt quis tuto seq possit.

Ad 3. q. respondendo dico, Stephanum posse iureiurando negare se aliquod Raymundo debere, aut centum aureos ab eo mutuo accepisse, siquidem ipse Stephanus qui uere centum ab actore petita illi soluit, nihilq; ei amplius debet (& si testibus, vel scriptura id probare nequeat) inique ad iudicium trahitur, iniusteq; super his interrogatur, vt proinde ei fas sit ambiguis verbis interrogantis versutiam eludere, & positionem eo animo negare, & sensu inficiari, vt eam falsam asseueret, prout ponitur, nempe se mutuo centum, quæ debeat accepisse; nam ex cõi principio, & regula tradita à *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7.* quoties iureiurando adacti de aliquo rogamur, si uobis in eo iniuria inferatur, dubijs verbis iurando nobis vti licet, & in eo sensu, quẽ volumus, & concipimus, accipere, vt etiam annotauimus supra *tra. 7. c. 9. q. 44. & seq.* Atq; sic hæc resolutio colligitur ex *Bald. in rub. C. de fide instr. Ias in l. manifestę ff. de iureiur. Alciat. in l. 1. §. si quis. ff. de ver. oblig. Couar. l. 1. var. resol. c. 2. Azor. p. 1. l. 11. c. 4. q. 5. Regin ca. su 41.*

CAP. XIII.

QVAESTIO XXXVIII.

Mutuans pecuniam cum pacto, vt mutuatarius iuxta communem æstimationem in tanta vnarum quantitate soluat, & vt postea operas suas mutuanti locet, an vsuram cõmittat. Quid iuris si legatum sit alicui mulieri si in viduitate fuerit, & quid delegata pecunia relicta sit in potestate hæredis est soluendi ad suum arbitrium, an. s. ipsa legataria recipere possit tantum pro centenario quousq. legatũ soluat.

RAphael rusticus cũ pecunia indigeret, à Matthæo 25. aureos mutuo petijt, quos illi dedit; cum

cum hoc pacto, ut illos soluat in tanta quantitate vuarum, vel vini, secundum cōem æstimationem, quam habebit solutionis tempore; & cum illa conditione, vt proxima æstate operas suas iusto accepto pretio locet, & vt sibi in simili necessitate remutuet. Item cum Lucretiæ Philippo nuptę opulentum legatum pecuniæ mille aure orum in casu viduitatis, vel si vidua fuerit, ab Alberto suo consanguineo sit relictum, sed eorum solutionem intra decem annos in hæredis potestate esse voluerit, interim tamen disposuit rantum pro centenario, ab ipso hærede eidē Lucretiæ legatariæ præstari debere. Nunc cū defuncto Philippo, Raphael eam viduam fœminā in vxorem duxerit, & cum ipsa simul quinq. pro cētenario exigat. Quæritur an in istis cōtractib. vsuraria labes, & iniustitię virium committatur, & quid consulere debeat Confessarius?

SVPPOSITA.

RESP. Suppono Primo, vsuram dici quasi raptū vsus, nam qui ad vsuram dat, lucrum vltra sortem pro re accipit, cuius vsus à dominio separari nō potest. Dicitur etiam fœnus, quasi denarij fœtus, eo quod in vsurario contractu naturę ordine mutato, nummus nummum pariat. Hanc Hebręi morsum nuncupant, nam *Deut. c. 23.* vbi nos legimus, Non fœneraberis fratri tuo, Iudęi hn̄t, Non morsum infe res fratri tuo. Quò D. Chrisostomus super *Mat. c. 5.* allusit, dum ait, similis est pecunia vsurarij morsui aspidis, ab eo. n. percussus quasi delectatus abit in somnum, & per suauitatē soporis moritur, quia sic venenum latenter per omnia membra decurrit; Sic namq. qui sub vsura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed vsura per omnes suas facultates defluit, & totum in debitum conuertit. Qua ratione à sacris canonibus vsura appellatur vorago, animas deuorans, & facultates exhauriens, iuxta illud Lucani,

Hinc vsura vorax, auidumq. in tempore fœnus. c. 1. & ibi glos. & Io. And. tit. de vsuris. l. 6. Abb. l. 2. consil. 14. Tusch. in ver. vsura. conclus. 336. Surd. tom. 1. consil. 23. Menoch. l. 5. consil. 441. Alphonsus itidem Aragonum Rex fœneratores, utpote labores mortaliū depascentes, harpias uocare solitus est. Idem fœnus nil aliud sibi, quàm animæ funus uideri dixit; damnauit autem hominum auaritiam, quę naturali legi repugnat: cum ex nihilo nihil gignatur.

Proinde D. Bernardinus Senensis fœnus scite in demum sine peccato exerceri posse affirmauit, si pecunia ijs crederetur, qui nec capitalem summā reddere possent. Plato referente Plutarcho in *Moral.* vetat aquam à vicinis petere, nisi prius domi tuæ usq. ad terram foderis, repererisq. non ipam esse venæ; ita prius excutiendum, ut parsimonia, aliaue uia tibi suppedites, priusquam à mensarijs pecuniam mutuam petas; vt. n. ignis inualescens alia post alia corripit, sic vsura, &c. *Bald. conf. 449. incip. ius naturale. l. 3. Bisfeld. in rubr. de vsur. not. 2. Io. Bapt. Lupus in l. curabit §. 2. C. de act. empt. Io. Bonifac. de furtis. §. fraudolosa. num. 40. Menoch. l. 2. de arbit. iud. casu 3. q. 8. nu. 4. & 20. Stracha. de mercat. p. 1. num. 36.*

Et licet multi æris auidi, pestiferem illam Vespasiani vocem audiant, & sequātur, Lucri bonus odor, ex qualibet, & illum putidum Ennij uersiculum, *Vnde habeas curat nemo, sed oportet habere;* ex veteri tñ adagio, Salis onus vnde uenerat, illuc abit, in eos iactato, quib. male parta male dispereunt, experiētia nāq. docet, iniuste acq̄sita instar salis in aqua euanescere. *Io. à S. Geminiano l. 4. de similitud. c. 97.*

Secundo supponendum, ex frequentiori DD. calculo receptum esse, vsuram esse voluntatem capiendi vltra sortem lucrum aliquod pecunia æstimabile vi & causa mutui principaliter. In qua diffinitione dicitur Primo voluntas, ad includēdum etiam actū voluntatis interiorem, & vsuram mentalem, cum q̄s mutuo dat alicui, ut aliquid ultra sortem consequatur, aliàs non mutuaturus, etiam si pactum non interueniat. Per sortem intelligitur summa capitalis, quam quis mutuo dat. v.g. cum quis cētum dat mutuo, vt quinque annuatim percipiat, sortē. n. i. summam capitalem centum efficiunt. Per lucrum accipiendum est omne emolumentum temporale, ut pecunia, uel quidquid pecunia æstimari potest, vt excludatur amicitia, vel beneuolentia, quæ æstimationem non recipit. Hinc à mutuatario iniuria affecto exigere propter mutuum iniuriæ remissionem, & vt liti cedat, pacto interueniente illicitum est, & vsurariam prauitatem sapiens, cum læsus iure petendi, q̄ habet, quod est pretio æstimabile priuetur. Positum est vi mutui, quia usurę crimen non erit, si ui gratitudinis, uel amicitię, uel charitatis, siue ratione damni emergentis, uel lucri cessantis aliquid exigatur, seu quia aliàs erat nobis ex iustitia debitum. *Peguer. decis. 12. Gratian. in Discept. foren. c. 141. n. 16. Bellon. de potest. cor. c. 94.* Vel etiam quia pecunia datur ad ęstimationem, & ad eandem restituendam, & ratione locationis aliquod lucrū accipit, ut passim & communiter omnes tradunt. Additum est illud uerbum principaliter, cum ad usuram constituendam requiratur, ut primaria intentio ad lucrum ex mutuo feratur, ut ex infra dicendis apertius constabit. Videant *Nau. in Commēt. de vsuris super c. si feneraris. 14. q. 3. & in Man. c. 17. num 106. Cou. l. 3. var. resol. c. 1. Tol. in sum. c. 28. l. 5. Ioan. Bapt. Lupus in d. l. curabit. §. 1. nu. 12. Arrag. 22. q. 78. ar. 1. Val. tom. 3. d. 5. q. 21. p. 1. Molina de contract. tract. 2. d. 303. & seq. & Bonac. d. 3. q. 3. puncto. 2. Barthol. à Fausto de contract. d. 16. Molfes. tr. 12. c. 23. Menoch. tom. 2. consil. 109. & tom. 3. consil. 300. nu. 57. & seq.* ubi ait, quod cum usuraria

taria prauitas in solo mutuo directè, uel indirectè committatur, ad perpendendum de quolibet cōtractu an vsurarius sit, explorandum esse, an aliquam mutui rationem implicet, pro quo pretium redditur, tunc enim semper vsuræ labe infectus erit, aliàs minime. Et hanc regulam fallentiæ nesciam dixit. *Sot. l. 6. de iust. & iur. quæst. 1. art. 1. & Roder. de ann. redd. l. 1. q. 4. nu. 1.* ubi colligit ad uerum, & reale mutuũ quatuor requiri. Primo quod pecunia, uel aliud pecunia æstimabile fiat accipientis, & dominium in eum transferatur. Secundo quod gratis fiat. Tertio quod detur ius aliquo tempore utẽdi. Quarto quod accipiens ad tantundem in genere restituendum obligetur. Quod etiam superius animaduertimus.

Tertio annotandum duplicem esse usuram, pro vt vna est exterior, & altera interior. Exterior est qñ quis dat aliquid mutuo alicui cum pacto siue expresso, siue tacito, aliquid vltra sortem accipiendi, siue pactum illud verbis, signis, vel aliquo alio modo concipiatur. Pactũ implicitum erit, ut si quis mutuatario dicat, nosti usum, nõ habeo aliàs unde uiuã, & hmôi. Vsura vero mentalis est, dum quis absque pactione expressa, uel tacita, quippiam vltra sortẽ accipiendi, aliquid alicui mutuo dat, sperat tamen se inde aliquod lucrum reportaturum.

Rursus ipsa vsura, ut diximus in veram, & palliatam diuiditur, uera reperitur in mutuo, palliata in alijs etiam contractibus deprehenditur, in quib. ratione dilatæ, uel anticipatæ solutionis aliquid ultra sortem accipitur. Quæ quidem duplex usura cum ex suo genere iniqua, & mala sit, iuri naturali, diuino, & positiuo aduersans, hinc fit, ut neq. Pontificia dispensatione, neq. Imperatoris auctoritate cohonestari queat, ac vsurari j qui non solum subditis perniciosi sunt, sed & reipubl. calamitosi, ex urbib. ut teterrima pestes abijciendi, & extrudendi sint: adeò ut ex communiori Theologorum sententia, christianis Principibus fas non sit Iudæis absq. Papæ assensu, facultatem concedere, ut in suis ditionibus usurã exercere ualeant. ut per *Farin. p. 2. Fragment. crim. tit. de Iudæis. num. 70. & Tusch. in v. Iudæus. concl. 374. & v. vsura. cōcl. 338. Vgol. de vsuris. c. 2. §. 2.* Quam ueritatẽ fusè, & doctè probat *Corrad. de contract. q. 22. & 23. Val. l. c. Regin. l. 23. nu. 44. Io. Bonifac. de furtis. § fraudulosa. nu. 41.*

Quarto ꝓ basi totius materiæ usuræ est ẽt hic obseruandum, ad cognoscendam oẽm usurariam prauitatem in contractibus tria dari certissima signa. Primum est si cõtractus speciem habeat mutui, quia sicut ubi in commercijs non est uenditio, iniustitia esse non potest; ita ubi nõ est mutui similitudo, usura adesse nequit. An autem contractus speciem mutui habeat, ex subiectis rebus dignoscendum est; siquidem si res quæ contrahuntur, usu non consumuntur, est uẽditio, sin minus, mutuum consurgit. Secundum signum est, si pro usu rei quæ mutuo datur, aliquid accipiatur, quod pecunia æstimari possit, ita ut ex illo ciuilis obligatio nascatur. Tertium signum est, si hoc pretium ratione mutuationis accipiatur, nam si lucrum non immediate ex contractu mutui, sed potius ex amicitia, uel gratitudine proueniat, uel si quis pecuniã eo animo mutuò det, quò sibi illius amicitiam conciliet, ut deinde emolumentum aliquod ratione amicitiæ consequatur (uel etiam mutuo det, ut suam uexationem redimat) usura nõ erit, ut communis est, & constans scribentium sentẽtia. Hinc conficiebat Seneca *de beneficijs.* Vir bonus omnia rectè facit, si rectè facit, ingratus esse nõ potest. Et qui nescit beneficium reddere iniuste petit.

RESOLVTIO.

His præhabitis, ad propositum casum respondendo dico, Primo licitum fuisse Matthæo, pecuniam dare Raphaeli rustico, quam in tot vuis, uel uino, solueret in tempore. &c. nam etsi talis contractus nomine mutui vulgo appelletur, non est tamen reuera mutuum, sed futuri fructus emptio, anticipata solutione; nam tunc rusticus futuros terræ fructus uendit pretio per anticipationem accepto, licet hoc sub nomine mutui fiat. Et cum pretium iustum sit, quia iuxta communem æstimationem futuri temporis taxandum relinquitur, in eo nulla apparet iniustitia, nec usitata apud rusticos praxis ut illicita damnanda est.

Secundo dico, usuraria labe aspersum esse cōtractum in ea parte, qua mutuãs cũ mutuatario pactus est, ut postmodum iusto pretio accepto, operas suas locet, uel ut sibi in simili necessitate remutuet, nam etsi mutuator possit absque peccato, à mutuatario petere, ut sibi ex ea obligatione, qua iure gratitudinis benefactori benefacere tenetur, in posterum uicissim mutuam pecuniam sibi præstet, nam ut est in adagio Manus manum lauat, usura tamen committitur, si ratione mutui ea obligatio in pactum deducatur, ita ut ex urbana, & antidorali, ciuilis fiat, tollens contraueniendi libertatem, quam urbanitatis obligatio relinquit, tum nemo ad id cogatur, quod ex honestate tantum debet, sicut quis ad id cogitur, ad quod ex pacto tenetur. Veluti etiã ex aliquorum sñia ille cõtractus cohonestari dr̃, cum quis pecuniã mutuo alicui hac lege dat, vt ex sua officina emat, suam scholam frequentet, &c. si illa conditio sub antidorali obligatione ponatur, ita ut mutuatarius in sua libertate manens, illam lege gratitudinis tantum adimplere teneatur. Quod tamen in praxi ab usuræ labe difficile excusatur, ut in sequẽti quæstione dicemus. Vnde *Sichard. in rubr. C. de vsuris. nu. 8.* infert *ex Abb. in cap. fin. extr. de vsur.* multos Doctores esse usuræ labe infectos, quia scholasticis pecuniam

cuniam mutuo dat pacto expresso, uel tacito, ut lectionib. suis intersint, quò ex auditorum frequētia nomen si compareat, & pinguiori stipēdio augeanť. Posset tñ Matthæus ab oī usuræ iniqtate uēdicari, siue in prima parte casus non ineatur proprie cōtractus mutui, sed potius uēditionis, uel locationis operarū, anticipata solutione, mō tñ iustum pretium persoluatur. &c. *Pet. Nauar. l. 3. de restit. c. 2. nume.* 235. *Roder. de annuir redd. l. 3. c. 5. num.* 14. *&* 18. *Azor p. 3. l. 7. c. 7. q. 2. Mol. d.* 309 *num.* 9. *Regin. l.* 25. *nu.* 180. *&* 196. *Barthol. à Fausto de vsuris q.* 20. *&* 23. *Bonac. d. 3. q. p. 3. num.* 7. *& alij.*

Ad 3. q. dico Primo, Lucretiam fœminam non amittere legatum sub illa conditione sibi relictum, si vidua erit, etiamsi postquā vidua effecta fuit, iterum matrimonium contraxit, sufficit. n. vt conditio per aliquod tempus adimpleatur, licet impedimentum non duret. *Castren. in l. fin. C. de ind. vid. tollēda. vbi etiā Iaf. & in l. si quis hæredē. C. de Insti. & subst. Gabr. l. 4. com. concl. tit. de fideicom. cōcl.* 8. *Mollius respon. t. dub.* 1. *nu.* 64. *Tusch. v. conditio. conclus.* 598. *contra Nald. v. legatum. nu.* 44. Dico secūdo Raphaelem maritum, & Lucretiam eius uxorem non posse tot pro centenario accipere in singulos annos, donec mille aureorum legatum ab hæredibus Alberti testatoris soluatur, pensio. n. hæc pro muruo solui censetur, ac proinde vsuram hic committi dicendū est, cum pro eius solutionis dilatione præstetur. Sic verius resoluit *Vgol. tr. de vsur. c.* 64. *contra Menoch. l. 5. cons.* 491. *& Surdum l.* 1. *cons.* 23.

QVÆSTIO XXXIX.

Mutuo dans, & remunerationem his verbis mutuatarium excitans, gratia gratiam parit, &c. an si per hoc aliquid accipias fit vsurarius. Et vtrum ipse dicens vsuram non esse peccatum, sit denūtiandus, mutuans alicui quò abstineat ab eo à quo abstinere tenetur, an vsuram committat, &c.

Marius, & si christianæ charitatis intuitu initio quinquaginta aureos Constantio dederit, generalibus tamen verbis illum postmodum ad aliquid sibi remunerationis gratia tradendum excitauit, illa efferens pronuntiara; Gratia gratiam parit, & manus manum lauat: Da aliquid & accipies aliquid, atq. ita post annum tempore solutionis tres aureos accepit. Cum autem de hac re à suo fratre Sacerdote se cum habitante fit reprehensus, dicere ausus fuit, vsuram non esse illicitam, nec prohibitā, eo quod mutuatario nulla iniuria inferatur, cum volēs tradat, & iuxta iuris regulam. Volenti, & scienti non fit dolus, nec iniuria; Multo minus quando grati animi causa datur. &c. Quæritur, an Marius in hoc cō tractu labe vsuræ se contaminauerit, & an afferendo vsuram esse illicitam, hæresis contagium contraxerit. Itē cum norit Anselmum suum amicum in alearum ludo, bona sua in filiorum suorum legitimæ iacturam prodigere solere, ut ludum deserat, & à blasphemijs, quas in eo euomere cōsueuit, desistat, mutuum aliquando ei dat, & interdum donat. Quæritur pariter an hoc casu vsurariam prauitatem cōmittat? Et quomodo Confessarius cum eo se gerere debeat?

RESOLVTIO.

Resp. Marius iste iure merito fuit à fratre obiurgatione per strictus ob ingēs vsuræ periculum in quod lucri cupiditate se coniecit, quamuis re ipsa proprie usuram non cōmiserit, nec ad restitutionē tenearur, si solum mutuatarium allicere intendit ad aliquid ex gratitudine, vel liberalitate tradendum, & verosimiliter credidit mutuatarium graris, & plene voluntatie tribuere, nā vt ex iactis principijs constat, nō committitur vsura si quis sperat lucrum mediante amicitia, vel gratitudine, & vrbanitate, non tanquam mutui pretium, siue huiusmodi lucrum minus principaliter speretur, siue principaliter, siue causa impulsiua, siue causa finalis mutui sit; quāuis forte peccato auaritiæ delinquere posset, si inordinato affectu eius mens in lucrum tenderet. Nec vsuram committere censendus est mutuans, qui tali modo generalibus verbis, quodammodo grati animi significationem petit, modo nihil addatur, quo ex promissione iure naturali debitum in ciuilem obligationem transeat. Proinde Cofessarius hac doctrina instructus prudens esse debet, vt restituere non præcipiat, quod restitutioni obnoxium non est. Vnde in casu etiam quo mutuans libere mutuo dedit, si postea mutuatarius dum ei sortem restituit, aliquid ei largiatur, non est obligandus ad interrogandum, an ipse mutuatarius gratis dederit, an non: licitè. n. illud retinere poterit, quia præsumendum est gratis dedisse, præsertim si mutuatarius sit diues, liberalis, nec in dando tristitiam præseferar, neq. adeo sit magna dati quantitas, quæ attenta dantis persona, gratis dari non soleat. &c. vt ait *Nau. in Commēt. de datis, & promissis. notab.* 11. *& Molin. tract.* 2. *de iust. d. q.* 2. *& de contract. tract.* 2. *d.* 305. *nu.* 6. *Lessius l.* 2. *c.* 20. *dub.* 6. *Rebellus de oblig. Iust. l.* 8. *q.* 4. *num.* 8. *Salas tract de vsuris. dub.* 7. *Bonac. de contr. disp.* 3 *q.* 3. *p.* 2. *num.* 10. *Faustus. de vsur. d.* 16. *q.* 18.

Fatendum tamen est, hæc in speculatione vera, sed in praxi periculosa esse, nouimus. n. omnes tùm ex sacris literis, & Doctoribus, tùm experientia rerum magistra, quomodo iniquitas sibi mentiatur, his præsertim affectibus, qui ad cupiditatem rerum omnium radicem spectant. Et pauci qui pecunijs negotiantur, & abundant, tàm claram conscientiam habent, vt distinguere sciāt, quomodo lucrum intēdant, an ratione mutui, an grati animi ergo; cū sæpe, vbi eorum est thesaurus, sit etiam cor, & lucri odor eis suauissimus primo menti se offerat.

Regula

Regula tamen ad dignoſcẽdum rem liberaſitet, aut inuoluntatie tradi, ex dãtis qualitate deſumi poterit; nam ſi, ut dixi, dans ſponte ſua, ac hilari animo tribuat, cum alioqui ſit gratus, ingenuus, ac liberalis gratis tradere præſumendus erit, cum moralis certitudo ad id credẽdum inducat. Ipſum autem Mariũ fuiſſe turpis lucri cupidum, ac illum in vſurariã prauitatem cecidiſſe, ex illius uerbis arguitur, cũ dixit, vſuram nõ eſſe peccatum, &c. Nec hic omittam gratias nudas, virgines, iuuenes, hilares, & quę inuicem ſibi adhæreant, depingi. Nudas quidem, quia beneficia non oportet eſſe fucata, in quibus ſimplicitas, & animi puritas maxime requiritur. Virgines, & iuuenes, quod accepti beneficij recordatio nuſquam ſeneſcere debeat: ſibi connexas, quod gratia gratiam pariat, quodq. perpetuum, & quaſi continuum beneuolentiæ fœdus eſſe oporteat. &c. Sunt qui illis pedes alatos addunt, quod tardam eſſe gratiam non liceat: Bis. n. dat, qui cito dat. Poſtremo unam auerſam duas alias conſpicere fingunt, quod pro accepto beneficio duplicem, & quaſi cum fœnere gratiam rependere debeamus, imitando, ut iubet Heſiodus, & alibi diximus, ægros fertiles, qui multo plus reddunt, quàm acceperint. Nunquam tamen mutuanti licet obligationem illam antidoralem in pactum, ita ut in ciuilem tranſeat, deducere, nam & ſi communis Theologorum cohors fateatur, licere beneuolentiam, uel amicitiam in genere ſtipulari, negat tamẽ in ſpecie hoc fas eſſe, etiam ſimilis beneficij mutuandi cauſa, cum obligatio ad mutuandum pecunia æſtimabilis ſit, vnde ſi ſorti accedat, contractum vſuratium reddit. *Roder. de ann. reddit. l. 3. c. 5. num. 18. Leſſ. l. 2. c. 20. dub. 6. nu. 45. Bonac. l. c. num. 11. Molin. d. 304. & 305. Scholiaſtes in emblem. Alciat. em. 153.*

Quò ad 2. quæſt. dico, uſuram adeo iniquam, & illicitam eſſe; vt qui illam inculpatam, & licitam eſſe pertinaciter aſſeruerit, hęreticus cenſeatur, & nulla conſuetudo eam excuſare ualeat. ut habetur in *Clem. 1. §. 2. ti. de vſuris. Vgol. de vſuris. c. 26. §. 1.* Siqdem lucrum facere ex mutuo eſt iniuſta rei alienæ vſurpatio, iuri naturali, diuino, & humano cõtraria; per quam ciuiles contractus de rebus temporalibus, ſicut per ſimoniam contractus eccleſiaſtici de rebus ſpiritualibus uitiantur, ita ut q. hanc ueritatem probare contenderit, perinde ei ſit, ac velle facib. ſolem adiuuare. Ac falſam eſſe illam Marij enunciationem ex eo facile conuincitur, quod mutuatarius abſolute voluntarie vſurarium lucrum non tradit, ſed inuoluntarie mixte; & conſequenter aliquid ultra ſortem accipiendo mutuans, illi iniuriam infert. Hinc contractus ex ſui natura iniquus, & fœneratitius non præſumitur, quando quidem uſuraria commercia, ut dixi, lege naturali, diuina, & humana damnãtur, & ob id qui ſic contrahit, grauiter delinquit. *Regin. l. 23. nu. 44. & ſeq. Bonac. l. c. nu. 12. prop. 3. Menoch. l. 3. de præſump. præſump. 122. nu. 3. Tuſch. ver. vſuræ concl. 337. Surdus tom. 4. conſ. 23. Maſcar. de probat: vol. 3. concl. 1398. Gratian. in Forenſ. diſcept. tom. 2. c. 25. Vgol. de vſur. c. 27. §. 3. Mantica l. 8. de ambig. tit. 19. Barin. de temp. pœnis. q. 95. nu. 6.*

Quo etiam fit, ut ignorantia ab hoc crimine non excuſet, ut his verbis. *D. Ant. p. 2. tit. 1. c. 7. §. 36.* demonſtrat; Ignorantia ab hoc peccato non excuſat, quia uſura eſt contra ius diuinum, & naturale, cuius ignorantia neminẽ excuſat, niſi forte aliqs ſimplex, ut mulier, uel ruſticus non crederet eſſe uſurã, nullo modo talia facturus, ſi ſciret ibi eſſe uſurã, uel aliud peccatum: talis etſi excuſaretur forte à peccato, non tamen ab obligatione reſtitutionis. Sic pupillus excuſatur à peccato vſuræ nomine ſuo factæ à tutore, cum neſcit eſſe peccatum, quia nondum eſt rationis capax, non tamen excuſatur ab obligatione reſtitutionis, ſi uſuras recepit à tutore: hæc ille. Sicut etiam dicimus, ignorantiam pro ſe loquendo nõ excuſare à ſexto, & nono Decalogi præcepto, cum ſit ignorantia iuris naturalis, & diuini, & clari, licet aliqui actus reſpectu circunſtantiarum à mortali excuſentur. ex traditis per *Sanchez. l. 1. de præcept. c. 16. num. 28. & 33. & Bonac. tom. 2. diſput. 2. q. 8. pun. 3.* Vñ partes Confeſſarij erunt, Marium hac catholica aſsertione inſtruere, & errorem ab eius mente euellere, quem ſi pertinacem, & in ſua praua ſententia perſiſtentem inuenerit, ut hæreticum abſoluere non poterit, ut proinde etiam fratris Sacerdotis officium ſit, cum poſt admonitionem factam nõ correctũ, ex multorũ ſñia, ad uiolatę religionis cenſores deferre. *Alphon. de Caſt. de Iuſta hæret. punit. l. 2. c. 25. Laz. de blaſphemia. q. 12. Gennen in praxi. Neap. c. 23. Comit l. 4. reſp. q. 8. Graff. p. 1. deciſ. aur. l. 2. c. 69. nu 8.*

Ad 3. q. rñdendo dico Mariũ dantẽ mutuo Anſelmo pecuniã, uel aliud pecunia æſtimabile, quò à ludo, & blaſphemiis abſtineat, ne in Deũ, aĩæ ſuæ iacturã, & familię peccet, uſurã non committere, imò apud diuinũ numen mereri, nã quò factis ꝑ mutuo interueniẽtib. uti pretio uſuraria prauitas cõtrahaĩ, ea eſse debent, ut in mutuantis, non autem mutuatarii commodum cedant; at ipſe mutuatarius ad nihil obligatur, ad quod antea non teneretur, ergo nihil noui additur, & in primis eius ſaluti conſulitur; ac eius, familiæq. ſuæ res agiĩ, eſto ipsũ mutuantem mereri poſtea contingat, quod quidem meritum cũ res ſpiritualis ſit, pecunia æſtimabile non eſt. ut per *Vgol. de vſur. c. 30.* Quin etiã addo patrẽ bona per ludum, uel alio modo diſſipantem legitimam filiis in uita aſſignare, uel cautionẽ præſtare Iudicis officio cogi poſse. Primo quia iura abſurdiſſimũ exiſtimãt, vel minimam quidem occaſionẽ delinquẽndi dari. *l. conuenire. ff. de pactis dot. Tuſch. v. peccatum. concl. 193.* & maxima ſane occaſio parenti prębéretur, bona profundendo, filios quaſi creditores legitima

portio-

portione priuandi, nam certum est filios pene creditores haberi. *vt per Cynum in Auth. res quæ C. comunia delegat. Io. And. in c. Raynaldus ext. de testamen. Oldrad. cons.* 107 Secundo quia pater liberos legitima dispoliendo, quod in ludo dissipādo fit, lethalis culpæ iaculo se conficit, ut deducit *Thom Grammat. decis.* 10 r. (qui hoc ampliat, non solum quando priuat, sed etiam quando minus integram relinquit.) Attamen à peccato quilibet cane peius, & angue, cauere debet, & per ecclesiasticum Iudicem spiritualibus armis, & ecclesiasticis censuris ad iuste, pieque viuendum cogi potest. *c. nouit, vbi D D. extr. de Iud. Mollin. dub.* 2. *num.* 106.

QVAESTIO XL.

An mutuans his conceptis verbis, nosti vsum, & consuetudinem, &c. Item mutuo dans ea mente, vt ex mutuo aliquod lucrum recipiat, committat vsurā, & teneatur ad restitutionem.

BArnabas Blasio amico suo nihil de lucro secum paciscēs, mutuo dat 40. aureos, sed dū dat, hmōi uerbis utit, Nosti usū, & cōsuetudinem, cōfido pecuniā hāc vacuā ad me nō reuersuram, memineris me pecuniæ vsu priuati, onerosam familiā habere, &c. Hinc ad sex mēses ipse Blasius tres aureos ei dedit, qb. transactis, alios cētum iterum mutuo ei tribuit, nullum tamen nec expressum, nec tacitum pactum de lucro ex mutua pecunia interuenit, attamen mutuans ea intentione, ac spe dat, ut lucrum ex mutuo recipiat, quia scit mutuatarium id daturum nō quidem ex liberalitate, & grati animi ergo, sed timore ne alia die ei mutua pecunia denegetur, vel quia hominis ingenium nouit, vel aliqua alia ratione. &c. Tandem cuidam fœminæ pecuniam cum hoc pacto mutuo dedit, ut sui corporis usum concederet. Queritur, an his tribus casib. vsura committatur, & quænam sit, mentalis ne, an realis, & q̄d de restitutione?

RESOLVTIO.

REsp. tàm mentalem, quàm realem usuram hic perpetratam esse, si quidem realis usura est, q̄n pactio tacita, vel expressa de lucro ex mutuo interuenit: nec solum quando de fœneratione aperte paciscitur, sed etiam quādo tacitè dum mutuo dat, id innuit, ut in prima parte casus dignoscitur. Mentalis vero vsura in secunda parte deprehenditur, & si nulla inter partes inita sit pactio, attamen Barnabas ea intentione dedit, ut compendium ex mutuo reciperet, quia sciebat Blasium non gratis daturum, &c. Et in utroq. casu apud omnes constitutum est, peccato vsuræ Barnabam deliquisse, & illud lucrum postea accipiendo non solum peccato, sed etiā restitutioni obnoxium esse, est. n. cōis DD. sentētia, vsuram mentalem ad restitutionem obligare quoties cōtra iustitiæ commutatiuæ leges secuta est acceptio, cum id quod per usuram datur, inuoluntarie detur, quod in simonia mentali non cōtingit, in qua sponte, & voluntarie pretium, uel lucrum tribuit solet, &c. *Roder. de ann. redd. l.* 1. *q.* 3 *nu.* 25.

In ultimo uero casu cū fœminæ mutuo dedit vt sui corporis copiā faceret, & si vsurā, & turpe flagitiū cōmittat cū illa obligatio ciuilis sit, & pecunia æstimabilis, nulla tamen restituendi obligatio consurgit, ut multi sentiunt, sed alij probabilius tenent tantum rependendum quantum fœdum illud mulieris obsequium ab ipsa probabiliter æstimatur. ut per *Molin. de contr. d.* 303. *n.* 12. *Salas de vsuris dub.* 8. *Less. l.* 2. *c.* 20. *dub.* 6. *Faust. q.* 45. & alios cōiter.

QVÆSTIO XLI.

An qui bona fide aliquid ex mutuo acceptum alteri donauit, & etiā qui mala fide, quod gratis donatū est, accepit, peccauerit, & restitutioni sit obnoxius. Vtrum quis mutuum acceptum ab vsurario, possit in alium transferre cum pacto, vt vsuram soluat, quam ipse debebat.

HIppolytus iuuenis per simplicitatem, & bonā fidem credens equum sibi à Claudio datum gratis ob mutuam pecuniam ei traditam, donatum esse, eum alteri suo amico largitus est, deinde re ipsa comperit, non ex liberalitate, sed ratione mutui sibi tributum. Rursus alia vice iā prouectior factus (crescit, n. cum ætate malitia) mala fide, & fœneratitia mente, ob aliud mutuum, credens quādam sericam uestem, tanquam pretium ultra sortem, non gratis donari, cognouit postea sibi liberaliter, & urbanè datam. Tandem cum in quadam uniuersitate sub titulo scholastici degeret, & 25. aureos ab Hebreis sub vsuris, & pignoribus pro extinctione debiti sibi delatas, Iulio suo amico mutuo dedit, cum pacto ut ipse Iudæo usuras solueret, & libros sub pignore datos redimeret. Quæritur quid tàm de peccato, & usuræ labe, quàm de restitutionis obligatione statuere debeat Confessarius?

SVPPOSITVM.

REsp. Suppono quatuor modis aliquid ultra sortem dari, & accipi. Primus est quando mutuatarius ex mera gratitudine dat, & mutuans accipit ut eo modo datum est, & in hoc euentu perspicuum est, neque usuræ peccatum interuenire, neque ullam consurgere restituendi obligationem. Secūdus; quando mutuatarius tanquam mutui pretium id inuoluntarie dat, & mutuans eadem ratione accipit, & in hoc casu constat, & usuræ peccatum

inter-

interuenire ex parte mutuantis, & ita acceptum restituere teneri. Tertius quando mutuatarius, vt mutui pretium inuite dat, sed mutuans bona fide tanquam liberaliter dari credens, illud accipit; tunc cũ huiusmodi collatio inuoluntarie mixte sit, statim ac eo pacto fuisse datam nouerit, restituendi onus subit: quod si perseuerante bona fide, illam consumpsit, solum restituere tenebitur, si quid ex ea remãsit, aut si in aliquo ex illa locupletior factus fuerit, cum solum ex parte rei acceptæ, non iniustę acceptionis ad id astringatur. Quartus, cũ mutuatarius gratuito dat, sed mutuans corrupta, vsuraria intentione, tanquam mutui pretium accipit. Et in hoc casu ad restitutionem rei acceptæ tenetur, donec cognoscat rem liberaliter fuisse datam, conscientia namq. erronea aĩam ligat, quãdiu durat, perindeac tes ita se haberet. Postquam vero cognouit rem sibi liberaliter datam fuisse, retinere potest, esto accipiendo peccauerit, de quo pɫõ pęnitere debet. Vnde ex his postremis duob. modis casus resolutionẽ colligens.

RESOLVTIO.

DIco Primo, Hippolytum, qui equum bona fide acceptum alteri donauit, ad nihil teneri, cum nulla ratione sit locupletior factus. Secundo nulla restituendi sericam vestem obligatione constringi, cum alienum inuito domino non retineat, & ipsius vestis dominium in eundem mutuantem sit translatum, licet contaminatam mentem sacra confessione expiare debeat. ita *Mol. d. disput. 306. Salas. de vsur. dub. 8. Tol. l. 5. c. 29. Less. l. c.* & alij.

Ad 3. q. vel 3. caput casus dico, Hippolytum ab vsurę labe excusari, si reuera mutuans nummos sibi ab vsurario Hebræo datos pro ære alieno, & vsura extinguenda conuersurus erat, quia tũc amico cum suo damno subuenire nõ tenebatur, iuxta principia de lucro cessante, & damno emergenti aliàs à nobis tradita. *Alex l. 2. conf. 221. Tusch. v. vsura. cõcl.* 337 *idem Salas de vsuris. dub. 18. num. 6. Sà ver. mutuum. n. 10. Bonac. de contract. d. 3. q. 3. p. 4. nu. 8. Azor. p. 3. l. 5. c. 4. q. 1. Faustus de vsuris. q. 52.*

QVÆSTIO XLII.

Contractus cum alter dat domum habitandum, alter pecuniam vtendam; & cum datur triticum vetus cum pacto recipiendi nouum, an sit vsurarius. An grauatus restituere post mortem, si religionem ingrediatur, substitutum excludat?

LIuius cum pro suis conficiendis negotijs pecunia indigeret, illam à Christophoro petit, quã illi dat, cum hoc pacto, vt partem domus suæ habitandam tradat, donec pecuniam restituat. Dat etiã uetus frumentum mutuo hac conditione adiecta, ut frugum colligendarum tempore reddat ei nouum. Item cum multa alia mutua, & beneficia ab ipso Christophoro accepisset, sic ab eo rogatus grati animi ostendendi causa, testamentum condidit, & ipsũ hęredẽ ita instituit, vt si sine liberis decesserit, Ansel mo substituto post mortem bona restitueret, ille sic grauatus religionem ingressus est. Quęritur, an isti contractus, in foro conscientiæ subsistant, & quod de isto testamento censendum.

RESOLVTIO.

REsp. Hic primus contractus qui in praxi sæpissime frequentatur, & dicitur vulgo, à goderà godere, illicitus est, & fœneratitius, nisi aliqua circunstantia lucri cessantis, uel alia cohonestetur; mutuum. n. hoc est, & mutuator domus usum interim lucratur: siquidem nõ emptio hac ratione fit, ex quo pecuniam accipiens vendendi aĩum nõ habuit, nec pecuniam tribuens emendi intẽtionem. Et si aliquibus videtur, contractum hunc validum esse, si illicita pacta non contineat, eo quod in contractum innominatum resoluatur, do vt des. *Vgol. in tr. de vsuris c. 63. nu. 2. Graffius. l. 2. decis. 109. nu. 20. Sà in v. vsur. nu. 9. Carroc. de locat. & cond. p. 1. q. 4. Surd. cons. 425. Molfes. tr. 12. c. 8. nu. 47.*

Ad 2. partem casus dico, Liuium non committere vsuram, quando mutuo dedit uetus triticum, vt tantũdem noui sibi reddatur, si tantum valet vetus, quantum valebit nouum, aut quantum valiturum speratur; esto id in mutuantis commodum cedat, q melius nouum, quàm vetus, vt intendit, conseruabit. Cuius assertionis ea est ratio, quod æqualitas inter datum, & acceptum seruatur, & mutuans cum damno mutuatarij commodum non reportat. Idem dicendum, quando triticum mutuo dedit cum pacto, ut illud sibi non restituat, nisi tunc tẽporis quo plus ualebit, si mutuator triticum ad illud usq. tempus seruaturus erat, illudque in gratiam mutuatarij ante pręfixum tẽpus tradiderit. *ex c. 6. ext. de vsuris.*

Si vero vetus semicorruptũ sit, & minus tempore traditionis æstimandum sit, mutuatariusq. necessitate coactus illud cum ea pactione accipiat, vtiq. tunc vsura committitur, maiorq. ille valor tritici noui mutuatario restituendus est, nisi ex sua liberalitate vellet beneficium illud mutuanti rependere, quod facile non est pręsumendum, cum pactio, & mutuatarij necessitas pręcessit, &c. vt per *Mol. d. 311. nu. 4. Nauar. c. 17. num. 224. Azor. p. 3. l. 5. c. 7. q. 1. Rebell. l. 8. q. 4. nu. 9. Regin. l. 25. n. 187. Bonac. d. 3. q. 3. p. 3. num. 19. & 26. Barthol. à Fausto. q. 57.* & alios communiter.

Ad 3. dubitationem supposito in officijs charitatis, primo loco illis nos teneri obnoxios, à quib. beneficium nos recepisse cognoscimus. *ex c. cum in officijs.*

rijs.ext.de testam. Item absq. vsuræ labe retineri posse, quod post factum à mutuatario gratis donatur, etiam si, ut aliquibus placet, petitum esset, dico, qđ si Christophorus religionem capacem bonorũ ingrediatur, Anselmum substitutum excludit, cõmunisq. est sententia, reiecta Bartoli opinione, quem increpat *Cou.l.1.var.resol.c.19. Alciat.in l. Gallus §. & quid si tantum.ff.de lib.& posth. Ant.Gabr.l.2.com.sent.v. monasterium.* Idq. ex præsumpta testatoris voluntate colligitur: ius.n.præsumit, ita testatorem monasterium loco filij dilexisse, in quo grauatus ingreditur, sicuti ipsius grauati filium, ac proinde sicut per filios monasterium excluderetur, ita & per monasterium substitutus arcetur, siquidem præsumendũ est, quod si testator de ingressu religionis cogitasset, sic disposuisset. Secus dicendum esset, si testator illam clausulam in testamento suo apposuisset, vt in eius bona non succedant, nisi qui ex suo corpore nati fuerint, &c. tunc.n. de vera disponentis mente apparet. *vt resolunt. Spinus in Spec.testam.gl.12.num.29. Gutierez. lib.1.can.qq.c.32. contra Felyn.in c.in præsentia.de probat. Tusch.v.monasterium.concl.*344.

CAP. XIV.

QVAESTIO XLIII.

Vtrum sit vsura minoris emere creditum, quàm valeat. Item an committatur vsura ob anticipatam solutionem minus de ære alieno soluere. An qui extreme egenti non subuenit, nisi pretio accepto, teneatur in conscientia illud restituere.

LVcas cum sit creditor Laurentij in centum aureis, & ob æs alienum sit carcere inclusus, vt se ab illa vexatione liberet, pro octoginta illud creditũ Bernardino vendit. Item cum ducentorum aureorũ post biennium soluendorum, creditor existat, & præsenti indigeat pecunia, si nunc sibi soluantur, Antonio debitori sexaginta remittit. Insuper cum Fabiũ in tanta necessitate constitutum videret, vt nisi operam suam illi impenderet, uel eum ab iniuria defenderet, aut ipsius Fabij bona periclitarẽtur, aut in honore, & fama notabilem iacturam pateretur, nõ nisi conuenta, & accepta pecunia opem tulit. Quæritur an ij contractus iusti, ac liciti sint?

SVPPOSITVM.

REsp. Suppono, quatuor esse præcipuos generales titulos, propter quos præter titulum valoris rei, aut pretij, quæ in emptione, & venditione cõmutantur, vel in mutuo traduntur, licite, & absq. iniustitiæ, vel vsuræ sordib. põt alter ab altero aliquid recipere, atque adeo vel emptor in eius recompensationem, minus pretij dare, vel venditor plus pretij exigere. Primus est titulus donationis, siue omnino liberalis, siue gratuitæ, quam tamen communiter Doctores nolunt, iu pactum deduci posse. *Petr. Nauar.l.3.c.2.nu.28. Val.2.2.d.5.q.20.p.2. Lessius. l.2.c.21.dub.4.& Regin.lib.25.nu.233.* & alij cõtra *Arrag.22.q.78.ar.1.* Secundus est iactura, vel damnum, quod alter contrahentium subit, & huc omnes tituli referuntur, qui damni emergẽtis, vel lucri cessantis dicuntur. Tertius est grauamen aliquod, vel molestia, expensæ, pericula, &c. quæ alter contrahentium in alterum imponit, nam ratione huius oneris is qui grauatur, ex iustitia potest de compensatione pacisci, ut patet in fideiussione, pacto de retrouendendo, emptione creditorum, vel chirographorum, quæ aliquibus periculis, & molestijs subiiciuntur. Quartus titulus est pœnæ mutuatario ex cõuentione impositæ, si ad præfinitum tempus non soluat. Qđ quidem licitũ esse, & vsuræ, vel iniustitię macula carere cõiter scribentes consentiunt teste *Molin.tr.2.d.317.& Lessio.c 20.dub.15.& alijs.*

Præter hoc titulos nullus videtur alius assignari posse, quia his omnes modi includuntur, quibus vel gratuito, uel iustitiæ debito, aliquid licite, & salua conscientia, recipi potest. Atque hic petendæ sunt rationes probandi, vel dãnandi quoscunq. contractus in quacunq. materia in animæ iudicio proponãtur.

RESOLVTIO.

HIs ergo præcognitis, ad primam partem casus respondendo, dico, Bernardinum non posse tuta conscientia creditum Lucæ minoris emere, si debitum liquidum sit, nec aliquod solutionis periculum subsit, neq. in exactione expensæ futuræ probabiliter timeantur. Secus esset quando creditum non esset plane certum, sed periculosum, litigiosum, & cum difficultate exigendum, tunc.n. absq. vsuræ labe, minoris emi, quàm valeat, posset; prout difficultas, & solutionis maior, vel minor fuerit incertitudo, cum hæc omnia sint pretio æstimabilia: quod viri prudentis arbitrio diffiniendum relinquitur. Sicut etiam inter omnes conuenit, ratione periculi recuperandi mutuum, vel quia res ipsa mutuo data discrimini subiacet, vel quia periculum ex parte mutuatarii prouenit, ut quia ad pauperiem deuenire potest, vel quia dubiæ sit fidei, uel etiam quia probabiliter futuri sumptus timentur, omnibus inquam his rationibus, aliquid ultra sortem recipere licere, vt ex cõi opinione tradit. *Salas. de vsuris.c.27. & Bonac.d.3.q.3.p.10. Barthol.à Fausto.q.49.& seq.*

Ad 2. dico, Antonium cõscientiam suam sauciare, si ob anticipatam solutionem, secluso lucro cessante, & damno emergenti, tàm notabiliter sine periculo solutionis in termino, minus de cõtracto ære alie-

no soluit, cum solum ratione temporis illud lucrum consequatur, quod vsurariam prauitatem secū in uoluere nemo sanæ mentis non uidet. *Corradus* quē omnes sequūtur *de contract. q. 66. conclus. 1. Carbo de rest. q. 56. Bisfeld. in c. in ciuitate. q. 4. tit. de vsuris. Regius. casu* 10. *& casu* 25.

Ad 3. q. dico Lucam neq. vsuratium, neq. iniustū contractum inijsse, cū pro defensione Fabij, vel eius bonorum, pecuniam accepit; nam & si pro seruandis præceptis tùm iustitiæ, tùm charitatis, quæ ad Deū, & ad se habenda est, aliquid exigere non liceat, qa ea venalia non sunt, sed gratis agenda, gratis. n. homo Deo cultum reddere debet, Iudex iustam sentētiam ferre, testis veritatem deponere, & huiusmodi: attamen pro charitatis præcepto seruando, quæ proxi mi dilectionē concernit, aliquid licite accipi potest, & per consequens sic acceptum, vel exactum ex iustitia non est restitutioni obnoxium, si qui dedit habuit vnde d. re, & retribuere potuit; nam cum nemo cogendus sit de suo alteri beneficium facere, Lucæ integrum fuit, Fabio operam suam locare, & pretium exigere. *c. precariæ.* 10. *q.* 2. Inde est, quod medicus sicut operarius sui laboris cōuentam mercedē accipere potest, & aduocatus suum patrocinium uendere, non solum quando id sine necessitate faciunt, sed etiam cū pcepto urgente id operis, præstant, ut si infirmus esset alioqui periturus, nec nisi vnus medicus adesset, qui illū curare posset. Similiter si non esset qui insontem à condemnationis iudicio eripere valeret, nisi aduocatus, teneretur. n. ad hoc operam suam, sed non gratis, impendere. *Io. Medina. C. de restit. q.* 25. *Regius de cōi testans. casu* 35. *Reginal. l.* 10. *nu.* 179. *Lessius l.* 2. *c.* 14. *dub.* 9. *num.* 69. *Bonac. de restit. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *num.* 9.

QVÆSTIO XLIV.

Vidua an soluto matrimonio possit ab hæredibus mariti, sex pro centenario, ob dotem non solutam exigere. Et pro pecunia dotali, quam pro manibus habet aliquod lucrum percipere? An legatum factum viduæ, si cum filijs permanserit, debeatur si illa ad secundas nuptias transeat, & illi filij cum vitrico habitare nequeant?

Lactantius cum dotem filiæ suæ Lucretiæ, Dominico nuptui traditæ, statim soluere nō posset, cum ipso genero conuenit, vt durante solutionis mora, sex pro centenario quotannis solueret: nunc vero filia, cum sit marito suo uiduata, & opulento vsufructu ab eo donata, & duorum filiorum tutrix relicta, nec dum sibi sit soluta dos, nihilominus persistit in eisdem pecunijs ad sex pro centum exigēdis. Cum autem tandem sit persoluta dos, & quidā scrupulus de hoc cōtractu sit à quodam Theologo iniectus, illos dotales nummos cuidam mercatori mutuo dat, qui ei sex itidem pro centenario ob dotis priuilegium rependit. Tandem cum 500. aureorum legatū ab Andrea quondam sui mariti fratre relictum sit, quandiù cum filijs suis commorata fuerit, ad secundas nuptias cum Sigismundo contractas cōuolauit, qui tamen omnes simul habitant, & ad eandē mensam comedunt. At nunc ob morosam, & difficilem, ut aiunt, vitrici naturā, diuerterunt, & ab eadem domo recesserunt. Quæritur quid à Confessario sit in hoc triplici casu respondendum?

RESOLVTIO.

Resp. Sicut maritus annuatim tuta cōscientia, non ob expectatam solutionem, sed ob matrimonij onus, cui subiectus remanet lucrum aliquod vel tot pro centenario accipere potest, est. n. coniugij onus, uxorem, ac familiam alere, superstite, semper dote. vt communiter DD. colligunt. ex *c. salubriter. ext. de vsuris.* & de cōi testatur *Regius. casu* 16. *Surd. tom.* 4. *consl.* 459. ita etiam soluto matrimonio, integrum est ob dotem ab hæredib. mariti non solutam, illud lucrum, & auctuarium recipere; siquidem donec durat viduitas, in matrimonio esse censetur, ita ut consanguinei mariti defuncti ex turpitudine per eam, vel in eam admissa, sicut ex adulterio, uiuente marito, iniuria afficiantur. ut ait *Alexan. consl.* 207. Et probatio etiam illa clara suffragatur, quod quò ad maritum, & uxorem eius uiduam eadem militet ratio, ut enim uir fructibus dotis, de alimentis, & alijs necessarijs prouidere tenetur; sic uidua de dotis suæ emolumentis, debet ea, quæ sibi, & familię ad honeste uitam transigendā opus sunt, suppeditare, emendo. v. g. res fructiferas, uel ipsam dotem, in licitam societatem deponendo, ut annuū lucrum, salua manente dote, sibi superfit. *iuxta c. per vi as. ext. de don. int. vir. & vxor. Surd. dec.* 345. *n.* 17

Præsertim quod vidua imago prædefuncti mariti censetur, in quò ipse maritus uiuere censetur, & in eodem statu, & matrimonio permanere. Et in summa eisdē priuilegijs potitur, & radiis corruscat, quibus uiuente uiro gaudebat, ac splendebat. *Tusch. v. vidua. concl.* 203. *& seq.* Et uiduæ etiā si diuites sint, miserabiles personæ (quibus iura fauent) censentur, & uariis laboribus, curis, & calamitatibus conflictantur, ita ut crucem, & ærumnas perferre christianæ uocationis finem re ipsa expectiantur. Quod & sensit ille qui cecinit,

Continuos annos à funere coniugis vxor,
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Vt proinde ab Epis, & Iudicib. illarum sit habenda ratio, & earum causæ præ ceteris celerius sint ex pedi ēdæ. D. Bernardus *de consid. l.* 1. *c.* 9. *Gen. in Man. Past. c.* 80. *Menoch. de arbit. iud. casu* 66. vt etiam tradidimus

m. s supra *cap.11.q.31.& in Comment.de hum. vita stat.p.2.c.26.* prosecutus sum; Atque prædictam assertionem tuentur. *Io. Bapt. Lup.in l.curabit.§.3.nu. 88.C.de act.empt. Bisfeld.in comment.c.salubriter.q. 1.tit.de vsuris. Pet.Nau.l.3.c.2.nu.365. Beia.par.1. resp.casu 56. Corrad.q.230. Salas de vsuris.c.30. Vgol.c.3.§.7. Tol.l.5.c.30. Nau.c.17.nu.213. Regin.l. 25.nu.238. Roder.de annuis redd.l.3.q.7.nu.* 58.

Quinimo *Lopez l.2. de contract.c.20.& Faust.de vsur.d.16.q.7.* Satis probabiliter asserunt, etiã matre defuncta, ratione dilationis dotis licere filiis illos fructus percipere, cnm ipsi in maternum ius succedant, sicut mater in ius, quod maritus habebat in dotem uxoris, iure submittitur, siquidem ex communi axiomate, res semper cum suo onere transit.

Ad 2.q. respondeo, non posse hanc viduam salua religione, lucrum illud accipere, cum priuilegium quod à canonicis sanctionibus dotalibus pecunijs conceditur, non ipsis, dum in promptu sunt, & in manibus, vel arca versantur, sed dum mariti hæredes in mora restituendi sunt, tribuatur. Nisi tamen apud eundem mercatorem simpliciter cum facultate vtendi deponat, & aliquid ab eo ex liberalitate, & gratitudine donerut; uel nisi tacite saltem, & implicita intentione tribus contractibus initis, nempe societatis, assecurationis capitalis, & certi lucri, pecuniam dicto mercatori tradiderit, credens tot pro centenario iuste exigere posse. *Nau.c.17.n.255.& seq.& in comment.de vsuris à nu.33.& cons.1.tit.ead.& cons. 4.de deposito. Molin.disp.417. Regin.l.25.num.397. Val.tom.3.d.5.q.24.p.2.& q.25.p.2. Surd.dec.345. nu.17. Bonac.d.3.q.3.p.11.n.3.* & alii communiter. De qua re videatur etiam *Annibal. Mõter.in Annot. ad Statut.* Bonon. *tit.de restit.dotium.§.Insuper.*

Ad 3.q. respondendo dico, quod licet Andreas Lucretiæ affini, & fratris sui vxori, 500. aureos legãs aliàs non declarauerit se velle in uiduili statu eam permanere, nihilominus legatum illud ab eo relictũ quandiu cum suis filijs morata fuerit, per transitum ad secundas nuptias amittitur, quod filii tunc habeant iustam diuertendi causam à matris habitatione, vtpote quæ per eas nuptias suspecta sit, & timor odij vitrici eis ingeratur. *Bald. Salyc & Iason.in l.1. C. de legatis. Oldr.cons.213. Mollius respon.1.dub.1.nu. 78. Sanchez.de matrim.l.7.d.91.q.5.nu.48. Tusch. v.vxor.concl.399.* & alij multi, qui probabilius asserunt, legatum hoc ea ratione interpretandum, donec.s. Lucretia in viduili habitu permanserit, Nam hoc casu regulam nõ hr̃e locum, Cõtra eum, qui legem apertius dicere potuit, interpretationem esse faciendam, *l. veterib.ff.de pactis*, & aliam, Propositum in mente retentum, tanquam abortiuam volantatem, nihil operari. *l.si repetendi, C.de condic.ob caus.* Neque etiam positionem illam hic procedere Disponẽtis mentem ex verbis desumendam esse, cũ ut ait *Bald.l.3.cons.102.& Cranet.cons.35.* Hominis voluntas in verbis, sicut facies in speculo cõsistat Nã è contrario illæ gnomæ militant, Testator præsumitur sensisse, quod prudens homo sentire debuit. *gl.in l.sale pactum.§.vlt.ff.de pactis.* Et quod magis præsumitur testatorem sensisse, illud est tanquam verisimilius attendendum. *l. Lutius.2 ff.de hared.Inst. Simon.de Praet.l.1.interpret.vlt.vol.interpr.1.dub.4. Mant.l.10.de coniect.vlt.volunt.tit.6.& l.1.de tac. & ambig.tit.17. Tusch.v. verisimilitudo. conclus.161. Surd.vol.4.cons.550.nu.12.*

Illud etiam Primo apud oẽs constitutum est, matrem per transitum ad secunda vota, filiorum tutelam amittere. *l fin.C.quando mulier tutelar.officio. Sanchez.de matrimon.l.7.d.88.num.4. Gutierez.de tut.p.1.c.9.* Item Secũdo, quidquid de bonis primi mariti consecuta fuerit, statim post secũdas nuptias eorum proprietate priuari, & moriente, omni interdicta alienatione, liberis primi matrimonij seruare ea dr̃e. *l.fœmina, C.de secun.nup. Sur.cons.91.n.20* Quam materiam declarat, *Gabriel.lib.2.conclus.1.* Tertio mulierem viduam, circumscripta mariti dispositione, infra annum luctus etiam nubentem, legatum sibi à marito defuncto relictũ, quò ad vsumfructũ ẽt d. filiis extantib. de iure canonico non amittere. *Tusc.in v.nuptia.cõcl.162. Sãch.l.1.d.87.n.24*

QVÆSTIO XLV.

Mercator quando possit lucrum cessans, & damnum emergens exigere?

LVcius cum in sericis emendis, & vendendis, negotiaturus esset, à Petro amico suo rogatus, pecunias subtrahit, & illi mutuo dat aureos centum, quos sibi post annum restituat. Item cum pro suæ familiæ vsu, frumentum, & vinum eo tempore, quo vilius vendunt, esset empturus, Blasio alteri amico postulanti, centum quadriginta alios aureos mutuo tribuit, quos post sex menses tunc ipse Blasius reddit, cum tàm frumentum, quàm vinum cariori emitur pretio. Nunc idem Lucius mutuans à Petro lucrum cessans, à Blasio damnum emergens petit. Quæritur, an tuta conscientia hoc agere possit?

SVPPOSITA.

REsp. Suppono, lucrum cessans esse illud, quando quis cum illis pecunijs, quas mutuo dedit esset lucraturus, & ideo illud lucrum, & emolumentum illi cessat. Damnum uero emergens esse illud, quod quis ob mutuum alteri datum, in re sua patitur, ut in proposito casu supponitur. Atque hæc compensatio ab aliquibus Iuristis dicitur vsura damnorum restauratiua, sed quia illud quod ad resarciendum damnum emergens, uel ad compensandum lu

crum cessans ultra sortem accipitur, amplius usuræ nomen non habet, honestiori vocabulo appellatur interesse. Quod etiam in tres species diuiditur, & in alijs etiam contractibus locum habet. s. commune, conuentum, & singulare. Primum est æstimatio, quę communiter apud omnes fit, ut cum debebas equū mercatori tempore nundinarū dare, non das, ideo necesse est, ut cariori pretio emat tenetis de illo dāno. Secundum est pecunia in conuentione partium promissa ob defectum pacti non adimpleti. Tertiū est quod plus vni, quàm alteri propter affectionem valet. Rursus distinguitur in intrinsecum, & extrinsecum. Primum est, quod ex re ipsa prouenit, ut qui præstituto tempore non soluit, vel frumentum non restituit, tenetur quanti plurimi valuit à tempore moræ. Secundum est quod extra rem prouenit, ut quia fœnum stato tempore non restituisti, meus equus fame perijt. &c. *Decius in l. quatenus. ff. de regul. iur. Graffius l. 2. decis. 105. num. 9. Regin. l. 23. n. 65. Tusc. in v. interesse. cōcl. 296. Molf. tr. 12. c. 23. n. 32.*

Et quidem ut mutuator lucrum cessās ex mutuo exigere possit hæ conditiones requiruntur. Primo ut mutuatarius de hoc admoneatur, & initio contractus hoc in pactum deducatur, aliàs mutuatarius illud præstare non teneretur, modo in mora soluendi non fuerit: siquidem forte cum tali onere mutuū nō accepisset, aut qui gratis daret, alium inuenisset. Addunt aliqui, taxationem mutui naturæ non obesse, nec usuratiam prauitatem arguere, neq. etiā tealis interesse, si uere subsit, exactionem nō impedire. Bullam autem Pii V. *Incip. In eam,* prohibentem taxationes à principio, seu certum, aut determinatum interesse, in cambiis tantum locum habere. *Decius cons. 111. Cranet. cons. 189. idē Tusc. v. interesse concl. 298. Bimius l. 2. cons. 137. Ripa sing. obser. 3. Ludou. Peguer. in qq. crim. c. 33. nu. 6. Villag. de vsur. q. 18. Gratus cons. 49. Gratian. l. 2. For. discept. c. 387. n. 21*

Scd'o requirit ut vere rōne mutui lucrum cesset, & dolus, fraus, & scandalum absit, nam si alia ratione, quàm occasione mutui cessaret, quidquam accipi non posset, ut facile contingere potest, quando mutuans aliam pecuniam in area habet; quàm exponere, & mutuo dare posset. Quod tamen intelligendū est, quando pecunia, quam reponit & seruat; ad alias occurrentes necessitates præueniendas non est opus, puta ad locandas filias, uel in scholis erudiendos filios, uel alios casus fortuitos, ad quos prudenter debet dictam pecuniā reseruare. Huc. n. spectare uidetur adagium illud, Pecunia sine peculio fragilis est. ut habetur in *l. si chorus. ff. de leg. & fideicō.* Quod admouet, ne totam substātiam uni credamus naui, ne si nauis ipsa interierit, nihil supsit, unde damnū sarciatur, & occurrentibus necessitatib obuiam eat. *Mol d. 316. Arrag. 22. 2. q. 78. ar. 2 Regin. l. 23. c. 8. nu. 86. Azor. l. 5. c. 5. Manut. in Adagiis.*

Tertia conditio est, ut mutuās malit negotiatione, quàm cum mutuatione aliquid lucrari, quæ fuit aliquorum Doctorum sententia. Alii tamen probabilius tenent, nihil obesse, si mutuator magis ad dictam compensationem, quàm ad negotiandum sit inclinatus, modo firmiter negotiari decreuerit, & solum alterius causa pecunias ab huiusmodi cōmercio subtraxerit. Imo nihil interesse, etiamsi non inuitus, nec coactus mutuo det, sed sponte & vltroneus hoc officium præstet, dūmdo principaliter ex charitate, vel amicitia, uel eō passione, nō ex spe, uel siri lucrādi id agat, ut sæpius solet esse negotiātiū affectus.

Quarta est, ut minus aliquid, & non totum, qđ verosimiliter lucraturus erat, exigat, deducantur labores, sumptus, & pericula; siquidem lucrum cessans non est actu, sed potentia, ut proinde variis euentib. impediri p ssit, & ideò ad boni viri arbitrium hęc recompensatio facienda sit. Quandò, ut ueteri, & vulgato enuntiato aliàs à nobis vsurpato docemur. Multa cadunt inter calicem supremaq. labra, quo significatur, nihil tam certum sperari, neq. quidquam tàm esse vicinum, quod non repentinus aliquis casus interuertere queat, adeoq. non esse tutum uenturis fidere, ut uix etiam illa sint certa, quæ manib. tenemus. *idem Manut. in Adag. Bellon. de potest. eorū qui incont. fiunt. l. 1. c. 69.*

Addunt alii quintam conditionem, ut mutuans istius lucri cessantis anticipatam solutionem non accipiat. v. si mutuat centum, ex quo illi uiginti lucrum cessat, non satisfacit, si solum octoginta numeret, & viginti sibi pro lucro retineat. Alioqui uirtualis, ac palliata lateret usura, non. n. centum, sed octoginta mutuo dare censeretur. ut ex commūni ait *Marta voto 165. & Bonac. q. 3. p. 4.* Vt uero mutuator damnum emergens exigere queat, tres pręci puæ conditiones requiruntur. Primo ut uere ex mutuo damnū emergat, & ipse mutuator illud commode euitare non potuerit.

Secundo ut de hoc damno mutuatarium admoneat, & protestetur. Tertio ut nihil plus exigat, quā reuera sit damnum secutum. Potest etiā addi quarto, ut pactum non fiat, ut in ipsa mutuatione hoc dānum emergens soluatur. Et si multi etiam uelint, quando damnum est certum, & in ipsa mutuatione subitur, posse aliquid propter damnum illud accipi, ut si v. g. quia Lucius mutuo dat, cogitur nunc res suas uiliori pretio, quam ualeant uendere.

Vbi illud quoque animaduertendum, ex omnium sententia, post moram, deberi utrunq. vt dicunt, interesse, tàm lucri cessantis, quàm damni emergentis, etiamsi nullum pactum appositum fuerit, si mora ipsa culpabilis extiterit, sed si debitor in termino ꝓpter impotentiam non soluerit, atq. adeò illius mora peccaminosa, & culpata non sit, ad nullum lucrū cessans, uel damnum emergens compensandum teneti

neri,nam vt inter alios ait, *Salon.2.2.q.78.artic.2. Arct.conf.151.Polid.* Ripasing.*obser.1.& Barthol.à Fanito.de vsur.q.79.* Mutuatarius duplici tantum titulo damna ex mutuo emergentia reficere tenetur,vel ratione pacti à principio contractus constituti,vel tũnc moræ,quæ propria culpa accidat, siquidem mora non obest, si interuenit ignorantia lata culpa carens,vel soluendi impossibilitas. *Nald. ver. mora. Filliuc.tom.2.tr.33.c.9.q.4.Tusch.ver.mora. concl.371,Seraph.infra citan.Tholos.in syntag.iur.l. 21.c.14.glos.in reg.25.de reg.iur.in 6.* Alij vero teste *Sa.v.mora.* existimant eum,qui tempore debito non soluit, etiam si eius culpa hoc non acciderit,in mora esse,& ad restituendum astringi: quæ opinio videtur mercatorum usu recepta, maxime quando contractui iuramentum appositum est, quod quidẽ efficit,ut mora ipso iure,absque alia interpellatione iudiciali,& regulari,contrahatur;quia stimulus cõscientiæ, & iuramenti continuo ipsum vellicat, ut soluat,ne in periurium incidat.ut per *Dec.& alios in l quod te ff si cert.pet.& Seraph. de priuileg. iuram. priuileg.48.* Et etiam quando dies certus, aut tempus certũ,& determinatum constitutum fuit, intra quod aliquid fieret,aut solueret,tũc.n. dies ille pro creditore aduersus debitorem interpellat,ut id præstet,aut soluat;neq. necesse est,vt à creditore admoneatur,& requiratur. *l.magnam.vbi DD. C. de contrahen.vel committ.Hip.* Molin.*de contract.tr.2.disp. 564.Azor.p.3.l.4.c.34.*

Atq.ex his conditionibus,& sententiarum circa eas varietate cõstat,quàm periculosum sit lucri cessantis,& damni quoque emergentis exercitium,nisi homines sint rectæ,ac religiosæ conscientiæ, quæ nigro Cygno in negotiatoribus rarior inuenitur. Quod & veteres innuebant poetæ,dum Mercurium Deum,præsulemq.furum,& mercatorum ponebãt, tanquam s.furtũ,& mercatura sint quadam cognatione coniuncta. Quę causa fuit aliquib.dicendi, mercaturam exercere turpe esse,& in illa versantib. aliquam dignitatem non concedendam. *Stracha de mercat.p.2.nu.17. Alciat.de præsump.reg.1.præsum. 48. Tiraq.de nobilit.c.33.vt diximus in Comment.de hum.vita stat.p.2.c.12.*

RESOLVTIO.

VNde his fundamentis præiactis,& conditionibus perpensis,dico potuisse Lucium mutuatorem in principio contractus de lucro cessante, uel damno emergenti,licite pacisci;siquidem naturalis æquitas non postulat,ut mutuator alteri subueniendo, detrimẽtum patiatur, cum obsequium suum nemini damnosum esse debeat. Si vero in principio contractus nullum de hoc pactum inijt, illa mutuatarius præstare non tenebitur. *Molin.d.t13.Lessius l.2.c.20.dub.10. Val.tom.3. d.5.q.20.p.2. Salon.& Arrag.22.q.62.art.4.& q.78.art.2.Rebell.l.8.q.7. Azor.p.3.l.5.c.4.& 5. Ioannes Salas de vsuris,dub. 19.& 20.Vgol.de vsuris.c.8.§.7.& 8.Tolet.l.5.cap. 32.Graffius l.2.decis.aur.c.105.Bonac.l.c.Pet.Nau. l.2.c.2.num.301.Nau.in Man.c.23.nu.82. Honded. cons.41.nu.40.Farinac.cons.15.Thesaur.in qua st. forens.l.3.q.71.Io.Bapt.Corrad.in respon.q.227.& seq.Zecchius de vsuris.c.16.Regin.l.23.nu.77.* Vbi etiam communiter inferunt ex tradita doctrina,eũ qui pecuniam,quam debet, tempore a creditore præscripto non soluit,non solum teneri ipsam pecuniam reddere,sed etiam damnum restituere, quod ex illa negligentia creditori accreuit,nõ quidem in integrum,quia lucrum non erat certum,sed ad arbitrium prudentis viri, pensatis prius pecuniæ quantitate, negotiorum conditionibus,atque circumstantijs;ac proindè pessime facere nobiles,ac magnates, qui multis annis, inuitis mercatorib. pecuniam detinent;nam præter hoc quod id facientes proprias animas sauciant,ad restitutionem lucri cessantis tenentur,tanquam illi,qui huius damni iniuste causa extiterunt,quam nisi faciant,à Cõfessarijs absoluendi nõ sunt.ut per nos *in d.Cõmen de hum.vit.stat.p. 2.c.16.*

QVÆSTIO XLVI.

An contractus sortis in mutuo licitus sit, Et an qui mutuum sub vsuris accepit,possit illud alteri remutuare sub eisdẽ vsuris. Pactum de lucrãdo capitale per mortem naturalem, an habeat locum etiam in morte præter naturam, & casualem?

BOnifacius mutuat Iosepho centum cum pacto, ut si ipse mutuatarius intra duos annos moriatur,nihil restituere teneatur,si uero duos annos superuixerit,centum, & quinquaginta reddat. Item conuenit cum Vincentio de soluẽdo quatuordecim pro centum ad uitam ipsius,cum pacto vt per mortẽ naturalem,non violentam,ipsius Vincentij creditoris capitale,vel sortem lucraretur, verum idem creditor equi calce percussus interiit,ac propterea prętendit se ad solutionem illorum 14 pro centum nõ teneri.&c.Insuper cũ idẽ Bonifacius ducentum pro quodam graui negotio expediẽdo,sub vsuris à quodam mercatore accepisset, importunis precibus rogatur ab eodemmet Iosepho,ut totidem aureos pro filio suo è carceribus liberando sibi mutuet; quod mutuum illi dat,& dominium transfert cum onere vsuras pendendi,quas ipse soluturus erat.Quæritur an ij tres contractus in foro conscientiæ valeant?

RESOLVTIO.

REsp.Ad primã q.vnico uerbo respondendo,dico Primo,hic non committi usuram,nihil n.

videtur ultra sortem accipi, cum hic sit contractus sortis, in quo uterque lucrandi, & amittendi periculo se exponit, contractum autem sortis, si periculi, & pretii æqualitas obseruet, iustū esse cōstans est. DD. snīa. *Bonac. d. 3. q. 4. Azor. l. 5. c. 6. q. 2. Tol. l. 2. c. 34.*

Ad secundam dubitationem dico, Bonifacium ad solutionem illorum 14. pro centum non teneti, cum enim Vincentius creditor morte casuali, quæ naturali æquiparatur, non violenta nece mortuus sit, pecuniarum lucro locum factum esse censendum est. *Bald. in l. 1. C. de his, qui ante apertas tabul. Marta voto 90.* vbi refert ita vidisse iudicatum à Gregor. XIII. sanctæ, & felicis memoriæ, dum in minoribus Vicegerentis in Romana Curia munere fungeretur.

Ad 3. breuiter respondeo, sic distinguendo. aut Bonifacio mutuum in Iosephum conijciente ex ea translatione damnum emergit, lucrūq. cessat; quia iterum sumpturus est mutuum sub æqualibus, vel maioribus vsuris, vel aliam pecuniam non inueniēs ruituram domum reficere non poterit, uel à lucrando impedietur, & tunc iuste ut se indemnem seruet, hoc onus in eius humeros imponere licebit; aut nullum damnum illi emergit, lucrumue cessat, & sic vsura erit, cum hac obligatione mutuum transferre. *ita Corrad. de cont. q. 41. Nau. c. 17. n. 233. Lopez. Instruc. 178 p. 4. Salas. dub. 18. n. 6. Tusch. in v. vsura concl. 337. n. 110. Mol. d. 314. n. 7. Lessius l. 2. c. 20. dub. 10. n. 78. Rebel. l. 8 q. 16. sect. 6. n. 3. Idem Bonac. d. 3. q. 3. p. 4. nu. 8. Faustus de vsur. q. 52.*

CAP. XV.

QVAESTIO XLVII.

Vtrum in mutuo liceat conuentionalem pœnam apponere. Mutuo dans fœminæ cum pacto, vt sui copiam faciat, &c. an vsuram committat. Suadens minus malum nempe vsuras, ne quis in extrema necessitate pereat, an peccet? An dando mutuum patrono, vt ad beneficium filium suum præsentet, tùm vsuram, tùm simoniam committat?

PEtrus pecunia pro sua necessitate indigens, ad Franciscū amicū suum accedit, ac mutuum petit, & quia idem Franciscus nouit Petrum in solutione tardum, & morosum (æris.n. alieni, & debiti mortis solutio, quòad fieri potest, differri solet.) nisi sæpius excitetur, vult quidem mutuo dare, sed vt Petrus in termini obseruatione vigilatior sit, cum eo conuenit, vt si ad diem præscriptum non soluat, in pœnam ultra centum, quos in sortem recepit, sex soluere debeat. Secundo Lucretiæ viduæ centū aureos mutuo dedit cum intentione, & pacto, vt sui copiam faceret, & secum postea coniugium iniret. Tertio cum Mutio extreme, uel quasi extreme egenti gratis mutuo dare nollet, Liuius ei consuluit, ut potius, uel saltem sub usuris mutuum dando, ei succurreret. Quarto Iulio patrono 300. aureos mutuatus est, ut Philibertum filium ad quoddam ecclesiasticum beneficium præsentet. Quæritur nunc an talis pœnæ appositio licita sit. Secūdo an Lucretiæ sic mutuando usurā cōmiserit. Tertio an Liuius Francisco proponens, ut sub usuris Mutio mutuo daret peccauerit, &c. Quarto an dando Iulio pecuniam, ut filiū suum ad beneficium præsentet, usuram, uel simoniā contraxerit?

SVPPOSITA.

REsp. Suppono pœnam esse triplicem, nempe legalem, quæ à lege, aut constitutione eius, q publica potestate fungitur, imposita est; iudicialis, q̄ iudex contra debitorē cunctantē, & procrastinantem constituit; & conuentionalis, quæ de consensu partium in mutuo, uel alio contractu contra morosum debitorem inijcitur. Siquidem ut ait Plinius. Sicut Polypus quidquid brachijs attigerit, strictim tenet, & attrahit; ita difficillimū est euellere de manibus quorundam, si quid nacti fuerint. *Io. Medina. C. de vsuris. q. 3. causa. 4. Salon. 2. 2. q. 78. art. 2. contr. 11. Rebell. 2. p. de oblig. iust. l. 8. de vsuris. q. 9. Regius. casu 43.*

Secundo ut pœna in contractu mutui apposita sit iusta, tres saltem conditiones requiri. Primo ut in fraudem usuræ non inferatur, utpote sciendo mutuatarium tempore constituto ad soluendum haud potentem fore. Secundo, ut mutuatarius vere sit in culpabili, & notabili soluendi mora; secus si ob impotentiam soluere nequeat, modo sua culpa id non acciderit, ut si aduertens se impotentem fore, alea, vel commessatione, rem familiarem decoxit. &c. Sic in simili dicimus, quod licet statutum ualeat, ut censura irretitus, quid certum soluat in singulos menses, quibus in censura permanserit: pœna tamen eū non tenet, qui pro viribus absolutionem procurat, cum ipsi imputari non debeat, quod in censura permaneat. *Vgolin. de cens. tab. 1. c. 5. num 9. Nald in v. statutum. nu. 15.* Sic è contra emptor, qui ex æquitate, *l. curabit. C. de act. empt.* ad interesse, ut dicunt, tenetur, illud soluere non astringitur, quando ipse venditor est in culpa, ut puta quia in limine contractus cauere, vel fideiussores dare renuit, & emptor pecuniam deposuit, &c. *Thesaur. in qq. Forens. l. 1. q. 88.* Tertio requiritur, ut pœna sit moderata, non enim peti potest, qua parte iustum modum excedit, cum pœna culpæ respondere debeat, iuxta illud Horatii,

Adsit ——————————

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.

Nam & in *legib. 12. tabul.* scriptum fuisse legimus,

Noxia

Noxia pœna par esto, ut in suo vitio quisq. plectatur, Vt capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia afficiatur. arg. c. nō afferamus. 24. q. 1. Qua rōne fit, ut pactum legis commissariæ in pignoribus. i. ut pignus fit creditoris, si certo tempore debitor non soluerit, iure prohibitum sit. *c. significante, extra de pignor.* Quod multo magis in ecclesiasticis viris procedit, qui conuentionalem pœnam vltra interesse (vt aiunt) exigere non debent, cum æquitas non rigor in personis, & ecclesiasticis negotijs seruandus sit. *Marc. Ant. Gen. in Prac. eccl. Tricen. 4. q. 253. & 255 Salas. dub. 21.*

Tertio non esse obligationem hanc pœnam soluendi, antequam tacite, uel expresse à mutuante petatur, nam mutuatarius præsumere potest mutuantē pœnæ solutionem condonare, & iuri suo cedere. Item non soluendum esse ante Iudicis sententiam, nisi contrahentes exprimant, se ante illam obligare uelle, cum pacta, & conuentiones à contrahentium uoluntate, vim, & robur accipiant. Vnde pęnā hanc si non petatur, præscribi posse multi senserunt. *Lessius l. c. Nau. c. 23. nu. 67. Lopez. p. 1. de cont. c. 31. Rodér. 2. p. c. 84. num. 4. Beia. p. 1. casu 4. Sanchez. l. 1. de matr. d. 37. n. 4. Menoch. l. 2. de arbit. Iud. cent. 3. casu 26. Faustus. q. 73.* Licet etiam probabilis sit sententia, & magis praxi accommodata, conuentionalem pœnam ante Iudicis sententiam deberi. Siquidem hæc videtur esse contractus ineuntium intentio, ut absque iudiciali actu, vel facto, ad pœnam persoluendam se obligare velint, alioqui pauci admodū, vel forte nulli reperirentur, qui pœnalem pactionē constarent, propter multa incommoda, & difficultates, quę in implorāda Iudicis sentētia, & authoritate, se obijciūt. ut ex multorum placito refert *Bonac. d. 3. q. 3. p. 7. Regius casu 43. Molf. tr. 12. c. 23. nu. 43.*

RESOLVTIO.

His sic suppositis dico, licuisse Francisco huiusmodi pęnam apponere, & in illius executionem ob moram aliquid supra sortem accipere. Siquidem debitor qui est in mora, contra commutatiuam iustitiam peccat, alienum, siue alteri debitū retinendo, proinde tali animaduersione dignus est, ut est cōis sententia. Vbi tamen illud etiam Primo obseruandum est, multum referre, an pœna, ut Doctores loquuntur, pro interesse imponatur, an vero propter culpam, & moram debitoris inferatur, quia quando pœna primo modo apposita est, si mutuatarius ob probabilem impotentiam non soluit, ad satisfaciendum cum primum poterit, tenebitur. Si autem secundo modo adiuncta sit, impotētia inuincibilis excusat, ita ut postea ad pœnam luendam nō adstringatur, cum in recompensatione pro interesse facienda, recompensantis culpa non requiratur, qua lis in pœna soluenda ob negligentiam exigitur. *Ioannes Medina. C. de reb. per vsuram acq. q. 3. Bisfeld. in c. conquestus. q. 3. tit. de vsuris.* Secundo notandū est, vsuras, seu interesse pęnarū nullo pacto peti posse, vt si v. g. quis nomine pœnæ tenetur aliqd soluere, si pęnam in tempore non soluit, usuras, uel interesse soluere non tenetur, siquidem pęna non debet pęnam parere. *Menoch. vol. 1. cons. 94. Molfes. tr. 12. c. 23. nu. 37.* Item illud tertio animaduertendum, in dubio pœnam in mutuo in fraudem vsurarum adiectam non censeri, nam in foro externo, in eo qui fœnerari non solet, usurarius contractus non præsumitur, vnde nisi contrarium appareat, à proposita assertione non discedendum est. Idem *Menoch. l. 5. de præsump. præsum. 2 & cons. 109. Tusch. v. vsurarius. concl. 361. Vgol. de vsuris. c. 8. §. 10.*

Ad 2. q. dū quæritur, an Franciscus dans mutuo Lucretiæ centū, ut ad turpe obsequiū illam pertrahat, & postmodum facilius sibi nubat: dico usurariā prauitatem contraxisse cum illud pactum sit pretio æstimabile, & propriam libertatem impediens, ut proinde etiam restituendi oriatur obligatio, nisi postea primo intelligat illā nullū velle pretium, secundo nisi mutuās id ab illa non petijsset ut mutui pretium, sed ex gratitudine, & liberalitate, id postulasset, etiamsi ille mutuaturus nō esset, nisi illam speraret; tertio nisi immediatè amicitiam intendisset, & mediante amicitia turpem copulam, & coniugiū sperarет. &c. *Molin. de contract. d. 307. Regin. l. 25. n. 189. Salas de vsur. dub. 16. Bonac. de mut. d. 3. q. 3. p. 3. num. 14. Faust. de vsuris. d. 16. quæst. 45.* vt etiam partim resoluimus suprac. 13. q. 40.

Ad 3. q. respondendo mihi dicendum videtur, Liuium à culpa excusatum esse, cum Francisco consuluit, ut si Mutio graui necessitate oppresso, aliter gratis succurrere noluit, sub usuris mutuo daret, ad euitandum. n. maius proximi malum, ne fame periret, uel ne desperationis spiritu adactus, laqueo se suspenderet, licitum fuit ad id remedij inducere; cum ex hoc minoris mali occasio præbeatur, siquidem ex generali illo principio, De duobus malis minus est eligendum, illo sic admonente,

Ferre minora volo, ne grauiora feram.

c. duo mala. d. 3. Cōis est sentētia ex *Innocen. Abb. & alys in c. super eo. ext. de vsuris. Nauar. c. 17. n. 263. Regin. l. 23. nu. 104. Salas. de vsuris. dub. 49. Molfes. tr. 12. c. 23. n. 81. Corrad. in resp. cas. conscient. q. 237.*

Quartæ etiam quæstioni paucis satisfaciendo, dicimus, Franciscum tùm vsuræ, tùm simoniæ labe se contaminasse, cum Iulio 300. aureos mutuo dedit, Quò Philiberto filium suum ad ecclesiasticum beneficium præsentaret, quod vsuræ uitio se infecerit, constat, quia illa obligatio præsentanti, uel collatori libertatem adimit, ac proinde est pretio æstimabilis, ergo tàm ex ui mutui habere vsurariam prauitatem

tatem inuoluit. Quod etiam simoniaco crimine non careat hinc patet, quod temporale obsequium primaria intentione ad spirituale obtinendum impendatur, ac propterea duplex ex hoc contractu consurgit peccatum, aut vnum cum circunstantia necessario in confessione aperienda, vt per *Regin. l.25.nu. 190. Salas de vsuris dub. 14. Arrag. 22.q.78.art.2. Rebell. l.8. quæst. 4.*

QVAESTIO XLVIII.

Creditor an solutionem vsurariam à debitore sibi assignatàm exigere valeat. Et an quis in necessitate constitutus, possit sub vsuris accipere. fideiussiones dotium an valeant, & iuramento firmentur?

EManuel cum velit quādam suam filiam in matrimonio collocare, ad Ignatium mercatorem, qui tamen vsurarij nomen in vrbe tenet, accedit, & quingentos aureos sibi debitos petit, & alios quingentos mutuo dari postulat; qui ei assignat solutionem exigendam ab alio, qui nomine vsuræ tantundem ipsi Ignatio vsurario debet. Alios quingentos sub vsuris dat ad septem pro centenario. Item cum Diomedi Apolloniam filiam suam in matrimonio coniunxerit, cautionem de dote per maritum ipsum conseruanda dari, præstito sibi iuramento postulat. Quæritur primo an huiusmodi sibi ascriptam solutionem exigere possit, & an tuta conscientia mutuum illud sub vsuraria prauitate recipere ei liceat, & quid quò ad cautionem dotis consulere debeat Confessarius?

SVPPOSITA.

REsp. Suppono Primo, vsurarium cotum dominium nō acquirere, quę fœneratitio contractu lucratus est, nec proinde earum rerum dominium in alterum transferre posse, siquidem ad illud transferendum nuda traditio non sufficit, nisi iusta causa, vel iustus titulus præcesserit, qui in vsuraria traditione non est. Et sicut fur rei furtiuæ dominiū non acquirit, ita nec vsurarius rei fœnori datę, cum vsura reducatur ad furtum, & eodem præcepto, quo furtum prohibeatur. Quę fit vt Magistratus, vel sæcularis potestas impedire non possit, ne solutæ vsuræ repetantur, quia Clemens V. approbante generali concilio, omnes eos Iudices gladio excommunicationis ferit qui iudicant, vel statuunt, ne vsurę cum repetuntur, restituantur. *Clemen. 1. de vsuris.* Hinc fit vt vsurarius ad omnes illos fructus restituēdos teneatur, quos ex re aliena per vsuram acceptа percepit; cum enim rei dominus non sit, nec fructuum dominium acquirit, nisi sint fructus mere industriales, quales sunt qui ex pecunia vsuraria, aut alia re vsu consumptibili comparantur, & vt etiam præter rem, & fructus, damna creditoribus illata, restituere cogatur. *D. Thomas 22. quæst. 78. art. 3. vbi Salon. & Arrag. Less. l.2.c.20.dub.18. Mol. d.327 Valentia tom.3.d.v.q.21.p.3 Salas de vsur. dub.39. Rebellus l.8.q.14. & 15. Bonac. d.3.q.3.p.14 Beia p.1. casu 42. Regius casu 22. Faust. q. 20. Filliuc. l.34.c.6.q.7. & 8.*

Secundo Præmittendum est ex *D. Thoma l.c. art. 4.* cōmuniter recepto, aliud esse inducere aliquem ad peccandum, quod nullo modo licet; aliud ad bonum aliquod alterius peccato vti, quod licitum, & integrum est; quod & Deo frequens esse solet, ex quolibet namque malo bonum elicit, vt ait *D. Augustin Ench. c.11. & in simili re epist. 154. & habetur in c. mouet 22 q.1.* Quippe tanta est diuinæ dilectionis virtus, vt hominib. etiam peccati virus in bonū conuertat, siquidē *ex Apost. ad Rom. c.5.* diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, omnia, dicit tùm prospera, tùm aduersa, prima ad vsum, secunda ad exercitium, & non solum mala pœnæ, sed etiam culpæ, dum scilicet ex eis humiliores, & cautiores resurgunt. Atque illud est, quod vates ille dixit, sugere mel de petra, oleumque ac saxo durissimo. *Deut. 32. Io. à S. Gemin. l.4. de simili c.23.* Vnde iuxta cōem, cum non liceat alium ad peccandum inducere, oportet in omnib. materijs cautum esse, vbi de vsu peccati alterius agitur, vt petendo, semper quæ licita sunt, postulentur. Vt v. g. in proposito casu, mutuum, nam vsuræ acceptio petitur, potest enim quis sine peccato, imò cum merito mutuum dare, quiquidē mallet quisq. mutuum gratis quam cum fœnore accipere, nec alterius malitiæ consentire censetur, sed eius vti prauitate ad propriū damnum redimendum, ita sane vt inuoluntarie iniquam conditionem pati cogatur. In qua assertione Doctores omnes communiter conueniunt. Sicut etiam communius, & magis veritati consonum est eorum placitum, eum qui accipit mutuum sub vsuris, pro opere, quod est veniale, nimirum pro otiose ludendo, vel superflue epulando, non lethaliter, sed venialiter peccare; quia in hoc casu tantummodo peccatum illi vano operi inest, pro quo mutuum petitur, pro alia vero parte, qua vsurarius sub vsuris mutuando ex malitia sua peccat, hmōi peccatum mutuatario non imputatur. *vt per Salas dubit. 48. Faust. q. 126. Filliuc. tr.14 c.8.q.3. Nolf. s. tr. 12. c.23. num.79. Sanchez l.3. de precept. c 8. num.23. & alii contra Bonac. de cont. disp.3.q.3.p.13.*

RESOLVTIO.

VNde casuum resolutioni insistendo quoad 1. q. dico Emanuelē, non posse tuta conscientiā assignatam sibi ab vsurario solutionem exigere, si pro-

si probabiliter constet, usurario mercatori, non nisi usuræ falso titulo deberi; nam ipse Ignatius fœnerator non potest illas exigere, quod si faciat, contra iustitiam peccat, & ad restitutionem tenetur, ergo nec eius creditori id licet, cum in illum debitorem plus iuris non habeat, quàm ipse vsurarius. Si vero iustæ dubitandi rationes occurrant, an ille alio, quàm usuræ titulo debitor sit, præmittenda est diligentia in inquirenda ueritate, qua adhibita, si non inuenerit ob solum fœnus illo ære alieno obstringi, illi exigere integrum erit, etiam si dubitatio perseueret, nam in dubio proximus non est censendas usurarius, sed iustus negotiator *Surdus cõs. 327. Mantica de tacit. Ambig. l. 8. tit. 25.* ac proinde eius assignatio iusta putanda est; & si postea contrarium detectum fuerit, illo non satisfaciente, ad restituendum, & quod suum non erat reddēdum paratus esse debet, nisi tempus usucapioni necessariũ effluxerit, &c. *Lessius l. 2. cap. 20. dub. 24. Bonac. d. 3 p. 13. num. 4.* & alii communiter.

Ad 2. q. dico, Emanuelem accipiendo ab Ignatio mutuam pecuniam sub usuris, à culpa immunem esse; siquidem qui accipit ad usuram ab eo, qui sic dare paratus est, petēdo ab ipso mutuum, & cum hoc nolit, sub usura hoc accipit, si necessitate aliqua uel communi, aut etiam priuata utilitate ducatur, non peccat, quia, ut dixi, iusta de causa alterius peccato utitur. Facit quod non dare, & inuite seu coacte dare, quòad usurarium uitium paria sunt; ut notat *Laur. de Rodulphis in tract. de vsuris num. 37.* Sicut paria sunt quò etiam ad humanam, & politicam uitam, & ciuiles mores, ut probat cõi illud enuntiatũ à cõtrario sensu, Bis dat qui cito dat; hoc est qui libẽter, & liberali aīo dat, bis dedisse cẽsetur, &c. Si tamen in extrema necessitate constitutus fuisset, potuisset etiam usurarium non paratum ad mutuandum sub usuris inducere, si sine illis mutuo dare noluisset, hoc enim nõ est ad peccandum inducere, sed ad euitandum maius, minus malum consulere: siquidem minus malum est usura, quàm homicidium, quod usurarius committeret, nisi ad sic mutuandum impelleretur. De hac re ualde controuersa uideantur. *Viguerius in Instit. thol. c. 5. §. 4. vers. 19. Ianellus de auaritia c. 4. Vasquez in opus q. 43. art. 8. dub. 3. Molina de contract. tract. 2 disp. 335. Val. tom. 3. d. v. q. 21. p. 4. Salon. & Arrag. in 22. q. 78. art. 4. Reg. l. 23. num. 102. Sanchez. l. 3. de preceptis l. 3. c. 8. num. 27. Bonac. l. c. Salas. dub. 48. Molfes. tr. 12. c. 23. num. 75. Filluc. tr. 34. c. 8. Bisfeldius in Commen. de vsuris in c. super eo. tit. de usuris Faust. de vsur. disput. 16. q. 125., & alii communiter*

Ad 3. dubiũ quo in qõnem vertebatur, an Emanuel cautionem de dote conseruanda à Diomede genero exigere potuerit, respõdendo dico, id ei non licuisse, nam licet maritus ad præstãdã cautionem, & fideiussionem de dote sarta tecta tuẽda cogi possit, quando sua bona dissipat, & ad miseriam, & inopiam uergit, ut per *DD. in l. si constante ff. solut. matrimonio l. vbi ad huc C. de iure dotium. Grammat. Decis. 92. Tusch. v. dos. concl. 762.* nihilominus talis fideussio ab initio matrimonij contrahendi non ualet, nec iure subsistit, adeo ut dubiũ etiam non leue inter Scribentes sit, an iuramento firmari possit, cum ista fideiussionis datio bonis, & honestis moribus aduersari uideatur, propter perfidiam, quæ inter coniuges oriri possit, siquidem odium uiri in uxorem insurgeret, eo quod ipsa, uel eius parentes, eum idoneũ esse nõ existimauerint, talisq. fidei, ut ei dos (minor q̃ psona) tuto cõmitti ualeat, ut *ti. C. ne fideiuss. Dot. dēt.* Quæ tñ ratio, & aliæ quæ à Doctoribus excogitantur, non adeo urgent, quin à republica contrarium starui possit; ac fortasse ita fieri oporteret, eo præsertim tempore, quo facillime uxores ob maritorum culpam dotibus iniquissime spoliantur. Et licet æqua uideatur hæc prohibitio, non ita tñ est in republica necessaria, quin aduersus eam lex iuste decernatur; unde qđ datio ipsa fideiussorum ualida sit, & præsertim præstito iuramento firmetur, notat *Abb. & Imola in c cum contingat ext. de iureiu. Ang. & Paul. de Castr. in l. si quis pro eoss. de fideiuss. Corneus l. 4. cons. 287. Seraph. de Priuileg. iuramẽti. 69. Mancinus de iuram. & eius effectu p. 4. effect. 57. Couarr. in c. quamuis in relect. 2. p. §. 2. nu. 9. titu. de pactis in 6.* & alii communiter.

QVAESTIO XLIX.

An qui fecit contractum vsurarium bona fide credens iustum, peccauerit, & ad restitutionem teneatur. Et an qui religioso pecuniam mutuo dedit cum lucro ab eo, vel monasterio exigere eam valeat?

Gherardus bona fide contractum usurarium, uel aliàs iniquum celebrauit, ut puta, quia emit cum pacto de retrouendendo, non habens intentionem emendi, uel q̃a centũ mutuo dedit, nec admonens mutuatarium de damno emergenti, uel lucro cessante illud postmodum exegit, &c. Itẽ cum Ambrosio religioso nepoti suo 25. aureos mutuo dedit, cum lucro cessante eos ab eo, uel monasterio vult exigere, etsi in illo contractu Superioris consensus non accesserit. Quos contractus si iniustos, vel fœneratitios esse cognouisset, alios licitos, ut pecunias in emptione census ponendo iniuisset. Quæritur Primo, an possit retinere lucrum, quod ex illo contractu iniquo sibi comparauit, vel saltem tantũ sibi adijudicare, & vsurpare, quantum iustum contractum celebrando acquisiuisset; & an mutuum cũ lucro ad Ambrosio regulari uiro exigere valeat

RE-

RESOLVTIO.

Resp. Posse sibi retinere, tũ ratione bonæ fidei, cuius possessor restituere nõ tenetur, nisi id in quo locupletior factus est, tùm ẽt ratione, ut dicũt, interesse, i quo casu ex veritate cõprobãda illa erũt, per quæ damnum emergens, & lucrum cessans pe. ti, seu retineri possunt, de quibus supra, præsertim si expressetit, velle cõtrahere omni meliori modo, quo potest. Hæc.n. clausula in contractibus apposita, in vim validioris actus valere facit. *ex Marta de claus. claus.* 88. *sic Nau. conf.* 4. *de vsuris. Valentia in* 3. *p. d.* 5. *q.* 25. *p.* 3. *Sā ī v. vsura. n.* 8. *Lessius. l.* 2. *c.* 20. *dub.* 12. *& alii. arg. Vgol. in tr. de vsuris. c.* 16. §. 1. *& c.* 64. *nu.* 2. Vbi tradit eum à pœna, & à peccato excusari, q facit actum vsurarium, qui tamen publice pro licito hr̃, & ignorantiã iuris obscuri, cuiusmodi sũt multi contractus, in quibus doctissimi viri ingenio laborãt à peccato excusare; ita vt aliquando locum habeat, quod ait *Boer. decis.* 149. Quod quando articulus est valde dubius, & cõis veriorq. opinio discerni neqt, & rationes hinc inde vtgent, media via tãquam iuridica est eligenda; licet alij velint in dubijs reo potius, quàm actori fauendum. *arg. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. Tusch v. opinio. nu.* 9. *concl.* 155.

Ad 2. q. dico Gherardum ab Ambrosio religioso nepote suo posse 25. aureos cũ lucro sibi vere cessante, si ab initio sic conuentum est, exigete, etsi hic mutui contractus absque Superioris licentia sit initus, dummodo ipsam pecuniam in honestos, & necessarios vsus expenderit, & peculium aliquod ex expressa, vel tacita voluntate Prefecti sui retineat. Nec .n. dubium est religiosum ex iusta causa, annuẽte Superiore, annuos redditus, vel aliquod peculium habere posse; & etiam ex contractu absq. Superioris venia celebrato, naturalem obligationẽ oriri, nisi ab eodẽ cõtractus irritetur; nã sicut religiosus ligatur votis, absque sui Antistitis licentia à se emissis, dum ab eo non infringuntur, ita similiter tenetur promissione homini facta, & alijs contractibus ab eo initis, dũ eos Superior cassos nõ reddit, licet regularis à lethali culpa sic contrahendo nõ excusetur, si bona fides, & simplicitas ab ea illum non tueatur. Absoluti etiam iuris est monasterium non teneri pro delicto religiosi etiam Prælati; nec æs alienum soluere quando sine ipsius Superioris licentia contractũ est, nisi aliquid in monasterii utilitatem versum sit, aut inde effectum sit locupletius, ut esse posset, quando monasterio iniuste necessaria subdito denegante, ut quæ ad cibos, uestes, uel medicamenta, & hmõi mutuo spectãt, pecuniã ab externis ad sibi subueniendũ accepisset; cum inter alia, quæ proprietati inter religiosos causam præbent, sit indigentia, magis. n. aliqui eligunt, aliquid cum peccato habere, quàm indigere, ut ait *Vmbertus in reg. D. Aug. c.* 16. *Sanchez.* 2. *tom. de pracpt. l.* 7. *c.* 22. *ar.* 30. *&* 31. *Beia in resp. p.* 4. *casu* 17. *&* 32. *Megalus.* 22 *l.* 2. *c.* 5. *q.* 5. *nu.* 145. *& alii.* Vbi illud obiter à Conteis... est notandum, q cum Theologi, & Iurisperiti inter se discepiãt, an aliquis contractus sit vsuratius, in huius controuersia, uel casus decisione, multi. ut *Pet. de Anch. in disp. incip. Antiquis. & Alex. l.* 2. *cons.* 1. *& Tusc. in v. Theologi concl* 279. *& v. Fabri. conclus.* 2. *Dec. cons.* 111. *Marta de iurisd. p.* 2. *c.* 7. *nu.* 13. Canonistis standum esse asseruerunt, circa ius diuinum, quod moralem philosophiam concernit. Alii vero censuerunt, hoc ad Theologorum iudicium, & censuram deferendũ, cum ad eos spectet, in his quæ sunt fidei, & morum ius diuinum interpretari, sed quò ad ea, quæ per leges, & Canones contra vsurarios statuta sunt, ad Canonistas potius, quàm ad Theologos pertinere: ut ait *D. Ant p.* 2. *titu.* 1. *c.* 7. §. 4. *Sylu. & Tab. in v. vsura.* 1. *in princ. Anton. catech. Neap. c.* 31 *& seq.* Sed quid de hac re sentiendũ sit, vide sup. *tr.* 5. *c.* 19. *q.* 60.

CAP. XVI.

QVAESTIO L.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum vsurario in mortis articulo constituto.

Damianus qui à plerisq. vsurarius in Ciuitate habetur, & ut talis ad ecclesiasticum iudicem delatus est, cum in mortis periculo, uel articulo constitutum se uideat sacerdotem Curatum aduocat, ut ab eo doceri possit de triplici domo disponenda, nempe de anima, de sepultura, & testamẽto condendo. Quætitur, quomodo cum eo se gerere debeat?

SVPPOSITA, & PRAENOTIONES.

Resp. Ministeriũ adiuuandi eos, qui in mortis periculo uersantur, ut feliciter diem suũ claudãt, est unũ ex gloriosiorib. & magis necessariis officiis, quæ Confessarii obire possint, cum ex bona, aut mala morte salus, aut animarũ perditio dependeat, ideoque summi est momenti morientibus opem ferre, ne in detrimentum, quod reparari non possit incidant, & ea consilia, & adiumenta porrigere, quæ tã ad animæ, quàm corporis, & rerum externarum rectam dispositionem spectant. Propterea promptus esse debet sacerdos, ut statim atque uocatus, aut monitus est, ad moribundum accedat, qui in huiusmodi angustiis uersatur; nquidem oĩs mora ualde periculosa esse potest, ut luculento exemplo ostendit. *D. Greg. l.* 1. *Dial.* 12. *Cagn. in l.* 134. §. 2. *ff. de reg. iur.*

Vt enim qui arcem oppugnare vult, omnes aditus obseruat, exitus obstruit, portas claudit, curatq. quan-

quantum pôt, ut quia intra mœnia sunt circumclusi teneantur; sic noster ille antiquus hostis, quos mors obsidet, tot horribiles insidias instruit, vt ex nulla parte se proripere possint. In has angustias adductus extimescit Hilarion, Agathon exalbescit, Arsenius perturbatur, merito ergo sacerdotes hmôi oppressis cum omni studio opem ferre debent. Hinc Ioannes Alexandrinus Patriarcha, cui cognomen misericordia ipsa dedit, ad illorum, qui in extremũ certamen descenderant, lectulum assistebat, eos ad pugnam armabat, & defunctorum oculos claudebat, &c. *Tympius in spec. Episc. signo 46. Genuen. in Man. Prelat. c. 57. Bossus. de cura ani. p. 4. c. 12. Lud. à Ponte de perfect. christ. tom. 4. tr. 5. c. 15.*

Dum autem ad infirmum ingreditur sacerdos postquam eius conditionem, mores, & uitam à domesticis intellexit, existimans se Dei nũtium, si mortem, aut eius periculum ex suo, uel medicorum iudicio, certum esse dignoscit, prudenter, suauiter, ac cum dexteritate eum de hoc admoneat, illud Isaiæ prænuntians, Hæc dicit Dominus, Dispone domui tuæ, quia morieris. *Isa. cap. 38.* In quibus verbis duo præcipue puncta insinuantur, in quæ prudens Confessarius oculos conijcere debet. Primum est, ut mortis discrimen ipsi ægro significet. Multo enim aliter confessionem, & animæ salutem instituet, rebusq; suis consulet, si certo intelligat sibi ex hac vita migrandum, quàm si huiusmodi periculum non animaduertat. Quandoquidem & Musonius philosophus, vt refert Maximus Tyrius, cum ex eo quæsitum esset, qua ratione vitæ curriculum quispiam bene, ac beate conficere posset, respondit, Si extremum diem semper sibi propinquum esse existimet. Et quoniã cognati & amici ne illum contristent, vel molestia afficiant, id ei insinuare non audent, pallio quodam pietatis horrendam ei crudelitatem exhibentes, facile euenict, ut nil tale cogitãs prima, & secunda morte pereat, pinde Cõfessario expedit in eundem scopulũ nõ impingere. Postq̃ infirmus de morte futura est admonitus, alterum documentum accedet, illis verbis demonstratum, Dispone domui tuæ, hoc est cum tibi hæc migratio, & profectio instet, attende, & reb. tuis quò ad fieri potest, prospicias, quæ dispositio hæc quatuor completitur, cõfessionem, communionem, testamentum, & extremam vnctionem.

RESOLVTIO.

HOc supposito dico, Confessarium debere ab vsurario inquirere, an ob hoc crimẽ sit aliqua censura irretitus, nec.n. dubitandum est, quin tàm laici, quàm clerici, ob hoc crimen pœna ecclesiastica ab Epis. & eorum Vicarijs puniri possint; nam in c. *præterea. ext. de vsuris*, laici vsurarij ab ecclesiasticis Iudicib. excommunicationis pęna plectuntur. Et certa quia ratione cuiusq. peccati quilibet christianus ecclesiasticum forum sortitur, manifestũ est, non tantum in clericis, sed etiam in laicis crimẽ hoc ecclesiæ subinde authoritate uindicari posse. Nec etiam uidetur negandum, quin à sæculari Iudice in ijs, quæ ad ipsius forum pertinent, puniri valeat, nam usura, vt superius uidimus, non tantum iure diuino, sed & naturali, nec tantum iure canonico, sed etiam ciuili prohibita est. *Clarus in praxi crim. in §. vsura. Regin. l. 23. nu. 93. Tusch. v. vsurariorum pœna. concl. 354. Vgol. de vsuris. c. 27. Molina d. 335. Salas. dub. 45.*

Inquisitoribus tamen de vsurarum quæstionib. cognoscere integrum non est; nam cum auri sacra fames, ui obiecti voluntatem mouere soleat, & etiã meliora videntem ad huiusmodi sordida lucra impellere, ea quidem crimina non tam errore intellectus quàm auaritiæ, & lucri cupiditate cõmitti censenda sunt. Si uero quispiam fœnerati licere crederet, ab Inquisitoribus ipsis perinde ac alius quilibet hæreticus puniendus esset. *Simancas in Cath. Instit. tit. 66. Zerula in Praxi Episc. in v. vsura.*

Si vsurarius iste occultus esset (quod tamen in casu non supponitur) ita se gerere deberet Confessarius, ut se habere soleret cum secreto debitore, qui quidem absoluendus est, si se restituturum proponat, ac promittat, atq; efficacia adimplendi promissa, signa prębeat. Et imminente mortis periculo, & si tutius, ac satius esset, ante absolutionẽ satisfactionẽ exigere, si tamen iusta ex causa solutionem testamẽto reliquerit, & hæredes veræ, ac integræ sint fidei, absolutionis beneficium denegãdum nõ erit. A qb. postmodum si bona ad restituẽdum sufficientia relicta sint, omnia vsurarie accepta restituenda erũt, ea in pios usus si incerta sint conferẽdo, certa vero his reddendo à quib. iniquè accepta sunt. Sed ut aduertit *Menoch l. 4. de præsumpt. præsump. 183. nu. 56.* Fœneratores multi solent relinquere pijs locis, ut significent se malos christianos non fuisse, &c. Iudæi vt facilius conuertantur, per vsuras acquisitas, quę certis personis restituenda non sunt, tanquam in vsus pios relinqui debent. ex Bulla Pauli III. apud Zypæum *de iure Pont. l. 5. tit. de Iudæis.* Quod, ut ipse ait, aliquatenus ad alios fœneratores, vt illi etiam conuerterentur, transferri posset. Hæredes vero, & si ad vsurarum restitutionẽ obligandi sint, cum ad eos bona defuncti cum hoc onere transeant, vltra tamen vires hæreditatis etiã si inuentarium nõ confecerint, non tenentur, cum vt sæpius reperiuimus, lex quæ falsæ præsumptioni nititur, in conscientiæ foro non liget. *Barth. à Fano q. 110. & seq.*

Adde qđ si vsurarius factus sit impotens, ut qui vrgente necessitate, pro victu, & vestitu vxoris, ac familiæ, vsuras cõsumpsisset, tunc restituendi obligatio

tio uiget, cum cummode poterit, & in eius defectu filij, & uxor, si eis bona ad restituendum supersint. *Mol.d.* 330. *Molfes.tr.*12.*c.*23. *nu.* 122. *Salas.dub.* 42. *& seq.* At ut obseruat *Nouarius. in collect. super pract. regni Neap. collect.* 230. licet clarum sit, vsurarios ad restitutionem usurarum receptarum teneri, ex iusto tamen Dei iudicio, sæpenumero postquam pauperum sanguinem suxerunt, ad talem, & tantā paupertatem rediguntur, ut non solum non habeāt, vnde restituere ualeāt, sed neq. quo se alere possint, & quidquid de hoc sit, resoluit ipse, usurarium non posse ad earum restitutionē cogi, nisi deducto ne egeat, quod intelligo de extreme, uel quasi extreme egēte, ut ēt considerat *Ricc. in prax. vsur. resol.* 466.

Si vero usurarius manifestus sit. i. qui palam, & notorie mutuum ad usurā dedit, aut res suas ob solā pretij dilationem manifeste supra rigorosum pretiū uendidit; siue ēt qui per Iudicis sententiam, ob tale crimen damnatus est, & qui de se ipso illud in iudicio confessus est (qui quomodo probetur ostēdit. *Mascard. de probat. l.* 3 *concl.* 1418. *& Tusch. v. vsurarius. concl.* 341. *&* 347. *& Mant. de tacit. & ambig. l.* 8. *tit.* 19.) In iure statuitur, ut nec ad ecclesiasticam sepulturam, nec ad confessionem cum absolutione admittatur, antequam vsuras, ut potest, restituerit, aut idoneam cautionem de restituendo ijs dederit. à quibus illas extorserit, si presentes sint, aut alioqui ijs, qui ipsis acquirere possint; uel si tales desint, loci Ordinario, uel eius vices gerenti, uel Rectori parochialis ecclesiæ, in qua idem usurarius habitat; idq. coram fide dignis uiris, de ipsa parochia, aut coram publico tabellione, ex Ordinarij mandato. Cæterum si ex inopia, nec cautionem. i. pignora, aut fideiussores dare possit, sufficit ut iuret se dare non posse, seq. satisfacere paratū esse, si cōualuerit, aut unq̄ ad pinguiorem fortunā peruenerit. *c. quamq. de vsuris in* 6. *Nauar. c.* 17. *n.* 279. *Reg. l.* 23. *n.* 94. *& seq. Less. l.* 2. *c.* 22. *dub.* 22. *Molf. tr.* 12. *c.* 23. *& Bonac. d.* 3. *q.* 3. *p. vlt.*

Vbi obseruet Primo Confessarius, præter alias pœnas, quibus afficitur usurarius, quia ad modum raptorum satisfacere debet, teneri restituere non modo acceptum, sed etiam omnes fructus ex eo perceptos, aut qui percipi à uero domino potuerunt, his tamen, ut supra innui exceptis, quos ex propria industria acquisiuit, ut est communis tàm Theologorum, quàm Canonistarum sententia.

Cæterum quando in foro externo de usura agitur, quam aliquis commisisse præsumitur, per censuram rationum libros exhibere cogendus est, ut res, negotiumq. melius, ac planius dignosci queat. *clem.* 1. §. *cæterum. toto tit. de vsuris.* Et si .n. ut alibi dixi, Arma sumenda non sint de domo rei, siquidem ut est in prouerbio, Bis interimitur, q suo gladio perit. cū is cōgi possit. *Heu patior telis vulnera facta meis.* nihilominus ob difficultatem, & detestationem huius fœneratitiæ prauitatis usurarius cōuĉtus actori petenti proprios libros edere tenetur. *Mascard. de probat. vol.* 3. *concl.* 1398. *Menoch. l.* 2. *de arb. iud. cent.* 5. *casu* 499. *Tholos. de vsuris l.* 3. *c.* 10. *Massinus. l.* 1. *C. de edendo. Genuen. de priuata scrip. l.* 4. *tit. vsur.* Nec hic ualet, inquiunt, illa iuris regula, quod nemo cogitur edere, ubi de sua agatur deregenda turpitudine *l. alias, ubi gl. & DD. ff. de iureiur.* nam respondetur, hoc in fœneratorum odium specialiter introductum esse, ut edere cogantur ēt ubi de ipsorum turpitudine prodēda agitur, quam semper occultare nituntur. ut colligit ex *clem.* 1. *ti. de usuris. Vgol. de usur. c.* 27. §. 3.

Secundo curandum est à Confessario, ut testamentum in statu gratię conficiatur, ut si pia aliqua legata relinquit, ad eius animæ salutem prosint, cauendo tamen, ne quæ certis personis debent, in vsus pios legent, cū Deo iniusta oblatio nō placeat, decēte Sapiēte. *Ecclesiast. c.* 34. Qui offert sacrificiū, ee substantia pauperum, quasi qui uictimat filium in conspectu patris sui. Sicut etiam nō excusatur, qd pecunia pro qua vsurā exegit, sit ecclesiæ, pauperū, vel pupillorum, vel ad opus pium destinetur, siquidē non sunt facienda mala, ut ecclesiæ, uel pauperibus subueniatur, vel alia bona, vel commoda sequantur. *c. super eo. ext. de vsuris.* Hinc Phocion cum olim Athenienses sacrificia instituissent, atque à ciuibus peterent, vt vnusquisq. ad ea complenda aliquid de suo adderet, efflagitanti respondisse dicitur, Puderet si vobis adijcerem, ac huic (debitorē digito ostendens) cui iure debeo, nihil redderē. Sunt qui putant. ait *Plutar. in Græc. apoph.* se Deo rem gratam facere, si ad Idolorum cultum multos nummos conferant, at Phocion sapientissimus vir sensit, Deo multo gratius esse, si ijs, quibus debes satisfacias. *Molin. de pijs test. c.* 53. *Lud. de Pōte. de boīs perfect. to.* 4. *tr.* 5. *c* 15.

Quod si Cōfessarius ex lata culpa, vel crassa ignorantia, has diligentias non adhibueret, ac ijs præscriptis modis restitutionem non præceperit, lethalis culpæ sit reus, non tamen, quidquid aliqui dixerint restituendi ipse obligationē subit. *Faust. l. c. q.* 119.

Tertio maxime animaduertendum, ut confessio integrè fiat, & generalis totius actæ vitæ, si fieri potest expiatio instituatur, cum præteritę confessiones probabiliter inualidæ censendæ sint, &c.

Et cum vsurarij speciatim, in dęmonum dominio extiterint, omnes vires exerent, quò sub eorundem ditione fœnerator sine confessione, vel saltem male peracta, diē suū claudat. Sanè mirabilis sese obtulit casus circa annū Dñi Millesimum, quadringentesimum, nonagesimum tertium, Florentię; Erat namq. ibi vsurarius quidam ut ad mortem ægrotans, qui à nemine īduci poterat, & admissa peccata per sacramentalem confessionem dilueret, qui tandem impęnitens cum anima, & corpore, ad Tartara ab eisdem aspor-

asportatus est. *Franc. Gōzaga de orig. Seraph. relig. p. 1. conu. 9. Daur. tom. 2. exemp. c. 3. tit. 113. exēpl. 6.*

ALII AB CONFESSARII PARTES.

PArtes itidem Confessarii erunt, Iudices tàm ecclesiasticos, quàm seculares suo tempore, & loco admonere, ut coercendo fœnori sedulo incūbāt, Quippe breui fœneratorum fraudibus in republica omnia inuoluentur, & optimæ cuiusq. fortunæ euertentur, si hac via grassari illi permittantur: nam vt supra significaui, isti dissimulati fures non solum subditis perniciosi sunt, sed reipub. etiam calamitosi, dū suis fraudibus maximo publicæ rei incommodo, vectigalia diminuunt; cum. n. realis mercatura exercetur, ex mercium importatione, venditione, cōmutatione, & consumptione tributa soluuntur; verum cum mercatores ob incommoda, & pericula, quæ mercaturam comitantur, illam deserunt, & ad usuras se conuertunt, impie tempus ipsum, ac pecuniæ vsum vendentes, & ex sterili nummo vberrimos fructus percipientes, Principis damno, ac subditorum iactura ditescunt, & hoc modo mercatura contēnitur, agricultura negligitur, artes concidunt. Hinc Thebanis olim lex data est, ut ad pūblica munera nemo accederet, nisi qui annis decem à mercimonijs destitisset, adeò exosam habebāt usuram familiarum, & ciuitatum pestem. *Tholos. in synt. iu. l. 25. n. 15. nu. 8. & l. 27. c. 10. n. 4.* De quā re sæpe ēt alibi.

Et quamuis vnicuiq. permittatur, ut rem suā augere possit, & solicite sartam tectam tueri. *c. diuina. d. 87. Angel. v. solicitudo. Bellarm. l. 3. de bono opere. c. 10.* hoc tamen intelligitur, modo honesta, ac licita ratione fiat, dolus, iniustitia, & usura à contrahentib. absint. Sed heu cum *Carocio in tr. de excus. bon. p. 3. q. 10. nu. 5.* dicere licet, quò ad contrahentes in mūdo esse perfidiam, & si hominē integræ fidei inuenias, eorum album pene dicere possis, & hodie cum illo Spartano exclamare. *Perierunt honesta.* Vnde extat Dionys. Prisci libellus, ī quo multis exēplis probat, nemini fere mortalium fidem haberi posse, idque partim ob improbitatem, partim ob humani ingenij leuitatem, & subdolam linguam, qua fit, ut multi suopte indicio veluti sorices pereant. *Hering. de fideiuss. cap. 1. Ioan. Bonifac. de furtis. §. fraudulosa. Simancas in cathol. Iustit. c. fin. synod. Amer. c. 988. Tympius in spec. Mag. p. 2. signo. 100. Ale x. ab Alex. l. 1. dierum gen. c. 7. q. 988.*

Porro, ut supra aduertimus, dum vsura nō habet annexam hæresim, licet inter Doctores controuersum sit, cuius fori in externis tribunalibus sit talis cognitio, communiori tamē calculo receptum est, admixtum forum spectare, & tàm ecclesiasticum, quā sæcularem Iudicem procedere posse, & in eis præuentionem locum habere. Ecclesiasticum tamen crimē dici solet, nempe quod licet dum de punitione agitur, & quæstio est facti, vsura, ut dictum est, ad utrūque Iudicem spectet, quando tamen iuris quæstio versatur, hoc est quando inquiritur, num contractus fœneratitius sit, proprie de ea cognoscere ecclesiastici Iudicis sunt partes. *Mol. de contr. d. 333. Reginal. l. 23. nu. 93. Salas de usuris. dub. 45. Marta. de Iurisd. p. 2. cap. 7.* Quomodo vero clericus usurarius in foro externo puniri debeat. vide *Riccium. 3. p. decis. Cur. Neap. decis. 16.*

DE CENSIBVS, &c. Cap. XVI.

QVAESTIO XLI.

An contractus census sit licitus, in quo tota pecunia coram notario non numeratur, sed per chirographū exigenda consignatur. Vendens triticum, uel hordeum pro pretio quo tali mense ualebit, illud suo arbitrio eligens, an contractum usurarium cōmitatē Iudex an possit reum condemnare, ut quousque debitum non soluat tantum in singulos annos nomine census prastet, &c.

FLaminius cum pro quibusdam necessitatib. sibi occurrentib. pecunia indigeret, Bassianū adijt, ab eo petens, ut sibi octingentos aureos mutuo daret, cum autem aliàs se nemini mutuam pecuniam tribuere vouerit, hunc contractum mire renuit, & censum potius se cum eo super domum suam, celebraturum proponit. In cuius contractus confectione sexcentum aureos in pecunia numerata, coram notario exhibet, pro alijs ducentum chirographū porrigit, quò illos à Blasio suo debitore exigat, cum pacto quod si uenditor census morosus in pensionis solutione fuerit, ad lucrum cessans teneatur. Item post aliquod tempus, Idē Bassianus dicto Flaminio decē modios hordei ad suam electionem uendidit, pretio quo mense Februarii Mediolani ualebit, super quo Flaminius emptor schedam, uel scriptum accepit, in quò illud sic se soluturum promittit.

Tertio cū Alphonsus eidem Bassiano 300. aureos deberet, effecit, ut si ęs alienum contractum soluere non posset, Iudex, & loci Prętor, eum condemnaret, ut septem pro centenario in singulos annos, quousque ei satisfaceret, nomine census præstaret. Quæritur an triplex hic contractus sit licitus?

PRAENOTIONES, AC PRAEMISSA.

REsp. Præmitto Primo, pro clariori huius facti resolutione, census nomen generale esse, cuius proinde duæ species, quod ad rem nostram attinet, constituūtur, quasum una cēsus reseruatiuus,

alter vero constitutiuus dicitur. Reseruatiuus fit, vbi quis rem suã alteri dat, reseruato sibi iure partem quampiam quotannis percipiendi, vt cum quis bona sua alteri donat, vt quousque viuit, ipse donatarius donanti, vel alteri tãtum tribuat. Item si tantum alicui det, vt quousque viuit, ab eo alatur, ob incertitudinem enim vitæ hic cõtractus licitus est. *Ias. in l. cunctos populos nu. 63. C. de Summa Trinit. & fide Cath.* Nau. *cons. 1. de donat. & in Comment. de vsuris num. 128. Virg. Boccac. par. 2. de cens. nu. 22.* Census vero constitutiuus, vel cõsignatiuus cõficit, cũ quis retento suorum bonorũ, dominio, ac possessione, ipsorum aut fructus, aut eorundem æstimationem, idest, ius hæc petendi, aut in menses, aut in annum vendit. De quo in præsenti agentes, dicimus, censum dici à censendo, idest æstimando, eo quod ciuium bona aliàs recenserentur, vt facta bonorum æstimatione, tributum soluerent, iuxta illud. *Matth. cap. 22.* Licet ne dare censum Cæsari, an non? Vnde definitur, vt sit ius percipiendi pensionem aliquam siue in fructibus, siue in pecunia, ex re aliena, immobili, vel quasi, quæ fructifera sit; quod contractu emptionis constituitur, vt elicitur *ex Cou. lib. 3. var. resol. cap. 7. Io. Bapt. Lup. de vsuris comment. 1. §. 2. Bisfeldio in cap. in Ciuitate quæst. 9. de vsuris Arrag. & Salon. 22. quæst. 48. art. 4. Val. tom 3. disp. 5. quæst. 21. puncto 1. Lessius lib. 2. c. 22. dub. 2. Azor. par. 3. lib. 10. c. 2. Mol. disp. 383.* Na... *c. 17. nu. 233. Tol lib. 5. cap. 43. Vgol. de vsuris cap. 44. Reg. l. 25. n. 410. Bonac. disp. 3. quæst. 4. pũcto. 1. Carbon. de restit. quæst. 68. Comit. lib. 3. cap. 14. Corrad. q. 239. Ant. Thesaur. decis. 154. & Gaspare Thesau. eius filio quæst. Forens. lib. primo, quæst. 32. & alijs.* Et cõis est consensus ut alibi dixi, census impositionẽ esse alienationis speciem, ita vt alienare prohibitus, nec censũ super illa re imponere valeat, adeo vt illum constituens pœnas in casu alienationis inflictas subeat. Nald. *v. census v. nu. 3. Cencius par. 1. cap. 2. q. 1. ar. 3. nu. 3. art. 6. nu. 8. Tusch. v. alienatio. concl. 257. & 261.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo obseruandum censuum emptionem licitam, & iustam esse, si quidem vnusquisque potest vendere rem suam, & eius fructus, ita, vt obligatus maneat singulis annis quandam partem bonorum soluere, ergo & integrum erit ius exigendi tales fructus vendere, atque per consequens censũ venditio ab omni iniustitiæ labe immunis erit. Et confirmatur, quia Respublica, vel Princeps potest pro publica vtilitate, subditos ad mutuandum sub annuo censu cogere, & in graui Reipub. necessitate exactionibus, & grauaminibus ad subueniendum opulentiores subiectos astringere. Et superioris lege, singulis annis compelluntur homines, partem bonorum soluere, vt patet in decimis, ergo pro isto pretio poterit vnusquisque huiusmodi ius emere. Denique hæc veritas diffinita est à Martino V. & Calixto III. peculiaribus constitutionibus super hoc editis, & in Bulla Pij V. incip. *Solicitudo Pastoralis officij*, vbi conditiones præscribuntur, quæ in censu constituendo interuenire debent. Prima est, vt census non instituatur nisi super re immobili, certa, & natura sua frugifera, & sit in contractu nominatim, & certis finibus designata. Secunda vt pretium census statim soluatur coram notario, & testibus, & non ante celebrationem instrumẽti. In venditione tamen censũs aliàs creati, numerata pecunia non requiritur, si enim necessario exigeretur, cedi permutari, aut donari non posset. *Cencius de cẽsibus decis. 187.* Tertia ne deducantur in pactum anticipatæ solutiones pensionum. Quarta ne obligetur venditor ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus non teneretur. Quinta ne fiat pactum restringens facultatem venditori alienandi rem censui subiectam, aut soluendi aliquam quantitatem pro consensu, & facultate alienandi facta à censualista, quæ laudemium vocatur. Sexta ne fiant pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem censui suppositã omnino, aut partem, aut ad expensas mediante iuramento censualistæ faciendas, aut ad aliud aliquid. Septima ne census super aliqua re institutus vnquã augeatur, nec quacunque ex causa nouus instituatur. Octaua ne fiat pactum, ne solutio onerum pertineat ad venditorem, ad quæ onera ex natura contractus non teneretur. Nona vt pereunte re subiecta censui, vel omnino, vel partim, census omnino, aut partim pereat. Decima vt semper census sit redimibilis ex parte venditoris, reddito eodem pretio. Emptor tamen iubetur de ea re admoneri bimestri spatio antequam census sit redimendus, &c.

Declarat insuper Summus Pontifex contractus sub alia forma posthac celebrãdos fœneratitios iudicandos esse, & ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse, vel tacitè contra sua mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fisco vindicari posse. Et cum hic simus in prohibitione vsurarum, quæ in emptione census committuntur, propterea hæc Pontificia Constitutio, quatenus iuri naturali, & diuino innititur, consuetudine tolli non potest. Et ideo Papa, Imperator, Reges, Principes, & Episcopi, debent leges, vel consuetudines iniuste positas, quę corruptelę, & abusus dicuntur, reuocare, & abrogare, aliàs eorum in hoc negligentia ad grauem culpam imputatur. *c. 1. & 2. vbi Turrecrem. dist. 385. Virg. Bocca. de cens. p. 2. n. 205. & seqq.* Nau. *de vsur. n. 108. Faust. de cẽs. q. 98.*

Iure

iure vero communi, aut Pij V. aut alterius Pontificis Constitutione, nũquam hmõi censuum est taxatum pretium, & vix, ut dixi, generaliter taxari, vel præscribi posset, quia iuxta Prouinciarum mores, & temporum qualitates, pecunia in pretio est. *Nau. in comment. de vsuris sub nu.* 104. *& Surd.* 72. *cõs.* 261. *nu.* 34. Nihilominus Clemens 8. *const.* 6. *incip. Quæ ad sublevationem*, quia Communitates status ecclesiastici multos census ad rationem, 8. 9. *&* 10. scutorum pro centenario vendebant, idquè oneris minime ferre poterant, omnes census ab his communitatibus venditos, ad rationem septem pro centenario reduxit, teste etiam Scholiaste ad dictam Bullam.

TERTIVM SVPPOSITVM.

Tertio prænotandum est, hunc contractũ censualem iuxta cõditiones à Pio V. præscriptas celebrandum esse, vbi eius Bulla recepta est, & quatenus in ea regione est in vsu, cum omnis lex obliget, quatenus vtentium vsu est comprobata. Vnde *Nau. in comment. de vsuris nu.* 105. Quem aliqui sequuntur, ait, dictas conditiones in Bulla contentas non omnes esse eiusdem iuris, & ordinis. Quædam enim Primo sunt in ea expressæ, quæ iuris naturalis, & diuini sunt, vt contractum vsurarium esse reprobum, vsuram palliatam extirpandam, censum iusto pretio emendum. Eiusdem ordinis uidetur, quod census non nisi in re fructifera, & immobili constituatur, cum census sit fructus rei frugiferæ, qui sine rei consumptione colligitur. Secundo quædam sunt, quæ inducuntur, ad præsumendum contractum esse vsurarium, & ad ipsas usuras euitãdas, ut quod pretium soluatur in pecunia numerata coram notario, & testibus, quod non fiat anticipata solutio, quod pacta de interesse futuro, uel pœnæ non apponantur. *vt per Boninsig. de censibus c.* 5. *nu.* 3. *eũdem Faustũ eod. tr. q.* 32. *Mol. disp.* 390. *& Nald. v. census.* Tertio quædam aliæ sunt, quæ tãquam rationi, & honestati consentaneę adiunguntur, ut qđ Censuarius quando res est uendenda in emptione rei præferatur, & ut ante redemptionem per bimestre fiat denuntiatio, &c. Quæ primi ordinis sunt, nempe iuris naturalis, & diuini, ubique ab omnib. obseruandę sunt, cum naturale, & diuinum ius omnes semper, & ubique liget, nec his, ut dixi, contraria consuetudo derogare potest, ex traditis *per Salas. de legibus disp.* 19. *sect.* 11. *nu.* 89. *Suarez eodẽ tit. lib.* 7. *c.* 6. *nu.* 4. *Reginal. lib.* 13. *nu.* 251. Quæ secundę speciei sunt, ab omnibus seruandæ etiam uidentur, si quidem Pontificia lex circa spiritualia, & illa, in quibus animæ periculum uertatur, in utroq; foro custodienda est. Quæ uero ad tertium genus spectant, necessario non sunt ab omnibus obseruandæ, sed ab his tantum, qui Pontifici in sæcularibus rebus subduntur, & per contrarium vsum, maxime sciente Papa, & non contradicente, eneruari, & abrogari possunt.

RESOLVTIO.

Proinde ad casum propositum respondendo dico, quod cum multi graues authores censeant, eas solas conditiones ad contractus valorem requiri, quas iure naturæ, vel ex ipsius contractus vi, & conditione, necessario exigi fatentur, asserere possumus, ea quæ in ea Bulla ob fraudis præsumptionem prohibentur, si in contractu non interueniant, in foro conscientiæ sustineri, licet in iudicio externo ex defectu cuiuslibet conditionis, ipse contractus vsurarius præsumatur, vt propterea in animæ foro, vbi veritas attenditur, nec præsumptionibus locus est, valeat, etiamsi Bassianus totam pecuniam coram tabellione re ipsa non numerauerit, sed certum creditum breui manu exigendum assignauerit, & de lucro cessante, vel damno emergente, casu quo ex culpa, & mora, pensionẽ, vel censum Flaminius in præfinito tempore non soluerit, absque fraude pactionem inierit. *Sic Azor.* 3. *p. l.* 10. *c.* 19. *q.* 1. *Bannes* 22. *q.* 78. *art.* 4. *Val. tom.* 3. *d.* 5. *q.* 22. *p.* 2. *Mol. d.* 392. *nu.* 2. *Nau. de vsuris nu.* 106. *Lessius l.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *Beia. p.* 3. *respons. casu* 31. *Io. Bapt. Corrad. q.* 239. *in addit. Sa. in v. census. Boninsignius de censib. c.* 5. *Cencius de censibus gloss.* 8. *&* 15. *Molfes. nu.* 12. *c.* 6. *nu.* 106. *Salas. de cens. dub.* 30. *Faust. q.* 97. *Nald. l. c. nu.* 8. *contra Virg. p.* 2. *de cens. nu.* 50. & alios nonnullos, qui supradictas conditiones ad essentiam, vt aiunt, census exigunt.

Et quoniam huiusmodi contrahendi modus non solum à laicis, sed etiam à clericis, & ecclesiasticis vsurpatur, & omnes bona fide putãt ea ratione huic Pij V. Constitutioni satisfacere, & de illius transgressione, vel inobseruantia, nulla eos mordet conscientia, ideo probabilem existimarem sententiam Doctorum asserentium post factum hunc contractũ in foro animæ validum esse, nec eos peccati mortalis condemnatem, ob iustam ignorantiam necessitatis harum duarum cõditionum, ex quo capite eos etiam excusat. *Mol. de iust. & iure tract.* 2. *disp.* 81. In culpa potius sunt notarij, qui formam creandorum censuum scire debent, & de eorum conditionibus contrahentes admonere tenentur; ita vt verum sit, quod dixit *Baldus l.* 2. *cons.* 6. Dolus, & tabellionum imperitia, mũdum destruit, & multorum conscientias in magnum discrimen conijcit.

Ad 2. q. omissis principijs, fundamẽtis, & prænotionib. in materia mutui, & vsurarum, supra à nobis adductis, breuiter dico, Bassianũ, qui Flaminio hordeũ pro pretio, quo tali mẽse ualebit, & summũ pretium suo arbitrio exegit, usurarium, & illicitum con-

tractum confecisse, etiamsi dans, uel mutuãs usque ad Februarij mensem seruaturus fuisset, ea firma ratione quod qui in uno mense aliquid soluendum in alio mense uendit, pretio quidem, quo in illo ualebit, pretium summum uel rigorosum accipere non potest, sed medio contentus esse debet, quo in illo mense constabit, ut si v. g. pretium sit octo, eligatur pretium, quod sit inter quatuor, & octo, idest sex, idque maius, uel minus pro pretij ipsius uarietate. ut per *Nau. conf. 14. de vsuris. Graff. l. 2. decis. aur. c. 115. n. 6. Lessium l. 2. c. 21. dub. 4. Bonac. de cont. d. 3. q. 2. puncto 4. nu. 16.* Qui etiam in re simili ex communi resoluit *q. 7. p. 4. nu. 10.* Dominum cui famulus inseruiens, pretij determinationem remisit nõ posse ei tradere quod ei placuerit, sed si non mediocre, saltem infimum ex æquitate soluere teneri.

Ad 3. q. dico, qđ licet *Nau. in cõment. de vsur. nu. 99.* post longam disputationẽ, conclusérit Iudicẽ potuisse condemnare debitorem, ut quousque debitũ non soluerit, in singulos annos tantum nomine cẽsus soluat, contrarium tamen sententiam, ut uerioiẽ tenent Virginius *Boccat. p. 2. de cens. nu. 4. & Vgol. de cens. & vsuris c. 48.* Quandoquidem est contra formam Pij V. ex quo non numeratur pecunia, non designatur fundus, sed potius persona in perpetuũ obligatur, & ideo usuraria prauitas committitur. Iudici tamen integrum erit, ipsum teum, & debitorem ad interesse tàm damni emergentis, quàm lucri cessantis, si hæc interueniant cogere, nam damnum emergens semper legitime præstatur, lucrum uero cessans itidem, censuscontractu excepto, nisi eo modo quo supra diximus.

QVAESTIO LII.

Num super res ecclesiasticas, vel fideicommisso subiectas possit census constitui, & num mali vicini in venditionibus sint manifestandi.

MArcellus sacerdos constituit censum cũ Philippo partim super quandam uineam bonorum sui beneficij, partim etiam super unam domum fideicommisso subiectam, & eiusdem census nomine nouem pro centenario soluit, fideiussores pro census, uel pensionis soluendæ securitate, parte petente exhibet, Cum autem Pontificio assensu interueniente, & seruatis seruandis, Marcelius eidem Philippo censualistæ rem censui suppositam nempe uineam vẽdiderit, & malos uicinos uineę adhærentes sciens tacuerit, quos si idẽ emptor iuisset, non emisset. Quæritur an hic contractus ualeat.

PRIMVM SVPPOSITVM.

REsp. Ad cõtractum census ex natura rei ẽt circumscripta Pij V. uel alterius Pontificis cõstitutione, aliquæ conditiones requiruntur. Prima est, ut emendi, ac uendendi intentio adsit, nam tota cõtractuum uis ex uoluntate, ac intentione contrahentium dependet iuxta illud, Quidquid agunt homines intentio iudicat omnes. Et ex ueterum pronuntiato, Triã sunt, quæ omnem humanum actum regunt, scientia, voluntas, & potẽtia. *Bald. cõs. 326.* Et ut ait *Bart. in extrau.* ad reprimendum, voluntas de sui essentia est quod sit libera, nec cogi potest necessitate præcisa, quia libere vult, & nunquam vult nisi quod bonum est existenter, uel apparenter sub specie. s. boni utilis, uel delectabilis. Item mens, & intentio in humanis actionibus primum locum tenent. *Tusch. in v. intentio concl. 269. & v. mens cõcl. 199. Menoch. cons. 63. n. 4.* Scđo exigitur ut iustũ pretium interueniat, nam res tanti emi debet, quãti ualet. Iustum autem census pretium censetur illud, quod lex, uel communis hominum æstimatio, seu prudentum, ac proborum hominum iudicium præfixit, vnde quot nomine census pro centenario tradantur, an decem, nouem, octo, septem, aut huiusmodi, cum hoc iure cautum nõ sit, quod in aliarum rerum emptio ne fit, id quoque obseruabitur, pro locorum personarum, ac rerum qualitate, nam alicubi ut Romę septem pro septenario tradi, alicubi plus uel minus, refert *Nau. in comment. de vsuris nu. 104. & 138. & Vgol. de vsuris cap. 51. §. 2. Gaspar Thesaur. l. 1. qq. Forens. q. 33.* Aduertunt etiam aliqui, in constituendo pretio census, oneris censualistæ impositi habendam esse rationem, qui rem redimibilem in censuarij gratiam emit. Quandoquidem sicut in contractu uenditionis, cum pacto retrouendendi potest res minoris emi, tertia, uel quarta parte, iuxta locorum consuetudinem, quàm alioqui ualeat, si liberè, & absolute emeretur, &c. ita etiam census habita ratione pacti redimendi in gratiam uendentis, minoris comparari potest, ut ex cõmuni ait *Bonac. l. c. nu. 7.* Tertia conditio est, ut cõstituens censum super re aliqua liberam habeat super illa re disponendi facultatem, nullus enim potest alteri tradere rem, cuius dominium non habet, *arg. l. nemo plus iuris, ff. de reg. iur.* Pro regula namque habendum est, omnes censum celebrare posse, qui contractus hinc inde obligantes inire possunt, cum census emptione contrahatur, at emptio est contractus, unde mutua obligatio nascitur, iure igitur qui uendere possunt, census hos constituere ualent, siquidem per contractum census, ius petendi fructus, eorumuè æstimatio alienatur, ut ait *Caput Aquense p. 1. decis. 17. & Rota Rom. p. 1. diuers. decis. 480. nu. 1. Naldus in v. census, nu. 3. Virg. Bocatius de cens. p. 2. nu. 75. Vgol. de vsuris c. 44. nu. 1. Cæcins p. c. 2. q. 1. ar. 1.* Vbi cõclusionẽ illã in iure certissimã firmat qđ habẽs directũ, & plenũ rei dominiũ põt super ea cẽsum imponere. *ex c. 1. & 2 in Extrauag. cõm. tit. de empt. & vendit.*

RE-

RESOLVTIO.

VNde ad casus resolutionē deueniendo dico Primo, Marcellum non iure potuisse censum super vineam sui beneficij constituere, tùm quod absolutum eius dominium non habet, vnde locare vltra triennium bona ecclesiæ nequit, vt notum est; tùm quod census hic tanquam annuus reditus pro re immobili habetur, idcirco absque Romani Pontificis facultate distrahi, ac alienari nequit. Neque super fructibus beneficij censum creare posset, cum non sint res frugifera, vel immobilis, vel quæ pro immobili habeatur; census autem, vt vidimus, nec super personam, nec super re mobili cōstitui potest. *Virg.Bocc.p.2.nu.75.& p.3.nu.64. Vgol.nu.3. Riccius in Praxi fori ecclef.decis.71. Bonac.nu.10. Cen. infra citand.q.4. ar.2.* Vbi limitat si talis impositio fiat cum debitis solemnitatibus, & iusta ex causa in ecclesiæ vtilitatem, vt v.g. esse potest, quò alius maior census extinguatur. Eadem ratione dico, hunc censum erigi non potuisse super re, quam ipse Marcellus alteri restituere debebat, vel quæ per testatorem alienari prohibita erat; siquidem necessario huic, qui censum constituere vult, hoc inesse debet, vt absolutum dominium tàm directum, quàm vtile in re illa habeat, in qua census ipse creādus est, &c. Atque hinc sequitur, contractum hunc inualidum esse, & Philippum scientem, vel dubitātem censum super indebitam materiam impositum esse, pensionem exigere non posse, non quidem ratione contractus censualis, qui, vt dixi, in vtroque foro irritus, & nullus est, neque ratione, vt dicunt interesse, quia sciens, & volens hoc patitur, scienti autem, & volenti non fit dolus, nec iniuria. Integrū tamen erit Philippo pretium à Marcello repetere. Si vero censum emit, ignorans rem super quam est impositus, indebitam esse, quamdiù ignorantia perseuerat, pensionem percipere potest, & venditor ad omnia damna resarcienda tenebitur, cuius onus, & obligationē, in eius defectum fideiussor subibit. *Ludou.Cencius de cens.p.1.c.2.q.1.art.6.nu.41.* Nec enim dubium est ex communiori DD. sententia, in hoc contractu licuisse fideiussorem exigere, cum huic contractui nō repugnet, vt emptor indemnis seruetur, &c. Nec constat hoc esse à iure vetitum, sicut prohibitum est, censuarium ad casus fortuitos obligare, ita vt re pereunte, vel infrugifera reddita, pensionem soluere teneatur, nam vt dicit Imperator *in §.vlt. instit.ciuil.tit. de replicat.* Ille qui alium pro debitore sibi obligat, maxime prospicit, vt cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab ipso, quē pro eo obligauit, suū cōsequi. Et vt ait Quintilianus, spōsor in hoc accipitur, ne creditor in damno sit. Et sicut pignus creditæ pecuniæ propriè est vinculum, arrha vero venditionis, ita fideiussio reliquorum contractuum est nodus *Hering.de fideiuss.c.16.* Atq; sic resoluunt. *Salas de cens.dub.37.Mol.d.391.clauf.7. Reg.l.25. nu.417.Sà in v.censut,nu.3. Bonac.nu.29.Azor.lib.10.q.10.Megal.de cont.l.2.c.7.q.2.nu.76. Bonins.de cens.c.7.Vgol.in tract.de vsuris c.44.§.22.Cencius de cens.p.2.cap.1.q.2.& aly.* Et ita communis vsus approbat & praxis.

Ad illud porro q̄ postremo loco q̄ritur, an hic cōtractus iniustitiæ morbo ēt laboret, eo q̄ mali vicini vineę, sup q̄ census constituit, & pn̄stmodū Philippo censualistæ vendit, manifestati minime sunt, dicendum mihi videtur, ab iniustitia immunem non esse per *l. quod sæpe, §.fin.ff. de contrah.empt.& vend.* Vbi Caius I.C. tradit, eum, qui in vendēdo prædio confinem celauerit, quem emptor si audisset, non emisset, ad interesse teneri, vel potius si dolus contractui causam dedit, ad rescindēdam venditionem obligari. Cum uicinū malum habere, vel non, multum intersit, ut proinde notum sit illud Themistoclis scitum dictum apud Plutarchum, qui cum prædium quoddam venderet, hoc quoque præconem addere iussit, quod bonos uicinos haberet. *arg. Alberieus in v. Sodom.* vbi illud adagium subdit, Qui habet bonum uicinum, habet bonum matutinum, & è contra. Et quemadmodū sapiētis est, fortuitos casus magno aīo sustinere, ita demētis est, sibi uel suis, malā creare fortunā, q̄ facit qui neq̄ uicinū nummis sibi & cōiūctis parat, *Tiraq. de tēp. pœn.c.d.23.Thol. in syntag.iur.l.4.c.24. Menoch.l.3. de præs.præs.83.*

Mali uero uicini dici possunt qui malis moribus imbuti sunt, maleque uiuunt, ut lenones, & meretrices, quæ ideo ab honesta uicinia, ne probos finitimorū mores inficiant, expelli possunt. Idem dicendū de cauponib.& hospitib. qui lenones, & impudicas fœminas in tabernas recipiunt, tales.n. uiles, abiecti, & infames habentur. ut considerat. *Menoch. tom.7.consf.766.* Mali quoque, & pessimi sunt cupidi, & nimis ad rem attenti, qui ut ipsos uicinos suos spolient, nihil non audent, cùm putant sua interesse confines fundos habere, & naturali uitio comparatum sit, quemque sibi bonū malle, q̄ alteri, æquitate contempta; ut propterea etiam Demosthenes protulerit, nihil peius esse, quàm malo, & cupido uicino adhærere; uicinorum enim commodis semper detrahere quærit, cardamum imitans, cuius natura est, ut herbarum in propinquo nascentium humorē ad se intima quadam ui pelliciendo, arescere cogat, ut est apud Aristophonem poetā in *Nebulis.*

QVAESTIO LIII.

Vtrum census vitalitius sit licitus, & quas conditiones requirat. Census factus per ecclesiam ad septē pro centenario pro extinguendo alium ad octo an exigat solennitates Extrauag. ambitiosæ?

ROcchus Parochus dedit mille aureos Siluerio cum pacto, uel singulis annis donec vi-

xerit, det sibi centum? Item sine solemnitatibus *Extrauag. Ambitiosæ de reb. eccles. non alienandis*. de redditibus suæ Parochialis Ecclesię pro extinguendo alium pro octo, censum ad septem pro septenario constituit. Quæritur, an hic contractus sit licitus? Et an alter ille census sic constitutus valeat, &c.

RESOLVTIO.

RESpond. Quoad 1. *q*. dico quod licet aliqui senserint, hunc contractum illicitum esse, atque iniustitiam in se continere. Primo quod qui hunc censum (qui uitalitius dicitur) emit, hoc facit animo accipiendi plus, quàm sit sors, aut capitale, aliàs talem contractum non iniret. Insuper quod sæpe contingit, ut post multos annos ultra sortem percipiat. Secundo quia uenditori præbetur occasio, ut mortem emptoris exoptet, ne amplius soluere cogatur. Nec sane improbabilis uidetur oriri posse suspicandi ansa, ne uenditor census longioris uitæ emptoris impatiens, naturalis eius diem mortis expectare non valens, uiolēta nece illum de medio tollat, ut contigisse Pico Mirandulano refert. *Surdus. de alim. tit. 9. q. 10. nn. 30. & Cencius de cens. p. 1. c. 1. q. 4. art. 3. nu. 15.* Communis tamen opinio est, contractum hunc, & usuræ, iniustitiæ labe carere, & Bullam Pij V. quæ certam formam censibus creandis præscribit, hunc uitalitium cēsum, non comprehendere. Et communiter quidquid sit de alijs censibus, inter bona mobilia computatur. *Virg. p. 2. nu. 141. & idē Cencius p. 1. c. 3. q. 1. ar. 2.* Nā usura esse nō potest, ubi mutuum non interuenit, hic autem non est mutuum, sed uera emptio, & uenditio, annua. n. pensio uitalis emitur. Quod etiam non sit mutuum, patet, quia pecunia quæ datur, amplius repeti non potest; quod autem ipse se diutius uicturum speret, contractum fœneratitium non reddit. Iniustitiæ tamen uitio laboraret, si inæquale pretium intercederet; nam cum hic sit emptio, & uenditio, iusto pretio fieri debet, ita ut stipendium quod datur pensioni, quæ emitur, respondeat, habita ratione ętatis, & dispositionis emētis: nam si robustus iuuenis qui regulariter diù uiueret, centum aureis censum duodecim aureorum compararet, iniustitia subesset. Pariter si ad duorum uitam emeret, census aut minuendus, aut sors augenda foret. Non obstat, quod poterit plus accipere, quàm sit sors principalis, nam accidere poterit, ut citius moriatur, & ita uenditor fuisset lucratus, cum uitæ cursus incertus, & dubius sit, si quidem.

Longius, aut propius mors sua quemque manet.
Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta,
Non oblita rapit sed tamen illa senes.

Vnde elegans est illa Marcellæ ad Cercalem responsio, cum re ille dixisset; & senex, diù viuere, & iuuenes cito mori, scite illa lusit dicens, iuuenis quidē potest cito mori, sed senex diù viuere non potest teste, *D. Hieron. ad princip. in epitaph. Marcella*. Qui vitā sibi longiorem pollicentur, incertissima spe nituntur, quæ quidem innumeris hominibus sempiterni exitij causa fuit vt *D. August. de verbis Domini serm. 16.* his verbis testatur, Nemo Deum timēs sub verbis eius non se corrigit, nisi qui putat, quia plus babet viuere. Ipsa res est, quam solent dicere, cum dicunt, cras cras, & subito ostiū clauditur. Remansit foris cū voce coruina, qa nō habuit gemitū columbinū: cras cras corui vox. vt dixi supra *tract. 8. c. 3. q. 8.* At ea est humana conditio, vt nullus sit adeo in maxima, vel defecta senectute constitutus & sospes, quin ēt speret se sanum diutius mãsurum, quia vt ille dixit, aduersam fortunam cuiquam sibi cogitare non conuenit *Rom. cons. 363. Tusch. senex concl. 103.* Bias philosophus dicere solebat, sic metiendam esse ab homine vitam, quasi & multum, & parum temporis victurus sit. Homines, & arborum folia æqui parantur, teste Homero, nam folia fundit humo ventus, alia vero sylua pullulans gignit, quādo veris tempus aduenit, sic hominum quidem genus aliud cito nascitur, aliud uero cito moritur. Hic *B. Laur. Instin. de contemp. mundi c. 21.* Quisquis sapit, inquit, seculum hoc amare non potest, tanquam singulis horis, ex ipso migraturus: viatoris quippe more se præparans, sarcinulas suas colligit, lauans cùm propheta per singulas noctes lectum suum. Atque huc valde confert dictum Abbatis *cons. 63. l. 2.* Quod cum nil sit certius morte, & nihil incertius hora mortis, vita hominis non dicitur magnum tempus, ex quo quotidie mori potest. Atque supradictam assertionē tuentur, *Host. Io. And. Abbas, & alij in c. in Ciuitate ext. de vsuris Syl. in v. vsura 1. nu. 44. Fanstus q. 42. Io. Bapt. Lupus in l. 2. §. 2. C. de pactis inter empt. & vend. Nau. in Cōment. de vsuris, nn. 128. Cou. l. 3. var. resol. cap. 7. Marta. vot. 90. Azor. par. 3. lib 10. cap. 17. quæst. 7. Mol. d. 388. Less. lib. 2. cap. 22. dub. 6. Ant. Rober. lib. 4. rerum iud. ca. 2. Regal. 25. num. 437 Cencius. & alij percurebit.*

Ad 2. q. breuiter sic respondendo dico, quod supposita pro verissima assertione, censum inter alienationis species numerari, *l. fin. C. de rebus eccles. non alien. Caput Aq. p. 1. decis. 17. Nald. v. census nu. 3.* Rocchus non potuit sine solemnitatibus censum ad septem pro centenario constituere, vt alium ad octo extingueret, cum dicatur extrauagantem Ambitiosæ, *tit. de rebus eccles. non alienandis*, violasse, & per consequens, quod in censuram in d. Constitutione latam inciderit; quando quidem simpliciter prohibita alienatione, omnis etiā actus inter dictus censetur, per quem alteri ius aliquod in re acquiritur. *Quar. in v. alienatio. in 3. ampliat.* Atque sic resoluunt.

soluunt. Gratian.l.1. Discept. Forens.c.45.nu.37. & Riccius 3.p.decis.cur.Neap. decis.35.

DE CAMBIIS. CAP. XVII.

QVÆSTIO LIV.

Vtrum cambium minutum sit licitum, & an œconome, seu famuli magnatum possint pecuniam aureã, vel argenteam cum minutiori lucro suo permutare, &c. An monetam exuberantis ponderis extenuans, & maiori pretio, quàm receperit, exponens charitatem, & iustitiam laserit, & in casum reseruatum, vel aliquam aliam censuram inciderit?

ANtonius ex officio, & aperta officina, solet pecuniam pecunia permutare, & supra pretium aliquid exigere. Item quorundam magnatum famuli, & procuratores, qui à suis dominis pecunias aureas, vel argenteas ad soluendum creditoribus, vel ad emendas res necessarias accipiunt, consueuerunt eas cum vilioribus, & minutioribus permutare, aut ad cambiũ dare, & inde aliquod augmentum, & lucrum accipere. Quæritur, an Antonius, & isti famuli salua consciẽtia hoc agere possint? Item cum in sua diœcesi casus extet reseruatus Episcopo in eos qui stateras, mensuras, monetasuè adulterauerint, ac corruperint, ipse Antonius monetam exuberantis põderis partim corrasit, & extenuauit, partim illam pro maiori pretio quàm receperit, exposuit. Quæritur pariter an tàm charitatem, quàm iustitiam læserit, & in prædictum casum reseruatum inciderit, & censuram aliquam contraxerit, & quomodo cum eo in foro tàm interno, quàm externo sit agendum?

SVPPOSITA.

REsp. Suppono primo materiam cambiorum, quæ ad vsuræ tractatum potissimum pertinet, per se abstrusissimam esse, & multis difficultatibus inuolutam, ac nouis, quotidianisque mercatorum inuẽtis intricatissimam, ac subinde Doctorum opinionibus plurimum offuscatã, ita ut callidi negotiatores plus de ea sciant, quàm plerique Doctores; siquidem inter plurimas artes, atq; industrias, Ingenio, ac sagacitate hominum huius sæculi filiorum (qui sane ut ipsa ueritas affirmauit, longe prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt,) excogitatas, huiusmodi profecto solertia, lucrandique exquisitus modus, qui ex sola pecuniæ negotiatione per cambij contractum prouenit, commentum dubio procul, acutissimum, ac subtilissimum Doctoribus semper uisum est; ut proinde nemini dubium esse debeat, si hoc contrahendi genus tot doctissimis, grauissimisq. authoribus, tàm absolutis Theologis, quàm canonici iuris peritis, magnum negotiũ fecit. Et eo tempore, quo sanctissimus, ac prudentissimus Pontifex Pius V. Constitutionem circa hanc cambiorum materiam edidit, quidam Genuenses mercatores post illam lectam, hęc uerba protulerũt; Si Papa dolos, fraudes, ac technas, quæ in cambiorum commercijs committuntur, ac Theologorum oculos latent, detegere uolebat, nos prius uocare, & interrogare debebat, &c. Et quamquam à compluribus rerum moralium, & ad conscientiam spectantium scriptoribus copiosè, accurateque de his disceptatum est, non satis tamen ob nouos, ac quasi inauditos cambiendi modos quos pſens ætas inuexit, ueritates (sicut nec nos) perceperunt, nec latentẽ usurariã prauitatẽ deuclarunt. Quapropter ita erũt à nobis aliqua cambiorũ fundamẽta iaciẽda, & explicanda, ut ea ad ueræ doctrinæ principia collimãdo confessarius quatenus fieri potest, ex christianæ iustitiæ legibus huiusmodi contractus, uel approbare, uel condemnare possit. Subtiliores, & particulares huius artificij conficiẽdi modos, pœnitentis experti conscientiæ relinquendo, huc enim spectat *Petr. ab Ocha. in tract. de sacr. tr. 2. de confess. q. 41.* cum de Confessarij obligationibus agens, ait, Interrogationes non debẽt esse prolixæ, sed iuxta pœnitentis statum, ut si sit artifex, uel negoriator, sufficeret interrogare, an aliquam fraudem fecerit, iniuriamuè alicui; modi. n. fraudum ab illis optime, & melius sciuntur, quàm à confessario. Quod si pœnitens adeo sit rusticus, quod sibi soli relictus nesciet cõscientiam suam examinare, melius erit uarijs interrogationibus ab ipso confessario iuuari, nec est necesse finem confessionis expectare, licet reprehensio ad finem sit differenda, hæc ille. De qua cãbiorum materia agunt in primis Theologi præsertim *Gabriel in 4. sent. dist. 15. q. 11. art. 3. Sot. de iust. & iur. l. 6. q. 8. Caiet. in tract. de cambijs Bannes, & Salon. 22. q. 78. art. 3. Val. tom. 3. disp. 5. q. 23. D. Anton. p. 2. tit. 1. c. 8. & p. 3. tit. 8 c. 3. Io. Medina tom. 2. C. de rebus per vsuram acquisitis q. 5. Molina de contract. tract. 2. d. 398. & seq. Lessius l. 2. c. 23. Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 11. q. 4. Malderus tract. 5. cap. 4. Nau. in tract. de cambijs, & in Man. cap. 17. nu. 284. Tol. l. 5. c. 50. Io. Bapt. Lupus, & alij Canonistæ in c. nauiganti ext. de vsuris. Boninsignius in tract. ad instus negotiationes. Reg. l. 25. nu. 438. Sũmistæ in v. cambium Roma de bonc. d. 3. q. 5. p. 1. & alij innumeri, quos ex industria omitto.*

Secundo supponendum est, campsoriam artem ex suo genere licitam esse, si debitis circunstantijs cohonestetur, nempe si iustè, si modestè, ob reipub. utilitatem, & moderatam propriæ familiæ sustentationem exerceatur; quamuis enim primus pecuniæ usus sit, ut rerum pretium subeat, secundarius tamen

men est, ut permutationibus deseruiat, cum *ex Arist. doct. in* 1. *Polit.* triplex sit commutatio. Prima est res cum re, ut cum datur v.g. oleum pro uino, & hanc esse naturalem, & simpliciter necessariam esse asserit. Secunda cum permutatur pecunia cum alia re, quæ dicitur emptio, & uenditio, & aliquãtulum à naturæ sinceritate deflectit, neque simpliciter, sed secundario ad humanæ uitæ usum necessaria est, ac pariter licita, nisi aliunde uitietur. Tertia est, qua permutatur nummus cum nummo, quam philosophus pecuniariam uocat, estque minus naturalis, à uarietate uero numismatum, & eorum pretij in diuersis locis, & regionibus originem traxit, siquidem pecuniæ valor in qualibet regione secundum Principis decretum pecuniam cudentis instituitur, & ut in pluribus, magis in una prouincia quàm in alia ualet, & sæpe accidit, alia numismata ex eiusdem Superioris prohibitione in ea regione non expendi. Quamquam non temere, & ad modum raro pecunia mutanda est, cum enim Princeps illam commutat, uel adulterat, mercium, & annonæ caritas consequi solet. Et quoniam homines peregrinari, & in diuersis locis negotiari contingit, ideò ex ingeniosa prudentia lucrandi ex pecunia, modum per cambium inuenerunt, quod quidem cambium nil aliud est quam permutatio nummi cum nummo. Quod diuiditur in minutum, reale per literas, & siccum. Hinc primo infertur à cæteris contractibus differre, ab emptione quidem, quia in hac pretium ab ipsa re distinguitur, in cambio uero cum sit nummi permutatio, utraque res est pecunia permutabilis. A locatione, & commodato, quia in his dominium non transfertur, in cambio uero sic. A mutuo discrepat, quia hoc in omnibus rebus locum habet, quæ usu consumuntur, sed cambium tantum in nummo, qui cum emolumento restituitur. Item de ratione mutui est, ut aliquandiù solutio expectetur, at cambiũ consistere potest, etiamsi diuersa pecunia pro uaria præsenti statim commutetur. Quod alij ad contractum emptionis, & uenditionis reducunt, alij ad locationem, alij uero rectius ad contractum innominatum referunt, qui est, Do ut des, Facio ut facias, Do ut facias, & Facio ut des; sed hoc nihil interest, modo æqualitas, & iustitia seruetur. Secundo infertur hoc mercandi, & lucrandi genus non esse ita facile consulendum ob plurima delinquendi pericula, quæ in eo latent, quando quidem, & Aristoteles *in* 1. *Polit. c.* 6. Fatetur campsoriam artem potius in uituperium, quàm in honestatem inclinare, quoniã à nummo incipit, & ad nummum ut ad finem terminatur, ita ut quodammodo præter naturæ leges nummus nummum pariat, & non communis, sed particularis utilitas, & proprium compendium intendatur, ex quo homo auarus, & tenex efficitur, & male familiæ suæ consulit. Idem philosophus *lib.* 1. tradit hoc esse discrimen inter politicum, & nummulatium, quod politicus pecunias cumulat, quantum ad commune Ciuitatis bonum satis est, nummularius uero eas sine mensura, & determinato fine corradit, unde, & infinitum eas appetit, nõ enim pecunijs satiari potest, cum animus sit qui illis anhelat, & istæ animo non coniungantur, & ideo non satiant; ut enim cibus satietatem inducat, oportet primo ut in stomachum ingrediatur, & post in substantiam aliti conuertatur, quorũ nullum pecunia afferre potest, quò fit ut sine fine, & termino optet, & in omne nefas anim[9] ruat: *Zecchius de vsuris c.* 1. Vere sapiẽs, *eccles. c.* 26. Difficile, inquit, exuitur negotians à negligentia, uidelicet rerum ad salutem pertinentium. Et ut plurimum mercatores habent conscientiam læsam. *Abbas cons.* 11. Quippe ex Cornelij Taciti sententia, Pessimum est ueri affectus, & iudicij uenenum sua cuiq; utilitas, cui affectui cum maxime mercatores, & præsertim Campsores obsequantur, idcirco teste Aristotele *in* 3. *Polit.* Apud Thebanos lege uetitum fuit, ne ad reipub. regimen quisquam admitteretur, nisi ad decennium à commercijs abstinuisset. *Vide supra tract.* 9. *c.* 2. *q.* 2. *& c.* 15. *q.* 45. *& in comment. de hum. vita stat. p.* 2. *c.* 12.

RESOLVTIO.

His sic præhabitis dico, licere Antonio pecuniam pecunia permutare, & in permutatione aliquid supra pretium exigere. In hoc enim minutum cambium fundatur, quod quidem supposuimus, ex suo genere licitum esse, ac reipub. necessarium; quandoquidem aliqui minutis monetis, alij pretiosis indigent. v.g. aliquis maiores pecunias habet, minoribus illi opus est, ut minutiores merces emat, tunc commodum est illi hoc cambium, quia pretiosioribus res sibi necessarias comparare nequiret. Item quis minutas pecunias tenet, aliò vult se conferre, non potest tàm graue onus secum transferre, & illi commodum est, aureos nummos habere, qui minoris sunt ponderis. Item commodum est illis, qui ab externis regionibus ueniunt, & proprias pecunias non expendibiles habent; nam Romæ v.g. dant Campsori usualem pro expendibili in illo loco, quò tendunt. Insuper vult quis aliò proficisci nõ habens pecuniam, quæ ibi expendatur, dat illi idoneam pecuniam campsori, & sic nummum nummo permutat, qui contractus cambium minutum dicitur. In quo tres potissimum conditiones sunt obseruandæ. Primo ut pecunia falsa, aut incisa, aut diminuta, aut inexpendibilis non immisceatur. Secundo ut fraus absit, nam campsor sciẽs pecuniam plus ualere, quàm alter sciat, auctius illud pretium testituere tenetur. Tertio ut in commutatione iustum pretium interueniat; quomodo autem pretij iustitia

ria dignosci possit, tres regulæ considerandæ sunt. Primo lex. Secundo consuetudo, ubi lex non uiget. Tertio boni uiri arbitrium, qui si lex, uel consuetudo desit, ualorem ex proportione ad alia loca æstimabit, & labores, expensas, ministrantium stipendia, &c. Expedet. Cum autem non tantum publicis campsoribus, sed etiam priuatis personis hoc cambium minutum exercere liceat (nisi à lege, uel Principe interdicatur) & aliquod lucrum accipere minus tamen quàm illi, qui ex officio nůmulariam tabernam expositam habent, nam ut ille dixit,

Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas,
Quis nisi mentis inops sua semina mandat arenæ?
Cum mercede labor gratior esse solet,
Et impius ille labor quem præmia nulla sequuntur.

Et æquum est laborem cuiusque digna remuneratione compensare, *c. cum secundum ext. de prabēd.* Nam & hac ratione ne. s. officium suum cuiquam sit damnosum, tutori, & testamenti executori suum præmium licite præstari, communiter DD. resoluůt cum naturæ congruat, ut qui sentit onus, commodů etiam sentiat. *Didacus Spinus in speculo testam. glo. 28. nu. 78.* Hinc fit ut famuli illi (& sic 2. quæstioni datur respōsio.) qui à suis dominis pecunias aureas, uel argenteas ad soluendum creditoribus, uel ad emendum res necessarias acceperunt, si eas cum uilioribus permutēt, ob hoc minutum cambium moderatum lucrum accipere, & retinere possint, modo ipsi domini, uel eorum creditores ob hanc commutationem detrimentum non patiantur, cū enim nulli damnum infertur, propriæ ipsorů industriæ ascribendum est, sicuti etiam non peccarēt, nec iustitiam læderent nůmularij, si in uno loco pecuniam uiliori pretio currentem colligerent, ut ad alium locū trāsferrent, in quo maiori pretio expenditur, quia nemini iniuriam facerent, cum unicuiq; liceat ex sua industria ditiorem fieri, ut resoluit *Siluester in v. falsarius nu. 8. & Chapeuilla* L. C. Ita. *Molina de cont. disp. 402. Lessius l. 2. c. 23. dub. 2. nu. 18. Salas de cābiis dub. 7. Rebel. l. 11. q. 10. n. 2. Reginal l. 25. n. 450. Azor. 3. p. de cambiis l. 10. c. 4. q. 11. Bonac. disp. 3. q. v. p. 1. Nald. v. famulus nu. 6. Filliac. tr. 35. c. v. q. 7. Nau. conf. 1. de empt. & vend & cons. 8. de dāno dato.*

Ad 3. q. dico, Antonium Campsorem, qui monetam exuberantis ponderis circuncidit, uel extenuauit, grauiter animam suam sauciasse, & iustitiæ legesuiolasse, ut propterea Principi, aut eius monetario damnum si quod passus est, restituere teneatur, & tanquam falsarius puniri queat: quippe qui propria authoritate Principis, aut publici monetarij sibi officium usurpauit; nō tamen casu reseruato affectus est, si modo monetæ iustum pondus reliquit, ratio est clara, quia neque materiam, neque pondus, neque publicam formam adulterauit. Siquidem moneta secundum quosdā dicitur à monendo, quia certarum figurarum impressione, ex una parte nos admonet Principis monetā cudentis, ex altera parte, ne ut apparet, audeamus sine Principis permissu ipsam cudere, uel fabricare, transformare, corradere, extenuare, aut iustum pretium, seu ualorem immutare, uel fraudē in metallo, pondere, forma (in quibus tribus tota ratio monetæ consistit) committere. *Deciau. tr. crim. tom. 2. l. 7. cap. 23. Mascard de probat concl. 1065. Menoch. conf. 49. & 32. & de arb. ind. casu 316. Farinac in praxi. crim. p. v. q. 115. Tusch. v. moneta concl. 354.*

Eadē rōne pariter dico Antoniū qui maiori pretio q̄ accepit, monetā exposuit, à casus reseruatione excusari, nā falsarius dici nequit, cum neque materiā, neq; formā, nec pondus mutauerit. Quamuis peccauerit contra 7. Decalogi præceptū, Non furtum facies, cum restituendi obligatione, iniuriam namque Principi intulit, cuius est monetę pretium, pro rerū, & circunstantiarum conditione augere, uel minuere, Imo etiam proximo iacturam attulit, quia forte minori pretio illam exponere, vel expendere debebit, quàm ab eis accepit. *teste Io. Chap. de cas. reser. c. 16. q. 2. & 3* Vbi ait, quod si alijs facienda sit restitutio, & incertum sit quibus, ac proinde pauperibus facienda sit, per notata, *in ca. cum tu. ext. de vsuris,* ipse nůmularius poterit per se restituere. Quinimo si sit pauper, uel ad inopiā deuenerit, per Cōfessariū tanquam pauperi, uel totum, uel pars donari poterit. Et si uero de iure ciuili qui falsam monetam cuderit, capitali pęna puniri debeat, & qui illā totonderit, uel raserit, eisdem pœnis subijciatur, quibus illam deprauans, ut ait, *Riccius in collect. par. 1. col lect. 172. Farinac. d. q. 115. num. 99. Molina tr. 2. de iust. disp. 702.* Et de iure Canonico *in c. Extrauag.* Ioannis 22. falsarij in regno Galliæ Papali excommunicatione feriantur, & ex Constit. Pij V. Incip. *Cum nihil maius* in statu ecclesiastico extremo supplicio affici debeant ab ijs tamen pœnis per supradicta Antonius immunis cēsendus est. Et ibi Cherubinus Scholiastes refert ēt Edictum conditū sub eadem pœna, Illustrissimi Cardin. Ludouisij Domini meis superintendentis generalis totius ecclesiasticæ ditionis sub patruo suo. Gregorio XV. ecclesiæ Dei clauum feliciter tenente.

QVÆSTIO LV.

Cambium per literas an licitum sit, & quas conditiones requirat.

Dionysius Bononiæ existens, dedit Rudulpho Campsori centum aureos, quos per literas sibi Romæ restitui faciat, & pro lucro tres ei aureos pendit. Item cum ibidem. s. Romæ quoddam beneficium

ficium fit consecutus, pecuniarum indigus, pro Bullarum solutione, alios centum aureos ad cambij cōtractum à Campsore petit, quos ad sex menses restituendos Bononiæ dedit, & quinque aureos pro lucro ab ipso Campsario Dionysio accipit, Quaeritur an isti contractus liciti sint?

SVPPOSITA.

Resp. Hi contractus per literas celebrati liciti, ac iusti sunt, quod Primo patet ex uniuersali consuetudine vbique recepta, & communi Doctorum sententia, quos supra citaui. Secundo, quod Summi Pontifices approbare uidentur, cum conditiones cambij per literas exercendi præscripserunt. Tertio, quia ut docet Aristoteles *in 1. Polit. cap. 10.* Hoc cambiorum genus ad conseruandum inter homines commercium, & societatem reipublicæ necessarium est. Hæc autem pecuniarum per literas translatio absque dubio pretio æstimari potest, ob varia pericula, quibus Campsor in pecuniæ missione de loco ad locū probabiliter subijcitur, ob sumptus, quos in ministris, & conductione domus facit, &c. Neque enim frustra pro nō sua, sed aliorum utilitate operas, & laborem ponere obligatur, cum ut ait, *Apost. 1. ad Corinth. 9.* Nemo cogatur suis stipendijs militare. Vt omittam etiam sępe contingere, centum aureos in uno loco non ualere nisi nonaginta quinque in alio, ut propterea quoque hac ratione hi contractus cohonestari queant. Vt autem iuste exerceatur, hæ quatuor conditiones obseruandæ sunt. Primo ut æqualitas inter pecuniam datā, & acceptam seruetur; in omnibus namque contractibus tàm nominatis, q̄ innominatis huius naturalis cōditionis potissimū habenda est ratio. Secundo vt Cāpsor plus iusta mercede nō accipiat, quæ si lege taxata non sit, à consuetudine, & bonorum uirorum arbitrio, ut supra dixi, pendet. Quare extra latitudinem iusti pretij non licet illud ratione temporis immutare, nullo namque modo in cambijs ad tempus, solutionis habēda est ratio, ut plus uel minus aliquid exigatur; hoc siquidem usurarium esset, nisi ratione damni emergentis, uel lucri cessantis ab usuræ labe excusetur. Quod diligenter à confessatio animaduertendum est. Tertia conditio est, ut Campsor qui pecunias alibi soluendas dat, probabiliter sciat campsarium illas habere, uel fidem, & satisfaciendi uoluntatem in illo præsumat, ita ut actu, uel uirtute ibi nummos habeat, quos reddat, & quod ille, qui pecuniam præsentem soluit, uelit illā absentem. Item ne fiat pactum, quod si in statuto loco nōn soluantur, cum solutione, ut dicunt, recambij ad locum ubi datæ sunt, transferantur; id enim per Constitutionem Pij V. Incip. *In eam pro nostro pastorali officio* prohibetur, nisi ratione lucri cessantis, uel damni emergentis uel hoc fieret. Quarta ut sit localis distantia inter locū, in quo literæ dantur, & locū, ubi pecunia soluenda est, sin aliàs non ratione transportationis, sed temporis tantum causa, pretium reciperetur. Tanta porro distantia requiritur, ut aliquod periculum Campsorem subire, & cū expensis transferre, ex natura rei necesse sit. ut inter alios tradit *Sot. l. 6. de iustitia, & iure q. 10. art. 1. & Nau. c. 17. nu.* 301. quos recentiores sequuntur.

RESOLVTIO.

Vnde ad casum propositum respondendo dico, tàm Dionysium, quàm Rudulphum ab vsuræ labe excusari, si Campsor non intendat pecuniam pecunia lucrari, nec in lucro solius temporis ratio habeatur, sed eius intentio feratur super pericula, quibus subijcitur, & sumptus, quibus ob pecuniæ translationem grauatur, &c. Tripliciter tamen ut supra innui, in his peccari contingit. Primo si solum ob mutuum, hoc cambium exerceatur, & hic contractus absque ulla necessitate, uel absque ullo honesto fine ineatur, & hoc esset auaritiæ peccatū. Secundo si in eo æqualitas rei ad rem non seruetur, in quo iniustitiæ uitium admitteretur. Tertia si cābium non sit reale, sed ficcum, in quō usuræ crimen perpetraretur, ut cōmunis est sententia. Vt proinde ab eo sit in posterum pęnitēs dissuadendus, & auertēdus, ad quod proderit proponere, nullam rem esse quæ præposteram ditescendi cupiditatem citius extinguat, quam si ei verba *Apostol. 1. ad Timoth. 6.* ex animo non excidant, Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec quidquam auferemus, &c. Vnde *D. Bernar. serm. 4. de Aduentu.* Filij Adam, inquit, genus auarum, & ambitiosum, audite quid uobis cum terrenis diuitijs, & gloria temporali, quæ nec ueræ, nec uestræ sunt? Aurum, & argentum non ne terra est rubra, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis pretiosam reputat. Denique si uestra sunt, hæc tollite uobiscum, sed homo cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cū eo gloria eius. *Et D. Chrysologus serm. 124.* Si est, ait, sub terra carcer, si est ignis ardēs, si est Infernus sine fine crucians, si est apparitor tristis, qui nos ad ista rapiat, post seculi labores: qd stupemus? quis est iste, qui nos eludit, somnus? quę est ista quæ nos tenet obliuio lethalis? Atque huiusmodi consideratione, tanquam Amuleto quodam aduersus habendi sitim, & iniuste lucrandi rationem se se præmunierunt, non ij tantum quibus christianæ fidei lumen affulsit, sed etiam pleriq; gentiles, & Ethnici. Præsertim quod ut ait, *Anchar. cons. 242. & Tusch. v. peccatum concl. 193.* Christiano, ac fideli uiro tutius est à contractu dubio abstinere, per quē peccatum in anima subesse possit.

QVÆ-

QVÆSTIO LVI.

An peccent Campsores dantes ad cambium ijs cum lucro, & vsura, quos sciunt in ludos, ac luxus pecuniat postulare & an accipientes iurātes se sortem cum lucro, & vsura restituturos peccent, & iuramentum illud obseruare teneantur. An cambium siccum sit licitum.

CArolus, ut tùm quibusdam suis necessitatibus consuleret, tùm etiam ut in ludos, luxus aliaque delicta pecuniam insumeret, accepit hic Bononiæ à Iosepho Campsore literas reddendas Placentiæ, secundum lucrum cambij ibi currentis, ipse tamen qui pecunias accepit, nihil ibi habet, quod restituat; confectæ sunt ad id literæ, quæ ad eum locū mitti deberent, ubi nummi soluendi essent, quamuis uere, & re ipsa Carolus Bononiæ duntaxat, ubi cambium datum fuit, debitum persoluerit. Quæritur, an Iosephus dans pecunias cum lucro Carolo quas eum sit ad malos usus petere, & de lucro soluendo iuramētum exigens, lethaliter peccet, & an hoc cambium in foro poli, & in animarum iudicio tutum sit?

RESPONSIO.

AD 1. q. Respondeo Campsores dantes pecunias ijs quò illis male usuras sciunt, male agere, & animas proprias sauciare, tum quia cum huiusmodi in locis solutioni designatis nullam pecuniam, uel creditum habeant, cambia, & recambia, quæ cum ijs exercentur, ficta, & simulata sunt tùm quia esto illud haberent, attamen quia nummos in tales usus conuertendos esse sciunt, illorum prodigalitati, ac peccatis consentiunt, & cooperantur; nō solum autem digni sunt morte, qui talia agunt, sed etiam qui agentibus consentiunt. 1. ad *Rom. & ca. 1. ext. de offi. de leg.* Ita resoluūt. *Salon. in tr. de cambijs art. 2. conc. 14. Fabianus eodem tract. nu. 49. & 50. & Salas dub. 47.* vbi addunt, ad damnorum restitutionem teneri, qui Principibus, vel alijs ad cambium dant, quos non ignorant in billis iniustis consumpturos *arg. c. fin. ext. de iniur. & damno dato.* Nec dubium quòd etsi Carolus vsurarium lucrum Iosepho se soluturum nec repetiturum iurauerit, obligari, & satisfacere teneri, iam solutas tñ (authoritatē haben te iuramentum illud relaxante) repetere possit, vt sancitur *in c. debitores ext. de iureiurando c. ad nostrā eodem tit. Seraph. de priuileg. Iuram. priuileg. 116. Mancinus de Iuram. p. 1. q. 6. Tusch. v. Iuramentum. concl. 516. & v. vsurarius concl. 35. Duard. in Bulla Cœna Domini l. 1. c. 4. q. 7.*

Ad 2. q. dico quod in foro conscientiæ plus valet quod in veritate agitur, quàm quod simulate concipitur. *c. ad audientiam ext. de empt. & vendit. Nau. in comment. de datis & promissis. notab. 17.* Mutuū, & improbum fœnus hic tacite intercedit. Hoc cambium vocatur siccum, quia animam Campsoris à proximi charitate euacuat, & diuinam gratiam ab ea exsiccar. *D. Anton p. 3. tit. 8. c. 3. Caiet. de cambijs c. 1. Armilla in v. Campsor nu. 4. 10. Bapt. Lupus in c. nauiganti tit. de vsuris Bursat. cons. 399. Pereg. cons. 85. Card. Tuschus litera C, concl. 798. Nicolaus Genua in tract. de scriptura priuata l. 3. tit. de literis cābij. Rota Genuensis decis. 37. Roder. de annuis redd. q. v. Riccius 3. p. decis. cur. Neap. decis. 11.* Vbi resoluūt cambium in nundinis Augusti ad nūdinas Maij cū incremento esse illicitum, siccum, & vsurarium, cum ad iustitiam veri cambij per literas, diuersitas locorum requiratur. Item D. Carolus Bortomæus in Actis ecclesiæ Mediol. *p. 1. conc. 1. tit. de vsuris.* Vbi ait, Ne fiant cambia, cum literæ verè ad destinatum locum non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed uno, & eodem loco pecunia datur, & recipitur; vel quando dantur, & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, vt habeatur recursus ad domū, vel ad rīdentē dātis, aut accipientis, atq; ita impēsę, aut alterius rei onus imponitur. Cambiū tamen quod fit sustinente Cāpsoris procuratore duas personas in nundinis. s. creditoris, & debitoris, quod vulgo dicitur con la ricorsa approbatum videtur à Pio V. in quadam Bulla ad Bononienses data; de qua re videri possunt quæ nuper circa illud comprobandum agit in quadam sua disceptatione P. N. Antonius Saluatorius *par. 3. de cambiis num. 5.*

CONFESSARII PARTES *circa cambiorum materiam.*

COnfessarius ergo circa hanc cambiorum materiam obseruet, quod ut ait *Caiet. in Summula in v. interrogatio super septimum præceptum,* quò ad eorum iniustitiam, uel usurariam prauitatē ipsi Campsores si volent, scient se accusare, quoniā conscientia eos intus remordebit; fieri enim non potest, ut spiritualis medicus ob uarios quotidie succrescentes cambiendi modos, commutatiuæ iustitię ueritates in particularibus casibus contingentibus in animarum iudicio assequi queat. Et ut ait *Sigismūdus Scaccia c. in comment. de commer, & cambijs, §. 6 gloss. 1. num. 73.* In foro interiori cauendum, ne temere damnemus multos christianos cambia contrahentes; & si quis inierit contractum aliquem, qui cōiter licitus æstimatur, etsi prima specie iniustus videatur, non tamen ex hoc vsurarius dicetur, si quidē in dubio semper cambium reale non autem siccum præsumitur. Nec est purādum peccatum esse, quod boni viri facere solēt, dicente philosopho *l. 1. Ethic. c. 8.* Non est vir bonus habendus is, qui honestis actio-

ctionibus non gaudeat. Et vt loquitur *Cordub. super Reg. D. Francisci nu. 94.* Si quis ignorans veritatem de aliquo, bono animo sequatur vitam illorum Doctorum, & Prælatorum quos rationabiliter æstimat bonos, & solicitos de anima sua, & memores suæ salutis, putans quod illi bene sciunt, quid faciant: in dubijs excusatur vitam & eorum exempla sequens. Et ut ait *Cicero lib. 1. de legibus*. Omnes viri boni æquitatem, & ius ipsum amant, nec est viri boni errare, & diligere quod per se non sit diligendum, & colendum. Nec abludit illud *Reginal. l. 13. num. 122.* quod in dubijs vita communis, sensusque bonorum virorum debet esse viuendi regula, tùm ex eo quod Dominus *Matth. 5.* suos discipulos sal terræ dixerit, significans ipsorum moribus populi mores esse quasi sale condiendos, tùm ex eo quod viri boni merito de rebus agendis rectum iudicium habere præsumantur; sicut sanus qui gustatum male affectum non habet, recte de saporibus iudicare censetur. Vnde & *Riccius resol. 307.* loquēs de contractu vulgo dicto à goder à goder dicit, quod quādo contractus aliquis communiter in regione frequentatur, licet suspicione laboret, non debet tamen fœneratitius iudicari. Idemq; tradit *Surdus cōs. 327. num. 51.* Et in simili de censuali contractu loquens. *Cencius de censibus q. 1. c. 1. q. 4. art. 4* Nec abludit illa doctrina, quam tradit *Possen. de off. cur. c. 15. nu. 24.* cuius hæc sunt verba, Cauendum in iudicando ne feratur iudicium contra communem consuetudinē, et si videatur corruptela, & libri aperte contrarium dicant; sed prius diligenter res est expendenda; quia possibile est, quod communiter fit, valide fiat; exemplum sit de venditione ad creditum, siue ad tempus, vltra pretium currens, certarū mercium alicubi solita. Igitur, subdit, ne sis præceps in condemnando, etiamsi multi DD. contractum hūc damnent, quòd nō desunt, qui excusent; ideo quoriescunque iudicium inuoluit præiudicium tertij nō feratur nisi re bene expensa. Quod multo magis procedit, si eorum acta doctorum, & peritorum virorum iudicio nitātur. *Tiraq. l. 2. de vtraque retract. §. finis nu. 127. Bisfeld. in comment. de vsuris super cap. nauiganti q. 5. ext. eodem tit.* Qua ratione multi excusari videntur, qui illud cambij genus exercent, quod fit sustinente Campsoris procuratore duas personas in nundinis, s. creditoris, & debitoris, quod etiam vulgo dicitur con la ricorsa: multi namque Doctores non leuibus rationibus in foro poli illud tuentur, dūmodo, vt dixi, debitis cōditionib. vestiatur, & ut aiūt, realiter exerceatur. de quo *Nau. consi. de vsuris in nouiss. edit. Scaccia l. c. Sà in v. cambium Mar. Anton. l. 1. var. resol. resol. 27. Naldus in v. cambium, num. 2. Megala 2. p. instit. confess. l. 2. c. 16. q. 3. nu. 38. Comit. l. 3. q. 15. Bonac. d. 3. q. 5. p. 1. nu. 8. Molfes. tr. 12. c. 7. nu. 107. & alij.* Quando quidē in animæ iudicio ad effectum non peccandi, sufficit eligere pro vera illius opinionem, quem merito censemus hominem doctrina, ac conscientia præditum. Et Cōfessarius qui in conscientiæ foro Iudex est, potest relicta probabiliori, probabilem sententiam amplecti, quam tùm ex principijs, & rationibus à se ipso sumptis, tùm ex extrinsecis aliorum placitis, verā existimat. *Abbas, & alij in c. capellanus. ext. de ferijs. Azor. p. 1. instit. mor. l. 2. c. 13. & c. 16. Sayrus. l. 1. clauis reg. c. 7. & c. 11. Sanchez l. 1. Summa c. 9. Molfes. tract. 8. c. 9. nu. 70. Arrag. Salon. 2. 2. q. 63. art. 4.* Vbi tamen admonet Confessarios, & Doctores minus exercitatos, non posse tuta conscientia quamcunq; probabilem opinionem sequi, forsan enim in vno, uel altero authore sententiam legent, quæ poterit eis probabilis videri, quæ tamen apud peritiores falsa deprehendatur, vt proinde ipsi spirituales animarum Iudices qui minus callent, in rebus dubijs maxime alicuius momenti, teneantur viros doctos, probos, & in morali theologia versatos consulere, vt ab ijs, quid tenendum sit, discant. Imo Confessarius dum in sacramentali iudicio de aliquo casu, uel contractu ad conscientiam spectante consulitur, non statim si res difficilis sit, uel eius intelligentiam, & captum excedat, respondere debebit, sed ut aiūt, consilium in arena capere, & Doctorem Nauarrum imitari, qui in rebus magni ponderis mature descripto tantum respondebat. Nam vt ait. *Decius in c. cum venerabilis ext. de except.* Velox consiliū pœnitentia sequi solet. Et sæpenumero quod statim fit, actui obesse consueuit; exemplo nobis sit sententia, quam si Iudex statim post acceptum pcessum, uel modico spatio interiecto, ferat, nullam esse tradunt Doctores *in l. prolatam, C. de sent. &c.* Siquidem solidæ scientiæ nouerca festinatio est, teste Platone in *Dialogo in regno*. Quod procedit etiam in laudo, Decreto Iudicis, consensu Curatoris, confirmatione, alienatione bonorum pupilli, & similibus, quæ temporis breuitas irrita reddit. vt ex communi tradit *Bellonus in tract. de potest. eorum, quæ fiunt incont. l. 1. c. 32.* Videantur quæ scripta reliquimus *in cōment. de hum. vita stat p. 1. c. 10. § secūda obligatio.*

Nihilominus sacerdoti ex iuris rigore, & etiam in foro animæ integrum est contra probabiliorem propriam opinionem, pœnitentem absoluere, ut si Confessarius contractum esse vsurarium iudicet, at pœnitens ex aliorum consilio, uel certo iudicio practico probabiliter censet licitum esse, & vult illum inire, ac proinde tàm si sit Parochus, quàm si libere illius confessionem audiat, cum probabilem sententiam sequens, debita dispositione non careat, poterit eum absoluere. Vnde etiamsi Confessarius esset Scoti, & aliorum sectator, qui tenent, Iudicem non debere aliquem condemnare, quem scit esse innocentem, licet in processu, & ex publicis documētis aliud

alïud constaret; & pœnitens esset Thomista, & Iurista, qui regula generali nituntur, Iudicem debere secundum allegara, & probata indicare, tūc enim Pœnitentiæ minister sua opinione, & conscientia abiecta, & deposita, pœnitenti absolutionis beneficiū denegare non debet. Adduntq. DD. plerique, grauiter pœnitentem conqueri posse, quod sibi bene disposito iniuria inferatur, nec leuem uideri culpā, institutioni sacramenti, ac confessarij muneri contrariam; licet sæpe ipse spiritualis pater ob bonā fidē à culpa excusetur *Sanchez l. 1. de pracep. c. 9. nu. 29. Sayr. l. 1. cl. reg. c. 9. Reg. l. 13. nu. 89. Zerula in praxi penit. c. 22. q. 3.* Pœnitentes uero cauere debent, ne circa hos contractus læsa cōscientia, ex industria ad imperitos confessarios accedāt, animę perniciem sibi accersentes, &c. Hodie namque sacræ confessionis negotium indigne tractatur, dum nonnulli pœnitentes etiam intricatas conscientias habentes, insulsos, & indoctos spirituales medicos quærunt; qui suis votis respondeant, consuentes puluillos sub omni cubito manus, & facientes ceruicalia sub capite uniuersæ ætatis ad capiendas animas. *Ezech. c. 13. vbi D. Greg. in 2. p. Past. c. 8. c. sunt nonnulli dist. 46.* Et ut admonet *Surdus cons. 327. nu* 51. Consuetudo regionis quò ad aliquem contractum, illum licitum quò ad forum fori, non quò ad forum animæ facere potest, si quidem in humanis actibus non qđ fit, sed quod debet fieri inspiciendum est: Christus enim non dixit, Ego sum consuetudo, sed via, veritas, & vita. *Io. c. 14.* Idem tenet M*antica de tacit. & ambig. l. 8. tit. 25. nu. 25.* Quippe aliquando Humanum genus habendi cupiditate obcęcatum, veritatē videre non potest. Nam ut ait *D. Hieronymus in c. 44. Ezech.* Ebrietas non solum in porione vini, sed in omnibus rebus ostenditur, quibus & in contractibus, & in negotijs seculi, & damnis, ac lucris amore, & odio mens inebriatur, ac fluctuat, & statū suum tenere non valet.

QVÆSTIONES, ET CASVS qui formari possunt super articulos fideiussionis, assecurationis, & pignoris.

Cap. XVIII.

QVAESTIO LVII.

An sacerdoti pro laico fideiubere liceat, & an pro fideiussione aliquid pretij accipi possit, &c.

Liuius cum domum quandam mille aureis ab Ippolito esset empturus, ambo conuenerunt, vt dato vnius anni ad soluendum pretium spatio, Bartholomęus Sacerdos Curatus pro emptore fideiuberet, qui tamē noluit gratis, sed pecunia accepta hoc officium præstare. Et cum transacto tempore debitore principali non soluente, ipse conueniretur, satisfacere creditori, & uēditori renuebat, nisi prius excusso principali, & nisi ad id à suo Iudice cogeretur, quæritur an hic contractus iustus ac licitus sit?

SVPPOSITA.

Resp. Suppono Primo fideiussionem, quæ significat fidem suam alteri iubere, ac dare, esse contractum, quo quis alterius obligarionem in se suscipit, sub fide sua illius adimplementum promittens, seque in illius defectum obligans. Quæ duplex est, nempe Iudicialis, quæ fit in iudicio, ut cum quis ad constituendum reum sub pœna pecuniaria fideiubet, qui si eū non exhibeat, ut quia aufugerit, &c. pœnam illam soluere tenetur; & Priuara, quando quis in supplementum principalis ad soluendum se data fide astringit. Et ex communi praxi, fideiussor in omnibus obligationibus ciuilibus, & etiam criminalibus, accedere potest, quando ex illis pœna corporis afflictiua infligenda non venit, sed in pecunia sit soluendum. Qui tamen se non idoneum esse fideiussorem cognoscit, ut quia probe norit rem suam familiarem donationibus, fideicommissis, vel ære alieno oneratam, à fideiussionis contractu abstinere debet, ne charitatis, ac iustitiæ leges uiolet. *Stracchain tract de decoct. p. v. q. 2. Surdus cons. 18. Laderch. cons. 30. Ala de aduoc. p. 2. q. 8.* Idoneus autem fideiussor dicitur, qui communiter pro apto, & idoneo reputatur, atque hoc totum Iudicis arbitrio remitti, testarur idē *Surdus decis. 320. & 295. Tuschus. v. fideiussor. concl. 331.* Requiritur tamen ut sit illius loci ciuis vel incola, in quo fideiubere debet, siquidem forensis inuito creditore idoneus non censetur, cum tritum sit adagium, Malū esse in alieno foro litigare, ut auctor est. *Hippol. Mars de fideiuss. nu. 262. & Hering. c. 14. nu. 15.* Atque prædicta cōiter DD. tradunt, ut per *Cuiac. in not. ad* §. 3. *instit. tit. de fideiuss. Mant. lib. 16. de tacit. & ambig. in princip. tit. de fideiuss. Surdum l. 2. cons. 201. Molfes. tract. 12. c. 19. Menoch. l. 2. de arbi. Iud. casu* 303. *Tusch. in v. fideiussio concl. 291. & seq.* Clarū *l. 5. recept. sent.* §. *fin. q. 46. Regium in resp. cas. cons. casu. 32.*

Secundo suppono incōmodū, & periculosum esse pro alio fideiubere, nec. n. immeritò Salomō *in Prou. c. 17.* admonet, ne quis temere fideiussor existat, cū ait, Stultus homo plaudit manib. suis cū spopōderit pro amico suo. *& c. 22.* Noli esse cū his, qui defigūt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis, & *c. 11.* Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo, qui autem cauet laqueos, securus erit. Et celebre est illud Thaletis pronunciatum, Sponde, præsto noxa est. Vnde & Plato in Charmide testatur tria hæc præcepta in Delphici Apollinis tēplo inscripta esse. Nosse seipsum, Nihil nimis, Sponsioni adiuncta in-

commoda. Verbum illud uetus non putarã, in omni negotio turpe est, cuius comes est pœnitentia. Pri sci eos reos vocabant, qui aliquid spopōdisset. teste *Beroal. imbellosap.* Quib. sententijs Patres à nimia, & inconsulta fideiussione deterrere conãtur, ne homo grauari, & alienis debitis illa queari contingar, & propriam subinde dissipare substãtiam, & ad mẽdacitatẽ redigi, ut quotidiana docet experientia teste *Ala de aduoc. christ. p. 2. q. 52.* Fideiussoribus non deest iactura, dicebat Chilo Lacedęmonius, unꝰ ex septem Gręciæ sapientibus: nam paulo post titulum de fideiussoribus, sequitur titulus de solutionibus. Ideo fideiussor eo ipso quod fideiubet, læsus dicitur, ac proinde minor qui pro alio spopondit, probata sola minori ætate, absque alia læsione restituitur, & fideiussio nulla remanet. *Tusch v. fideiussor. concl. 303.* Imo minor fideiubens nõ obligatur, ubi enormem lęsionem sentit, & maior factus, per quinquennium tacens, illam obligationem ratam habere non dicitur, nisi quando in maiori ætate eiusmodi læsionem non ignorauit. *Rot. Rom. nouiss. decis. 202. Nald. v. fideiussor. nu. 4.* Qua de causa apud Iurisperitos suis facultatibus abuti dicitur, & ad inopiam uergere, qui pro alijs frequenter fidem suam interponit; qui enim pro alio fideiubet, soluendi periculo se exponit, cum non raro contingat, fideiussorem ob fidem datam, quam probo uiro frangere non licet, totam summam pro principali persoluere: ut proinde ob hanc ciuilem obligationem, & periculum quod pro alijs fideiubendo subitur, cũ sint pretio æstimabilia, liceat pro ipsa fideiussione pacisci, & rigorosum, ut aliqui uolunt, pretium, uel stipendium stipulari. *Alex. & Iason in l. si constante. ff. soluto matrim. And. Gail. l. 2. pract. obser. obseruat. 83. Arrag. & Salon 22. q. 78. art. 2. Azor. p. 3. l. 11. c. 22. dub. v. Sot. l. 6. de iust. & iu. q. 1. ar. 2. Lup. & Besfild. in c. nauiganti. tit. de vsuris.* Rebellus. l. 16. q. 1. *de fideiussione. nu. 4. Corrad. in resp. cas. consc. q. 226. Bonac. de cont. d. 3. q. 9. num. 11. Aug. Syl. Tab. & alii in v. fideiussor.* Mantica l. 16. *de tacit. & ambigu. tit. 2.* Cum ramen fideiussio nedum sit actus honestus, & licitus, uerum etiam in vsu commerciorum, & uita communi necessarius, ac pius, ut late insistit. *Pet. August. Merla in Empor. Iu. p. 1. tit. 8. q. 25. & Anto. Hering. de fideiuss. c. 1.* Ita ut iuramẽtum, uel uotum in genere de nunquam fideiubendo emissum, tanquam christianæ charitati, ac pietati contrariũ non ualeat, cũ tantum, vt DD. dicunt, fideiussiones male coctæ, & imprudentes reprehendãtur. *ex Bisfeld. in c. nauiganti. q. 3. ext. de vsuris, & Sanchez. l. 4. de precept. c. 8. nu. 18.* Atq; hac ratione parentes filijs suis fideiussionem in testã interdicere posse permitrũt, eamq. prohibitionẽ in hoc exulceratissimo seculo multis familijs ualde profuturã esse certo confidũt. iuxta tradita p *Ias. in l. qui Roma n. 3. de uerb. oblig. Curt. Iun. cõs. 21. n. 2. Hering. l. c. n. 96. & seqq.*

Ideo Tertio præmitto omnes pro alijs fideiubere posse, quibus integrum est pro se ipsis obligare, nisi esset mulier, quę ob sexus fragilitatem, pro alijs intercedere prohibetur. *vt tot. tit. ff. & C. ad Velleian.* Quod procedit etiamsi pro marito fideiubeat, nam quidquid ex illa causa soluerit, ob publicum commodum, ne suo patrimonio, uel dote careat, repetere potest, cum indebitum soluisse cẽseatur, & successiue dominium in accipientẽ non transtulisse, *vt in Authen. si qua mulier C. ad Vell. Less. l. 2. c. 28. nu. 12. Molfes. tr. 12. c. 19. nu. 3. Tusch in v. mulier. concl. 421. Sanchez. l. 4. de mat. disp. 9. nu. 14. & 15.* Excipiunt tamen magis communiter DD. quando pro liberando à carceribus uito, uxor fideiubetet. Idem dicendum ubi immineret periculum ne maritus carceri manciparetur; nam paria sunt, aliquem esse condemnatum, uel breui condemnandũ, in uincula coniectum esse, uel statim conijciendum fore. *Riminal. Sen. cons. 37. Surdus cons. 367. & decis. 86. Thesaur. decis. 223. Gratia. in Forens. discept. c. 108. Bellon. l. 1. de potest. eorum, &c. c. 157. Antonius Hering. de fideiuss. cap. 7.* Ceterũ sacris, & canonicis sanctionibus interdicit, ne clerici, uel monachi pro laicis fideiubeant. *c. 1. & 4. ext. de fideiuss. c. te quidẽ 11. q. 1. Sanchez. l. 6. de precept. c. 14. nu. 38.* Et hoc ne necesse habeant, sæcularibus negotijs se immiscere, prætet quam quod, ut dixi, maximo periculo, & rerum detrimento hoc coniunctum est. Siquidẽ clerici in hac militanti ecclesia instituti fuetunt, ut suis precibus, & alijs ecclesiasticis ministerijs intẽti assidue Deum pro laicorum culpis deprecentur, qđ ut commodius facere possent, sacri canones cauerunt, ne se fideiussionum contractibus implicarent; pœna ijs inflicta, qui moniti non emendantur; quas præceptiones si clerici violent, & si à graui culpa nõ excusentur, nihilominus obligati remanent. *vt per Scrib. in d. c. 1. Surdum cons. 396. Rom. cons. 409. Alã de aduoc. christ. p. 2. q. 54. Ricciũ in praxi var. resol. resol. 483. Sanchez. l. c.* vbi contrarium in religiosis resoluit, ut. f. si fideiubeant absque licentia superioris, & maioris patris capituli, ea fideiussio irrita sit, &c. Excipitur tñ Primo ubi necessitas urgeret, tunc. n. pro laico clerici fideiubere ex pietate tenerentur. *Praposit. in c. te quidem 11. q. 1.* vbi refert B. Syluestrum pro pauperibus fideiubere solitum. Quod procedit etiamsi numquam se fideiussuros iurassent, non enim iuramẽtum seruãdum est, quod à charitatis præcepto, & pietatis opere retrahit. *Oldrad. cons. 90. Sfortia Oddus. p. 1. de restit. in integ. q. 54. art. 2. Ala de aduoc. christ. p. 2. q. 52.* Sicut ẽt diximus, quod licet ad testamenrariam uel datiuam tutelam clerici uocari non possint, ne à diuinis distrahantur, imo dantes illos tutores, puniri, & ecclesiastica sepultura priuari possint, miserabilium ramen

men personarum Tutores, & Curatores esse accendente superioris cõsensu illis fas est, ut per *Gutierez. in tract. de tutelis c. 1. nu. 29. p. 1.* Vbi *nu. 30.* subdit per ecclesiasticum rātum Iudicē nominari posse, eo quod hic in clericos nullam iurisdictionem habet. *Ruina l. v. cons. 89.* Secundo quando pro alio clericus, uel pro sua ecclesia fidem suam interponerent, (quib. in casibus clericus ipse fideiussor se ipsum, & sua bona parrimonialia, uel ut multi uolunt, fructus beneficij, quos suos facit, obligat) non tenentur tamen nisi in quantum facere possunt, cum gaudeant beneficio *cap. Odoardus. ext. de solut.* Et semper à suo ecclesiastico Iudice conueniuntur, nisi in forma cameræ se obligauerint, nam tunc cuiuscunque legis beneficio renuntiasse censentur. ut late per *Massam in tract. de oblig. in forma Cameræ.* Sed uerius alij dicunt, quod licet clericus se ad cameræ, ut dicunt, rationem se deuinxerit, priuilegio fori etiam cum iuramento renuntiando, per hoc tamen coram Iudice laico conueniri non poterit, nec cum licentia, & consensu Episcopi eiusdem Iudicis sæcularis iurisdictionem prorogare. *Riccius p. 2. decis. cur. Neap. decis. 160.* Tertio quando religiosus, uel regularis Præfectus de consensu expresso, uel tacito maioris partis capituli, & superioris sui facultate fideiubeat. Alioqui conuentus satisfacere nõ teneretur, nisi forte in utilitatem domus manifeste redundasse cõstiterit. *c. quod quibusdam, ext. de fideiuss. Azor, l. c. q. 2. Reginal. l. 25. nu. 220.*

RESOLVTIO.

His suppositis, dico Bartholomæum non peccasse, imo uirtutis actum exercuisse, cum in necessitate p Liuio petēte, pietatis causa fideiussit; non laudabiliter tamen egisse, cum pretium pro huiusmodi honesta actione pactus est, si inspecta qualitate, & conditione debitoris, nullum ei soluendi periculum imminebat; tunc enim merito talis pactio usuraria præsumeretur, utpote in fœnoris fraudem, sub colore periculi facta. Præsertim cum religiosum, & Deo dicatum, uirum deceat, non tantum à malo, sed etiam à specie mali cauere, *c. Cum ab omni ext. de uita, & hone. cler.* Apostolici quippe precepti, & exempli est, ut habeamus rationem non tātum cõscientiæ, sed etiam famæ. ait, *D. Hier. ad Celant. ep. 14.* Et merito *D. Aug. l. de bono uid.* eos redarguit, qui dum immunes à flagitijs uiuant, nihil de eo, quod alij de ipsis sentiant curant; quia iuxta Ciceronis censuram, *l. 1. de off.* Negligere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiā omnino dissoluti, si quidem etsi respectu bonorum animæ, bona fama exiguum quid videatur, efficere tamen illa solet in homine quod cortex in pomo, qui licet tenuis, & leuis sit, illud tamen ita cõseruat, ut si ab illo se moueatur, statim corrumpi, & perdi incipiat, &c. Et sicut qui integram induit uestem caute eam à sordibus custodit, ita qui mundam habet famam, à minima quaque detractione, & calumnia sibi cauere solet, modo tamen eius conscientia non ficta, uel simulata sit, nam ut quidam scite dixit,

Misera est foris fama, nisi sit præsidium domi.

Si vero periculum fideiussori subest, modo non adsit scandalum, rationibus adductis, pretium pro fideiussione stipulari potuisset, qui si postea conueniatur, ut in defectum debitoris soluat, id ante Iudicis sententiam agere tenetur. Si quidem fideiussor de alieno debito proprium facit, uere igitur debitor est, vereque in foro conscientiæ ipso iure obligatus; alioqui nullus rem suam uenderet, aut sub fideiussione commutaret, si intelligeret coram Deo rem sibi non deberi, & ante Iudicis sententiam nil sibi restituendum. Doctorum enim communi sententia, Idem est fori, & poli iudicium, quando falsa præsumptio non intercedit, sed ueritas cognita, & in confesso est. *Pet. Naul. 3. de rest. c. 4. nu. 151.* Conueniri tamen non potest, antequam solutio à principali debitore petatur, cum tantum in subsidium teneatur, quādo se non ut principalem debitorem ex æquo obligauit, sed solum primario debitore non soluente; nisi tamen iuramētum interuenisset, nam ex multorum sententia, facit ut fideiussor tanquam principalis obligatus intelligatur. *Authentica præsente, C. de fideiuss. Seraph. de priuileg. iur. priuileg. 90. Molina disp. 545. & DD. supra citati & Less. l. 2. c. 28. dub. 1. nu. 10. & seq.* Vbi etiam aiunt, quod si fideiussor per ignorantiam hanc exceptionē non opposuit, & ideò fuit soluere condēnatus, uel iam soluit, solutio ualet, nec creditor ei restituere tenetur, eo quod tale beneficium non sit contra substantiam actionis, & obligationem à iure inductam, sed solummodo ratione ordinis procedendi, &c.

Porro fideiussio quæ est dictorū cõuentorūq; cõstāria, ueritate, honore, & amore creatur, cõseruat. Quæ ueritatem matrē habet, nudam, & simplicē, quod in pactis, conuentionibusque nihil fucatū, aut à uero alienū esse debeat. Cui adhæreat honos porrecta dextra; fidei enim symbolum, Numæ Pompilij instituto, olim in dextris iunctis conspiciebatur, tanquam id esset stabilis cuiusdam firmique pacti pignus. Is uero purpurea indutus erat ueste, ut reuerenter, & cum dignitate ipsa fideiussio gratis seruaretur. Locum medium Amor tenet, qui ueritatē, & honorem firmo nexu deuincit, ut sic tanquam aliquod amicitiæ condimentum adhibeatur. *Alciatus emblem. 9.* Nec subticendum illud morale documentū, quod sicut qui pro alio fideiubet, ex ui pacti pro eo integra fide soluere debet: ita qui alium cõmendat non satis sibi perspectum, ac cognitum, & cuius

mentem uersatilem fortasse non detexerit, sui damnum pudoris pati cogitur. Grauiter enim Cicero ad Brutum ait, Temere de altero affirmare est periculosum propter occultas hominum uoluntates, multiplicesque naturas. Et Seneca, Neminem cito laudaueris, neminem cito uituperaueris. Et Horatius,

Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem, &c.
Scho. ad emb. 16. *Alciati Hering. de fideiuss. c.* 18. *n.* 11.

QVAESTIO LVIII.

An pro assecurationis contractu aliquid pretij accipi possit; & an libris Pharmacopola sit credendum, An aliud pro alio fingendo ei dare liceat.

THomas aromatarius Bonon. cum merces Venetijs, ut piper, saccharum, ceram, & alia emere uellet, quingentos aureos ab Alexandro mutuo petijt, conuentione cum eo facta, ut tàm pro assecuratione (ut dicunt) in eundo, quàm mercium in redeundo, arbitrio peritorum in arte, tot pro centenario sibi denrur, quæritur, an hic contractus in foro animæ sit securus. Insuper cum in d. Thomæ medicinis, ipse Alexander quędam pharmaca, credita, ut fieri solet, pecunia emerit, & pro eorum solutione, & conficiendis rationibus, medicorum pręscriptione sibi libros exhiberi peteret, ut cõstaret q̃d, & quãtũ deberet, pharmacopola libros solus exhibuit, in quibus simpliciter tantum sibi deberi pro datis pharmacis continebatur, quæritur an dicto libro fides præstanda sit? Tandem cum Melchior deliberasset Achillem vitricum necare, & ad eundẽ Thomam accessisset, ut uenenum sibi uenderet, aromatarius ipse ut innocentis uitæ consuleret, cinerem, & puluerem pro toxico tradidit.

QVAESTIONIS EXPLICATIO.

REsp. Tria in præsenti casu quæri uidentur, Primũ est an Alexander nummos mutuans possit aliquid à Thoma mutuatario accipere, eo quod in se recepit periculum pecunię per Adriaticũ mare traijciendæ, & per periculosa loca transferendæ; & an eidẽ mutuanti liceat, conuento pretio, suscipere in se periculum mercium eiusdem Thomæ, quæ per idem mare Bononiam usque deferuntur. Secũdũ an aromatarij libro, etiam non ostensis medicorum præscriptis, quæ vulgo recepta dicuntur, credendum sit. Tertiũ an puluerem pro ueneno ei uendere licuerit?

Vnde pro huius casus resolutione suppono.

SVPPOSITVM.

PEriculum in se suscipere, nihil aliud esse, quàm sortem, aut merces, ut aiunt, assecurare, aut tutas reddere, ut si absque mutuatarij culpa pereant, uel perdantur, totum damnum in mutuantem redundet. Solent namque nauigatores sæpe naufragiũ pati, aut à pyratis spoliari, & in alia pericula incurrere, eo quod mare, ob tempestates, uariosque fortuitos euentus discriminibus abundet, ita ut per mare nauigans in mortis periculo uersari dicatur, ut ex communi opinione tradit *Menoch. l. 2. arbit. Iud. cent. 1. casu 61. Polid. Rip. de actis in articulo mortis c. 33. Sebast. Medices. tract. de fort. cas. p. 2. q. 9.* (Qua etiam ratione fit, ut mercatores dum in itinere sunt, siue per mare, & flumina, siue per terram discurrant, inter miserabiles personas numerentur. *Alex. l. 7. cõs.* 130. *Tusch. in v. miserabiles. cõcl.* 273.) Hinc & *Propert. l.* 3.

Terra parum fuerat, fatis adiecimus vndas,
Fortuna miseras auximus arte vias.

Et Ouid.

Nam prope tàm lethum, quàm propè cernit aquam.

Vt non sine causa Cato Censorius dixerit, trium se quæ in uita egerit pœnituisse. Primo quod arcana fœminæ credidisset. Secundo si quis dies ipsi absque fructu effluxisset. Tertio si quopiam nauigio uectus esset, quò pedestri itinere peruenire licuisset. Ad idem facit memorabile Biantis dictum, qui nautam neque inter uiuos, neque inter mortuos ponebat. ut per *Menoch. l. c. & Bisfel. in comment. de usur. in c. nauiganti. tit. de usuris.* Proinde hic contractus assecurationis dicitur innominatus. s. Do ut facias, quia si merces in tuto erunt, tunc assecuratori merces soluitur, & absque dubio licitus est, dũmodo inæqualitatem non contineat, nempe si pretium receptum, & periculum quod suscipitur, communi hominum ęstimatione sint ęqualia, & ex parte utriusque contrahentis fraus absit; quæ si interuenisset, ut quia mercator ultra dimidium pretij conuenti assecuratori soluisset, habebit beneficium rescissionis contractus ex læsione, & in foro cõscientiæ contractus ad æqualitatem reducendus est, &c.

RESOLVTIO.

HIs sic præiactis, hoc mihi Primo dicendum uidetur, quod si Alexander Thomæ mutuũ dedit pecuniam per mare uehendam, cum pacto ut mutuo eandem accipiens, teneatur cum mutuante contractum assecurationis eiusdem pecuniæ, & mercium inire, contractus hic fœnoris morbo laborat, ut communis est scribentium sententia: quam clara illa ratio confirmat, quia mutuatarius ratione mutui ad aliquid pretio æstimabile ultra sortem obli-

gare-

garetur, s. ad contractum assecurationis celebrandum, &c. Si vero gratis, ac libere pecuniam trans mare vsque Venetias gestandam mutuet, & deinde illius summæ pecuniariæ, ac mercium Bononiam vehendarum periculum in se recipiat, potest tuta conscientia ob assecurationem, cuius virtute tenetur nauigantem quò ad nummos, & merces indemnem seruare, moderatum lucrum peritorum in huiusmodi arte arbitrio sumere; si quidem nauigantibus, vt dixi, maxima imminent pericula, & rei quæ per mare transuehuntur, pluribus incommodis, ac infortunijs subiacent. Sicuti generaliter permissum est pro fideiussione facienda tàm ob ciuilem illam obligationem pretio æstimabilem, & ob pericula, & damna, quib. ipse fideiussor subijcitur, pretium accipere. *Cencius de censibus p.2.c.1.q.2.nu.7.* Illud vero consecutiue in assecuratione iustum pretium dicetur, quod communi hominum æstimatione, vel aliqua lege humana taxatum fuerit, quæ si non extent, tùm in ratione periculi, & pro quantitate, & qualitate rei, quæ assecuratur, maius, minusue pretium præscribendum est, communiter tamen pro assecuratione centum, quinque, uel sex accipi solent. *Azor.p.3.l.11.c.18. Less.l.c.10. Bapt.Lup.& Bisfeld. in d.c.nauiganti Nau.c.17.nu.221. Graffius.l.2. decis.aur.c.1. Molina.de contract.d.507. Lessius.l.2.c. 28.dub.4. Reg.l.25.nu.11. Rebellus.l.16.q.1. Bonac. d.3.q.9.p.3.& alij communiter.*

Secundo illud mihi solide resoluendum videtur; Eiusdem Thomæ pharmacopolæ libro fidem adhibendam esse, ac proinde Alexandrum ad soluendū in totum teneri, quod in præfato libro scriptum apparet, consuetudine namque vbique fere receptum est, vt huiusmodi priuatis libris tanquam plene probātibus credatur, præsertim cum singulis annis per protomedicos recognoscantur, & diligenter inspiciantur; penes quos iurare solent, se iuste, & fideliter suum officium obituros, ut per Camillū Borellū *cons.*81. Quinimo extat Constitutio Iulij Papæ III. pro Aromatarijs confirmata à Clemente VIII. in Bulla Incip. *Laudabilis*, mandans ut ipsorum libris qui more mercantili bene tenentur, plena fides usq; ad annos quinque adhibeatur, teste etiam *Scaccia l. 2.de iud.caus.ciuil.c.11.n.136. Nicolao Genua. l.9. de scrip.priu.tit.de libris Aromat. & Riccio in decis. cur.Neap decis.*106. Et generaliter libros mercatorum datas, & accepta continentes, probationem facere aduersus eum, cōtra quem producuntur, cū iuramēto producentis, receptū est, vt ex cōi asserit. *Hering.de fideius.c.20.§1.Tusc.v.mercatorū.cōcl.*207

Quò ad 3.q. dico Thomam pharmacopolā multipliciter contra christianum officium deliquisse. Primo enim peccato mendacij peccauit, cum facto affirmauit, cinerem illum, uel puluerem esse uenenum, nilque minus peccauit, quàm si uoce idem enunciasset, neq; enim aliud est mendacium, quàm cum signum externum cum mentis notitia non cōsentit. *c.beatus.22.q.2.* Secundo, quia famam suam grauiter apud scelestum illum læsit, cum non curauit, quin apud illum cōlors criminis crederetur, cui additur etiam delictum scandali, cum alterius peccato materiam, subministrauit, pulueris namq; traditione, quæ tanquam uenenum sumebatur, alter ad interficiendum impulsus fuit, quamuis suapte natura res quæ tradebatur interimere non posset. Secundo quia non leuia sibi pericula creauit, uel illis se exposuit, si improb. Melchior, aut de ueneno dato in iudicium adductus esset, aut etiam extra iudicium, de ueneno sumpto à pharmacopola confessus esset. Tertio iniustitiam in contrahenda emptione, & uenditione commisit, in quo contractu, cum res data sit, quam nullo pacto emptor noluisset, utpote nullo pretio dignam, uenditor pretium duci ū aureorum reddere debet, & peccatum pœnitentia delere. Munus pharmacopolæ erat, ipsum Melchiorem de admittēdo flagitio christiana charitate admonere, & ab huiusmodi scelere dissuadere, uel si fraterna correctio non profutura crederetur, ut mala lum euitaretur, Iudici ut patri denuntiare, seu et ā in cōmuni, uel generali sermone comonefacere ut sibi caueret, eo quod esset, q eius uitæ insidiaretur, ut consulit. *Sayrus lib.12.clauis reg.c.14. num.8. & Graffius p.2.cons.4.tit.de homicidio.* Quod si nulla salutis uia ostendebatur, quia enixam uitricum occidēdi uoluntatē gerebat, & aliū aromatariū adijsset, à quo uerū uenenū emisset, &c. res tota Deo cōmittenda erat, neque enim humanæ est sapientiæ, & potestaris, cūctis malis mederi, qñquidem Deus ipse qui sapientia, & uirtute infinita pollet, q nullo negotio uniuersa mala auertere posset, inscrutabili eius iudicio non inhibet. *Comitulus in resp.mor.l.5. q.12.*

QVÆSTIO LIX.

Mutuo dans cum pacto, ut pignus quod pro cautione habet, sibi acquiratur, si statâ die mutuatarius non soluat, an peccet. Fructus rei venditæ an ad emptorem pertineant, uel potius ad venditorem.

Benedictus viginti quinq; aureos Eusebio mutuo dedit post annum restituendos cum hac conditione, ut si ad præstitutum tempus debitum non soluerit, torquem auream quam loco pignoris tenet, & 30 aureis æstimatur, amittat, & sibi acquiratur, & interim uxori suæ festis diebus gestandam dedit. Item cum rusticam domum cum uinea, & predio, mēse Iunij mille aureorum pretio, Eugenio uendidisset, cum nil de fructibus pendentibus sit cōuentum, eos ad se pertinere prætendit. Quæritur an ij contractus in foro conscientiæ subsistant?

SVPPOSITA, & PRAEVIAE notiones.

RESp. Suppono inter mutuantem, & mutuatarium absque vsuræ uitio pignus, sicut & fideiussores, recipi posse, & ab initio contractus, ut hæc præstentur, conueniri; nam usura committitur, ubi pro pretio mutui aliquid accipitur, at fideiussor, & pignus nō pro mutui pretio, sed quò cautior sit mutuans, se suum habiturum dantur, & mutuans ob pignus nihil præter sortem consequitur: non enim pignus, pignorisque fructus, si qui sunt, lucratur, sed uel ipsos restituere, uel in sortem computare tenetur. *c.1.& 2.ext. de vsuris.* Qui igitur mutuum tribuit, quo de mutuo recuperando sibi cautum sit, & fideiussorem, & pignus petere, ac recipere potest. Si quidem quadruplex est cautio. s. quædā nuda, quæ est simplex promissio, uel etiam iuramento confirmata; alia mediocris, cum omnium bonorum hypotheca datur; alia pleniot, quæ cum fideiussoribus fit; alia tandem plenissima, quæ cum pignoribus præstatur: melius est enim pignori incumbere, quā in personam agere; & indubitata est Iuris regula, quod ubi creditor habet pignus debitoris, quod cōmode uendere possit, fideiussorem conuenire non potest, *l. plus cautionis. ff. de reg. iur. ubi Cagnol. & Decius. & Aret. & alij in §. furti in st. de obligat. quæ ex delicto nascuntur. Ias. in l.1. ff. qui satis d. cog. Vgol. de usuris, c.9. §.1. Mozzius de pignore in princ. nu.15. Negus. de pign. & hypoth. p.1. nu.4. Mantica l.11. tit.1. Vasq. in opusc. de pign. c.1. §.1.* Molfes. tr. *1.c.18. Ripa. obser.60. Oldrad cons.68. Tusch. v. melius. concl.184. Hering. de fideiuss. c.18 num.68.* Vbi tamen contra *Dec. in d. l. plus cautionis.* cum cōi tenet, eum qui fideiussorem dare tenetur, præstando pignora, quæ in fideiussorum locum subrogantur, non liberari, nisi forte aliud fit conuentum, aut fideiussorem quis dare nequeat; tunc enim omni meliori modo quo potest, sua bona obligare tenetur, nam in casu necessitatis, inuito creditore, aliud pro alio solui potest. *Cornel. Benincasius de priuileg. paup. num.30.* Hinc statutum exigens fideiussorem præstari, intelligitur dūmodo fideiussor haberi possit, aliàs enim pignora, aut depositum sufficiunt. *Ceph. l.1. cons.89. nu.10. Horat. Carp. in Scholijs ad Stat. Mediol. p.1. c.44. num.51. & seq. & Hering. l.c. nu.84.* Sicuti etiam inquit ibi *nu.92.* cautio iuratoria in causis saltem ciuilibus admittitur, si quis fideiussorem dare nequeat, licet statutum fideiussorem exigeret; statutum enim iuxta ius commune intelligendum est, & non magis ius municipale, quàm lex ad impossibilia obligare debet. Porro cautionis nomine cum à lege, uel testatore profertur, nudam pro missionem iuratoriam significare, cum pignora, uel fideiussores haberi nequeunt, ex communi tradit *Duard. in comment. in Bulla Cœnæ Domini l.3. §.2. q.15. & Tusch. in v. cautio. concl.175.*

Secundo suppono, pignus esse duplex, nempe necessarium, quod Magistratus, Iudicisue iussu cōstituitur, & uoluntarium, quod hominum conuentio, uel testamentaria dispositio inducit. Et quamuis pignus aliquando pro hypotheca accipiatur, generali enim nomine pignus est contractus, quo ad crediti securitatem, res alicui datur; proprie tamen loquendo, interse differunt, nam pignus est de re mobili, hypotheca de re immobili, quæ creditori obligatur, sed eius dominium, & possessio apud debitorem remanet. Vnde si v.g. Benedictus torquem aureū, rem nobilem, pro crediti securitate, quod in ipsum habet tradat, pignoris contractum inire dicitur: hinc pignus dicitur à pugno, quasi de pugno idest, de manu ad pugnum traditum: si uero super domo aliqua uel fundo securum reddat, hypothecæ contractum conficit, quia rem immobilem obligat, quæ eo celebrato adhuc apud debitorem, non penes creditorem residet. *Rebellus l.16. q.1. de pignore. Mol. d.528. & alij communiter.*

RESOLVTIO.

HIs perpensis ad casus resolutionem deueniēdo dico, hunc contractum, usurariam sapere prauitatem, & iniustitiam continere, hoc enim est pactum legis commissoriæ, quod in iure reprobatur, eo quod illius uirtute res pignori data propter debitoris moram in soluendo amittitur, & creditori acquiritur. Hoc autem secundum iura dicitur rem in commissum cadere; sicut aiunt de rebus, quę ob vectigal non solutum amittuntur. Et de rebus emphyteuticis, quæ ob non pensum canonem per biennium, uel triennīū perduntur. Ratio uero quare huiusmodi pactum à iure reprobetur, est ne creditor sub conditione dilatæ solutionis, rem debitoris, sibi attribuat, aut emptam minus iusto pretio habeat, & sic causa mutui lucrum percipiat, & per cōsequens usuram, & iniustitiam committat. Quod adeo sacrosanctis legibus iniquum uidetur, ut nec iuramento, nec consuetudine firmetur. *Abb. in c. significante ext. de pignor. Nau. c.17. nu.214. Cou. l.3. var. resol. c.6. nu.7. Syl. in v. pactum. q.14. v. usura 3. q.1. v. pignus q.6. Io. Bapt. Lup. in l.2. C. de pactis inter empt. & uendit. nu.16. Azor. p.3. l.7. c.10. Graff. l. 2. decis. 93. nu.38. & c.109. nu.16. Mozzius de accident. pign. nu.9. & 10.* Vbi etiam habes quando, & quomodo pignus uendi possit, & alteri pignorari, uel obligari.

Secundo dico ipsum Benedictum torque sibi pignorata utendo, cum usu atteratur, & deterior fiat, usuræ labe infici, etiamsi de debitoris uolūtate hoc fiat, uel etiam furtum committere, si eo inuito utatur,

tur, ut nonnullorum est sententia, Ego autem potius censerem illa absq; culpa uti posse, quando nullum debitoris damnum interuenit, uel eius expressus, uel tacitus consensus accederet, præsertim cum huiusmodi rei usus ab eo non locari, sed gratis concedi soleat, ut etiam de libri usu, & contrectatione Doctores exemplum afferunt. ut ex communi tradit *Bonac. d. 3. q. 10. p. 1. nu. 7. & Reg. l. 25. num. 588. Filliuc. tr. 38. cap. 9. num. 180. & D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 15. §. 3. Nau. cap. 17. num. 203.*

Vnde ex iam dictis, & scribentium de hac materia doctrina, tres obligationes potissimas ex parte dantis pignus, & tres pariter ex latere creditoris pignus ipsum accipientis, elicio, Prima est, ne debitor rem uni creditori pignori datam adhuc det alteri, nisi illa res sit tantæ æstimationis, quantæ est utrunq; debitum. Secunda quia omnes expensas necessarias circa illam factas soluere tenetur. Tertia quod pignus repetere non poterit, donec integrum pretiū soluerit. Creditoris autem prima obligatio est, curare, ne ipsum pignus pereat, ita ut damna resarcire teneatur, quæ eius dolo, lata culpa, uel leui contigerint, non autem de leuissima, uel casu fortuito tenetur, cum hic contractus in utriusque gratiam celebretur. *l. qua fortuitis, C. de pignor. act. Tuschus in v. pignus concl. 345. Ricc collect. 1085. Bonac de cont. d. 3 q. 1. p. 6. nu. 12. & nu. 21. Faustus de cone. d. 13. q.* 8. Secundo vt si post aliquod tpusē, & debitore admonito, rem uenderit, & pluris quàm debitum valeat, illud residuum debitori integra fide restituat. Tertia est, ut pignore prout dixi uti nō possit, nisi in casib. exceptis, ut cum usus in bonū debitoris cedit, uel quādo ex usu nullum damnū patitur, seu etiam quando eius usus gratis, & liberaliter inter amicos concedi solet; lex enim amicitiæ postulat, ut quod tibi non nocet, & alteri prodest, iuxta morales philosophos facile concedi debeat. Addo ad creditoris officium spectare, personam non ostentare, cui sub occulto pignore mutuas pecunias dedit, & qui fortasse cum rubore indigētiam suam, & miseriā apud eum detexit, si quidem grauiter peccaret, si ignota pignora alijs panderet, uel apud hospites eis uteretur, uiolatur enim fraterna charitas, quæ præcipit, Quod tibi non uis fieri, alteri ne facias. Itē humana amicitia non leuiter læditur, & aliquando graues inimicitiæ, & multorum malorum seges producitur, prout ipsi moralis scriptores admonent.

Ad 3. q. respondendo dico fructus prædij uenditi ad Eugenium emptorem pertinere, si enim fructibus iam maturis, ager distractus sit, nisi aliud sit conuentum, fructus ipsos emptoris fieri exploratı iuris est. *l. Iulianus. §. si fructibus, ff. de act. empt.* Quod etiam ex eo probatur, quod fructus pendentes fundi pars esse uidentur, *l. fructus, ff. de rei vindicat.* ergo re uendita fructibus iam pendentibus emptori acquirūtur. Accedit alia maxime æqua, ac conueniens ratio, quod post perfectam uenditionē periculum, & commodum rei uenditæ etiam non dum facta ipsius rei traditione, nec soluto pretio, ad eum qui emit spectant, *l. 1. C. de periculo, & commodo rei vendita. §. 1. inst. de empt. & uendit. Conar. l. t. uar. resol. cap. 15. Tuschus in v. fructus concl. 495.* Dixi autem, nisi aliud sit cōuentum, quia ualet cōuentio contra naturam contractus, ut quis in plus, uel minus teneatur quàm de iure sit obligatus; si quidem contractus ex conuentione partium legem accipiunt. *cap. contractus de reg. iur. in l. Cagnol. in l. contractus, nu. 70. ff. de reg. iur.*

ARTICVLI, QVÆSTIONES, ET casus, qui fieri poterunt super materiam depositi, commodati, & precarij. Cap. XXII.

QVAESTIO LX.

Minister, vel depositarius Montis Pietatis, an possit pro suis necessitatibus subleuandis deposita pecunia uti, & c Muliones an teneantur de furto mercium apud se depositarum, & an si gabellam defradant, sibi uel potius domino cuius sunt merces, qua deferuntur, praiudicent.

IVlianus Montis pietatis præcipuus Depositarius, ac minister, ex cumulo pecuniarum, quæ ibi ad subueniendum pauperibus deputantur, sæpius aliquam notabilem quantitatem desumpsit, qua animo restituendi, & eam in pristinum statū reponend, pro suis negotijs conficiendis, & necessitatibus subleuandis usus est. Insuper cum octingentos aureos nomine priuati depositi ab Aurelio acceperit, ijs pariter utitur, & quinque pro quolibet centenario quotannis illi persoluit. Item cum Henrico mulioni quasdam merces Mediolani emptas Cremonam uehendas dedisset, nec palam fecerit, quod in una ex sarcinis, uel fascibus. 300. nummi aurei inclusi essent, mulio iter suum faciens, dum in stabulis propriæ domus mulos, & ipsas sarcinas reposuisset, fures clam aperto ostio unam ex eis ubi pecunia latebat, furati sunt, quod quidem furtum Henrico imputandum, & omne damnum sibi resarciendum prætendit. Et cum in uia uectigal defraudauerit, sibi non præiudicium afferri vult, sed ad id publicanis soluendum eum teneri. Hæc nunc confessario refert, quæritur quid ei rñdere debeat?

PRIMVM SVPPOSITVM.

REsp. Prius quam hunc casum resoluamus, obseruandum est, Primo, montes pietatis hoc nomen

nomen sortitos esse, tùm quia ex pauperum pietate ad miserationem, tùm quia ad piam causam instituti sunt; Si quidem nomine Montis pietatis intelligitur summa pecuniæ, aut frumenti, aut alterius rei similis ad pauperum miseriam subleuandam, ne sub usuris ex quibus facultates exhauriuntur, mutuam pecuniam accipere cogantur. Ex qua summa mutuum ipsis pauperibus dari solet, accepto ab eis pignore, ad certum tempus, sub ea conditione, ut pauperes qui mutuas pecunias accipiunt, aliquid soluant pro sustentandis ministris, qui ad hoc munus deputantur, & pro alijs laboribus, & expensis, quæ ad hoc officium obeundum necessaria sunt, ut ad custodiendum pignus, ad rationes dati, & accepti in codices referendum, &c. Si uero contingat mutuatarios præscripto termino non soluere, pignora sub hasta uenduntur, ut ex eorũ pretio, monti, & eius ministris satisfiat, & quod superest, pignorum dominis restituatur. Quos quidem omni usuræ, uel iniustitiæ labe carere, imo pietatem, & iustitiam abunde continere, locum esse pium, & ecclesiastica immunitate gaudere, Summorum Pontificum decreta testantur, & Doctores communiter approbant. *ut per Arrag. 22. q. 78 art. 4. Tol. l. v. c. 38. Nau. tract. de usuris. nu. 59. Mol. d. 325. Salas. de usur. dub. 33. Vgol. c. 4 §. 1. Reg. l. 25. num. 207. Grilenzonium. conf. 2. & alios.* Quippe pauperum habendam esse curam passim in sacris paginis præcipitur. *Simancas. de rep. c. 29.* O miserabilis conditio mendicantis, ait Innocentius *de vilit. cond. hum.* Si petit, pudore suffunditur, si non petit, egestate conficitur, & ut mẽdicet, necessitate compellitur. Deus causatur iniquus, quod nõ recte diuidat: proximus criminatur malignus, quod nõ plene subueniat, indignatur, murmurat, imprecatur. Vnde Salomon, *eccles. c. 40.* Melius est mori, q̃ indigere; Etiam pximo odiosus erit, Fratres hoĩs pauperis oderunt eũ, & amici recesserunt ab eo. hæc ille. Lapis propter grauitatem, & ponderis difficultatem paupertatis est symbolum. Hinc ille senarius.

Nullum pauperie molestius est onus.

Et ut est in adagio, pauperi ne parentes quidem amici. At Greg. Nazianz. in ea oratione, quam de pauperum amore conscripsit, postea quam eorũ calamitatem luculenter descripsit, ea omnia tàm spiritualia, quàm corporea beneficia enumerat, quæ à Deo ipsis contigerunt, quò ostendat, non propterea contemptui eos esse debere, quod mundi opibus careant. Diues ait, *D. August. de uer. Domini serm. 25.* propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem. Pauperis est orare, & diuitis erogare. Sed quia sæpe numero diuitum manus erga pauperes, & egenos contractæ sunt, in eorum subsidium Montes pietatis instituti sunt. Quis vero dicatur pauper, & qs diues, Iudicis arbitrio relinquitur. ut per *Menoch. de arbit. Iud. casu. 65. & cons. 433. Mascar. de prob. concl. 1554. Tusch. v. pauper. concl. 160.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

Secundo notandum, depositum nihil aliud esse, quàm contractum, quo sola rei custodia alteri committitur; dictum quasi seorsim positum à ponente apud alium, ut ostendatur, totum eius fidei commissum, quod ad rei custodiam pertinet; nam nec dominium, nec usufructus in depositariũ trãsfertur, sed ut, dixi, sola rei custodia depositario committitur. *Tusch. v. depositum. concl. 198. Mant. de tac. & ambig. l. 10. tit. 1.* Ex qua descriptione facile colligi potest, ad huius contractus substãtiam, quatuor requiri. Primo ut res deposita alicui tradatur. Secundo apud custodiendum detur, deponere enim in domo non sufficit, ut quis depositum cum aliquo celebrasse censeatur, nisi is illius custodiam suscipiat, aut ei dicatur, hanc rem tibi in custodiam trado, & huiusmodi; nisi ẽt is ex officio custodire teneatur, ut sunt stabularij, caupones, nautæ, & aurigæ, tunc nãque satis est, illis uidentibus, rem in domo, uel naui, seu rheda deponi, ut docet *Molina disp. 522. Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 1. Rebell. par. 2. lib. 16. quæst. 1.*

Tertio ad depositi naturam exigitur, ut eadem res deposita integra reddatur, nam aliàs in mutuũ transiret.

Quarto, & vltimo ut depositum gratis quis suscipiat. Siquidem est gratuitum, non mercenarium officium, vnde quando quis stipendio donatus rem depositam conseruat, illa in contractum locationis transmigrat. vt post multos obseruat *Mãtica de tac. & ambig. lib. 10. tit. 1. & Faustus. disp. 8. quæst. 1.* Propterea depositum distinguitur. Primo à mutuo, quia per illud dominium in mutuatarium transit, nec nisi post certum tempus repeti potest, quod deposito non cõceditur. Secundo à commodato, quod gratis ad certum vsum datur, sicut & precarium ad incertũ dati solet. Tertio à pignore differt, eo quod pignus ad creditoris cautionem exhibetur: depositum vero ad solam rei custodiam traditur. Discrepat vero à sequestro, quoniam per illud res non cõmittitur alteri principaliter, vt custodiat, sed ut possideat, donec inter partes de eadem re litigantes appareat, quis eiusdem rei sit, uel esse debeat dominus; atque ideò prædicta depositio penes tertium aliquando fieri solet, uel communi collitigantium consensu, uel ex solo Iudicis officio præuenientis in sequestrando, ne partes pro eiusdem rei adipiscenda possessione, ad arma concurrant, cum ad Iudicis, & Gubernatoris officium spectet inter subditos pacem conseruare, & diffidentes conciliare. Et quidẽ ea ratio eos commouere debet, quod diffidia multorum malorum cohortem gignunt, sicut pax omnium

nium rerum copiam in rempub. importat, propterea antiqui finxerūt, pacem fuisse Plutonis Dei diuitiarum nutricem. Sicut itidem optimi Principis officium in id incumbere debet, vt populum in suis regionibus necessario prouentu instructis foueat, ac tueatur, habita primum ratione tempestatum, ac earum calamitatum, quæ in dies accidere solent, sinatque ebullientes hostium procellas conquiescere, vt securius postea in pace viuatur. Idque Alcyonum more, quæ quo tempore mare pacatum esse solet, fœtum edunt, &c. *Alciat. emb.* 179. Cum si Dioni credimus in oratione *Mæcen. & Chocb. l.* 1. *Polit. c.* 11. Is demum sit optimi Principis finis, non modo vt ipse omnia ex officio agat, sed vt qua ratione etiā reliqui omnes optimi fiant, prospiciat. *c. Nudēdum dist.* 90. *l. congruit ff. de offic. Præsidis*. Hinc triplex constituitur depositum. Primum est sequestrum .i. rei litigiosæ depositio, siue sit voluntarium, quod de partium consensu fit, siue necessarium, quod à Iudice etiam parte inuita præstatur. Secundū est, quando debitor creditori suo pecuniam debitam offert, eamque creditore accipere recusante, ad interesse deuitandum, coram testibus authoritate Iudicis cōpetentis in publicum locum deponit. *Valenzuel. cons.* 67. *Thesaur. in Forens. Quæst. l.* 1. *q.* 88. Tertiū depositum priuatum tamen, & voluntarium, est quando quis penes amicum rem aliquam tantum custodiæ causa deponit, ita ut dominium, & rei depositæ possessio penes ipsum deponentem maneat. *Io. Oinot. in* §. *præterea. Instit. ciuil. tit. de deposito. Mol. de cont. d.* 522. *Azor. p.* 3. *l.* 7. *c.* 2. *tit. de deposito. Reg. l.* 25. *n.* 560. *Gargias de cont. c.* 2. *Arism. Tepat. tit.* 364. *c.* 10. *Tusch. v. depositum. concl.* 204.

TERTIVM SVPPOSITVM.

Tertio prænotandum, Depositarium non posse re deposita vti, si deponens expresse prohibuisset, nam contra Domini voluntatem ageret, & in iure furtum committere censeretur. *l.* 3. *C. deposi. ti.* §. *furtum instit. de obligat. quæ ex delicto nasc.* In tribus tamen casibus excusari posset. Primo quando vtendi facultatem expressam habuisset. Secundo quando bona fide crederet ipsum dominum illius rei vsum concessurum, vel ratum habiturum, vt si v.g. quis vestem deposuisset, & nisi depositarius aliquando vteretur, à tinea sensim consumeretur. Tertio quando deposita est pecunia numerata, non obsignata, neque in sacculo clausa, nec deponens vetuit ne depositarius illa vteretur, in quo etiam casu pecuniæ numeratæ deterioratio ad ipsum depositarium spectat. *Mar. Anton l.* 2. *var. res. resol.* 13. *Comitulus. in resp. mor. l.* 3. *q.* 37. *Faustus disp.* 8. *q.* 5. *Filliuc. tract.* 34. *c.* 2. *q.* 12. Idem dicendum est de ijs, quæ in pondere, & mensura consistunt; nam nisi de deponentis voluntate aliud constet, integrum est depositario illis rebus vti, & cum repetuntur, aliud tantundem in eadem specie, & bonitate restituere potest, & quidquid ex prædicto vsu lucratus fuerit; cum eodem deponente communicare non tenetur. *Nau. cons.* 1. *&* 2. *tit. de deposito. & cons.* 2. *de empt. & uendit. Tol. l.* 5. *c.* 22. *Molfes. tr.* 12. *c.* 15. *nu.* 21. *Mol. de cont. d* 402. *Lessius. l.* 2. *c.* 27. *dub.* 3. *Beia p.* 1. *resp. cas conscientia casu* 42. *Syl. Ang. Tab. Rosella. & alij in v. depositum.* Addo ex communiori resolutione deponentem pecuniam apud vsurarium qui nullos alios nummos habet quos fœnori det, ipsius peccato cooperari, & ad restitutionem vsurarū teneri. *ut ex D. Th. Soto, Salone, & alijs* resoluit *Reg. casu* 60.

Quarto notādū in deposito cōmitti vsurā mutuo palliato, vbi deponēs depositario permittit, vt ea re consistente in numero, pondere, & mensura vtatur, adiecto pacto expresso, tacitoue, vt ei salua semper sorte aliquid tribuat; vel etiam hoc solū animo deponatur, vt aliquid habeatur. Imo etiā vsuram perpetrat, qui pro depositi mercede, re deposita vtendi facultatem tribuit, idq. merito, nam potius Depositario aliquid præstare debet, quàm ob custodiam accipere; qui ergo apud Campsores, Mercatores, vel Montem pietatis pecuniam deponit, quò aliquid accipiat, vsuraria lue se inficit, vt ex communi tradit *Vgol. de usur. cap.* 62. Excipitur tamen, vbi apud montem in pauperum fauorem, & commodum deponeret, & ob id negotiari intermitteret, pro lucro enim omisso, iuxta conditiones requisitas, recipere aliquid posset. Secundo vbi non hoc animo daret, & nulla conuentio interueniret, nam tunc si gratis aliquid detur, fœnoris vitio caret. Et sicut depositarius qui pecunia ipsa lucratus est, & rem propriam egit, potest, imo debet ex honestatis, & vrbanitatis lege gratus re ipsa esse; ita vsuræ culpa non subest, si pecuniam ipsam apud gratum mercatorē deponat, quem sibi beneficum fore sperat. Grauissime enim à Valerio Maximo dictum est, Dādi, & accipiendi beneficij commercium, sine quo vix hominum vita constat, perdit, & tollit, quisquis bene merito parem referre gratiā negligit. *Sotus l.* 6. *de iust. & iur. q.* 3. *art.* 1. *concl.* 4. quem communiter omnes sequuntur.

Si vero depositum ex ijs rebus constet, quæ vsu non consumuntur, nec functionem recipiunt, quando vsus conceditur, in commodatum transit, vt accidit quando equus traditur, & illius vsus permittitur vel in locatum, quando pretium pro vsu eius rei exigitur. *Nau. cap.* 17. *num.* 18. *Roder. par.* 1. *Summa cap.* 72. *num.* 7. *Reg. num.* 557.

RESOLVTIO.

His prænotatis, resoluo Primo Iulianum à culpa, iniustitia, & vsura immunem esse, si seclusa

clusa omni alia prohibitione, pecunijs in Montem pietatis depositis, ac deputatis, in aliqua sua necessitate vtatur, & modo in ipsius montis, vel pauperũ detrimentum non vergat. Dixi si seclusa,&c. quia alicubi,vt Bononiæ, Apostolico indulto cautũ est, ne ministri,vel Depositarij Montis eiusdem prouẽtus,introitus,vel assignatas,seu deputatas pecunias, in totum, vel pro aliqua parte, & alias ob causas, quam illas,ad quas ordinantur,ac deputantur,quouismodo conuertere præsumant,sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Summo Pontifici reseruatæ,vt constat in Bulla Iulij II. Incip. *Ad perpetuam rei memoriam, &c.* A qua tamen censura, & pœna transgressor excusari poterit, si probabili iuris ignorantia laborabat. Si quidem ad incurrendam excommunicationem semper habendus est oculus, si huiusmodi contraueniens, & legum violator contumax, vel inobediens dici possit, &c. vt ex communiori,& magis in praxi recepta sententia ait *Sayrus l.1.de cens.c.18.Carbo l.8. de legibus disp.13. Lazarius de Monit.sect.4.q.16.& alij.* Dixi etiam modo in ipsius Montis,&c. quia licet ex communi DD. placito; Depositarijs, Oeconomis, & Thesaurarijs qui in deposito pecunias habent integrum sit, negotiari, & propriæ industriæ lucrum sibi reseruare,& multo magis si hoc agant,vt vrgenti alicui necessitati propriæ succurrant; hoc tamen semper intelligitur,dummodo in mora rendendi non sint, cũ ab eisdem repetuntur, vel nisi alijs quibus pecuniæ soluendæ sunt damnum inferatur,&c. *Bonac.d.3.q.13.p.1.num.3.& seq.*

Secundo alteram quæstionem resoluendo, dico, ex iactis fundamentis, & suppositis, Iulianum non posse tuta conscientia ob depositum Aurelio quinque pro centum dare,quia est vsurario crimini cooperari,vt enim supra animaduertimus, ea est depositi natura, vt depositarius eius curam gerere teneatur,& ad arbitrium illius, qui deposuit, restituere, id quod cum sit pretio æstimabile,à deponente magis accipere aliquid deberet, quàm vltra sortẽ plus reddere, quamquam ipse depositarius eo quod pecunia penes se deposita pro suis commodis in negotijs vtitur,poterit,imo & tenebitur ex debito,nõ tamen iustitiæ,sed cuiusdam gratitudinis moralisque honestatis aliquid deponenti tradere *Sot.l.c. Graffius l.2.decis.aur.c.109.nu.11.Boninsignius in tract. ad iustas negot.de Monti.c.6.* Quò etiam fit, vt cum causa Depositarij tantum res est deposita de culpa leuissima teneatur, vt si quis apud publicam personam puta Campsarium pecuniam eo fine deponat vt in suum commodum si opus est vti possit:vt communiter DD. tradunt, & nota praxis comprobat. Quando vero nummularij cedunt bonis qui prior pecuniã deposuit, an alios etiam nisi regionus vsus, vel municipalis lex obstet,illã repetere potest. *Mozzius de deposito.num.14. Decian.vol.1.consil.11.*

Ad 3.q. resolutiue dico quod licet contra nautas caupones, stabularios,muliones, & huiusmodi homines mala præsumptio vrgeat, & cum furacissimũ genus habeatur, ad eorũ improbitatem reprimenda multa specialia in eos à iure sint statuta, iuxta illud *Horat.q l.1.Satyra v. Inde forum Appi.*

Refertum nautis, cauponibus, atque malignis.

Clarus *in §.furtum.Mascard.in v.furtum concl.832.num.11.* Nihilominus si veritatem sequimur, resoluendum est, Honorium mulionem ad solutionem mercium,quæ in sarcina erant teneri,non autẽ ad restitutionem pecuniæ intromissæ,quia circa pecunias Iulianus à culpa immunis non erat,quò mulioni eas pecunias nõ significauit,qui si sciuisset, diligentiorem curam in custodiendo adhibuisset; vt in Pedamontano Senatu decisum esse refert. *Thesaurus in For.quæst.l.3.q.61.*

Ad 4.q. pariter dicendum videtur, mulionem qui merces vehendas suscepit, eas vitio afficere non potuisse,cum non essent propriæ,neque in illius dominio constitutæ:ac proinde in commissum eas non cecidisse,cum vnius culpa alteri sine proprio facto damnum inferre nequeat, nam inter iustitiæ præcepta est,honeste viuere,alterum non lædere,& ius suum vnicuique tribuere, *Cagnol.In l.non debet.ff.de reg.iur.* Vnde Publicanis contra mulionem qui vectigalia defraudauit nesciente Iuliano, ad æstimationem agere licebit. *Thesaur.l.1.qq.Forens.q.52.* Vbi tamen addit,licet hoc durum videatur,contrarium de consuetudine obseruari.

DEPOSITARII, & DEPONENTIS obligationes.

Atque ex his tres principales obligationes generales eliciuntur, quib. depositarius ex depositi contractu astringitur, Prima est rem apud se depositam custodiendi ea fide, & cura, qua res suas curare solet. Et quidem cum depositum in gratiam tantum deponentis fit, depositarius solum de dolo, & lata culpa tenetur;cum vero stipendium, vel merces datur,non solum de dolo, & lata culpa, sed etiã de leui culpa obligatur, vt quò ad conscientiæ forũ de nautis, cauponibus, & stabularijs asserunt DD. & inter alios *Polid. Rip. multos referens de nocti. temp.c.81.& Bonifacius. de furtes.§.vel etiam num.107.Faust.q.7.& 12.* Et licet nautæ ipsi, caupones, & stabularij, qui accepto stipendio res alienos deposito recipiunt, in foro externo iure sic disponente de leuissima culpa teneantur, quod quidem ad cohibendam eorum improbitatem,cum vt plurimum male audiant, & vt eorum fraudibus obuiam eatur, statutum est. In foro tamen conscientiæ solum de dolo lata ac leui culpa ratione contractus,vel quasi contra-

contractus; in vtriusque partis vtilitatem celebrati ante sententiam teneri videntur. vt ex communi ait *Fillius.tract.34.c.1.nu.23.Sa.in v.culpa. Bonac.de contract.d.3.q.1.p.6.nu.19.* Nald.in v. *culpa num.5. contra Angles in Theolog. qq.9. quis sit libera restit. diff.18.& alios*. Secunda rem depositam restituendi absque mora, quandocunque dominus illam repetet, eamque in eo statu, in quo illam accepit, hoc est non corruptam, aut fractam, nec aliquo modo deteriorem factam, viri enim christiani est depositã rem prompte reddere, illo etiam sic admonente,

Reddite depositum, pietas sua fœdera seruet.

Nec illud denegare, vel maximo creditorũ dispendio, solutionem litigijs in dies protrahere, quod manifestum furtum est. Imo iniquius scelus esse depositum denegare quàm mutuum, multis rationibus probat *Tholosanus.in syntag.iu.lib.22.cap.4.* Illis tamen casibus exceptis, in quibus depositarius rem depositam reddere non tenetur, vt quando si redderetur, id in alicuius iniuriam vergeret, &c. *Lazar.de monit.1.& 2.q.14.& sect.3.q.4.* Tertia est non vti re deposita absque consensu expresso, vel tacito depositoris, nisi in illis tribus casibus, nempe quando haberet expressam à deponente facultatẽ, vel bona fide crederet dominum concessurum, seu quando deposita est numerata pecunia, &c.

Deponentis autẽ tres pariter sunt obligationes. Prima est, quod si, vt dixi, absque dolo, aut lata culpa depositarij res pereat, ipsi Deponenti perire debet, quia depositũ regulariter in gratiam deponentis fit, vnde si negligentem rei suæ custodẽ elegerit, suæ facilitati imputare eum paret. Hinc si Depositarius rem depositam per aliquem famulum fidelem mittat, nõ tenetur de casu, si ille per quem mittebat, aufugiat. Multo minus tenetur pœnitens Depositarius amplius restituere post rei restituendæ cõsignationem confessario factam; nec consequenter debet, vel potest, rursus ob illud debitum excommunicatione affici. *Lazar.de monit.sect.4.q.6. Lopez in Summa.p.1.c.79.num.17.* Secunda est, vt impensas necessarias, & vtiles, si quas Depositarius in re deposita fecit, item damna, si qua passus est restituat. Tertia vt ex gratitudinis, & honestatis lege, ob custodiam exhibitã, aliquid ipsi Depositario tribuat; nam ex Plinij sententia, vt alibi dixi, sicut faba, & lupinum non exhaurit; sed stercorat agrum in quo alitur; ita gratus meliorem reddit fortunam eius, à quo beneficio adiuuatur, & gratiam refert eius, qđ accepit. *Ang. Aret. Oinot.& alij in §.præterea.in stit. tit.de deposito. Abbas,& alij in c.1.ext.de deposito,& DD. supra citati.*

Porro apud omnes constat, Depositum qđ est cõtractus bonæ fidei, varijs priuilegijs gaudere: inter quæ illud præcipuum est, quod, vt diximus, habet executionem paratam, vt proinde in foro exteriori, quidquid fit in interno iudicio, compensationis exceptio opponi nõ possit. *§.siquis C.depositi.* Et rõ redditur. *in c. bona fides. ext. de deposito*, ne contractus depositi qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Hinc apud Pisidas, vt auctor est. *Stob. serm. 42.* grauissime semper depositi causa agebatur, apud quos siquis eius fidem violasset, sæuissimo mortis supplicio afficiebatur. *Mant.l.10.de tacit.& ambig.tit.10. Molfes.tr.12. cap.15. Mascar. de probat. 508. Taschus in v. Depositũ.cõcl.cõcl.199. Mol.de cõt. disp.524.Lopez.l.2.c.37. Less.l.2.c.27.dub.4. Faust. disp.9.q.18. Menoch.cons.1111.nu.44. Oinot. in §. præterea. inst.tit.de deposito.*

QVAESTIO LXI.

Commodatarius an teneatur ad restitutionem aliquã cum res commodata apud se perit, & dato quod teneatur, an ex alio capite compensationem facere possit, & an argenti legati nomine veniat peluis commodata, si testator ante restitutionem moriatur, &c.

Albertus cõmodato accepit duos libros à Geminiano, item vinarium dolium, cum autem libri ob incendium sint ab igne simul cum aliquot proprijs rebus absumpti, & dolium quia vitiosum erat, vinũ effuderit, qrit, an librorũ ipsorũ æstimationem ei restituere teneatur, & casu quod teneatur, an aliquam compensationem facere possit, ob damnum sibi à commodante illatum, propter rem vitiosam sibi accommodatam, &c. Insuper cum Peluuium argenteũ ab eodem Geminiano cõmodatũ haberet, & in testamento omne argentũ, quod habebat, Ioanni legasset, & ante illud vas redditum ipse Geminianus testator decesserit, quæritur, an eã argenteam peluim ipsius testatoris hæredibus, vel potius Ioanni legatario restituere teneatur, & quid confessarius respondere debeat? &c.

SVPPOSITA.

Resp. Præmittendum Primo, commodatum, quod est vnus de contractibus, qui re ipsa, i. actuali rei traditione perficiuntur, nihil aliud esse, quàm contractum, quo res alteri ad certum vsum gratis conceditur, atque ita dictum, quod alterius cõmodo datum sit. Dictum est contractus, loco generis, quia in hoc cum alijs contractibus conuenit; in reliquis vero differt: nam per illam particulã res, demonstratur, quod hic contractus non oritur, nisi vt dixi, res interueniat, sicut & mutuum, pignus, depositum, & precarium. Per illa verba ad certum vsum, distinguitur à mutuo, in quo non solum vsus, sed etiam dominium transfertur; In commodato

vero

vero folus vfus datur, quamquam & commodatarius peccat, fi re commodata diutius, vel ad alium vfum, quàm ei conceffum eft, vtatur. Hinc *Valer. Max.l.8.c.2.& Aul.Gal.l.7.c.15.* fcribunt, furti aliquando eum condemnatum, qui equo commodato ad eundum ad certum vfque locum, paulo longius vfus fuiffet. Per illud verbum certum, fecernitur à precario, quod indefinite, & fine certi vfus præfinitione conceditur, vt proinde quandocunque reuocari poffit; quod in commodato non accidit, fi quidem nondum elapfo tempore ad quod vfque datũ fuit, repeti non poteft, etiam commodantis neceffitate fuperueniente, fi commodatarius aliunde erat habiturus, &c. Quò fpectat illud Diogenis, qui cuidam pallium ab eo repofcenti lapide refpondit, fi donafti habeo, fi commodafti, vtor, fignificans, non effe fibi in animo reddere, fiue dono, fiue commodato accepiffet; quippe turpe, aiebat ipfe, eft repofcere, quo donando dederis, & in humanum eripere quod vrenti opus eft. Adiectum eft illud verbum gratis, ad differentiam locationis, & conductionis, quæ dato pretio celebratur, quamprimũ enim merces pro vfu rei tribuitur, in aliam fpeciem cõtractus tranfit *Gloff. & Doct. in c. 1. ext. de commodato. Tholofanus in Syntag. iu. l. 23. c. 1. Fillinc. tract. 34. c. 8.*

Secundo prǽmitto, Commodatarium non folum de dolo, lata culpa, & leui, fed & de leuiffima teneri, quia commodati contractus in gratiam, & commodum folius accipientis celebratur; non tamen cafus fortuitus, qualis regulariter eft incendium, eum obligat, vt fi v. g. ignis ab alio in domum commodatarij immiffus eft, vel vicini ædes exuftæ fuerunt, & venti vis ignem in domum ipfius commodatarij depulit, vel fulminis ictu incendium eft ortum, tunc enim eum cafus fit mere fortuitus, ei non imputatur. *Bal. l. 4. conf. 189. Tufch. v. commodatarius cõcl. 481. Mantica de tacit. & ambig. l. 9. tit. 1.* Aliàs vero in dubio fi incendium in domo commodatarij exordium fumit, culpa inhabitantium, & non cafu fortuito ortum præfumitur, ita vt in praxi probato incendio contra in domibus habitãtes probata fit intentio, &c. *vt per Oinot. in §. Item is tit. de cõmodato. Sebaft. Medices. de cafibus fort. q. 16. Menoch. l. 2. de arbit. iud. cent. 4. cafu. 389. Mafcard. de probat. vol. 2. concl. 1392. idem Tufch. in v. incendium. concl. 61. Thefaur. decif. 24.* Dolus eft calliditas, fallacia, vel machinatio ad aliquem decipiendum adhibita. Culpa iuridica generaliter fumpta, vt à theologica diftinguitur (quę eft peccatum vel mortale, vel veniale) eft omiffio diligentiæ, quam quis adhibere tenetur. Lata culpa eft illa, quam communiter homines vitare folent, vt qui librum fibi commodatum ante fores domus, vel in platea reliquit, vel fciens fe poft cibum fumptum ftatim dormire folere, librum apud ignem eum legendo decidit, & combuftus eft liber ipfe, latam culpã circa libri cuftodiã cõmififfe dr̃, quia eam diligentiam non adhibuit, qua cõiter prudentes viri vti folent, ẽtfi librum ibi ex fomno, vel ex naturali obliuione reliquerit, nam etfi à theologica culpa, vel peccato excufetur, à iuridica tamen culpa immunis non eft. Culpa leuis eft illius cautionis omiffio, quam diligentiores adhibere cõfueuerunt, vt fi librum in cubiculo aperto reliquerit, vel ignem in eo cubiculo, ad caminum accẽdat, vbi linum, vel cannabũ iacet. Si vero fecit, vel omifit, quod ea in re diligẽtiffimi viri non facerent, aut non omitterent, culpam leuiffimam admififfe cẽfetur, vt fi eundem librum in cubiculo reliquerit clauo quidem obferato, attamen manu non tentauit, nũm claufum maneret, vel in lecto iacens quia dormire nequit, è filice ignem excutiens, vt candelam accenderet, fcintilla in fcripturas fuper tabella incidit, & eafdem fimul cum libro combuffit, &c. Cafus vero fortuitus eft rei inopinatæ euentus, qui etiã per diligẽtiffimum prǽuideri, aut præcaueri nequit, vt fi, prout dixi, ex vicini combuftione propria domus comburatur, vel cœlefti fulmine ignis immiffus fit, &c. Licet omnia à diuina prouidentia procedant, nam tefte. *D. Chrifoft. in Matth. c. 7. hom. 19.* Sicut nihil poteft fine radice nafci, fic nihil valet fine prima caufa fieri. Et vt Ethnicus ille cecinit,

Nihil fine numine Diuum;
Euenit, &c.

Nau. c. 17. nu. 177. Salon. 22. q. 62. art. 6. Leff. l. 2. c. 7. dub. 7. Mol. difp. 293. Rebellus. p. 1. l. 1. de contract. q. 10. & alij.

Tertio obferuandum eum, qui fciens, & prudens commodauit rem inutilem, vel ad vfum nociuam, vnde detrimentum commodatario obuenit, teneri ad damna ipfi cõmodatario fubfecuta, put fi vitiofa vafa, vt in noftro cafu, ad vinum in eis fundẽdum accõmodauit, fecus fi vitium dixit, vel ignoranter hoc fecit. *Armilla. in v. commodatum. num. v. Mol. d. 294. nu. 7. Graffius. l. 2. c. 116. num. 6. Leffius l. 2. c. 6. dub. 3. nu. 24. Fillinc. tr. 34. c. 8. q. 5. Lopez de cont. l. 2. c. 35. Fauftus difp. 9. q. 16. Mant. de tac. & ambig. lib. 9. tit. 5.*

Quarto compenfationem, quæ eft debiti, ac crediti inter fe contributio, ficut in alijs contractib. ita etiam in depofito, & cõmodato locum habere poffe, faltem in foro confcientiæ, quidquid aliqui fenferint. Iure enim naturæ, & gentium poteft quis ex qualibet alterius re fibi fatisfacere, quando aliter folutionem obtinere nequit, nec rei fibi debitæ comparandæ alia fuppetit ratio: modo tamen debitum fit liquidum, & non dubium, & fcãdalum abfit, &c. *Leffius. l. 2. c. 27. dub. 4. Comit. l. 3. q. 39. Sa. in v. depofitum. Molfef. tr. 12. cap. 15. num. 54. Nau. c. 17. nu. 106. Syl. v. commodatum. q. 3. Reg. l. 25. num. 483. Bonac. q. 15. d. 3. num. 5. & alij communiter.*

RE-

RESOLVTIO.

His prænotatis haud difficile huius casus à me instituitur resolutio; Albertum ad librorum pretium, qui igne consumpti sunt non teneri, si nulla subsit eius culpa, sed tantum fortuitus incendij casus interuenerit, vt diffinitur *in c. 1. ext. commodati* ijs verbis, Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de leuissima etiam culpa tenetur; licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel interuenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post vsum expletum, cuius gratia res fuerat commodata, cum nō decipi beneficio nos oporteat, sed iuuari, hæc ibi.

Addo subinde non posse tuta conscientia compensationem facere, nec ob hunc titulum sibi licere libros retinere, vt damnum ex vitiosis vasillis secutū restauret, quando ex inscitia, & imprudēter hoc egit. Partes potius commodatarij erant diligēter explorare, an illa dolia vinaria aliquo vitio, vel mendis laborarent, &c. vt proinde regula illa in eo locū habeat, Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet imputare, *c. damnum. de reg. iur. in 6.*

Ad postremam quæstionem respondendo dico, quod si Geminianus ex viuis decessit, antequam Albertus ei argenteam peluim, seu pollubrū redderet, nec hæredibus, sed Ioanni legatario restituere debet, hoc enim ei competere illa cōuincit ratio, quod etsi Geminianus testator argenteum illud vas in dominio sua cum mortuus est, actu non habuit, idem tamen habere censetur, quia hoc ipsum suum fuerat, idque omnino iure habere debuit, siquidem vt I.C. loquuntur; Habere, & habere debere paria sunt. Et rem possidere, realemq. actionem ad eam intentare posse à iure æquiparantur. atque sic resoluit *Bart. in l. pen. §. cum ita ff. de auro, & arg leg. & Iodoc. Damhoudan Enchiridion Parium, aut similium. v. Habere.*

COMMODATARII, & COMMODANTIS obligationes.

Porro ex ante dictis tres colliguntur commodatarij obligationes, & totidem pariter commodantis. Prima est vt re commodata vti non possit nisi ad eum vsum, ad quem commodata est, nec possit diutius vti, nec alibi, quàm sit inter eos conuentum. Secundo vt tempore præstituto rem commodatam eandem numero, nec culpa sua deteriorem factam restituere teneatur; qui si ipsum commodatum remisit per nuntium, quem ad illud repetendū dñs miserat, ad nil tenetur, si vel eius culpa, vel dolo, vel casu fortuito perierit: id quod omnibus contractibus commune est, in quibus dominium non trāsfertur ut. s. res dño pereat. Imo probabile est, nō obligari, quando eandem rem numero debitam ipse commodatarius per famulum à se electum, quem fidelem aliàs expertus est, remisit, qui postea aufugerit, antequam domino tradiderit. *Mol. disp. 296. Reginal. l. 25. nu. 477 Fillinc. tr. 34 c. 8. q. 10. Molfes. tr. 12. cap. 14. num. 41. Faustus disp 9. q. 25.* Tertia vt eadem cura, & diligentia, qua res suas custodire, ac conseruare debeat, quod si commodatarius dubitet nūm commodatum sua culpa perierit, ad restitutionem non teneri resolutioris iuris esse videtur, tùm quia possessio pro libertate manet: tùm quod in externo etiam foro de liquisse nō præsumetur. *ex traditis per Sanchez. l. 1. de precep. c. 10. num. 44. Bonac. de cont. disp 1. q. 2 puncto 4.* Et à nobis supra *tr. 9. c. 18. q 76. in fine.* contra *Nald. v. commodatum. nu. 6. & v. depositum. nu. 8.*

Cōmodans vero tenetur gratis id officij præstare, nec ante expletū cōmodati vsū, illud auferre. Secūdo expensas soluere, quas cōmodatarius maiores in re cōmodata curanda, vel reficienda necessariò fecerit, licet enim ordinarij sumptus, vt commodatū equum alere, laminis ferreis ad pedes aptandis prospicere, &c. ad commodatarium spectent; extraordinarias tamen, quæ leues non fuerint, ad commodantem, in cuius commodum cedunt, pertinere absoluti iuris est. Tertia est vt commodans damnum resarciat, si scienter rem vitiosam commodauerit. *DD. supra citati, & Syl. in v. commodatum. num. 5. Roder. p. 1. sua Summa c. 111. Lopez. l. 2. de contract. c. 35. Fillinc. tract. 34. c. 8. q. 5.*

QVAESTIO LXII.

Qui rem aliquam precario habet, an si pereat, ad eius æstimationem teneatur; & an morte concedentis precarium finiatur. An legatum factum alicui si tali puella nupserit aliàs ad pauperes deuoluatur, si illa conditio non adimpleatur, amittatur. d. legatum.

Andreas aduocatus cum iam senio confectus ab aduocandi munere se abdicasset, precario suos libros Claudio iuueni causidico concessit, qui cum noctu absq; eius culpa sal rem graui, furto, fracto ostio, sublati fuerint, vult eorum pretium, & æstimationem sibi restitui, quærit Claudius, an in foro conscientiæ hac obligatione constringatur. Et cum concedens interim ex hac vita decesserit, si ablati libri reperiantur, an ipsum precarium finitum censeatur, & ipsi libri mortui hæredib. debeantur, &c. Item cum mille aureos eidem Claudio reliquisset, si Liuiæ eius nepti nuberet, aliàs tale legatum ad [illegible] pidi pauperes deuolueretur, ipsa cū parentib. [illegible] orbata, ob cuiusdā Principis preces alteri, nēpe Ho-

norato nupsit, &c. Quid nunc consultus confessarius respondere debet?

SVPPOSITA.

RESP. Suppono Precarium esse contractum, quo quis alteri aliquid concedit, cum potestate, quoties voluerit, illud repetendi; vt si tradat libros, vel concedat, vt per agrum suum transeat, cũ pacto, vt huiusmodi facultatem, vel libros quandocunque voluerit, reuocare valeat, tunc precarij contractus iniri dicitur. Vnde etiam vita nobis à Deo precario data dicitur, eo quod ab eo cum sibilibet auferri, & reuocari potest, vt proinde iniusti, & iniqui debitoris sit, creditori reposcenti quod suum est non reddere. Et dicitur precarium, eo quod fiat precibus illius, in cuius commodum conceditur. Quod quidem caro pretio emitur, si quidem, vt dici solet, Carissime constat, quod precibus impetratur; quisquis enim precario aliquid consequi debet, is illud satis magno pretio emisse credendus est, vt ait *Seneca epist. 97. & Aegidius. de reg. iur. Princ. l. 1. p. 2. c. 23. Manut. super illud Adagium.* Emere malo, quã rogare. Vnde est etiam illud tritum. *Gratius est donum, quod venit ante preces. gloss. in c. etsi quaestiones. extr. de simonia.* *Neniz. in Syl. nupt. l. 3. num.* 40. Sed hæc certiora, verioraque in Superiorum precibus eueniunt, quas armatas nonnulli vocant, quia illæ enixæ fortissima sunt præcepta. *ut per Tiraq. de tẽp. pœnis causa.* 35. *Mascard. in v. Blanditia Principum, concl.* 193. *Tusch. v. preces. concl.* 484. Differtq. precarium à commodato, eo quod cõmodatum, vt vidimus, ante eius vsum repeti non potest, cum ad certum tempus, vel ad certum vsum concedatur. Precarium vero etiam ante expletum vsum quoties dominus voluerit, reuocari poterit. Quod tamen cum magno precatarij damno, absque rationabili causa facere non deberet, quia tunc doli exceptio obstaret; cum negari nequeat, precarium esse beneficium, quo iuuari, & non decipi accipiens debet, aliàs charitatis, si non iustitiæ, lex violaretur, & adagio illi locus esset, Perdidisti vinum infusa aqua, in eos quadranti, qui beneficium in aliquem cõferentes incommodum mox aliquod adiungunt, quo dati beneficij fructus, voluptasque imminuitur. *ut est apud Manut. in Adag.* Insuper commodatarius non solum de dolo, sed etiam de lata culpa, leui, & leuissima tenetur: naturalis enim ratio dictat, vt rem in suam solam vtilitatem acceptam omni diligentia custodiat. Sed ille qui rẽ precario accepit, de dolo tm̃, & lata culpa, non de leui, & leuissima obligatur. Si quidem licet ipsum precarium sit in solũ bonum recipientis, pro nutu tamen, & concedentis arbitrio reuocabile est; quæ causa sufficiẽs esse potest, cur habenti precarium solum dolus, & lata culpa imputetur. Conuenit tamen cum cõmodato, quod de casibus fortuitis (inter quos furtum etiam connumeratur,) non tenetur, nisi contrarium deductũ sit in pactum, aut nisi re precaria aliter quàm concessa sit, vsus fuerit, aut denique ex illius restitu endi mora, huiusmodi casus euenerit, &c. *Molina disp. 298. Azor. p. 3. l. 7. de precario. c. 1. Reg. l. 25. nu. 478. & 480. Bonac. q. 14. p. 1. Ang. Syl. & alij in v. precariũ Mantica l. 9. de tac. & ambig. tit. 1. Molfes. tr. 12. cap. 12. num. 20. Faustus disp. 15. q. 2. Tusch. v. Precaria concl. 472.*

RESOLVTIO.

HIs fundamentis præiactis, dico Primo Claudium nullam librorum furto ablatorum æstimationem soluendi obligationem subire, cũ ex suppositis de casu fortuito, & de leui, vel leuissima culpa non teneatur; ostium autem nocturno tempore fractum, & pignoris, depositi, commodati, vel precarij furtum probare, scripserũt. *Specul. in tit de furtis. num. 25. Thomas Grammat. cons. 17. Mascard. de probat. uol. 2. concl. 831. Menoch. lib. 6. de præsumpt. præsumpt. 61. Farinac. de inquisit. q. 2. num. 19. Polid. Ripa tract. de noct. temp. cap. 21.*

Secundo dico, quod si libri clam erepti recuperentur, per mortem tradentis precarium nõ finitur; si quidem cum precarium cum hac conditione concessum sit, donec dominus reuocauerit, & tradens non censeatur per mortem reuocare, sed in eadem persistere voluntate, sequitur precarium concedentis obitu non terminari, licet accipientis morte finiatur, proinde accipienti, mortuo tradente, fas erit precario vti, donec ab hæredibus reuocetur, nisi tamen, vt multi volunt, precarium ad beneplacitum concedentis tribuatur; qñquidem valde probabile est, & magis receptum, eius morte extingui. *c. si gratiosa. de rescript. in 6. Cou. l. 3. var. resol. c. 15. Azor. l. c. cap. 3. Rebel. l. 16. q. 1. de commod. & precar. Mol. d. 298. Reg. l. 25. num. 480. arg. Sanchez. l. 8. de matr. disp. 29. num. 48. & seq.*

Quò ad 3. q. dico quod si Claudius paratus fuerit, & cum Liuia testatoris nepte, matrimonium cõtrahere petierit, illa vero cuiusdam magnatis precibus, quæ vt diximus, vim inferre dicuntur, ei nubere recusauerit, legatum illud non amittit, cum eidem iure debeatur; siquidem ad hoc vt quispiam mixtam conditionem præstet, non sola eius voluntas desideratur, sed etiam illius cum quo conditio impleri debet. His consequens est, hanc conditionẽ in specie exequẽdam esse, quod omnibus alijs actib. legitimis cõe est, nisi, vt aiunt, repræsententur, hoc est nisi stet per adimplere debenrem; nam illud conditionis peculiare est, vt si per quem non stet, quò minus ex parte sua præstetur, pro impleta habeatur.

tur. *l. in iure ciuil. ubi Dec. & Cagnol. ff. de reg. iur.* Quod tamen locum non habet, si hæc mixta conditio partim ex Claudij voluntate, partim ex Liuiæ placito, & arbitrio dependens per casum defecerit, quoniam tunc ipse Claudius non admittetur, etiã si per se non stare dicatur, vt si v. g. Liuia puella interim moriatur. *iuxta. l. in testã. ubi Bart. Salyc. & alij. C. de condit. insertis. Franc. Aret. conf.* 121. *Mollius respons. 1. dub. 1. nu.* 24. Et ipso facto legatum istud ad pauperes in oppido existentes ordinarij arbitrio distribuendum, deuolnetur: nec enim piæ causæ, ac pauperum fauore, ob talem incertitudinẽ vitiatur. *l. id quod pauperibus. l. si quis ad declinandam. C. de Episcopis, & Cler.* Quamuis in alijs non priuilegio munitis ita constitutum sit, vt legatum incertis personis factũ, corruat. §. *incertis inst. de legatis.* Quandoquidem in foro animæ apices iuris non considerãtur. *ut per Cottã in Memor. v. apicis iuris.* Maxime cum vt ait, *Crauetta conf. 3. & alii communiter* Pia dispositio in omnibus alijs generaliter loquentibus censeatur excepta, & clarum sit, causam pauperum piam dici. *ut per Tiraq. in tract. de Priuilegiis pia causa, & Tusch. v. legatum ad pias causas. concl.* 106. Vtomittam etiam in legatis non pijs, sed profanis licet apparenter, & in speciem, aliquid incertum videatur, si tamen iuris interpretatione ad certitudinem reducatur, certum esse dicitur, vt si aliquid arbitrio talis prudentis viri relinquatur: nam ex quo hoc arbitrium ratione est rectum, iuris declaratione certum censetur. *ut per eundem Tusch. v. certũ. concl. 200. & v. legatum concl. 43. ut dixi supra tr. 9. c.* 11. *q.* 35. Nihilominus quidquid de hoc sit, in statu ecclesiastico, relictum pauperibus in genere incertum iudicatur, & ex Pontificijs Constitutionibus Fabricæ D. Petri de Vrbe applicatur.

QVÆSTIONES, ET CASVS, QVI super materiam locationis, & alienationis rerum ecclesiarum, emphyteusis, ac feudi formari possunt. Cap. XX.

QVÆSTIO LXIII.

Locatarius an de casu fortuito rei locatæ teneatur; & an pensio ab eo soluenda sit, quando domus conducta inhabitari nequit, &c. An augendum sit illi stipendium, qui ad inseruiendum alicui familiæ se obligauit tanto pretio, si postea numerus personarum in ea augeatur.

SImon cum equum à Gaspare conuenta mercede conduxisset, quò Fauentiam pro suis conficiendis, & expediendis negotijs proficisceretur, Bononiam reuersus, non repetiens eiusdem locatoris stabulum apertum, in pascuis reliquit, in quibus idẽ Gaspar solitus erat dimittere, vbi à lupo discerptus est. Item secundo cum quandã domum sibi ad biennium locatam habuisset, & in primo anno illam nocturnis spiritibus occupari, & molestari animaduerterit, recusat amplius eam inhabitare, & illius anni pensionem soluere. Tertio cum nunc Pistoris artem exerceat, & in coquendo pane operas suas cuidam certæ familiæ certo præfinito pretio, ac stipendio locauerit, cum personarum numerus in illa familia creuerit, mercedem sibi augeri postulat. Quæritur, quid in his tribus casibus consulere debeat confessarius?

SVPPOSITA.

RESP. Supponimus Primo locationẽ nihil aliud esse, quàm rei, vel personæ, pro mercede in pecunia numerata, vel conuenta, ad vsum factã concessionem. Quæ diffinitio indicat Primo, veluti in emptione soluitur pecunia tanquam rei emptę pretium, sic in locatione pecuniam, tanquam mercedem, pro vsu, vel vlusfructu rei solui. Secundo locationem ab emptione, mutuo, & permutatione separat, quibus rei dominium in alium transfertur, cum per illam tantum vsus concedatur, sicut & commodatum; à quo tamen differt, quod commodatũ gratis, locatio vero pro pecuniaria mercede fiat. In quo etiam à cõtractu innominato distinguitur, qui constitueretur, si cõuentio fieret, vt vna res vsui pro alia detur, vt cum quis rusticus boues suos ad colẽdos agros alterius per triduum ea conditione concedit, ut uicissim idem officium præstet, &c. Tandẽ per diffinitionem significatur, non solum rem mobilem, uel immobilem locari posse, sed etiam hominem, quò ad operas huic contractũi subijci; siquidẽ ualidus est locationis contractus, quo famulus, aut alius officialis operas suas ad rem licitam locat. Sicut etiam iustum hunc contractum inire Sacerdos dicitur, cum ob stipendium, uel constitutam eleemosynam ad rem sacrã in tali altari, uel certis dieb. hebdomadæ faciendam se obligat, &c. Simpliciter tamen, & absolute Sacerdos pro diuinis officijs obeundis operas suas locare non censetur, quia cum spirituales sint, simoniacum esset pro intrinseco earum labore mercedem accipere. Vnde & cæci qui ad ecclesiarum valuas orationes recitare solent, non possunt absque simoniæ labe pro eis per modum pretij stipendium accipere, sed bene gratis, & per modum eleemosynæ, uel ob ciuilem obligationem, quã subeunt, quas postmodum preces, si stipe accepta non persoluunt, absque dubio iniustitiam committunt. *Caiet. 22. quæst. 100. art. 2. Faustus. disp. 10. q.* 14.

Secundo obseruandum, locatorem ex Iustitię lege teneri aperire conductori uitium rei locatæ; nam sicut uenditoris partes sunt, uitia rei uẽditę emptori

S 2 detegere;

detegere; ita eadem obligatione obstringitur locator, ut proinde qui scienter uitiosa uasa locat, uel equum, qui in aquam sedimittere solet, uel domum, quæ ab immundis spiritibus infestatur, ut inhabitari nequeat, ad restitutionem damnorum, quæ cōductor de ijs uitijs non admonitus passus est, iure teneatur. Imo etiamsi uitium sit manifestum, locanti tamen constat, illud esse cōductori occultum, in foro conscientiæ manifestare obligatur, licet in foro externo excusetur, quia quod omnibus perspicuum est, conductori quoque notum esse iura præsumunt. *Nau. c. 17. nu. 196. Rebellur. l. 14 q. 4. Syl. v. locatio. Molfes. tr. 12. c. 8. num. 48. arg. Surd. decis. 131. Barth. in Fausto tit. de locat. q. 25.* Idē *Surd. p. 1. cons. 12.* vbi ait, dolose agere qui id nō facit, ad quod est obligatus, & conductorem, qui in se casus fortuitos suscepit, remissionem tamen consequi posse, quando casus culpa locatoris prouenit, *& cons. seq. num. 39.* tradit uenditorem non esse in culpa, si conditionem rei emptori non explicet, qui eius habet scientiam, sed nisi aliter ipsius emptoris scientia probetur, uenditor eo quod tacuit, ad interesse ut aiunt, tenetur. Quinimo quò ad hanc rem addo quod etsi conductor renuntiauerit omni legis beneficio, ita ut regulariter ob bellum, uel aliam similem causam pensionis remissionem petere non possit. *ex Azor. p. 3. l. 6. c. 8. Menoch. de art. Iud. l. 1. c. 80. Molina de contract. disp. 495.* Huiusmodi tamen renuntiatio nimis insolitum non comprehendit. ut ibi ait *Molina nu. 12. Caroc. de locato. p. 4. de cas. fort. q. 8. Mant. de tacit. & ambig. l. 5. tit. 8. Faustus. d. 10. q. 31. Barb. de clau. clausula 76. & alij communiter.*

Tertio præmitto dari posse quędam loca spectris, & spiritibus infesta minime dubitandū esse, rerum enim gestarum historiam ueritatem hanc egregijs exemplis declarat, ac confirmat; ex quibus duo tantū hic proferemus, *D. n. Augustinus l. 22. de Ciu. Dei. c. 8.* cuiusdam Tribunitij domum à spiritibus plurimum uexatā esse his uerbis testatur: Vir Tribunitius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, ubi cum afflictione animalium, & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum uim noxiā perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent; perrexit unus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut illa uexatio cessaret, Deoque protinus miserante cessauit. Acceperat autem ab amico terram sanctā de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamq. suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali ēt ipse pateretur. hæc ille.

Inhabitabat Romæ ædes Alexander ab Alexandro, ita, ut ipse loquitur, euidentissimis portentis infames, ut illas nemo incolere ausus fuerit, q̄a assiduis umbrarum illusionibus, & tetris imaginib. noctibus fere singulis inquietaretur. Docet in ijsdē, præter nocturnos rumultus, qui medio noctis silentio audiebantur, & horridos fremitus, cum eiulatu, striduloque uocis sono, quibus & lachrymari, & tremere uidebatur, uisam esse speciem hominis, squallida facie, vultu minaci, nigro corpore, aspectu formidabili, nomen suum exprimentem, & opē implorantem, &c. hæc ille. *lib. 5. dierum gen. c. 23.* De qua re uide multa apud Petrum. *Thyraum. p. 1. tract. de locis in festis. Mart. Delrium in Disq. rerum mag. l. 2. q. 27. sect. 1. & seq.*

Quarto ad memoriam redigendum est, quod supra sæpius animaduertimus, locatorem de leui culpa teneri, cum locationis contractus in utriusque contrahentis utilitatem celebretur; æquitas enim & naturalis ratio postulat, vt qui rem aliquam in sui utilitatem accepit, eam valde diligenter custodiat, ne alter iniuste detrimentum patiatur, &c. *Decius, & Cagnol. in l. contractus. ff. de reg. iur.* Cōmunis est, tàm Theologorum, quàm Iuristarum sententia, teste *Beia. p. 2. casu. 2. 1 incip. Michael.* vbi etiā resoluit quod cum locatarius ad restitutionem in integrum teneatur, si res ex ipsius malitia, uel fraude, uel ex culpa graui, aut leui pereat, equum ipsi locatum, & in itinere ex leuissima tantum culpa ab exulibus subreptum, ad pretium locatori restituendum non teneri, si in eo custodiendo, & seruando communem, qua vir prudens, & circunspectus vsus esset, diligētiā adhibuit. Non tñ eius sentētiā probo in eo, quod dicit, in dubio pœnitentem locatarium ad restituendum teneri, si quidem in materia iustitiæ læsæ qui dubitat, an fuerit damni causa, ab onere restitutionis in dubio eximendus est. *Lessius l. 2. c. 8. dub. 1. Arrag. 22. q. 62. art. 7. Sayr. l. 10. cla. reg. c. 12. dub. 2. Sà. v. restit. nu. 34. Sanchez. l. 1. de pracept. c. 10.*

RESOLVTIO.

His sic prænotatis resoluendo dico, Simonem conductorem nihil Gaspari restituere teneri, cum dolus, lata culpa, & leuis ab eo abesse præsumatur. & casus fortuitus, qui ipsum excusat, hic intercessisse censeatur: quando tamen communis loci consuetudo, & Gasparis locantis vsus erat, dictū equum in pascuis adiacentibus dimittere. Et sic in animarum iudicio seruandum esset, quamuis forte in foro externo, & contentioso aliter teneretur, ita singulariter resoluunt, *Cynus, Baldus, & Paulus de Castro in l. 3. C. de episc. aud. & in l. si negotia. ff. de neg. gestis Speculator. & Io. And. in tit. de locato. §. porro. Euerardus in top. leg. in loco ab vsitato. Naldus in v. consuetudo. nu. 18. arg. Felicius. in tract. de societ. c. 22.* vbi tradit quod socius à culpa excusatur si ea faciat quæ solita sunt, & consueta: nec requiritur quod talis consuetudo sit præscripta, sed sufficit ita

aliquan-

aliquando fuisse obseruatum. Et quod ille excusetur qui in pascuis animalia sine Pastore misit, si ita erat in more positum, tradit. *Crauetta. l. 3. cõs. 353. & Polid. Ripa in tract. de noct. temp. cap. 12. num. 19.* Sic in simili dicit. *ex Bartol. Fuschus in singul. v. repertus. num. 25.* Quod, deprehensus contra solitam itineris viam, aliquid contra vectigalia iura deferre præsumitur, quia ex eo quod est insolitum, fraudis suspicio insurgit; quod tamen non procedit quando esset homo bonæ famæ, & talia non committere solitus. *Grammat cons. crim. 35.*

Ad 2. quæstionem respondendo dico, eundem Simonem posse ex conducta domo discedere, nec teneri vsque ad constitutũ tempus manere, & à pensionis solutione liberum esse, in culpa enim fuit locator, qui initio contractus hoc vitium domus malorum spirituum infestatione laborantis non aperuit. Imo vt multi volunt, à remissione pensionis nõ excusatur, etiamsi huiusmodi defectum ignorasset. Conductor enim si hoc sciuisset, illum non conduxisset, & contractus vltra voluntatem, & intentionẽ contrahentium non obligat: sicque vniuersalis praxis obseruat, vt ex cõmuniori opinione ait. *Bonac. d. 3. q. 7 p. 3. & Cagnol. in d. l. contractus. ff. de reg. iur. Reg. l. 25. nu 514. & 516. Afflictus decis. 258. Molfes. l. c. Guido Papa decis. 630. Portius in §. fin. tit. de locat. Con l. 4. uar. res. c. 6. Caroc. de locato. p. 3. tit. de remiss. merced. nu. 46. Altius. de infir. p. 1. rub. 6. c. 6.*

Vt vero ambæ partes in celebrato contractu persisterent, tentari posset, an hęc domus ab hmõi spiritũ vexationib. liberari valeret, remedia ab ecclesia salubriter instituta adhibẽdo. De quib. sup. *tract. 9. c. 1. q 20.* Modi quib. cõtra hos malos spiritus belligeratur, varij sunt, sed tamen ad quinque pręcipuos redigi possunt, quorum vnus in oratione consistit; alter sanctissimæ crucis vsu nititur; tertius rebus cõsecratis; quartus sanctorum reliquijs; quintus exorcismorum præsidijs. *ut per Thyreum. l. c. p. 3. cap. 65. Mart. Delrium. tom. 2. l. 2. q. 25. Less. l. 2. c. 44. dub. 5. Nald. v. Angelus.* Scribit Plinius. *l. 7. epist. epist. 27.* Athenis fuisse ædes, in quibus vmbra ingens, & macilenta, catenarum stridore, quibus vincta videbatur, ædes ipsas replebat. Propter quam rem, cum inhabitare ædes nullus accederet, ad exiguum pretiũ locatio redacta est. Athenodorus vero Athenas profectus domum conduxit, perspectaque vmbra, eam audacter secutus, vbi vidit locum, in quo apparere desineret, humum effodit, illicque corpus catenatũ vmbræ, quæ apparuerat, simile inuenit, sublatumq. cadauer horrore ædes liberauit, &c.

Ad 3. q respondendo dico, quod si Simon Pistor operas suas ad coquendum panem gratia totius familiæ locauit, quæ certo hominũ numero cõstatur, nimirum viginti, vel triginta, eo aucto, vel diminuto, augenda est, vel minuenda merces. Si autem familiæ inseruiat, quæ certum numerum personarum non habet, vt tàm in religiosis, quàm in secularibus domibus contingit, quia nunc pluribus, nunc paucioribus cõstant, non eo ipso quod plures pauciores sue sunt in illa familia homines, auctior, vel diminutior est exigenda merces. *ut per Abb. in c. quãto. ext. de censibus.* At vero si numerus domum inhabitantium, nimium aut crescat, aut decrescat, rationi cõsentaneum est, vt stipendium augeatur, vel minuatur, ne plus æquo qui operas locauit, aut qui conduxit, oneretur. Est enim æquitas quædam æqualitas à se ipso in alium secundum naturam descendens, vt qđ tibi non vis fieri, alteri ne feceris, de qua in titulo. *Quod quisquis iuris.* Ex qua naturę lex dictat, neminem cum alterius detrimento locupletari debere. *Iure natura. ff. de reg. iur.* Et vt ait. *Cou. in 2. p. relect. c. possessor. de reg. iur. in 6. §. 6. nu. 3. & Tusch. v. aequitas concl. 310. & v. locupletari cõcl. 438. Surd. cons. 101.* Æquitas est admirabile quoddam temperamentum, quod ex perfecta ratione omnia moderatur. Quo sane nomine Seruius Sulpitius à Cicerone in *v. Philipp.* valde commendatur, cum eius admirabilem iuris scientiam scribit potissimũ fuisse in sententijs ex æquitate explicandis: teste etiã *Cagnol. in l. in omnibus. ff. de reg. iur.* Atque supra firmatam resolutionem asserunt. *Azor. p. 3. l. 8. c. 14. q. 2. Rebellus. l. 14. q. 15. num. 15. Fillius. tr. 36. c. 6. q. 6. Faustus de locat. disp. 9. q. 49. Bonac. disp. 3. q. 7. puncto. 4. num. 16.*

QVAESTIO LXIV.

Quæ merces de domo conducta soluenda sit, quando nulla facta est conuentio; an conductor inconsulto locatore illam sublocare valeat; an si turpi personæ sit locata, à domino expelli possit.

Stephanus Sacerdos cum à Francisco domum quandam cõduxisset per triennium, nullo determinato pretio: illam inscio locatore meretrici, & inhonestæ fœminæ sublocat, spe pinguioris pensionis consequendæ. Hic tria quæruntur, Primo, quodnam stipendium pro dicta domus pensione soluendum sit. Secundo an tàm inconsulto Francisco eam alteri sublocando, quàm ratione personæ cui locat, mortaliter peccet. Tertio an dicta meretrix à domino expelli possit, & locationis contractus cum Stephano initus rescindi?

SVPPOSITA.

Resp. Pro huius casus resolutione annotandũ est, contractum locationis, & conductionis licitum esse, humanæque societati vtilem, & necessarium, modo sequentes conditiones seruentur. Primo

mo ut res locata locatoris periculo stet, ut si v.g. res casu fortuito, uel leuissima culpa pereat. Conductori vero coacto ob pestem, aut alioqui iusta de causa re locata non vti pro rata pensio remittenda est, idẽque in fortuita sterilitate, nisi compensatio fertilitatis anni præcedentis cum pręsenti fiat; sicut etiam de clerico soluente pensionem super beneficio dicitur. *Bellet. de cler. debit p.1.§.9.* Secundo ut ex parte mercedis iustitia seruetur, quæ ut plurimum ad boni uiri arbitrium, & partium conuentionem taxanda est. Et pro operariorum conductione præscribenda, ipsorum multitudo, uel paucitas, sicut & aliorũ opera indigentium attendenda est. Item operis nobilitas, laborantis industria, annonæ caritas, uel copia perpendenda sunt; atque quoad fieri potest curandum, ut merces non sit minor pretio infimo, nec maior pretio supremo atque identidem cauendum ne conductor ob anticiparam solutionem minus de pensione soluat, quia hoc vsuraria prauitate non caret. In rerum vero frugiferarum conductione, & locatione considerãda est quantitas fructus, qui inde percipitur, deductis laboribus, expẽsis pro colligendis fructibus necessarijs. Maxime autem ad cuiusque rei locandæ, uel conducendæ pretium præscribendum communis usus, & regionis consuetudo cõfert. Sicut etiam dum disceptatur an publicus Lector si nondum emenso conuẽto temporis spatio moriatur, seu in aduersam incidat ualetudinem, solidum, ac totum stipendium consequi debeat, gymnasij consuetudinem attendendam. D.D. communiter asserunt. *Costa. de ratione rata. q.93. Surdus cons.42. Ripa obseruat.371.* Vnde etiam quando in cuiuslibet rei locatione de certa mercede nulla facta est mentio, illa secundum præteritam consuetudinem soluenda est: & nisi aliud conuentum sit, in fine anni pendi solet. Hinc ex natura contractus locarionis est, ut reconductio quã facere dicitur conductor, cum in possessione rei conductæ permanet (cæteris enim paribus alijs ex usu præferendus uidetur) secundum præcedentes conditiones facta intelligatur. *Menoch. lib.2. de arbit. iud. casu 159. Moz. Zius, l.c. Grat. in discept. Foren. c.357. per glo. cõmuniter receptam in l. excepto. C. locati. Eucrardus. l.c. Nau. c.17. nu.196. Mol. d.497. Gomes. l.2. uar. resol. c.3. nu.13. Mant. de tacit. & ambig. conuent. l.5. tit. 6. nu.4. Reg. num.509. Bonac. d.3. q.7. p.2. Molfes. tr. 12. c.8. nu.63. nu.10. & 3. nu.5. Lessius. l.2. c.24. dub. 4* Idem *Menoch. l.3. cons.297. Naldus in v. locatio: nu.11. Rebel. l.14. q.3. Garsias, Mastrill. decis. 106. Chenas. de prud. l.4. c.1. num.8.* Vbi etiam obseruat, quod si quis famuletur non designato pretio, nec declaratione præmissa, quod obsequium sit gratis impensurus, non esse conductorem liberum ab obligatione dandi ei stipendium, quandoquidem tunc præsumitur sub eadem mercede conueniisse, quam loci consuetudo, & communis æstimatio seruat. Et siquis se obstrinxit ad non excedendam certã mercedem pro labore, uel industria debitam, absque periurij reatu eam excedere non posse. Hinc arrigant aures notarij, & alij quidam iustitiæ officiales iurare soliti se non amplius exacturos, uel admissuros pro hoc uel illo instrumento, aut labore, multo tamen plus extorquentes. Nisi forte laborem insolitum, & consueto longe grauiorem suscipiant, ut si scriptura longa sit, si diu uigilandum, longum iter suscipiendum, si occupationes aliæ sibi utiles postponendæ, si taxata quãtitas adeo sit exigua, ut ne quidem iusti pretij infimi rationem habere appareat, & rerum uenalium conditiones, & pretia sint aucta, ac demum nisi illud auctuarium libera omnino uoluntate sit donatum, consentire uidentur. *Molina tr. 2. de iust. disp.83. Syl. v. medicus. num.6. Menoch. de arbit. iud. cent.6. casu.514 Reginal. l.10. num.140. Sanchez. l.3. de præcept. c.14. num.14.* Tertia conditio est, ut res talis naturæ sit, ut locari possit, multa enim ab humano commercio exempta sunt, ut res ecclesiasticæ, & spirituales, ut supra de simonia diximus. Res uero ecclesiæ, ut domus, & prædia ab iis, qui eis præsunt, ad breue tempus locari conceditur, seruatis tamen conditionibus, quæ Pontificio iure præscribuntur. *Clem. 1. de rebus ecclesiæ non alien. & in extrauag. Ambitiosæ, tit. eodem.* De qua re infra de emphyteusi sermo erit.

Locare potest Dominus, qui plenum rei suæ dominium habet, uel saltem utile, & aliqua lege prohibitus non est, &c. Locari autem possunt quæcunque humanæ societati subijciuntur, ut domus etiamsi meretrix conducat, modo dominus non consentiat in peccatum, & actum turpem, & eius finis sit, rebus suis uti, & iustum lucrum accipere, &c. Item prædium, uinea, equus, naues, animalia, & aliæ quæcunque res tàm mobiles, quàm immobiles. Ipsi quoq; Conductori integrum erit, sublocare, modo locatio fiat alteri æque idoneo, & non ad alios usus, & nisi aliter conuentum sit, uel aliqua Ciuitatis consuetudo repugnet. Atque tunc secundus conductor non domino domus, sed ei qui sibi illam locauit, & cum quo solo contraxit, pensionem soluere tenetur: quamuis bona quæ ipse intulerit, & in tali domo reperta fuerint, eidem primo locatori tacite pro suæ domus pẽsione obligata maneant. Quò fit, ut Scholasticus possit in domo conducta alium substituere, non tamen inuitis, & dissentientibus sociis, cũ societatis ratio id prohibeat, & societas cum bonis, & doctis coeunda sit, iuxta illud Catonis, *Cum bonis ambula.*

Aret. in §. fin. de locat. & conduct. Syl in v. locatio. q. 2. Rebell. l.14. q.17. Felicius de societ. c.28. num.50. Molfes. tom.3. ad consuet. Neap. tit. de locat. q.30. & de contr. tr.12. cap.8. num.43.

Secundo

Secundo obseruandum Inquilinum in quatuor casibus è domo conducta expelli posse, ex traditis per Doctores *in c. propter ext. de locato.& Tusch. v. locator. concl.* 417. *Grilenzon. cons.* 73. Primo quando ipse conductor per biennium à pensionis solutione cessauit. Quamuis possit moram purgare, & si velit in promptu satisfacere, non integrum sit locatori eũ exturbare. Secundo cum locator re locata puta domo ad suam habitationem indiget, ut si tunc quando locauit, cum alio vitam degebat, & postea vxorẽ duxit, & vult cum ipsa separatim habitare, aut alia similis necessitas superuenit, quæ tempore locationis non aderat; etiamsi cum iuramenti religione se non expulsurum promiserit, nam promissio, nisi aliud de promittentis mente constet, iuxta iuris cõditiones facta censetur, l. si res in eodem statu manserint, &c. *Felin. cons.* 43. *Natta cons.* 416. Verũ quoniam locatores quandoque necessitatem ementiri solent, ut fraude inquilinos de domo pellant, ideò Iudex debet prudenter animaduertere, an reuera necessitas subsit. ut ait. *Caroc. de locat. tit. de necess. usu. q.* 2. *num.* 34 Non præsumitur autem necessitas adfuisse si post eum expulsum illã alteri locet, vnde ad id quod eius intererat teneretur, idem *Natta cons.* 25. *Bellon. l.* 1. *de his quæ fiunt in cont. l.* 1. *c.* 181. Tertio quando domus reparatione indiget, qua necessitate locationis tempore locator non premebatur. In quo casu pẽsionis remissio pro rata tẽporis facienda est, aut Conductori de alia idonea domo prouidebitur, &c. Addo etiam Doctoribus, & Aduocatis, sicut Infirmis, & Ecclesiæ, cõpetere facultatem expellendi obstrepentes, & similia impedimenta studijs præbentes. Quod tamen Primo intelligitur, quando Doctor eum præuenit, quem de vicinia vult expellere, aliàs secus, cum causa præuentionis tanquam potissima in iure sit consideranda. *Menoch. de arbit. iud. casu.* 237. Secundo intelligendum est, de Aduocatis, & Doctoribus peritis, quorum opera reipublicæ deseruit, & non de ignaris qui nomine tantum sunt Doctores, vulgo Doctorelli appellati, & Doctores necessitatis dicti, idest sine lege, cum necessitas lege careat. Quare poeta ille in quondam se imperitum sic lusit,

Quod voco te iuris Doctorem utriusque superbis?
At de sorbilibus iuribus ipse loquor.

Grat. in discept. For. cap. 186. Quarto expelli posset quando conductor re conducta abutitur. De natura enim locationis est, ut cõductor rem locatam in eo statu conseruare teneatur, in quo recepit: quare ei modo licet in fundo, uel uinea arbores uirides incidere, uel uites deuastare, uel eam deteriorem alio modo reddere, &c. *Ruin. vol.* 1. *cons.* 89. *Rolan. vol.* 1. *cons.* 28. Vel etiam cum meretrices in domum traducit, aut si sublocator eis illã inhabitare permittit; ob quam causam dictæ meretrices ab honestis uicinis depelli, & exturbari possunt, nam sicut ex bonis, probisque uicinis multa nobis commoda, & oblectamenta proueniunt, non secus atque à consanguineis, & amicis: sic ab improbis multa quotidie detrimenta otiuntur, iuxta illud. Qui habet malum uicinum, habet malum matutinum. Et oẽs morales Scriptores docẽt, utilitatem maximam afferre uicinum, si sit idem & amicus, contra si sit inimicus, & malus, damnũ, iacturãque. Hinc Lisimachus apud Plautum ait, Nunc ego uerum esse illud uerbum experior, Aliquid mali propter uicinum malum. Et ut obseruat. *Mol. de cont. disp.* 499. Cum conductor ob prædictam causam durante locationis tempore expellitur, pro rata temporis pensio remitti nõ debet, si ædium dominus pro futuro tempore conductorem non reperit, ne aliàs ob conductoris culpam, dãnum sentiat. Idem tenet *Riccius resol.* 133. Vt propterea Varro inter bonas fundi, & domus cõditiones, illud etiam addere soleret, *Et habes bonum uicinum*. Vt dixi supra *hoc eodem. tract. cap.* 16. *quæst.* 52. *ex Tiraq. de temp. pœnis causa* 23. *Io. Bonifac. de furtis.* §. *est. num.* 40. *Alciat. emb.* 166. *Tholos. in Syntag. iu. l.* 4. *c.* 24. *Benedict. Aegid. de uere honest. art.* 9. *nu.* 8. *Menoch. de præsumpt. l* 3. *præsumpt.* 83. Dicit tamen *Baldus in l. ædem. C. locati.* Quod locans domum suam scholastico iuueni, raro poterit eum expellere, ob hoc quod meretrices in eam induxerit, quasi in re locata male esset uersatus, quia per locum à communiter accidentibus, à quo sumptum argumentum est probabile, frequẽs, & utile, hoc præsumere debuit. Vt etiã eum refert, & sequitur Euerardus *in loco à communiter accidentibus*. At quidquid de hac assertione sit, satis liquet scholasticis à vitio luxuriæ, & turpis uitæ lue maxime cauendum esse, nam, *& Gulielmus à Monte Laud. in clem.* 1. *de magistris.* studiosos monet, ut præ cæteris reb. à Venere abstineant, quoniam per eam tàm animæ quàm corporis uires ualde lædantur, ac opprimantur. Vt non inepte aliqui Sapiẽtes dixerint, Cupidinem cæcum pingi, eo quod corpus frangat, ac labefactet, & mentis oculos caligine obducat; & Venerẽ dici à ue, q\[d\] est sine, & nus quod est mens, quia rationem, & ipsum corpus, mentisque facultates eneruat. vt ostendimus, *in comment. de bonis. uita stat. p.* 2. *c.* 11.

RESOLVTIO.

His præcognitionibus perpensis, haud difficilis erit resolutio propositi casus. Ad primã quæstionem, quod ubi à Stephano, & Francisco cõtrahentibus initio contractus locationis non est de certa mercede facta mentio, secundum præteritam consuetudinem soluenda est. Si quidem in contractibus, si non apparet, quod actum sit, ad usum recurren-

currendum est. *Dec. & Cagnol. in l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iur. Guido Pap. decis. 252. Natta cons. 12. Bonac. d. 3. q. 7. p. 4. num. 10. & DD. Rebellus l. 14. q. 13. num. 4. & DD. supra citati.*

Ad secundã q. dicerẽ, Stephanum Sacerdotem à lethali culpa non excusari, tùm ob scandalũ, qđ inhonestæ personæ, & meretrici, quã talem nouit, domũ sublocando pbet, ecclesiasticũ n. uirũ utpote domum Dei, decet sanctitudo, decet honestas, decet modestia; & omnis auaritiæ suspicio ab eo abesse debet. *c. decet. de immunit. eccles. l. 6. c. cum ab omni. ext. de uita, & honest. cler.* Tùm etiam ob grauem iniuriam, quam domino domus ea abutendo, turpiter infert, qua etiam uicini, & honestæ personæ afficiuntur, contra illud Gregor. IX. monitum, Sacerdotis officium est nemini obesse, & omnibus prodesse. *c. fin. ext. de postul.* Licet enim conductor iure conductionis (quidquid sit ratione societatis) etiam inultis ijs, qui in eadem domo habitant, possit rem conductam sublocare, hoc tamen intelligitur nisi aliter cum locatore pactus fuerit, & modo ipse conductor alij æque idoneæ, & honestæ personæ, & ad eundẽ usum rem ipsam locet. *Filliuc. tr. 36. c. 1. q. 5.*

Hinc consequitur tertiæ quæstionis resolutio, initum contractum rescindi posse, & conductorem Sacerdotem damnorum reparationi obnoxium esse, quæ Franciscus locator ob malũ rei suæ usum iniuste passus est, ut si quia domum meretrici sublocauit, in posterum conductores nõ inueniat, &c. *Nau. c. 17. nu. 194. Rebellus. l. 14. q. 10. nu. 11. Lessius. l. 2. c. 24 dub. 6. nu. 38. Bonac. l. c. p. 2. nu. 10. & alij. Reg. nu. 512.* Et ex hactenus dictis colliguntur etiam peculiares tàm locatoris, quàm conductoris obligationes.

LOCATORIS, ET CONDVCTORIS obligationes.

PRima Locatoris obligatio illa esse dignoscitur, ut uitium occultum rei locatæ patefacere teneatur, &c. Et Conductori coacto ob pestem, aut alioqui iusta de causa re locata non uti, pensionem remittere, itemque in sterilitate fortuita, nisi fiat cõpensatio cum anni præcedentis, uel sequentis fertilitate, pro regionis more, & pactis. Secunda est, ut expensas necessarias, quas cõductor in re locata restauranda fecerit, soluere teneatur: imo etiam ad utiles expensas, quæ ultra conductionis tempus duraturæ sunt teneri, probabilior est sententia. Impensæ uero dicuntur sumptus in re aliqua facti, quæ triplicis sunt generis, prout aliquæ sunt necessariæ, quæ si factæ non essent, res aut perijsset, aut deterior facta fuisset, ut si domum ruituram refecisti. Vtiles aliæ dicuntur, quæ meliorem rem faciunt, aut deteriorem esse non permittunt, ut si in domum conductam, pistrinum, uel furnum adiecisti. Tertio loco aliæ uoluptuariæ appellantur, quæ rei speciem ornant, non autem fructus augent, ut si domum alienam picturis exornes, quas locator resarcire non tenetur. Item onera, & tributa rei locatæ imposita subit, nisi aliter sit conuentum, uel aliud loci consuetudo postulet, ut ex communi ait. *Mozzius de contract. locat. col. 3. num. 9. Barthol. 25. Faust. disp. 9. q. 41. ex l. 1. C. locati. l. dominus. §. in conducto. ff. eodem Azor. p. 3. l. 7. c. 8. Mol. d. 496. Bonac. nu. 6. & 7. Carbo. q. 27. Borgn. decis. 32. p. 2. nu. 50. Ripa obser. 325. Tuschus. v. locator. concl. 415. Filliuc. tr. 36. c. 4. nu. 64.* Tertia est ut rem locatam ante tempus locationis peractum iure repetere non possit, nec Inquilinum expellere, quatuor illis casibus exceptis, de quibus supra. Et ut ad damna resarcienda teneatur, si rem uitiosam cum conductoris detrimento, dolo, lata culpa, uel leui locauit, nec rei locatæ uitiũ occultum, ut dixi, patefecit. Insuper locans operas suas in diem, uel in aliud certum tempus, debet fideliter laborare, & debitã diligentiã præstare, aliàs charitatem, & iustitiam seruat, &c.

Cõductoris uero prima obligatio erit, ut re locata uti non debeat, nisi ad eum usum, ad quẽ illã conduxit, nisi locatorẽ huiusmodi usum gratũ habiturũ probabiliter præsumat. Secundo ut constituto tempore pensionem soluere teneatur, nisi tamen absq; culpa sua, ob aliquod superueniẽs impedimentum, re conducta uti non potuerit. Item ut famulis operas suas locantibus iustum stipendium soluat; nam sicut in alijs rebus, ita etiam in hac, pretij æqualitas seruanda est, ut ex communi ait. *Bonac. d. 3. q. 7. p. 4. nu. 2. & Molfes. d. c. 8. nu. 39. Ricc. in praxi uar. resol. resol. 179. ut etiam in seq. dicemus.* Tertia est, ut transacto locationis tpe debeat rẽ ipsam, eandẽ numero, & integrã restituere, nisi forte deterior facta sit, uel perierit absque saltẽ leui conductoris culpa.

Vbi etiam duo annotanda sunt, Primo successorem in beneficio non teneri stare locationi per prædecessorem nomine proprio factæ; nisi annus esset inceptus, uel nisi fructuum collectio esset de proximo facienda, quia tunc saltem pro illo anno illi insistere iure deberet. *Mar. Anton. l. 1. uar. resol. resol. 45. Steph. Grat. in discept. Forens. c. 37. Tusch. v. locatio concl. 419. Mant. de tac. & ambig. lib. 5. tit. 13. nu. 21. Gen. in praxi Neap. cap. 118. Reg. l. 25. nu. 538.* Secundo generaliter loquendo conductorem non posse dominij exceptione locatorem submouere, sed prius rem conductam restituere debere, & postea de proprietate litigare. Et hoc est quod passim Doctores tradunt, ubi de ualida locatione cõstat, dominij quæstionem non esse locatori refricandam, ne ipsi locatore simplic, & iniuste eludantur. *l. si quis. C. locati. l. litibus. C. de agricolis, & cens. l. 11. Cagnol. in l. neque pignus. ff. de reg. iur. Menoch. de recept.*

de recept. possess. remed. 11. *nu.* 36. *Carec. de locat. p.* 6. *fin. reg. remed.* 14. *Bellon. de his, qua fiunt incont. l.* 1. *c.* 140. *Borgnin. de contract. decis.* 15. *num.* 113. Quas obligationes confessarius diligenter annotare debet, tùm ut contrahentes in christiano, & ciuili officio continere possit, cum ut ait. *Cicero l.* 1. *off.* Nulla humanæ uitæ pars, siue in publicis, siue priuatis rebus uacare proprio officio debeat, in eoque excolendo sita sit omnis uitæ honestas, & in negligendo turpitudo, tùm etiam ut ex his tanquam ex radicibus, & fontibus, singulatium casuum resolutiones deducere ualeat: usu. n. compertum est, non nisi per generales regulas, & naturalia principia, moralium quæstionum decisionem non attingi.

QVAESTIO LXV.

An iniuste torquem alienum possidens, non solum illū, sed etiam fructus, quos ex eius locatione percepit restituere teneatur. An si conductor relicta re sibi locata, se aliò contulerit ob graues inimicitias, debeat integram mercedem soluere.

MArtianus famulus coniugatus qui operas suas nulla conuenta mercede, Romulo locauit, torquem aureā, eo ut ait prætextu, surripuit, quod diminutam, nec competentem mercedem pro famulatu suo accipiat; quam postmodum torquem Anselmo rustico, qui uxorem duxerat, accepto pretio locauit. Item cum postmodum per annū, honesto stipendio conuento, esset conductus, & ipse Romulus ob contractas graues, & periculosas inimicitias, aliò nempe Venetias se transferre sit coactus, & ob id eum dimiserit, & integram ei mercedē soluere renuat, equum pro compensatione furatus est. Quæritur an per tale furtum charitatis, & iustitiæ leges uiolauerit? Secundo an fructus restituere teneatur, quos ex torquis subrepti locatione percepit. Tertio quid de equo censendum, & quid confessarius ei consulere debeat?

RESPONSIO.

REsp. Supponendo famulos ad tria erga dominos teneri. Primo ad honorē, & reuerentiam. Secundo ad obedientiam. Tertio ad obsequium, & & operas fideliter præstandas: Pariter, & Dominos ad tria pariter erga seruos exhibenda, nempe Primo ad mercedē, & honestam sustentationem. Secundo ad institutionem, in rebus fidei. Tertio ad modestā correctionem, ut scriptum reliquimus *in Comment. de statibus. p.* 2. *c.* 23. dico primo, Martianum famulum qui conquerendo sibi iustum stipendium denegari, domino suo torquem surripuit, ut compensatione uteretur, charitatem, & iustitiam læsisse, si ipsum stipendium quod sibi persoluitur, iustum sit, nec maius iure debeatur; ac proinde compensationem facere nō potuisse, quæ locum nō habet cum dubium est utrum aliquid iustitiæ lege debitum sit. Iusta uero merces illa censenda erit, quæ ex mutua conuentione sit in pactum deducta, uel qua ex consuetudine solui consueuit, cum regulariter locatio cum salario solito fieri dicatur; nam sicut cōtractus iuxta loci morem celebratus præsumitur: ita etiam pretium taxatum cēsetur *l. excepto. C. locati. Fillinc. tr.* 28. *c.* 5. *nu.* 67. *Enerardus in loco ab usitato. ut dixi supra. q.* 57. Non esse autem diminutam mercedē ex eo constare potest, si multi alij non deessent qui se offerentes libenter tale officium, uel obsequium pro huiusmodi stipendio præstarent, cum ultroneæ merces uilescant, dummodo tamen alia obsequia obire nō cogeretur, ad quæ aliàs nō tenebatur, tunc enim si via iuris stipendium sibi debitum obtinere nequiret, secreto recōpensare posset de reb. domini subtrahendo, modo tñ iustæ compensationis regulas seruaret, *de qua supra tr.* 7. *c.* 30. *q* 125. Et illa obsequia non gratis, & liberaliter, sed animo mercedis consequendæ præstitisset, quæ eius intentio præsumi potest, quoties, vt dixi, inuitus in pluribus laboribus, ac ministerijs detinetur, quàm sit conuētum, vel stipendium assignatū postulet, vel regionis usus seruet; siquidem donatio, quæ non regulariter præsumi solet, est remissio libera, & spontanea, non coacta, vel inuite facta. *Bonac. de contr. d.* 3. *q.* 7. *p.* 4. *nu.* 3. *Faustus de contr. tit. de locato. & conducto. d.* 10. *q.* 51. *arg. l. Nesennius. ff. de neg. gestis, & l. si quis à liberis. §. si mater. ff. de lib. agnoscen. cum ibi annotatis. & Nau. tit. de iureiurando. consf.* 4. *Azor. p.* 3. *l.* 11. *ca.* 24. *Fillinc. tract.* 39. *c.* 3. *nu.* 48. Vbi resoluunt, quod si v.g. pater, vel mater fecit expensas filio, vel filiæ, quem, vel quam alere non tenetur, quæque alia bona habet, si eius negotia gerit, animo donandi eos sumptus fecisse non censetur, sed animo repetendi in dubio expendisse præsumit, ac proinde aiūt iustā pensationem sibi facere posse. Quibus addo iuste aliquando famulis stipendium diminui, eo quod in Domini obsequio fideliter non laborent: nam sicut Dominus ex iustitia famulo laboranti conuentam mercedem, vel ex patriæ more debitam persoluere tenetur; ita etiam famulus ex iustitiæ præscripto, legitimum laborem præstare debet. *Nau. c.* 17. *num.* 196. *Mol tr.* 2. *de contr. d.* 493. *Reginal. l.* 25. *n.* 513. *Rebellus de obligat. iust. l.* 14. *q.* 3. *nu* 13. *& alij communiter*, resoluētes locantem operas suas in diem, vel in aliud certum tempus, nec fideliter laborantē præstando industriam, curam, & diligentiam boni viri arbitrio debitam, ita vt infimum laborem iustum pro stipendio sibi constituto minime attingat, pro rata debiti laboris, in quo defuit, ad restitutionem teneri; imo ad id quod cōducentis interest, si forte

si forte inde aliquod detrimentum subsecutum est. Quod monitum pro quotidiana praxi Confessarij aduertere debent.

Ad 2. q. dicimus, Martianum supposito compensationem iure facere non potuisse, cum torquem aureum iniuste furto sustulerit, non solum ad torquis, sed etiam ad fructus, quos ex eius locatione percepit, restituendos obligari; ratio communis est, quod huiusmodi lucrum non fructus industriæ, sed pretiū locationis censetur, & iura industriales fructus ex rei locatione perceptos, in rei fructibus numerant, quia in eis plus natura rei, quàm industria, & diligentia hominis operatur; cuiusmodi quoque sunt pensiones, quæ ex iumentorum, vel ædium locatione percipiuntur. Quod verum est, etiamsi dominus torquis non esset illum locaturus, siquidem res domino fructificat, & per consequens ei sunt restituendi, etiamsi dominus eos non acquisiuisset. *ita Azor. p. 3. l. 4. c. 4. q. 3. Lessius. l. 2. de iust. c. 12. dub. 17. nu. 114. Mol. tom. 3. p. 2. d. 719. nu. ultimo. Sāchez. l. 2. de precept. c. 23. num. 132. Bonac. de cont. d. 1. q. 3. puncto ultimo. §. 1. nu. 4. & §. 2. nu. 3 contra Nau. c. 17. nu. 25. & Lopez. p. 1. instruct. consc. c. 101. & nonnullos alios.*

Ad 3 q. dico eius resolutionem, colligi posse. *ex l. habitatores. ff. locati.* Vbi DD. desumunt, cōductorem qui inimicitiarum causas dedit, aut per ipsum stat, quominus inimicitia tollatur, integram mercedem soluere teneri, quia culpa sua impeditur, quo minus re locata vti possit, secus si nullā causam præbuit, nec inimicitias ipse fouit. *ut per Barthol. à S. Fausto. tit. de locato. & cōd. disp. 10. q. 15. & 19. Bonac. de cont. disp. 3. q. 7 p. 4. nu. 11. & 21.* Casu vero quod cōpensatio in equo, Martiano famulo permitti possit, videndum esset, an eiusdem compensationis conditiones seruentur, de quibus diximus. *p. 1. tract. 7. c. 31. q. 125.* Nec illud mihi hic obiter omittēdum videtur, quod in praxi sæpe contingere solet, mercedem famuli, qui per aliquod tempus, nempe triennium, vel quadriennium, ob timorem, quendam reuerentialem petere, vel exigere omisit, à Domino, vel eius hærede præscribi non posse, cum mala fides in sciente se debitorem supponatur, & ideo debitor in mala fide existens præscribere non possit. *Nau. c. 17. nu. 85. Graffius. l. 4 decis. aur. c. 8. num. 19. Regius casu 38. Carbo. de restit. q 84. Ala de adux. christ. p. 1. q 92. & alios.* Licet in foro exteriori cōtra eū psumatur, qui cum assereret se creditorē, tādiù petere distulit, donec debitor esset vita functus. vt celebris est locus apud Ciceronem in oratione pro P. Quinto, & respondit. *Alex. l. 6. consi. 183. Neniz. cons. 57. Caroe. decis. 66. Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt. 135. Hering. de fideiuss. c. 20. §. 1.*

Et ex his constat quid bonus cōfessarius Martiano famulo consulere debeat, & quantum intersit, sacramenti pœnitentiæ ministrum, in humanis contractibus, & in restitutionis materia versatum esse debere, cum vt ait. *Medina l. 1. instruct. confess. c. 14. §. 30.* Primo ad eum spectet iniustitias dissoluere, quæ ad eius tribunal deferuntur. Secundo quia qui alienum detinet, in statu peccati mortalis versatur, & absolutionis beneficij incapax est. Tertio quoniam iuxta tritum eloquium, Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *reg peccatū. de reg. iur. in 6. Feder. de Senis cons. 18. Tuschus in v. restituere. cōcl. 303.* Quę porro restitutio .i. rei ab aliquo acceptæ, vel damni illati compensatio, est omnium rerum difficillima, vt obseruat. *Massinus in l. 1. num. 100. C. de edendo. & Lazar. de Mont. sect. 4. quæst. 5.* Peccata vero quæ restituendi annexam obligationē habent, illa plurimum sunt, quæ commutatiuæ iustitiæ aduersantur, inter quæ cōiores sunt iniustitiæ Primo circa animæ bona. Secūdo circa corpus. Tertio circa famam, & honorem, & Quarto bona externa per furtum ablata concernit, vt attigimus infra. *Tract. 10. cap. 1. quæst. 1.*

DE ALIENAT. RERVM ECCLES. Cap. XXI.

QVÆSTIO LXVI.

Alienans res ecclesiæ sine licentia Papæ, sed cum clausula, reseruato Papæ assensu, &c. Item distrahens reliquias eodem Pontifice inconsulto, an peccet mortaliter, & incidat in excommunicationem?

GRegorius Parochus quendam suę ecclesię agrum inconsulto Romano Pontifice alienauit, sed cum clausula, reseruato Papæ assensu, nec aliter, nec alio modo; & antequam Pontificium beneplacitum impetratum fuisset, dicti agri possessionem Dionysio tradidit. Item notabilem quandam partem reliquiarum, quas in muro suæ ecclesiæ clausas habebat, absque Romanæ Sedis facultate, & licentia, Bernardo Curato amico suo donauit: quo facto postmodum Missam celebrauit, confessiones audiuit, & matrimonio celebrando astitit. Quæritur an peccauerit mortaliter, & inciderit in pœnas contentas in *Extrauag. Ambitiosæ. tit. de rebus ecclesiæ non alienan.* & nùm actus ab eo gesti valeant.

SVPPOSITA.

REsp. Supponendum est Primo, quod etsi in materia odiosa alienatio stricte capiatur, prout est actus, per quem in alterū dominium transfertur. *l. alienationis. vbi Alciat. ff. de uerb. signifi. ca. nulli liceat. vbi Abbas. ext. de rebus eccles. non alien.* In materia tamen fauorabili, vt est hęc, lato vocabulo sumitur, vt per eam intelligatur donatio, venditio,

ditio, permutatio, locatio ad longum tempus, idest, vltra triennium, nam locationes vsque ad nouē annos non nisi ex Papæ licentia concedi solent.

Item emphyteusis perpetua, census super res ecclesię impositio, compromissum, cessio iurium, repudiatio legati, impignoratio, incisio arborum frugiferarum, &c. Vnde ecclesiasticę res immobiles nisi in casibus à iure expressis, & cum solemnitatibus à iure requisitis alienari nequeunt, aliàs mortalis culpa admittitur, alienatio infringitur, & excommunicationis pœna incurritur, & rem alienatā retinens vti malæ fidei possessor, ad fructuum restitutionem tenetur. *vt in d. Extrauag. Ambitiosæ. Bonac. d. 3. q. 8. puncto* 4. *Riccius in praxi alienat. decis.* 54. *& 2. par. cur. Neap decis.* 154. *Nald v. alienatio. Tusch. v. alienatio. concl.* 261. *Genuens. in Pract. eccle. q.* 150. *Barbosa. p. 3. de Episcopo. Alleg.* 95. Appellatione vero ecclesiarum, vel bonorum ecclesiasticorū comprehenduntur omnes Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ, Monasteria, & omnium collegiorum, & piorum locorum bona, modo tamen ea loca pia Episcopi authoritate erecta sint, & sub eius moderatione maneant. At quādo non apparet, an locus ille sacer sit, Superioris authoritate erectus, in dubio hæc solemnitas interuenisse præsumitur, quando in eo diuina publice celebrantur, &c. *Io. Gutierez. in can. qq. l. 1. c.* 35. *nu.* 29. Loci etiam pij nomine censentur hospitalia, Cōfraternitates, Seminaria, & Collegia, Papę, vel Episcopi authoritate erecta *Gratia. in Discept. Forens. c.* 517. Idem *Genuens. in pract. eccles. q.* 604. *& Gutierez. l. c. Barbos. de Episcopo. p. 3. Alleg.* 75. *Bonac. l. c. nu.* 21. *Mar. Anton. l. 1. var. resol. resol.* 6. *&* 14. *Valasch. decis.* 105. *Thesau. in qq For. l. 1. decis.* 64. *Non. in collect.* 124. Quod etiam procedit in patrimonialibus bonis clericorum, ad quorū titulum sunt ordinati, hęc enim post *Conc. Trid. sess.* 21. *c* 2. alienari non possunt, etsi præter lethalem noxam, & actus nullitatem, alia pœna de iure communi non infligatur. *Rodoanus in tract. de rebus ecclesia non alien. q.* 49. *Rebuffus. in c. sine exceptione.* 12. *q.* 2. *Garzius de benef. p. 2. c. 5. nu.* 18. Idem *Gratianus in Discept. Forens. cap.* 159. *Et dixi sup. tr. 2. c. 2. q.* 24.

Non solum autem prohibentur alienari res immobiles, sed etiam, vt dixi, mobiles, quæ seruando seruari possunt, Annui redditus, iura, & actiones cōpetentes; Pecunia quæ ad rerum stabilium, cēsuum, vel mobilium pretiosorum destinata est, nam inter immobilia, vel mobilia magni ponderis connumeratur, vt proinde absque debita solemnitate alienari nequeat. Greges ouium, iumentorum, vel aliorum animalium, quæ ad ecclesię, monasterij, vel pij loci proprietatem pertineāt, Sanctorum reliquiæ, & alia huiusmodi. *Syl. Tab. & alij. Summulary in v. alienatio. Rod. l. c. q.* 4. *Quar. in v. alienatio. Mol. tom.* 2. *d.* 465. *Gen. in praxi ecclesia* Neap. *cap.* 75. *Riccius in praxi alienationis rerum eccles.* Excipiuntur tamen secundum aliquās fructus omnes ex rebus ecclesiasticis prouenientes, cum alienationis prohibitioni non subijciantur: sicut nec alienatio dicitur, cum res de fratre ad sororem transfertur, vel cum clerici eiusdē ecclesiæ res inter se absq; alia solemnitate permutāt, &c. *Gloss. in c. cū Apostolica in v. alienare. tit. de his, quæ fiunt à Pral. sine cōs. cap. Beroaus cons.* 124. *Tusch. v. alienatio concl.* 262. *nu.* 22. *Nald. eod. l. nu.* 4. At quò ad priorem exceptionem verius dicēdum est. *ex Riccio decis.* 119. dictā Extrauagantem non solum locum habere in locationibus bonorum, seu prædiorum beneficij, vel ecclesiæ, sed etiam in locationibus fructuum beneficij, vel etiam pensionis, nisi sint fructus, qui seruari non possunt, cum enim ad bona ecclesiæ accessaria sint, & ab his dependeant, ex communiori sententia, idem ius de ijs statuitur. Addo quod licet vt DD. loquuntur, per dismembrationem, beneficium, seu ecclesia non extinguatur, in bonis tamen, ac fructibus diminuitur, propterea in ea eadem causa, & solemnitas requiritur, quæ in rerum ecclesiæ alienatione exigitur, vt per *Riccium in praxi in eccles. decis.* 91. *&* 114. *Genuensem in praxi* Neap. *c.* 75. *Garz. p. 2. c. 1. nu.* 37

SECVNDVM SVPPOSITVM.

Secundo præsupponēdum est, vt rerum ecclesiasticarum alienatio valeat, multa de iure canonico requiri. Primo vt legitima, & iusta subsit causa, quæ pariter quadruplex esse potest, Primo ecclesiæ necessitas, vt si æs alienū ipsam vrgeret, & de fructib. creditorib. solui non possit. Secūdo est eiusdem vtilitas, vt si vnum ecclesiæ prædium pro alio meliori commutaretur Tertio est pietas, vt pro redimendis captiuis, vel alendis pauperibus, &c. Quarto est incommoditas, vt potè quia res alienanda sit magis dānosa, quàm vtilis, vel parū vtilitatis afferat, &c. Vnde & Episcopus, aut alius Prælatus inferior potest res modicas, aut paruæ vtilitatis absque consensu, vel tractatu Capituli, alienare, & per consequens alienando, excommunicatione non afficitur; imo non dicitur periurus, si quidem res parui ponderis non censentur in iuramento comprehendi, quod ipse Episcopus in sui consecratione emittit. Ad cognoscendum vero quænam res sit modica, iudicio prudentis viri relinquitur. *Quar. in v. alienatio. nu.* 41. *Gen. in praxi* Neap. *l. c. c.* 75. *num.* 3. *Bonac. d. 3. q.* 8. *p. 4. num.* 7. *Riccius in praxi var. resol. resol.* 383. *Barbosa de Episcopo p. 3. alleg.* 95. Declaratum tamē fuit per Sacr. Congregationē Episcoporū, & Regul. illum valorem includi, qui ad summam 25. aureorum ascendit, intra quem licita erit alienatio huius. modi rerulatum, pretium illud non excedentium. Vt Episcopo Fauentino respōsum esse refert. *Nald. v. Prælatus. nu.* 7. Excipitur etiam in illis bonis, quæ Clericus, vel Prælatus ex redditibus sui antiqui pattimo-

trimonij, vel aliter ex sua industria veluti ex muneribus per eum gestis, vel ex eius doctrina, & exercitio, seu aliter intuitu suæ personæ acquisiuisset, quia illa absque alia solemnitate donare, & quomodolibet alienare poterit. *c. tua nos. c. cum in officijs. ext. de testam.* Nam huiusmodi bona non sunt ecclesiæ, licet aliàs Clericus, vel Prælatus, quidquid post adeptum beneficium acquirit, de bonis ecclesiæ acquisiuisse præsumatur, & propterea ipsius esse intelliguntur. *c. 3. & c. fin. ext. de peculio Cler. Calcan. cons. 19. Cornens. uol 4 cons. 79. & cons. 314. & Seraph. de Priuileg. Iur. Priuileg. 52. Belletus in disq cler. p. 1. tit. de bonis. cler. §. 2. num.* 10. Vbi aduertendum non solum necesse esse vt re ipsa aliqua ex prædictis causis interueniat, sed eam quoq; legitime, vel per testes, vel per tabulas probandam esse, quia vt praxis obseruat, etiamsi alienantes causam subesse asserant, eis tamen non creditur, nisi legitime cõstiterit.

Secundo requiritur tractatus. i. solemnis quædam dispositio inter clericos, & regulares eius ecclesiæ, vel monasterij, cuius sunt bona alienanda, an iusta subsit causa, cui postmodum assensus, & approbatio subinde accedat; quod si ecclesia, vel monasterium, vel alius pius locus clericos, vel regulares non habeat, Rectoris, vel alius, qui beneficium, vel administrationem tenet, consensus sufficit, qui in publicas tabulas per tabellionem fit redactus Tertio necesse est, vt legitimi Superioris beneplacitum interueniat, qui quidem hodie ex communi praxi, quid quid olim obseruaretur, est Summus Pontifex, vt patet. *in c. 2. ext. de rebus ecclesiæ non alien in d. c. extrauag. Ambitiosæ.* In Bulla Pij II. Incip. *Cum in omnibus,* & Pij V. Incip. *Etsi de singulis.* Qui quidem vt Romanæ Curiæ stylus interpretatur, cognita prius, & approbata iusta causa, vel à seipso, vel ab alio de eius mandato, consensum præstat. (Post obtentum autem beneplacitũ in rei Ecclesiasticæ alienatione non est locus pœnitẽtiæ etiam respectu successoris, qui alienationi non consensit. *Marescot. l. 1. uar. resol. c.* 14) Idq. etiam seruatur in alienationibus bonorum, cuiusque monasterij, vel pij loci, nisi forte ex eiusdem Sedis Apostolicæ priuilegio alienandi facultate gaudeant, vt per *Grat tom. 2. Forẽs. discept. c.* 202. Idque locum habet, vel si Prælatus seu Rector certo sciat se ecclesiæ, seu monasterij cõditionem meliorem facturum, & etiamsi Rector ecclesiæ alienationem, vel contractum iuramento firmasset. Si quidem ex probabiliori, & communiore Scribẽtium sententia, etiam in his casibus actus cõtra præscriptam formam factus, inualidus redditur. *d. c. sine exceptione. 12. q. 2. Bonac. d. 3. q. 8 p. 4. num. 10. Riccius. decis 7. Farinac. decis. 205. & seq. Vincent. de Franc. decis. 35. Magon. decis 69. Arism. tit. 23. Ripe obser. 396. Euerardus in top. leg. in loci à defectu formæ. Quidquid sentiãt aliqui, ut Lessius l. 2. c. 24. dub. 10. Quar. num. 34. & 50. Roder. tom. 1. q. 9. reg. q. 27. art. 9. Varall. p. 3. decis. 147. Mascar. uol. 1. concl. 75. Mant. de tac. tom. 2. l. 25. tit. 6. nu. 9. Naldus. l. c. nu. 1. & aly.* quorum sententia in toto conscientiæ post factum teneri posset.

Excipitur in res ecclesiastica, quæ saltẽ spatio 40. annorũ in emphyteusim solita sit cõcedi, in qua prædictæ solẽnitates necessario nõ exiguntur. *Quar. in Sũma Bullarii in v. alienat. Graffius. cõs. 1. tit. de rebus ecclesiæ non alien. Mol. d.* 369 Idem *Riccius decis. 26. 70. & 116. Bonac l. c. nu. 30. Barbosa. de Episcopo. p. 4. Alleg. 95. nu. 36. Genuens. q. 130. Camillus Borellus in Summa Decis. tit.* 16. Est etiam communis DD. assertio Apostolicum assẽsum ex cursu 36. annorum præsumi, etiamsi in vim conditionis sit reseruatus, & etiamsi in instrumẽto nõ sit enuntiatus, nec Summi Pontificis scientia probetur. vt per *Riccium in decis. eundem* Neap. *decis.* 116. *Maresc lib. 1. uar. resol. c.* 13 At Iacobus. *Put. lib. 2. decis.* 365. *& Arism. in uar. sen. iu. tit.* 23. dicunt solẽnitates extrinsecas in alienatione rei ecclesiæ non enuntiatas, spatio septuaginta annorum interuenisse præsumi. Et licet dicatur, quod alienatio cum sit facti non præsumitur, quãdo tamen de ea per scripturam, vel per testes constat, illa omnia interuenisse cẽsentur, quæ de iure facienda erant. *Tuschus. in v. facta. concl.* 10. *Mascard. de probat. v factum. concl.* 734. *& v. alienatio. nu.* 14. *Rolan. à valle. uol. 2. cons. 99. nu.* 27. Quinimo cum præscribi etiam res ecclesiæ possint, & inueteratus vsus priuilegij vicem gerat, non mirum si ex temporis diuturnitate seruatas in alienationibus solemnitates præsumamus. vt ait. *Caualc. par. 2. decis.* 29. Paulus tamen 4. in Constit. *Incip. Iniunctum* omnes alienationes non solemnitet, & cum damno ecclesiæ factas reuocauit, nullaq. temporis præscriptione confirmari decreuit. Sed Pius IIII. in Bulla. *Incip. Prouida* id ad terminos iuris communis reduxit. reste *Francisco Zypaeo. de Iure Pont. l. 3. tit. de reb. ecclesiæ non alien. n.* 3. Sed quidquid de hoc sit, illud certum est, ecclesiæ infra quadrienniũ, imo sẽper, aduersus præscriptionẽ restitutionẽ in integrũ concedi. *Decius. cons.* 282. *Fusch. in singul. in v. ecclesia. Lessius. l. 2. c. 6. dub. 18. Molfes. tr. 12. c. 3. n. 308. Regin. l. 10. n. 301. Euerard. in top. leg. in loco à Min. ad Eccles.* Aduertẽdum tamen, regulares, qui bona immobilia possidere prohibentur, posse illa capere ad effectum vendendi, vt suis necessitatibus succurrant, & in tali alienatione nullam requiri solemnitatem, quia cum ea tanquam propria retineri non possint, relicta non intelliguntur, vt perpetuo apud monasterium permanere debeãt; quę fuit principalis ratio cur ecclesiastica bona sine iusta causa, & solemni ritu alienari nequeant. *Grat. tom. 2. c. 202. Mant. de tac. & ambig. l. 25. tit. 6. num.* 58. Permutari etiam possent ecclesiæ bona sine solemni-

lemnitatibus si testator sic disposuerit, nam dicta conditione stante ipse permutare, cēsetur. vt ex cōmuni resoluit. *Mar. Anton. lib. 1. var. resol. casu.* 44.

Tertio supponendum est, aliquibus videri extrauagantem illam Ambitiosæ in paucis locis esse vsu receptam, saltem quò ad pœnas. s. priuationem beneficiorum, & censuras, propterea confessarios ecclesiasticos Iudices interrogare debere qualiter dicta Constitutio in eo loco vbi contractus fit sit in vsum inducta, ne pœnitentes huc, & illuc agitari faciant. *Faustus de locat. & conduct. disp.* 10. *quæst.* 11. Alij vero testantur, ipsam tàm quò ad pęnas intrinsecas nullitatis cōtractus, quàm quò ad extrinsecas priuationis, & censurarum in regno Neapolitano in viridi esse obseruātia. Nonnulli asserunt, quò ad pęnam priuationis, beneficij ante Iudicis sententiā, nec non quò ad assensum Apostolicum non esse receptam, nam alicubi de licentia Episcopi solū alienari cōsueuerunt. Proinde monēt, vniuscuiusq; Prouinciæ vsum consulendum esse. *Nau. c.* 27. *nu.* 150. *Graffius l. c. & l.* 4. *decis. c.* 24. *nu.* 20. *Rolan. de rebus eccles. non alien. q.* 36. *Val. tom.* 3. *de simonia q.* 16. *pūcto* 2. *Sayrus l.* 3. *de cens. c.* 32. *num.* 22. *Genuensis in praxi ecclesia Neap. c.* 75. *Vgol. de officio Episcopi p.* 1. *c.* 14. §. 7. *Quar. l. c. num.* 48. *Bonac. d.* 3. *q.* 8. *p.* 4. *nu.* 14. *Mar. Anton. l.* 1. *var. resol. resol.* 21.

Quarto plura de hac alienatione bonorum ecclesiæ statuisse Tridentinos Patres. *sess.* 25. *de reform. c.* 11. Inter alia decernunt, vt nulla alienatio, vel locatio valeat anticipatis solutionibus in successorum præiudicium. Ex qua sanctione communiter Doctores illam assertionem desumunt, Prælatum, Rectorem, vel beneficiarium succedētem in officio, vel beneficio, non teneri stare locationi per suum prædecessorem factæ, si ipse antecessor nomine proprio, redd itus beneficij in suā vtilitatem locauerit, ad tempus iure, vel synodali constitutione permissum, ipseque ante tempus locationis expletum decesserit. *Mol. d.* 492. *Reg l.* 25. *num.* 538. *Riccius v. alienatio. decis.* 123. *Carocius. de locato. & conducto. p.* 3. *tit. de rebus ecclesiæ locan. q.* 1. *cum seq. Gratianus in Discept. Forens. c.* 37. *à num.* 18. *Card. Tuschus in v. locato. concl.* 419. *Card. Mant. de tacit. & ambigu. convent. l.* 5. *tit.* 13. *nu.* 21. *Bonac. de cont. d.* 3. *q.* 7. *p. ult. nu.* 10. *Barbosa in Remiss. ad Conc. d. c.* 11. *& de Episcopo p.* 3. *Alleg.* 95.

RESOLVTIO.

His positis, & consideratis sic propositum casum resoluo, Gregorium, Rectorem mortalem culpam contraxisse, in excommunicationē nullitamen reseruatam incidisse, & aliarum pœnarum in *d. extrauag.* contentarum post Iudicis sentētiam reum factum esse, si quidem illa protestatio cum clausula non aliter nec alio modo, est contraria facto, nec ipsum releuat, ex multorum sententia quos in re simili refert. *Gaspar Thesaur. in Quæst. Forens. l.* 1. *q.* 53. Et hac re delata ad Clementem VIII. sic declarauit; ac mandauit, Vicario Archiepiscopi illius Ciuitatis vt d. Rectorem in vtroque foro à censura absolueret, modo prius alienationem reuocaret, & quò ad posset, ecclesiam in pristinum statum restitueret, iussitque vt idem Vicarius super fructib. male perceptis dispensaret, & titulum beneficij cōfirmaret. *Marc. Anton. Gen. in praxi Cur. Archiepisc. Neap. c.* 52. *Nald. in v. alienatio. nu.* 8. *contra Ricciū in praxi var. resol. resol.* 512. Hinc sequitur, si post excommunicationem incursam celebrauit, irregularem factum esse, confessiones tamen cidem factas, si occultus, & toleratus erat, validas esse, & matrimonium ab eo celebratum subsistere; si quidem non solum Parochus excommunicatus toleratus, vel suspensus ab officio, vel irregularis, valide matrimonio testis assistit, sed ēt non toleratus, & vitādus, & irregularitate affectus, &c. *Bonac. q.* 2 *p.* 8. *nu.* 22.

Adnotādum tamen est hic ēt, multos à pœnis extrinsecis Paulinæ Constitutionis excusari ob alienationem factam citra fraudem, vel bona fide, ac proinde ab irregularitate immunes esse. *arg. Riccius in praxi. var. resol. resol.* 19. Vbi ex cōmuni tradit pœnam impositam contra præsumētem, non incurri ab eo qui absque dolo, & contemptu actum facit. & in terminis resoluit. *Nouar. in Collect. super PragC. ollect.* 88. Et addit prohibitum vi edicti, vel pragmaticæ pecuniam extrahere, si citra scādalum quis extraxerit exilij pœnam ab eo non subiri.

Quod attinet ad 2. casus quęstionem, de reliquijs inconsulto Papa à Gregorio Parocho alienatis, eadem ratione ab eadem culpa, & eisdem pœnis immunem non censeo. Quando quidem sicut Parochus non potest ecclesiæ prædia, vel domos, & omnia mobilia pretiosa sine Summi Pontificis authoritate alienare, vt sæpius citata Paulina Constitutione cauetur, multo minus ei licere videtur pretiosos reliquiarum thesauros distrahere, per quas, vt ait sacrosanctum Concilium Trid. *de innocatione, & reliquijs sanctorum*, multa beneficia à Deo hominibus præstantur. Erut inquit D. Ioan Damascen. *l.* 4. *Orthod. fidei. c.* 14. *& c.* 16. Christus Saluator noster reliquit nobis sanctorum reliquias, ut salutares fontes, multimoda spiritualia, & temporalia commoda scaturientes, & suauitatis vnguentum emanantes. vt per *Delrium in disq. mag. l.* 6. *c.* 2. *sect.* 3. *q.* 3. *Io. Bapt. Segnium in tract. de reliq. Sanct. cap.* 15. *Sanchez l.* 2. *de precep. c.* 43. *Bonac. de leg. d.* 3. *q.* 1. *p.* 4. *Molfes tr.* 11. *c.* 6. *nu.* 43. *& seq Barbosa de Episcop p.* 3. *Alleg* 97. Vt propterea absurdum, & à ratione alienum uideatur, posse ad libitum absque Papæ licentia reliquias aliis concedi, quas Sacri Canones

n summo honore, & veneratione habendas esse statuerunt; cum enim Sancti sunt à Summo Pontifice approbati, eorum reliquiæ dicũtur tàm integra corpora in terris post mortem existentia, quàm eorundem corporum partes, vt dẽtes, brachia, capilli, &c. Imo & omnia illa, quæ ipsa corpora tetigerunt, ac proinde ex fidei præcepto illas reliquias venerari oportet, cum S. Pontifex in sanctorum, vt inquiunt, canonizatione errare non possit. *Molf. l.c. num* 44. Nihilominus Gregorius iste Parochus ob bonam fidem, qua reliquias istas alienauit, à censura excusandus videtur, cũ in *d. extrauag.* dicatur, præsumpserit, quod quidem verbum dolum, & temeritatem exigit, siquidem lex contra præsumentem aliquid facere posita, eum non comprehendit, qui absq; dolo, vel cõtemptu, bona fide, vel simplicitate alienat. Sicut etiam alias res alienans excusatur. Primo ob ignorantiam facti probabilis, ac iuris. Secundo quando in subtilitatibus iuris, uel in aliqua lege ignota, abscondita, uel abstrusa erratum est. Tertio ob reuocationem alienationis, & pœnitentiam, ante realem, & pacificam traditionẽ; falsum est enim quod ait. *Marc. Anton. Genu. in pract. ecclesi. q.* 381. Tentantem res ecclesiæ alienare, in censuram etiam non sequuto effectu incidere. Quarto excusatur ob speciem iustę causę licet alienatio esset ipso iure nulla, quia qui bona, & integra fide humanam legem transgreditur, putans se id faciendi iustam causam habere, haud lethaliter delinquit, vt per *Nau. in comment. de rebus ecclesia non alien. nu.* 10. *& Ricc. in decis. cur. Neap. decis.* 222. Adde etiam casum urgentis necessitatis, in qua res ecclesiæ etiam immobiles sine solemnitate, cum S. Pontifex facile cõsuli nõ põt, alienare fas est. *Mant. de tac. & ambig. l.* 4. *ti.* 7. *n.* 42. *l.* 25. *tit.* 6. *Genuẽs. in prac. eccl. q.* 458. *&* 546.

Atq; q. resoluẽdo dico, ita de stylo curiæ seruari, quod cum S. Pontifices reliquiarum particulas ab episcoporum diæcesibus extrahendi licentias largiuntur, illam clausulam ponũt, dummodo non extrahantur particulæ de reliquiis insignioribus, nec in muro clausis, & cum cõsensu Episcopi. Idem *Marc. Anton. Gen. l. c. c.* 71. *in annot. Riccius in praxi alienat. decis.* 63. *Bonac. d.* 3. *q.* 8. *p.* 4. *num.* 17.

QVAESTIO LXVII.

Parochus successor an caducitatem in emphyteusi ecclesia remittere possit, & possit expellere conductorem, qui suo labore fundum sterilem fertilem reddidit, & repudiare legatum relictũ ecclesia? Num res uendita ecclesia cum reseruatione dominij donec pretium solutum fuerit, interim absque iuris solemnitate alienari possit?

Barnabas Parochus cum eius Antecessor uineã suæ ecclesiæ in emphyteusim Iacobo usq; ad tertiam generationem concessisset, cum onere, & obligatione soluendi viginti libras, & par caponum pro canone quotannis, ipse Iacobus emphyteuta, intra biennium ipsam pensionem non persoluit. Quærit nunc, an in foro animæ teneatur declarare eum in commissum (ut dicunt) cecidisse, vel potius ex amicitia, & pietate, etiamsi conditio ecclesiæ ex hoc deterior efficiatur, possit caducitatem remittere? Item cum ad triennium locauerit quędam fundum sterilem, & conductor illum fertilem reddiderit, an peracto locationis tempore, possit plus offerenti locare. Tertio quondam legatum suæ ecclesiæ relictum, absque causa repudiauit, an peccauerit, & excommunicationem latam in alienantes bona ecclesiæ absque solemnitate contraxerit. Quarto cum emerit quoddam castanetum à Iosepho cum pacto in venditione apposito, ut non nisi soluto pretio dominium trãsferatur, nũquid ante pretij solutionem alienando, in pœnas Extrauagantis Ambitiosæ incidisse censeatur?

SVPPOSITA.

Resp. Suppono emphyteusim nihil aliud esse, quàm contractum, quo quis tradit rem suam immobilem alteri quò ad dominium vtile, sub certa pensione reali soluenda in recognitionem dominij directi. *lib.* 1. *C. de iure emphyt. Azor. par.* 3. *lib.* 10. *de emphyt. cap.* 1. Est autem emphyteusis nomen græcum, & latine plantationem, seu meliorationem significat: olim enim hac ratione hic contractus inuentus est, ut steriles agri, quos dominus colere non poterat, alterius industria colerentur, & fertiles redderentur: licet postea permissum sit, ut etiam res frugiferæ in emphyteusim dari possint. Hincque hic contractus à locatione differre dignoscitur. Primo quod emphyteusis solum constitui possit in re immobili, qua cultura melior effici potest. Secundo quod per eam utile dominiũ transferatur, dominio solò directo apud priorem dominum manente. Tertio quod ad breuius tempus, quàm triennii nõ fiat, locatio vero ad strictius aliquõ spatium contrahatur. Finita autem locatione si dominus uelit rem alteri locare, an preferendus sit eius conductor, uel eius hæredes, uide *Boer. decis.* 107. *Cottam in v. locatio. prima. Tusch. v. locatio. concl.* 422. *Bellon. de potest. eorum qua incont. fiunt. l.* 2. *c.* 122. Vbi resoluit, peracta locatione, rei ecclesiasticæ, uel profanæ, posse dominum eam sibi retinere; quod si malit alteri eam locare, tunc æquitatis, & iustitiæ ratio exigit, ut primo conductori, uel eius hæredi locatio fiat, qui præferendus est: quod accipiendum esse ait, de locatione ad longum tempus, uel de emphyteusi, secus in simplici locatione ut Mediol. Senatum in causa Illustriss. Card. Ludouisij declarasse refert.

SE-

SECVNDVM SVPPOSITVM.

Secundò, multa concurrere ad naturam, & conditionem huius contractus siue sit emphyteusis priuata, quæ est quando quis priuatus, & laicus rē propriam in emphyteusim concedit, siue ecclesiastica, quando ecclesiastica res immobilis ab œconomo, & aliis administratoribus cum causæ cognitione, an. s. ecclesiæ expediat, huic contractui subiicitur. At utex communi tradit. *Magonius decis. Luc.* 10. Emphyteusis ecclesiastica si ad priuatum transit, priuatì etiam naturam induit. Et licet emphyteusis ecclesiastica regulariter ad fœminas non transeat, finita tamen linea masculina; de æquitate filia, & fœmina descendens, nouo emphyteutæ præferēda est. *Rota Rom. in nouiss. p. 2. decis.* 125. *nu.* 33. *Tusch. in v. Emphyteusis concl.* 170. *Mantica de tac. & ambig. p.* 1. *l.* 3. *tit.* 8. *nu.* 21. Filii etiam naturales ab ea excluduntur, nisi per subsequens matrimonium natalibus sint restituti, cum huiusmodi legitimati fere in omnibus legitimi reputentur. *Clarus in §. emphyteusis. q.* 30. *&* 31. *Menoch. lib.* 1. *cons.* 16. *Bellett. p.* 1. *Disq. cler.* §. 3. *nu.* 2. *Tusch. v. legitimatio. concl.* 239. Primum inquam, ad emphyteusim generaliter requisitum est, quod (ut ex diffinitione colligitur) qui rem aliquam ut domum, uel uineam in emphyteusim cōcedit, dominium directum sibi retinet, & qui accipit, utili dominio potitur, quod nihil aliud est, quàm habere facultatem vsufruēdi illa re, salua rei substantia. Secundum est quod in compēsationem ipsius utilis dominij, super rem immobilem sibi traditi, quandam certam pēsionem singulis annis dño rei soluere obligatur. Tertium quod hoc in scriptis fieri debet, licet etiam sine scriptura fieri possit, & id sine dubio quando talis consuetudo regionis uiget, aliàs tutius est in tabulas contractum hunc redigere, si quidem cū res perpetuò, vel diù apud accipientem, uel eius hæredes permansura sit, facile illam esse suam propriam dicere possent, nisi introductum esset, ut scriptura interueniret. Quarto emphyteuta uel recipiens rem emphyteuticam requisito prius Domino uendere potest, duorum enim mensium tempus habet, an pro eo pretio quod alij offerunt, accipere uelit. Quinto nouus emptor laudemium. i. quinquagesimam partem pretij, quo uendita fuit, in recognitionem dominij directi dare tenetur, & cum sit fructus, qui propter rem percipitur, ad usufructuarium, ut ad Rectorem ecclesiæ, nō autem ad proprietarium, uel ad dominum directū, ut patronum ecclesiæ spectat. *Iulius Clarus in §. emphyteusis. q.* 23. *Maurus Burgius in tract. de Laudemio. Andreas de Ponte in qq. de laudemio. lib.* 1. *q.* 1. *Mold.* 461. *Lessius. l.* 2. *c.* 24. *dub.* 8. *nu.* 57. *Rebellus l.* 3. *q.* 6. *Thesaur. decis.* 75. *Tusch. v. laudemium cōcl.* 15. *Molfes. tr.* 12. *c.* 10. *nu.* 39. *Surdus decis.* 31. *&* 305. *Mar. Anton. l.* 1. *uar. resol. resol.* 32. Vbi ex communi resoluunt, quod licet quādo bona emphyteutica inter fratres diuiduntur, laudemium non debeatur, cū illa diuisio necessaria alienatio dicatur, ex qua regulariter non soluitur, deberetur tamen quando tota res emphyteutica uni tantum obueniret, cum potius quædam voluntaria permutatio cēseatur. Et aliqui, ut *Io. de Anan. cons.* 70. *Tusch. l. c.* hoc laudemij ius extendunt, ut etiam soluēdum sit, si idem emphyteuta finito primo tempore puta 29. annorum renouationem recipiat.

TERTIVM SVPPOSITVM.

Tertio supponendum multas esse causas propter quas emphyteuta à iure suo cadit. Prima est mendacium, ut si requisitus à Domino, ut canonem soluat, negat se rem emphyteuticam habere, & postea de mendacio, & falso, conuincatur: vt propterea locum habeant illa Sapientum pronūtiata, Lapsus linguæ quasi qui in pauimento cadens, sic casus malorum festinanter ueniet. *Eccles. c.* 20. Qui in mēdacio confidit, cito deficiet. Quemadmodum qui putres, & ruinam minantes parietes albo tectorio linunt, non tamen eos erigere possunt, ita & mendaces facile deprehendūtur, & oīs eorū error imbecillis est, quāuis extrinsecus callide fucetur. Nec dubiū, quin mendacibus, atq; negantibus, quā plurimæ legibus sint constitutæ pœnæ, beneficiaque eisdem multa sint denegata, cum mendax ipsis legibus ualde sit exosus, modo negans dolo, & fraude non careat. vt per *Tusch. v. mendax. concl.* 188. *& Fuse per Anton. Cucchium in libello de pœnis ment.* At regulariter loquendo vbi statim post negationem, ueluti palinodiam cecinit, & ueritatem fuit confessus, impune illi erit priori loco facta negatio; neq; aliqua erit afficiendus pœna ueluti, si ueritatem fateatur: antequam aduersarius probandi onere grauetur. *Thes. decis.* 50. *Gratian. tom* 1. *Discept. Forens. c.* 109. *Bellon. de potest. eorum quæ incont. fiunt. c.* 63. videantur à nobis adducta supra *tract.* 7. *cap.* 37. *q.* 143.

Secunda causa priuationis est, si intra biennium canonem non soluerit, si sit emphyteuta ecclesiæ, & intra triennium, si sit priuata. Non cadit tamen ipso iure, sed ita demū, si dominus directi declaret uelle esse locum caducitati, nec propria authoritate rei emphyteuticæ possessionem capere poterit, sed Iudicis sententia interuenire debet. *Riccius* 3. *p. decis. cur. Neap. decis.* 297. *Tusch. v. emphyteuta. cōcl.* 291. Si tamen sit emphyteusis ecclesiæ, integrum erit celeri satisfactione sibi consulere, & moram purgare: si quidem de æquitate canonica, & in foro cōscientiæ, ipsam morā excusare semper licet. Sicut etiam si canon ab emphyteuta non integer, sed pro parte in duabus, uel tribus uicibus soluatur, ex benignitate emphyteutā ipsū Ecclesia priuare non solet. *Clarus. q.* 8. *Syl. in v. emphyteusis. q.* 3. *Reb. q.* 4. *Reg.* 547. *Seraph. de priuileg. iur. priuileg.* 481. *Gennensis in pract.*

aclis q 119. *Bonac.d.3.q.8.p.2.nu. 6. Corb. de Iure emph.q.6.* Vbi etiam *q.8.* tradit, si actum sit inter partes, quomodo, & quando canon solui debeat, conuentionem seruandam esse, sin minus consuetudinē attendendam, quæ si non adsit, in fine anni soluendum, & solutionem per tres partes fieri posse. Sicuti etiam in simili communiter DD. asserunt loci consuetudinem aduertendam esse ut coguoscamus, an successor in beneficio colono stare teneatur. Aliàs anno incæpto, & re non integra, in locatione persistendum. *Marcus.p.1.decis.* 144. *Quar.v.alienatio. num.* 19. *Barbosa de Episcopo par.3. Alleg.94.num.*4. Illud autem annotandum videtur, quod si emphyteuta ob non solurum canonem, uel ob aliā causam in cōmissum incidit, si dominus emphyteusis, dum uixit, caducitatem non declarauerit, eam remisisse videbitur, & hæredes agere non possunt ad emphyteusim ob commissum petendam, ex pluribus relatis à *Menoch l.2.cons.*155.*n.*17.*& l.3. de præsumpt. præsumpt.* 25.*nu.*7. & multis similibus adductis testatur *Roder.de annuis redd.l.3.q.7.num.*67.

Tertia causa est, quando emphyteuta suæ, ut dicunt, inuestituræ instrumentum, uel tabulas non ostendit, nisi ut multi probabiliter censent, probaret, se canonem per triginta annos soluisse, tunc enim emphyteusis perpetua præsumeretur. *Marcus Ant. l.1.nar.resol.resol.* 30.

Quarta si emphyteuta in re emphyteutica male sit uersatus, puta quia inciderit arbores, uel illam incultam reliquerit, & eam deteriorem reliquerit. Hinc non poterit syluam ad culturam redigere, nisi lex municipalis, aut consuetudo repugnaret, &c. Posset tamen arbores incidere, si ex tali incisione ager fructuosior redderetur, ut accidit, quando opacæ arbores abscinduntur, quibus ablatis uberiores fructus percipiuntur, uel quando arbores uetustæ, uel exsiccatæ inciduntur, ut aliæ frugiferæ interserantur.

Quinta si emphyteuta rem irrequisito domino alienat, in commissum enim absque alia sententia cadit, modo ipsius rei traditio sequuta fuerit: sicut etiam uasallus feudo priuatur, si citra domini consensum illud alienat, modo traditio subsecuta sit, traditionibus enim, non nudis pactis rerum dominia transferuntur. *l.traditionibus.C.de pactis. Clarus in v.feudum q.*31. *Ioach.Schep.in prompt.iur.de feudo.tit.* 7. *Riccius in praxi contra duellantes resol.* 52. Nō tamen quando alienaret, protestando se distrahere saluo, & reseruato Domini consensu, nec aliter, nec alio modo, ut de communi testatur idem *Clarus v.emphyt.q.*13. *Gram.decis.*49. *Mar.Ant.l.*1. *resol.*61. *Mol.d.*459. *Bonac.d.3.q.8. par.2. num.*6. *& Menoch.cons.*38. *Gaspar Thes.q.*53. *Grat. in discept.Foren.c.*202. *Bellon. de his quæ incont.fiunt.l.*1. *c.* 49. At sane integrum erit emphyteutæ requisito domino, & eo assentiente, rem emphyteuticam alteri per eundem contractum concedere, qui à Doctoribus subemphyteuticus, uel liuellatius contractus dicitur. Si tamen partem tantum alienet, partē tantum alienata priuatur; nam regulariter prohibitus alienare sub pœna caducitatis, partem tantum distrahens ab illa solummodo, non à toto cadit: etsi in casu alienationis alius uocetur, ut de communi testatur. *Clarus v.emphyt.q.*13.*lib.*2. *Marescot.l.*2. *uar.resol.c.*14.

Sexta priuationis causa est tempus finitum, nam emphyteusis ad certum, & præscriptum tēpus concessa eo transacto, & linea finita, ad Dominum reuertitur, licet melioramenta, non ad ecclesiam, sed hæredes emphyteutæ transeant. Vnde institutus pro se, filijs, & nepotibus, si absque filijs, ac nepotib. decedat, uel si moriatur relictis filijs, & demū eius filij, & nepotes deficiant, emphyteusis absoluitur, licet ipse emphyteuta, uel eius hæredes, iure à Domino directi petere possint, ut in ipsis renouetur, cū potiora tueantur iura, & alijs præferri debeant. *Clarus.l.c.q.*34.*&* 43. *Gen.in praxi Neap.q.*99. *Boerius decis.*19. *Beccius cons.*3. *Surdus decis.*78. *Barthol. à Fausto de emphyt.disp.*11.*q.*41. *Corbulus in tract. de Iure emphyt.causa* 11. Multis etiam alijs modis cōtingit emphyteutam ius suum amittere, qui tamen ad hos sex reducuntur, qui ut huius materiæ solida clauis, à confessario annotandi sunt.

RESOLVTIO.

His positis propositum casum quoad primam partem sic resoluo, s. Barnabam Rectorem ecclesiæ parochialis absque iuris solemnitate posse Iacobo emphyteutæ caducitatem remittere, tùm, quia caducitas non habet locum, nisi volente Domino; tùm quia ipsius caducitatis ius iuris acquirēdi potius quàm acquisiti rationem inducit, at certum, & exploratum in iure est, in acquirendis, non in acquisitis Ecclesiæ Prælatum præiudicare posse; ut propterea non possit Parochus in successoris præiudicium canonem minuere, nec legatum suæ ecclesiæ relictum repudiare, siquidem dominium rei legatæ, ecclesiæ etiam ignoranti acquiritur.

Resolutio tamen à nobis supra firmata intelligitur, quando ipse Rector non declarauerit Iacobum in commissum cecidisse, & res emphyteutica non sit propriæ ecclesiæ bonis coniuncta, seu, ut DD. loquuntur, incorporata, & rem inter bona mensæ describi fecerit, &c. Item hoc non habet locum in emphyteusi ecclesiæ collegiatæ; nam sine capituli consensu, non potest Præpositus, uel Prior caducitatem remittere. *Iason in l.2.num.*130. *C.de iure emphyt. Clarus.q.*10. *Gigas de Pens.q.*73. *Natta cons.* 441. *Canale.p.2.decis.*76. *Gabriel.l.4.concl.* 3. *Menoch.de arbit.*

arbit. iud. l. 2. cent. 5. casu 433. *& volum. 1. consf.* 79. *Bellett. p. 1. disq. cler.* §. 5. *nu.* 16. *Riccius decis.* 135. *Sanchez. l. 6. de matr. d. 4. nu.* 11. *Gen. in pract. eccles. Tricen.* 1. *q.* 12. *Naldus in v. emphyteusis. nu.* 6. *& v. Pralatus. num.* 7. *Tusch. in v. Pralatus* 502. *Azor. p. 2. l. 9. c. 1. q.* 12. *Comit. l. 1. respons. q.* 84. *contra Barbos. p. 3. Alleg.* 95. *nu.* 64. Sic in simili resoluit *Mant. de tac. & ambig. l.* 23. *tit.* 26. *num.* 10. *& Genuens. l. c. q.* 28. Prælatum, vel Episcopum non posse remittere caducitatem feudi ecclesiastici, si pactum de non alienando sit expressum, cum per huiusmodi pactionem ius ecclesiæ acquisitum sit, &c. Et si ipse Rector pro tempore elapso canonem, uel pensionem recipiat, nilque protestetur, ex communi DD. sententia, ius commissi condonasse censetur: imo iuri quod habebat petendi utiles expensas in re emphyteutica factas, quæ vna cum re ad ipsum erant deuolutę, renunciasse præsumitur. ut per *Gigantem l. c.* & ipsum *Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt.* 112. *Corbulum in tract. de iure emphyt. de causis priuat. ob non solut. canonem q. 6. & limit.* 21. vbi restatur de communi.

Quoad 2. propositi casus quæstionem dico Barnabam non posse expellere colonum, qui sterilem ecclesiæ fundū fertilem reddidit, nec alteri plus offerenti locare; dummodò tempore primæ locationis ecclesia decepta non fuerit, ut quia plus offerentem non inuenit: & saltem de honestate, & naturali ratione, teneri sub antiqua pensione priori colono concedere. ut per DD. *in c. ad aures. ext. de rebus ecclesiæ non alien. Paulum de Castro. uol. 2. cons.* 142. *Rot Rom diuers. decis.* 312. Vbi resoluit, quod cū à principio prædium est sterile, & postea ad culturā opera primorum cōductorum redactum est, eorum hæredes pro eodem pretio, ut aiunt, reinuestiri debent quæ sententia, ut dixi, æquitati, & naturali rationi innititur, quam præ cæteris ecclesia sequare debet, quæ in omni negotio cōsiderat, an liceat, an deceat, an expediat. *c. magna. ext. de uoto Marc. Anton. Gen. in pract. eccles. q.* 207. *Pet. de Anchar. cons.* 49. Nec debet turpia lucra sectari, sed quandoque propter bonam famam, de iure suo aliquid dimittere. Et par est, ut ecclesiastici benigniores quàm laici sint, nec conuenit eos improbos esse exactores, atq; temporalib. lucris inhiare. *Tusch. v. ecclesia. concl.* 4.

Ad 3. q. respondendo dico quod licet Barnabas ex quodam odio repudians legatum relictum ecclesiæ suæ peccauerit, non tamen excommunicationem contraxerit, latam in alienantes bona ecclesiæ absque solemnitate, quia ea alienatio non est. contra *Nald. v. alienatio. Mol. tract. 2. d. 468. num. 11. Quar. v. alienatio. nu. 23. Barbos. p. 3. de Episcopo Alleg.* 95. *nu.* 54. Tenetur nihilominus sine causa legatum respuens, proprijs bonis damnum illud resarcire, quia ex officio, & lege iustitiæ tenetur res ecclesię meliores reddere, cuiqui dem conditioni illa repudiario aduersatur: vnde etiam ipsi ecclesiæ restitutio in integrum competit. Atque ita in praxi seruatur. *Sanchez l. 6 de matr. disp. 4. nu. 14. Tusch. v. Pralatus. concl.* 502. *Riccius v. alienatio decis.* 96.

Ad 4. q. supposito pactum in uenditione appositum, ut non nisi pretio soluto, dominium transferatur, de iure ualere, ut per *Bald in Rub. C. de contrah. empt. & Fabian. de Monte in tract. de empt. & vendit. q. 5. nu.* 39. dico breuiter, Barnabam in excommunicationem non incidisse, quia per prædictum pactum, & conditionem appositam, dominij translatio de uenditore in emptorem impeditur, ac proinde ipsi Barnabæ, & eius ecclesiæ ius ullum non est acquisitum, ut per *Rodoan. de reb. ecclesia non alien. rub. 16. tit. de constitut. annui census. num. 23. & 26. Riccium 3. p. decis. cur. Archiepisc. Neap. decis.* 41.

Cap. XXII.

QVÆSTIO LXVIII.

Princeps an ob crimen infidelitatis à suo feudatario admissum possit eius filium non modo feudo priuare, sed etiam hæreditate paterna spoliare?

Georgius cum esset à quodam Principe, & Duce in nobili Castro Comes institutus cum suis filijs, ac descendentibus ea lege, ut ipse, & eius posteri, atque heredes beneficij auctorem perpetuò agnoscant, & pro patrono habeant, eiusque caput, existimationem, & fortunas omnes tueantur, eò amentiæ, ac infidelitatis perductus est, ut secretum sibi commissum alteri Principi sibi hosti, & infenso, cum maxime eius pręiudicio panderit. Cum autem captus, & in carcerem detrusus esset, quod ebitas pœnas ex legum præscripto lueret, dolore tactus intrinsecus, præ animi tristitia, ibidem uitam cum morte commutauit. Vnde Princeps directus feudi Dn̄s, eius filium clericum in minoribus constitutum feudo spoliare intendit, & in aliam domum transferre, simulq; eius patrimonilia bona auferre, & proprio fisco addicere, petit nunc à suo confessario, an in foro conscientiæ, hoc agere possit, &c. Quæritur, quid respondere teneatur?

SVPPOSITA, ET PRÆVIÆ inspectiones.

PRIMVM SVPPOSITVM.

Resp. Supponendum est Primo feudum nihil aliud esse, quàm beneuolam, liberam, ac perpetuam concessionem rei immobilis, uel æquipollentis, translatione utilis dominij, proprietate retenta, sub fidelitate, & exhibitione seruitiorum. Atque ideo dictum esse à fide, seu fidelitate: nam licet

in quocunq; contractu fides requiratur, ut.s.id fiat, quod dictum,& promissum est, in feudo tamen vasalli fidelitas exuberantius consideratur,ut proinde merito ab ea nomen assumpserit. Unde vasallus dicitur ligius quasi ligatus domino, vel ei super omnes legalitatem promittens.vt ex multorum sententia ait, *Roland.à valle. vol.2.consf.44 nu.3.& Marta de iurisd.p.1.c.52.* Fides,ait *Seneca ad Lucilium ep.* 89. Sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur premio,vre,inquit,cæde,occide,non prodam, sed quò magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condet. Adiuuare tamen patrem ad mortem in vasum ,magis quàm Dominum tenetur vasallus, si vtrumque officium præstare nequit;si quidem ei iure naturali, & ciuili, huic vero humana tantum lege constringitur, nec fidelitatis iuramentum obstat, quia hoc saluo vinculo præcedenti intelligitur,cum ius alteri quæsitum per secundam obligationem nō tollatur. *Syl.v.bellum.2.nu.9.*

Siue vero feudū sit ecclesiasticum,idest,quod ecclesia dat alteri,vel ipsa ab alio accepit,vel quod in clericū conferrur,siue seculare sit,idest quod à ciuili Principe, vel à quolibet alio laico accipit, quatuor conditiones requirit, Primo vt dominiū directū(vt in diffinitione, vel descriptione significatū est)apud priorem dominū perseueret, dominiū vero vtile in vasallum transferatur ,qui subinde ante possessionē adeptam in institutione fidelitatem iurare debet. vt propterea DD.dicant,feudalem rem esse fidelitaris iuramentum arguere. *Menochius.lib.3. de præsumpt. præsumpt.91. num.46.* Secundo vt in re immobili constituatur, vt agro, pago,castro,vrbe,& huiusmodi. Tertio vt vasallus feudum ipsum sine domini consensu non alienet, alioqui illud amittit. Quarto vt obsequium , & personale seruitium præstet, aliàs in commissum more emphyteutæ cadit. Ad quæ quidem feuda omnes admittuntur,qui prohibiti non inueniuntur,vt ab eis arceri solent fœminæ,& religiosi (quidquid sit de militibus S. Ioannis) sicut etiam naturales,& illegitimi,nisi per Principē, vel aliam authoritatem habētem , ad feuda etiamsi sint natalibus restituti. *Clarus in §.feudum.q.50.& seq. Azor p.3.l.10.tit.de feudo.Surdus tom.1.consf.1. num.28.Lessius.l.2.c.24.dub.9.Reg.l.25 num.550. Molina disp.472.Sanchez.l.7. de precep. c.15.num. 47.Genuens.in pract.eccles.q.20.Tusch. v.feudum. concl.160. & alij communiter,* qui de hac materia agunt,varijs tamen, & diuersis rationibus de feudis disceprant, prout variæ etiam in eis consuetudines cōsiderantur; qñ quidem aliæ sunt in Germania, aliæ in Gallia, aliæ in Italia. Et in Italia aliæ sunt in Ducatu Mediolanensi, aliæ in regno Neapolitano, &c.quò fit, vt scribentes diuersas sequantur sententia,teste, *Azoriol c.c.2. Genuensi in pract.eccles. Tricen.1. Tusch.in v. Feudum. Molfes. tract. 12. cap. 10.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo prenotandum est,filium regulariter ob paternum delictum puniri non debere , iuxta illud propheticum, Filius non portabit iniquitatem patris. *Ezech.c.18.* Si quidem pœna suos auctores tenere debet, & alteri per alterum non debet inique conditio inferri. *l. crimen paternum ff. de pœnis. l.sancimus. C.eodem.Tusch.v.pœna.concl.212. Clarus in praxi crim.§ fin.q.86.c.se habes.24.q.3.* Hinc & *Seneca l.2.de ira c.24.* Nihil est iniquius,ait,quā aliquem paterni odij hæredem fieri. Et Cicero ad Brutum. Est acerbū parentum scelera filiorum pœnis lui. Atque huc spectat symbolum canis lapidem in se iactum morderis cū emblemate , Alius peccat, alius plectitur. Quò etiā fit vt in feudo ꝓcedar, non enim feudum ab hærede vocato qui culpa caret,auferri potest, præsertim in casibus non notorijs, & in iure non expressis.idem *Clar. in v. feudum. q. 64. à Tusch.v.pœna.concl.256.nu.16.* Aliquando tamen quò ad pœnas temporales vnum pro alio plecti satis constat. Acerbissimum quidem, atque iniustissimum esset innocentē hominē propter parētis crimina pœna afficere,nisi Deum optimum maximū,qui vera iustitia est, id ipsum sæpe fecisse liqueret (siquidem ischiaticis medici pollicem inurunt, & cū alibi doleat,alibi remediū admouent:sic Deus nonnūquam vt patres sanet,in filios sæuit)& nisi omnium fere gentium moribus receptum,ac seruatum foret; denique si non id antiquissimum , & compluribus legib. sancitum esset. Ergo à iustitiæ norma alienū non est,interdum in filios,ob parentum scelera,non quidem mortis, sed infamiæ, aut alia quapiam bonorum externorum pœna animaduertere. Sic videmus,filium ob crimen læsæ Maestatis à patre perpetratum,in multis à legibus puniri, quandoquidem paternis substantijs, vel quò ad legitimam,non tamen quò ad alimenta caret,perpetuo fit infamis, & ab omnibus honoribus,& dignitatibus exclusus manet. *l.quisquis.C.ad Iul. Maest.Simancas in cathol. instit.tit.29. Alph.Cast.l.2. de iusta hæret.punit.c. 10.Peregrinus de iure fisci.l.5. nu.34. Sanchez.l.2. de precep.c.16.Bonac.d.3.q.7.p.vlt.§.1.num.15. Farinac.tom.2.p.2.de crim.læsæ Maest.q.115.§.3.nu. 128. Io.à S.Gemin.l.8.de exemplis, & similit.c.57. Sot.l.1.de iust.& iur.q.6.* & idē *Clarus. §. feudum. q.6.* Quò etiam fit vt feloniam,vt dicunt,committenti,nedum bona allodialia, sed etiam feudalia in agnatorum preiudicium confiscentur;quoniam delictum tàm graue,nedum delinquentibus, & filijs, verum etiam agnatis officit, *Roland.uol.3.consf.1.*

RESOLVTIO.

His constitutis dico, integrum quidem esse illi Principi ob patris Georgij .f. crimen infidelitatis admissum, eius filiū clericū feudo priuare, nō tamen paterna hæreditate illum spoliare, cum secretorum reuelatio non ea intentione facta, vt d. Principem proderet, inter læsæ Maestatis crimen non comprehendatur, præsertim cum eius pater iuris ditioni d. Principis non esset subiectus, nec in eius dominio habitaret, in quo casu læsæ Maestatis crimen commisisse non est dicendus, vt ex communi sententia testatur. *Rolandus conf.* 4. & idem *Clarus. in* §. *lesa Maestatis. uers. uidi quandoque dubitari.* Etsi *Bossius in tit. de crim. lesa Maest. nu.* 53. & *Farinacius de crim. les. Maest. q.* 112. *nu.* 179. perperam meo iudicio sentiant, hoc crimen admitti à non subdito contra feudi dominum, dummodo habeat merum, & mixtum imperium, & sit offensa eius persona, at non in præiudicium filiorum, quò ad pœnam. *l. quisquis. C. ad l. Iul. Maest.* Aduertendum tamen est, quod vt vasallus qui fidelitatis iura violauit, feudo priuari possit, requiritur, vt eius felonia per quinque testes omni exceptione maiores probetur, & ratio est: vt dominus cautius cum vasallis agar, ne temere calumniatoribus credat, nam qui cito credit leuis est corde, *Eccl. c.* 7. *c. si quid. dist.* 86. Vnde & Seneca, Neminem cito laudaueris, neminem cito vituperaueris: vitium est omnia credere, vitium est nihil credere. Quod & Pythagoras illo symbolo significat,

Ne cuiuis dexteram inieceris.

In his præsertim quatuor debent Principes cautionem adhibere, in loquendo, in credendo, in promittendo, & in concedendo. Salubria sunt illa duo præcepta, quæ cuilibet tàm publicæ, quàm priuatæ personæ traduntur, Sobrie viuendum, & nō temere credendum: quā ad rem duabus notis morales Philosophi vtuntur, nempe pulegio, & oculata manu, illo quidem vt sobrietas paruo contenta significetur, hac vero, qua rerum certarum fides intelligatur. Hinc mulier illa apud Plautum, adolescenti aureos montes pollicenti, cum nihil promissis commoueretur, ait.

Cum à pistore panem petimus, uinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos disciplina vtimur,
Semper oculata nostra sunt manus, credunt quod vident.

Cuius sententiæ vim tenere debent, qui in rebus publicis, & grauioribus negotijs implicantur, cum propter multorum fucatam amicitiam, vix fratri fides interdum sit habenda, quando quidem ea sit hominum improbitas, & versutia, vt nō modo sermo, sed & frons, vultus, & oculi ipsi sæpe mentiantur, Apollonius rogatus à Rege Babyloniæ, qua ratione quietus in suo principatu perdurarer, si inquit, paucis fidem habueris, nulla enim Principibus maior pernicies impendet, quam cum delatoribus tacilem ad se aditum præbent. *Schol ad Alciat. emb.* 16. *Tusch. v. credulitas. concl.* 1071. *Mascard. de probat. uol.* 2. *concl.* 762. *ut etiam aduertimus in cōment. de Stat. hum. uita p.* 1. *c.* 22.

CONFESSARII PARTES, & Documenta.

Partes confessarij erunt Primo Principem admonere christiani, ac generosi Principis esse, iniuriam illam à Georgio sibi illatam remittere, & condonare, & eius filium in feudo continuare, (nec enim dubium feudum præsertim personale seruitiū non exigens, ad Clericum in minoribus cōstitutum transire posse, vt per *Bellet. in disq. cler. p.* 1. *tit. de bonis cler.* §. 19. & *Tusch. v. feudum concl.* 166.) ne afflictionem afflicto addat; Clementia enim, animi temperatio, beneficentia, charitas, & æquitas, Principem, & quemuis alium magis gratiosum, amabilem, ac reuerentia dignum efficiunt, quam summū ius, seueritas, & imperium, vt non male quidam dixerit,

Iustitia, & charitas dilecti Principes artes.

Secundo Georgij vasalli filium commonefacere, vt si ei principali lenitate, hoc feudale beneficiū conceditur, ita faciat, ne in eo paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuantur, cum sæpe accidat, quod ille cecinit, & aliàs sæpe adduximus.

Qui uiret in folijs uenit à radicibus humor,
Et patrum in natos abeunt cum semine mores.

c. si quis 6. *q.* 1. *Castrens. l.* 2. *de iusta hæreo. punit. c.* 9. *ut alibi præsertim tract.* 13. *cap.* 2. *q.* 7. *meminimus.* Simulque animaduertat, quem fructum peccatum producat, cum præter animæ detrimenta, tantam etiam temporalium malorum segetem gignat. Infelix eius parens, post infidelitatis admissum peccatum, tristitię, ac doloris aculeis in corde compūctus interijt. Sapiens quippe tristitiam, quæ sępius ex ingentibus erratis enasci solet, mortem appellat, quia nil est, quod magis lædat, enecetque. Hic est primus culpæ effectus, quod vt ait Iuuenalis.

Extemplo quodcunque malum committitur, ipsi,
Displicet auctori.

Ita Dijs placitum, vt voluptatem semper mœror consequatur. A quo non abludit Demosthenes, cū dixit,

Non emo tanti pœnitere.

Sic Neronem, postquam matrem Agrippinam dicta factaq; acerbius corrigentem, interfecit, vbiq; spiritus infestantes secuti sunt. Nunquam, vt Suetonius testatur, potuit sceleris conscientiam ferre, sæpe confessus se materna specie exagitari atque verberibus

verberibus furiarum, ac ardentibus tædis diuexari. Quippe nullæ grauiores cruces in hac vita, q̃ mala cõſciẽtia. Vnde & Ariſtoteles tradit, ab adoleſcẽtibus ſolere odio haberi mulieres illas, quas primum inijerunt, quod experti triſtitiam poſt vſum eas illius ægritudinis cauſas opinantur. Ex quo etiam facile diſpicias cur Aman ab impotenti amore ad ſummum odium, atque ſtomachum erga Tamar ſororẽ poſt vim illatam, illico traductus fuerit; perpetrata enim culpa triſtitiam adoleſcenti induxit, eamque facinoris indignitas auxit. Ideo recolẽdũ, voluptates nõ venientes, ſed abeuntes, hoc eſt earũ non initium, ſed finem inſpici debere, cum extrema gaudij luctus occupet. At, vt inquit. *D. Chryſoſtomus hom. 5. ad pop. Ant.* Propter hoc triſtitia facta eſt, vt ipſa ad delenda peccata vtamur, vt proinde inanes illæ lachrymæ ſint, quas damnum, vel incommodũ temporale, extorquent; felices illæ, quæ vel pro delendis peccatis, vel pro pœnarum ſatisfactione funduntur. *Nau. in princ. cõment. de pœnit. d. 5. Tol oſan. de repub. l. 7. c. 9 Caſtrenſ. in Summa hæreſum in v. Infernus.* Atque hinc verum eſſe conſtat illud Pythagoræ ſymbolum, Arctum anulum ne geſtato, & Cor ne edito; hoc eſt ne curis tuum ipſius animum excrucies, nam quot in homine ſunt perturbationes, tot regnant quaſi prædones infeſti; & cruenti carnifices, qui nunquam conquieſcere miſerum animum permittant, & mortem accerſant. Ideoq; Galenus hoc vnum ad tutandam valetudinem præcipit, ab acrioribus curis, & mœrore animum ſubtrahendum, eo quod inde morbis humana corpora affligantur, fierique interdum, vt ſanguis intra præcordia quaſi vi quadam truſus, confeſtim inſitum calorem extinguat, ex quo tabes, & mors etiam cõſequãtur. *Combret. de ſapient. l. 5. c. 14.* Quocirca *D. Bernardus ſerm. 11. in Cant.* corũ animos erigẽs, qui in admiſſorum ſcelerum anxia recordatione nimis cum propriæ ſalutis iactura defixi ſunt, his vtitur verbis, Suadeo vobis amicis meis reflectere interdũ pedem à moleſta, & anxia recordatione viarum veſtrarum, & euadere in itinera planiora ſerenioris memoriæ beneficiorum Dei, vt qui in vobis confundimini, ipſius intuitu reſpiretis, &c. Vnde licet nullus tanta felicitate fruatur, qui vt ait *D. Anton. p. 1. tit. 6. c. 6 §. 1.* cum infortunijs aliqua ex parte non rixetur, & aliquando non triſtetur, attamen ea triſtitia, quæ rectæ rationis limites excedit, haud vnquam eſſe triſtandum ſapiens docuit. *Prou. c. 12.* cum ait, Non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit, ſiue ab hominibus malum inflictum ſit, ſiuẽ ab hominibus intentatum, ita vt ſi aliquo modo propter carnis infirmitatem turbetur, non tamen conturbetur; ſicut Ethnicus quidem de ſe iactabat, quod horrendum quendam ſpecũ pertranſiens moueretur quidem, ſed non commoueretur. Sic vt D. Hieronymus ait. Per bonam, & malam famam, à dextris, & à ſiniſtris Chriſti miles progreditur, nec laude extollitur, nec vituperijs frangitur, nec ex diuitijs tumet, nec ex paupertate confunditur, & læta contemnit, & triſtia, atque id quidem quod omnia ſibi in bonum reciſura certo ſciat, ſiquidem ex *Apoſtoli* ſententia *ad* Rom. 8. Oĩa mala tàm culpæ, quàm pœnæ, diligentibus Deum in bonum cooperantur. *Iuſtin. ſuper Tob. c 3. uerſ. 1. doc. 2. Io. à S. Gemin. l. 4. de ſim. cap. 23. Beroald. in ſymb. Pythag.* ſuper illud, cor ne edito.

Tertio illum certiorem facere debet, non poſſe feudum retinere ſi in clericali ſtatu viuere intendit, ſi quidem miles Chriſti non poteſt eſſe ſæculi miles, & per ſe ipſum, & non per alium in ſui locũ ſubſtitutum feudatarius ſuo Domino inſeruire debet. Si autem ſeruitium illud per alium in ſui locũ ſuffectũ explicari poſſet, vel feudũ perſonale obſequiũ non exigeret, nil obſtaret, quo minus in clericali habitu incedere, & priuilegio clericis conceſſo vti, & gaudere poſſit. *Clarus. §. feudum. q 78. Azor. l. 10. c. 10. q. 3. Marc. Ant. Genuenſ. in pract. eccleſ. Tricen. 1. q. 6. Menoch. lib. 2. conſ. 161. & lib. 3. conſ. 202.*

QVÆSTIONES, & CASVS qui ſuper articulos contractus ſocietatis, & mandati formari poſſunt.

Cap. XXIII.

QVAESTIO LXIX.

An contractus ſocietatis in qua ponẽs pecuniam vult ſaluum eſſe capitale ſit licitus. Et vtrum ponens operam, qui ſe implicat aliorũ negotijs peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem. Dans cẽtum alicui vt ſi accipiens intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, ſin autem vltra duos annos viuat, duplum reddat, quẽnam cõtractum celebret & an licitus ſit?

SYlueſter ſerici mercator ſocietatem cum Roberto contrahit cum hac conditione, vt idem Sylueſter pecuniam exponat, alter vero ſocius operam, ſaluo tamen in quocunque euentu capitali. Ipſe vero Robertus, qui ad induſtriam ſuam in hoc ſocietatis contractu ſe obligauit, clam alijs negotijs ſe implicat, computiſtæ, vt dicunt, officium obeundo quæritur an iſte contractus ſit licitus? Item eidẽ Roberto centum dedit vt ſi intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, ſin autem vltra duos annos vixerit, ipſi Sylueſtro duplum reddere debeat. Quæritur pariter an iſta negotiatio ſit ſocietatis contractus, vel potius alterius ſpeciei, & an ſit licitus, & quid conſulere debeat confeſſarius?

RE-

RESOLVTIO.

RESp. Hæc societatis materia in praxi frequentissima est, & quotidiano vsui accõmodata, ideo pro clariori intellectu, & vt minus eruditus, & expertus confessarius restituẽdi obligationem, quæ tùm ratione iniusti pretij, tùm vsuratiæ prauitatis oriri solet, percipere, & dignoscere aliquo modo possit, hæc prænotanda videntur.

SVPPOSITA, & prænotiones.

PRIMVM SVPPOSITVM.

PRæsuppono Primo societatem nihil aliud esse, quàm duorum, pluriumuè conuentionem, honeste contractam, ad vberiorem quæstum faciendum. Ex qua descriptione constat in quonam posita sit fundamentalis huius contractus ratio, nempe aliquid in commune conferre, societatis affectu, ad commune lucrum acquirendum; licet enim de iure gentium dominia sint distincta, vnde bella, rixæ, & dissensiones inducta sunt, cum inter meum, & tuum nunquam pax bona extiterit, adeo vt Tullius dixerit, Quieti ssime homines viuerent, si duo de medio tollerentur, meum, & tuum: attamen si quando necessitas, vel vtilitas suadet, bona inuicem in totum, vel in partem in cõmunione ponere, vt vberior quæstus inde percipiatur, & commodius quis re sua vti possit, societates introductæ sunt; si quidem vt tradit Philosophus *in primo Polit.* Homo est omni ape, omnique animanti gregali ciuilius, atque socialius, ac proinde ei instinctus gregatim viuendi, eiusdemque societatem ineundi, à natura datus est, vt homines simul coacti, & congregati alijs sufficerent, victumque facilius plures, quàm singuli compararẽt. Licet enim dicatur, communionem discordias parere, attamen, & compendium producere solet, quoniam quod ex se homo adipisci nequit, socij cõiemplatione, cuius opera supplet, sibi acquirit. *Cou. c. 1. Pract. qq. nu. 2. Oinot.* §. 1 *inftit. ciuil. tit. de societate. Fel. c. de societ. c. 1. & 2. D D. in* Rub ff. *& C. tit. Pro socio. Theologi in 4. sent. dist. 15. & in 22. q 78. art. 2. Val. tom. 3. d. 5. q. 24. Lessius l. 2. c. 25.* Rebellus. *lib. 15. q. 1. & seq.* Azor. *p. 3. l. 9. c. 1. & seq. Tol l. 5. c. 41.* Nau. *c. 17. nu. 251.* Molina. *disp. 911. & seq.* Reginal. *lib. 25. nu. 369. & alij.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo præmittendum, triplicem esse societatem. Prima vniuersalem omnium bonorum, quomodocunque quærendorum, non solum humana opera, & industria, sed etiam donatione, hæreditate, legato, &c. Et in hac omnia lucra tàm præsentia, quàm futura communicanda sunt. Quod in illis rebus restrictionem recipit, quæ ex concedentis voluntate, & dispositione, in aliam personam vltra acquirentem transire non possunt, vt est feudum, & emphyteusis, ab vno ex socijs quæsita, alteri enim socio communicari non debent, quia non est rationi consentaneum, vt dominus alium vasallum, & emphyteutam habeat, quem habere non cogitauit. vt ex pluribus DD. resoluit *Felicius de societ. c. 12. num. 36. & seq.* Qui tamen declarant, fructus omnes ex feudo, & emphyteusi prouenientes, cõferendos esse. Secunda societas est generalis, q̃rdo: ũ. s. quacunq; opera, vel industria, nõ vero donatione, successione, vel legato, seu alijs modis; & cum contracta intelligatur solum ratione illius, quod ex operis, non ex fortuna, & vltimis voluntatibus acquiritur, ideò solum ea communicanda veniunt: at hæreditas, legata, &c, ab ea excluduntur. Tertia est specialis. s. non cuiuscunque negotiationis, & artis, sed particularis alicuius operæ, vel industriæ. Et ea omnia, quæ ex illa negotiatione proueniunt, in commune conferenda sunt; sed aliunde quæsita, siue ex industria personæ, siue ex fortuna, ab ea abstrahuntur. Et huius societatis duplex potest esse species, Vna quãdo plures mercatores in vnum cumulum suas pecunias congerunt, ministrosq; communes habent, ita vt pecuniæ, operæ, & expensæ omnibus sint æquales; quę species est vbique terrarum frequentissima. Altera species est, in qua vnus pecuniam, alter vero operas, & industriam ponit. Duo etiam alia genera constitui possunt, vt cum vnus tradit pecuniam, operas, & industriam, alter vero pecuniam tantum. Aliud, cum vnus pecuniam ponit saluo capitali, vel sorte, altero socio periculum in se suscipiente, & suũ laborem impendente: & in fine æqualiter lucra diuidunt.

Tandem societas duobus modis contingere potest Primo circa pecunias, & merces. Secundo circa animalia, quæ rusticorum societas, seu socida appellari solet. DD. supra citati, & Mantica *de tac. & ambig. l. 6. tit. 2.* Mozzius *de societate.* §. 2. *Molfes. tr. 12. c. 11. Bergu. p. 2. decis. 13.*

TERTIVM SVPPOSITVM.

TErtio notãdũ quatuor cõditiones ad societatẽ requiri, Primo vt in licita, & honesta negotiatione fundeť, nã si in ea vsuraria prauitas, vel iniustum lucrum admisceatur, improba, iniqua, & iniusta foret. Secundo vt æqualitas inter socios seruetur, ita vt lucrum, expensæ, & damna omnibus ex proportione, &, vt dicunt, ad ratam, omnia sint communia; & qui plus pecuniæ, vel operæ posuit, plus de lucro, boni viri arbitrio, & periti in arte iudicio

dicio reportet. Sicuti generaliter dicimus, cõtractus inter partes cõtrahentes claudicare non debere, sed æqualitatem iustitiæ filiam esse seruandam. *Tusch. in v. æqualitas concl.* 304. Vnde etiã pecunia in omni contractu atque in pœnis pecuniarijs lege statutis si aliud expressum non fuit, in valore est persoluenda, quem tempore contractus habuerit, siue decreuerit, siue auctus fuerit, vt valde probabilis est multorum sententia, & ratio est, inquiunt, quia æqua vtriusque partis conditio seruatur. *Sot. l. 6. de iust. & iur. q. 1. art. 2. Medina de restit. q. vlt. Cou. de monet. c. 7. §. unico. Galettus v. pecunia. De qua re supra de mutuo q. 38. diximus.* Quare si pactũ sit inter socios, vt vnus duas partes lucri habeat, alter vnã, intelligendũ est, si ille maiorẽ pecuniæ quãtitatem, vel operæ contulerit. *Marescot. l. 2. var. resol. cap.* 146. Quod si hæc æqualitas nõ obseruetur, leonina societas à Doctoribus nuncupatur, nam vbi leo figit pedem cætera animalia quiescunt, vt ex Æsopi apologo apparet, qui talis circumfertur, Leo, asinus, & vulpes societatem inierant, vt quod venatu cæpissent, id in commune partirentur; prædam vbi nacti erant, leo iubet, vt asinus diuidat, ille vt est stolidus, in tres æquas portiones distribuit, qua gratia mox indignatus leo, quod cæteris æquaretur, asinum adortus dilaniat. Restabat vulpes, eam de integro partiri iubet, illa totam ferme prædam leoni attribuit, sibi vix paucula quædam seruans, leo comprobata distributione, rogat quisnam illam diuidendi artem docuisset, & vulpes, calamitas, inquit, asini. Vt propterea instruamur potentiorũ societatẽ à tenuioris fortunę viris fugiendã esse. Quod, & sapiens *Eccles. c.* 13. admonuit, cum ait, Pondus super se tollit, qui honestiori se cõiecat: vt etiam docet apologus ille, in quo fictilis olla æneæ societatem renuit, dum ambæ in amni traherentur, ne fragilis à firmiori frangeretur. Ideo ut aliàs, dictũ est, potẽtiores cardamo similes esse dicunt, cuius ea natura est, vt herbarũ in propinquo nascẽtiũ humorem ad se ui quadam intima trahendo, eas arescere cogat. Hinc quidam ex Patribus, verus est, inquit, verbũ filum semper rũpi, vbi maxime debile est: ut proinde insipiẽter faciant, qui cum potentibus competitorib. in campum descendunt, quamuis illis, & ipsa ratio, & virtus suffragentur: in ea namque incidimus tempora, quibus vncia auri pluris quam libra sapientiæ, aut virtutis æstimatur. Alius dixit diuites, & potentes Herinacijs similes esse, qui quacunque parte pauperiores, & tenuiores tetigerint, ob densatum spinarũ asperitatem, necessario pungent, ac lædent. Addo antiquos perniciosam societatem indicare volentes caprimulgũ auem depingere solitos fuisse; etenim inter capras familiariter versatur, appetitq; earum vbera sugere, quod cum fecerit, vber extinguitur, & capra, ut aiunt, excæcatur. *Pier. l.* 25. Addit. *Bessens Dom. 4. post epiphan.* Sicut in mari minores pisces à maioribus deuorantur, ita in misero huius mundi statu potentes, & opulentos pauperes deglutire solere, & in eorum perniciem niti. Cõquęritur hoc ipsum in sui seculi moribus. *Apostolus ad Corint.* 11. & Corinthios ad patientiã hortatur dicẽs, sustinentes, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, &c. *gloss. in l. si non fuerint. ff. pro socio. Castell. Cotta in Mem in v. soc. Tusch. v. leo cõcl.* 291. *Mant. de tac & ambig. conuent p. 1. l. 6. tit. 8. societas Graff. l. 2. decis. c. 120. n. 14. Burs. cons. 230. l. 3. Felic. de soc. c. 18. nu. 15. Natta cons. 403. Arism. tit. pro socio tit.* 365.

Tertia conditio est, vt sors seu pecunia, quam socius in commune contulit, periculo conferentis subiaceat, ita vt si ante operam socij, vel post, absque eius culpa pereat, domino pereat, nisi aliter inter partes iusta interueniente cõpensatione, cõuentum sit. Ex quo fit, vt non iusta, sed fœneratitia, & leonina societas pariter censeatur, cum quis mercatori pecuniam ea lege tradit, vt ille periculum subeat, lucrum vero æquis portionibus diuidatur. Ex quo etiam conficitur, vt is qui nummos in cõione collocar, non possit aliquid quãdiù societas permanet, ad vsus suos extrahere, nã etsi eius dominium habeat, vsum tamen manẽte societate communem cum socio fecit. Finita tamen societate capitale quod superest, ponenti restituendum est, & solum lucrum inter socios diuidẽdũ, & ita in praxi cõiter seruatur.

Quarta est vt pacta, & conuentiones seruentur, si quidem qui societatem contraxit, seque ad operas in ea impendendas obligauit, in alijs negotiationibus, cum prioris socij præiudicio, se immiscere non valet, quod si faciat, cum & charitatis, iustitiæ, & societatis leges violet, absque dubio ad restitutionem tenebitur. *Zecchius de usur. c. 7. Mol. d. 419. Rebell. l. 10. q. 8. nu. 4. Bonac. d. 3. q. 6. p. 1. nu. 3. Tuschus in v. sociens. concl. 287. Mantica l. 6. tit.* 4.

RESOLVTIO.

His fundamentis animaduersis, quò ad primo caput dico Primo, Ex parte Syluestri contractum hunc iniquum esse, cũ quidem, vt diximus, pecuniæ in societatem collatæ periculum ad conferentem de iure spectat, ita vt ei, vt domino pereat. Excipitur tamen quando socij dolo, lata, vel leui culpa, res periret, tunc enim damnum in eius caput uergeret. Secundo quando tres contractus interuenirent, nempe societatis, assecurationis capitalis, & etiam lucri certi pactio, arbitrio boni viri in arte negotiandi periti: nec enim huic societatis contractui repugnat in alterum socium capitalis periculũ reijcere, & compensato grauamine certum quæstũ, & compendium stipulari. Nec Sixti V. S. Pontificis Constitutio circa societatem edita Incip. *Detestabilis*

bilis obstare videtur, cum sortis, vel capitalis iacturam apud illud ponentem remanere statuit; Papa namque ibi non prohibuit societati assicurationem, & alios contractus iure communi licitos addi posse, vtaduertit. *Regiual. l. 25. n. 400. Graffius l. 2. decis. c. 120. nu. 19. Azor p. 3. l. 9. c. 3. q. 7. Malderus tract. 5. de iust. & iur. c. 2. dub. 9. Bonac. l. c. nu. 2. & p. 3. nu. 8. & d. 3. q. 3. p. 11. nu. 2. Farinacius in decis. Rota decis. 137. & 180. Barthol. à Faustо de societ. quaest. 21. Quar. in compend. Bull tit. contractus ad caput saluũ Nald. in v. societas. nu. 6. & alij.* Qui eadem ratione tuentur leges aliquas municipales quarũdam Prouinciarum, permittentes miserabilibus personis, vt viduis, & pupillis tot pro centenario accipere, saluo capitali ex pecunia tradita mercatoribus, ad negotiandum. Et quamuis Istæ personæ in mẽte haud gerant hunc triplicem inire cõtractum, satis tamen esse, aiunt, vt ipsa respublica ad quam huiusmodi hominũ protectio spectat, id facere intendat. Qui si ex tradita pecunia aliquod lucrum perceperint, & in actu confessionis pœnitẽtes præsertim videq; ambigunt, an intentionẽ habuerint triplicem illum cõtractum celebrandi, ad restitutionem obligandę nõ sunt, cum in dubio maxime in materia iustitiæ, melior sit conditio possidentis. vt est communis DD. sententia *Con. in reg possessor. p. 2. §. 7. nu. 4. lo. Medina. de rebus restit. q. 17. Val. tom. 3 d. 5. q. 25. p. 3. Bonac. d. 3. p. 11. num. 9.*

Secundo dico Robertum socium, qui operas in societate posuit, culpam & restituendi obligationẽ contraxisse, si cũ prioris societatis detrimento aliud negotium, vel officium suscepit, ita vt omnibus sufficere nequeat, nam

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Secus est dicendum, si sit valde industrius, & cum alienas rationes scribit, muneri societatis in necessarijs nõ deest, & re ipsa, integre, & fideliter proprias partes explet. *Mol. d. 419. Rebellus. p. 2. lib. 15. q. 8. & alij DD. cõiter.* Quomodo vero societas probetur, & an libris sociorum fides adhibenda sit, tradit. *Mascardus. de probat. uol. 3. concl. 1309. & Menoch. l. 2. de arbit. iud. casu. 92. Rota Genuensis. decis. 173. Felicius. de societate. c. 38. Tusch. v. societas. concl 313.*

Quod ad 2. q. attinet, qua quærebatur, an Syluester dans centum Roberto ea conditione, vt si intra duos annos moriatur, nihil reddat, sin autem vltra vixerit, duplum præstet, iustum cõtractum celebret, dico, quod licet aliqui senserint, hunc contractum esse mutuum, & vsuram in se implicare, quia ex eo mutuator illam obligationem duplum soluendi, & si dubiam lucratur, secus si cum pacto amicitiæ gratis donet, vt donatarius si ad illud vsque tempus vixerit, duplum sponte, ac liberaliter reddat: verius tamen resoluendum est, hanc negotiationem, vel cõuentionem, non mutuum, sed innominatum cõtractum esse. s. Do vt des, Syluester enim Roberto pecuniam ea cõditione dat, vt si intra tale tempus decedat, eam sibi lucretur, quod si vixerit, in duplicata quantitate reddat. Vel est contractus ludi, in quo nummos sorti, vel periculo exponit. Et ex sui natura licitum esse hinc constat, quod dans, & accipiens dubio euentui subiacent; si qu. d. m vt ille cecinit,

Nescia mens hominum fati, sortisque futura.

Quod autem huic contractui mutuum non insit, liquido patet; quod mutuum in e n nem euentum restituendum est, etiam si fortuito pereat, vt si mutuatarius in præsenti casu obierit, centum aureos sibi datos lucratur. Non esse vero societatem, ex traditis supra principijs vnicuiq; facile, & elare innotescit. Atque ita resolui. *Sotus l 6. de iust & iur. q. 1. art. 2. ad finem, & Barthol. à S. Fausto de vsura disp. 16. quast. 70. Nau cons. 25. de vsuris.*

QVAESTIO LXX.

Vtrum licita sit societas, in qua conseruatur capitale, restaurando iacturam animalium, quæ moriuntur, substitutione aliorum, quæ nascuntur. An super grege animalium possit constitui titulus pro ordinibus suscipiendis?

DAmianus rusticus, & agricola, dat Bernardo alteri rustico quinquaginta oues cũ his conditionibus, Primo vt illas pascat, & custodiat. Secundo vt semper in eo numero conseruentur, mortuas ex earum fœtibus restaurando. Tertio vt in fine cuiusque anni, ex earum fœtibus residuis mediã partem accipiat. Quarto vt hæc societas ad hæredes transeat, & sui filij semper in communione maneãt. Quinto super hoc animalium grege titulum pro sacris ordinibus suscipiendis Danieli nepoti suo constituit, Quæritur an hic contractus licitus sit, & quid de illo patrimonio constituto censendum?

SVPPOSITA.

REsp. Supponendum est, Primo animalia multis modis alicui tradi posse. Primo ad venditionem, vt pretium statuto tempore soluatur, & hęc dicitur venditio ad terminum. Secundo alteri ea animalia locando, illaque pro certa mercede ad vsũ fructum concedendo, siue in pecunia, siue ex eorum fructibus, vt lana, fœtu, ac lacte soluatur. Tertio ad custodiam, tradendo alteri animalia constituta parte fœtuum, vel certa pecunia pro eorundem custodia. Quarto ad societatem, ita vt animalia communia fiant, vel saltem lucrum ex eis proueniens communicetur. Et hic contractus similis est societati negotiationis, in qua aut vnus animalia apponit, & alter industriam, aut vterque animalia, & industriã

aut

aut vnus exponit animalia, & industriam, altero, vel sola animalia, vel solam industriam, & operam exponente. Quando vero animalia expresse in sociedam cõferuntur, aut dantur æstimata, aut inæstimata, quãdo primo modo dantur, periculum casus fortuiti est vtrique socio commune, nisi culpa, vel dolo alterius eueniret, quia æstimatio emptionem constituit. Si secundo modo contractus ineatur, tunc illud quod actum, & cõuentum est, seruari debet, nisi fiat pactum quod periculum sit alterius, quàm eius, qui posuit, quia vt infra dicam, non valeret.

Secundo lucrum ex animalibus multis modis contingere posse. Primo vero cum ipsorum corpora crescunt, vel impinguãtur, aut alia ratione meliora redduntur, vel etiam cũ numero augentur ex fœtibus, vt patet in suibus. Secundo cùm præter augmẽtum ipsa quoque sunt frugifera, vt oues, boues, & similia. Tertio onera ferendo, vel trahendo, vt equi, muli, & similia. Si quidem nõ omnia possumus omnes, Etã natura teste Philosopho in 1. *Polit.* Vt in hominibus, ita in animalibus sua cuique attributa vis. Et ipsa natura non facit tale aliquid, quemadmodum ærarij fabri gladium Delphicum, quasi per inopiam pluribus vsibus deseruientem, sed vnumquodq; ad singula gignit, &c.

Tertio præmittendum, hanc animalium societatem tres potissimas conditiones exigere. Primo vt vnusquisque sociorum aliquid in commune. f. vel animalia, vel operam, seu industriam conferat. Secundo vt pariter æqualitas seruetur, ita vt damna, expensæ, & lucra communia sint, prout aliquis plus, vel minus in eam posuit, ita vt nullus sociorum plus æquo arbitrio boni viri in arte experti ex loci consuetudine non grauetur, nã, ut dixi, aliàs leonina societas diceretur vt per *Tusch. v. leo cõcl.* 291. *Bellou. de potest. eorũ, &c. l.* 1. *c.* 31. Quæ regula tanquã huius contractus æquilibrium à confessario notanda est. Tertio vt animalia periculo apponentis pereãt, nisi facta grauaminis compensatione, eorum periculum in totum uel in partem in alterum reiectum sit. Socio porro asserenti animalia casu fortuito, & sine culpa sua perijsse, in foro contentioso non creditur, nisi probet, &c. *Azor l.* 9 *c.* 7. *q.* 10. *Syl. in v. societas.* 2. *q.* 8. *Salon. de societate art.* 5 *Tusch. v. locatio. cõcl.* 409. *& v socius concl.* 395. *& alij. Syl. Tab. & Armilla. in v. locatio.* Felicius *de societate c.* 25. *Mascard. de probat. concl.* 172. *nu* 12. *vol.* 1. Vbi etiam ait casum fortuitum concurrente bona qualitate personæ arbitrio Iudicis per iuramentum probari.

RESOLVTIO.

His præiactis dico Primo, contractum hunc nõ esse quidem vsurarium, quia in eo nulla repetitur cõditio de saluo capitali, ita vt cædem oues si absque fœtu, morte naturali, vel casu fortuito pereant, ipsi Damiano danti tanquã domino pereant: esse vero iniquum, & iniustum, quia perinde initur, ac si oues de se immortales forent. Quod procedit quando Damianus dans, & Bernardus accipiẽs, damno, & lucro æqualiter expositi non fuerint; sed ipse Bernardus accipiẽs grauari inueniatur, vt quãdo illa media pars residuorum fœtuum sæpe minus valet, quàm ipsius opera, & industria mercatur: non item quando eadem pars quæ dat oues, operas ipsas, & industriam Bernardi excederet. *Syl. l. c. Azor. q.* 12. *Reginal. num* 404. *Bonac. puncto.* 5. *num.* 2. *Molfes. tract.* 12. *cap.* 11. *nu.* 40. *Faustus disp.* 7. *q.* 37.

Secundo dico quod cum morte naturali vnius ex socijs societas dissoluatur, nec ad hæredes transeat, tale pactum inspecta iuris ciuilis censura, bonis moribus repugnat, ac proinde non subsistit. ex quo per indirectum liberam testandi facultatem aufert; si quidem eam hæredem instituere teneretur, quem futurum socium esse voluit, & quia contingeret, aliquando socium talem hæredem habere, qui societati non expediret, sed damnosus foret, & quia in societate industria personæ electa censetur. vt cõsiderant DD. in §. *soluitur. instit. ciuil. tit. de societ.* Addunt tamen quod si societas illa pactione apposita contracta esset, ut ad hęredes transiret, iusiurandi robore adhibito, ipsius iuramenti vigore, & religione, huiusmodi cõuentionem esse de canonica lege obseruandam. vt etiam tenent. *Capic. decis.* 174. *Crauet. l.* 5. *cons.* 875. *Surdus l.* 1. *cons.* 20. *Seraph. de Iuram. Priuileg.* 67. *Felicius de societ. c.* 32. Ex quo etiam sequitur quod cum communio discordiã pariat, pactum de stando in perpetua cõmunione non valet, tanquam peccatum nutriens, seu discordiarũ occasionem pręstans, etiamsi inter eosdem socios de communi consensu iuramentum præstitum sit, &c. vt ex communi contra *Seraph. Priuileg.* 58. ait idem *Felic. num.* 36. *argu. Tusch. v. communio concl.* 805. Quod etiam alibi annotauimus.

Quod uero ad illã dubitationẽ attinet, qua quærebãt an cõstitutio illa patrimonij facta Danieli super illo animalium grege, quò ad sacros ordines promoueri possit, dico, talis patrimonij creationẽ nõ ualere, cũ super re immobili, non autẽ mobili, vt sacra Card. Cõgregatio respondit, cõstituendũ sit: si enim super rebus mobilibus, ut sunt merces, animalia, & huiusmodi fundaretur, non esset satisfactum menti *Conc. Trid. sess.* 21. *de refor. cap.* 2. res namque mobiles facile extinguuntur, uel consumuntur, & in incerto fluctuant, ac cito mori possunt, & ideo ipsa mobilia in immobilia, uel annuos censũs cõuerti debent. *Azor. p.* 2. *l.* 3. *c.* 4. *q.* 7. Riccius *in praxi canon. decis.* 315. *Vgol. de off. Episc. p.* 2. *c.* 26. §. 10. *Garzias de benef p.* 2. *c.* 5. *nu.* 105. *Barbos. p.* 2. *Alleg.* 19. *num.* 55. *Molfes. in Summa tr.* 2. *c.* 15. *nu.* 4. Vbi etiam obseruant, quãtitatem

ritatem patrimonij, ad cuius titulum sacrum ordinem quis suscepturus est, tantam esse debere, ut honeste sustentati possit, atque id prudentis Episcopi arbitrio diffiniendum esse, prout etiam tradidimus supra *tract. 2. cap. 2. q. 19.*

QVAESTIO LXXI.

Fratribus existentibus in communione si alter propriã filiam maritet, an censeatur dotata de communni patrimonio, &c. Item an id quod vnus frater ex causa criminali impendit, debeat in eius partem imputari.

Claudius, & Carolus fratres cum in societate, & communione, defuncto patre, permanerent, ex communibus bonis ipse Claudius causa maleficij, & criminalis causæ expendit, simulque filiam suam Aurellam dotauit; nunc cum velint hæreditatem paternam diuidere, & separatim viuere, in utroque foro controuersum est, an stante tacita inter ipsos omnium bonorum societate, dos filiæ per ipsum fratrem Claudium assignata, de communi portione dicatur data, an vero in eius partem imputari debeat, & an quod causa maleficij consumpsit, eius damno ascribendum sit, &c.

RESOLVTIO.

Resp. Ex suppositis, & fundamētis supra in prima quæstione, & primo casu iactis, solida resolutio huius casus colligi uidetur, quod .s. in societatibus ante oculos hoc semper est habendum, ut æqualitas seruetur, & quod societates ad iniustum non trahantur. Quæ inæqualitas, & iniustitia facile sequeretur, si diceremus, & dotem, & male expensum in portione socij dotantis, & expendentis imputandum non esse. Si quidem fratribus indiuisis integrum est sumptus ordinarios, & competentes facere, non uero extraordinarios, ex quibus magna inter fratres inæqualitas consurgit. Sicut in re simili DD. dicunt, quod licet si filiusfamilias ob propria delicta legitima priuetur, non possit pater huiusmodi bona abscondere, aliàs fisco restituere teneretur, integrum tamen est ei in illam eam imputare, quæ filius ad illicitos ludos, & meretricia, & alia illicita subtraxit, & illa etiam quæ aliàs ob crimina ab ea perpetrata fisco soluit. *Nau. conf. 5. de iniur. & damno dato. Nald. in v. pœna. nu. 9.* Sapienter illud scriptum reliquit, Plato, æqualitatem statum .i. pacem inæqualitatem uero motum. i. discordiam parere; nā vbi inæqualitas, ibi liuor, & odiū irrepit. Sic quidam alius Philosophus interrogatus in qua tandem urbe, aliquis posset tuto uitam agere, in ea, inquit, quam qui incolunt, neq; plus nec minus possident, & ubi iustitia uiget, iniustitia, & inæqualitas abest. Grauiter admonuit, æqualitatem, ut dictum est, esse pacis, & tranquillitatis altricem, inæqualitatem esse seditionis, & discordiæ seminarium. *Plut. in Lacon. apoph. & Aret. in §. fin. instit. pro socio.* vbi inuehitur contra istos mechanicos dilapidatores, qui cū sua consumpserint, uolunt postea fratres ad diuisionem cogere. Atque hanc resolutionem ex communiori, æquiori, & ueriori, magisque in praxi recepta sententia tradit *Mar. Anton. l. 2. uar. resol. resol. 46. & Bonac. d. 3. q. 6. nu. 6. Petrus de Vbaldis in tract. de duobus fratribus p. 8. q. 83. Mozzius de societate col. 4. nu. 41. & seq.* ubi affert, *consilium Manentis Costa. I.C. arg. Tusch. in v. expensa concl. 131. Surd. decis. 167. & Maresc. l. 2. uar. resol. c. 131. & v. libri concl. 347. & Gratianum in Forens. discept. c. 50.* vbi ait ueriorem esse resolutionem, debere imputari solutū per patrem pro condemnatione vnius ex filijs, cum appareat illum coactè soluisse, nā aliud esset, quando sponte, & nō inuitus soluit; cum filius improbus, melioris conditionis esse non debeat, quàm alij, qui pacifici fuerunt: & quia omne quod per patrem filio ob aliquam causam datur, non animo donandi, sed ut in legitimam imputetur, datū censetur, nisi in casu nro expresse, uel tacite delicto filij cōsensisset. Idem dicit de libris, ut .s. cum non apparet de uoluntare patris ut eos donare uelit, inter fratres conferendi sint, in quorum æstimatione attendetur tempus mortis paternæ; cum Doctori libri auferendi nō sint, sicut nec arma militi. In dubio autem pater collationem condonasse præsumitur, nisi inter fratres magna inæqualitas consurgeret, ut ibi per eundem *Grat. & Bonac. l. c. num. 9. Barbosa de Episcopo. par. 2. Alleg. 19.* Et hæc de societatis contractu sufficiant. Quò autem ad illas societates, quæ in Romana Curia exerceri solent, nihil est quod dicamus, uel de earum iustitia dubitemus, cū à Summis Pontificibus sint approbatæ, & à consuetudine, ut licitæ sint confirmatæ, vsque receptæ, ut ait *Castrac. de societ. off. c. 4. nu. 20. & c. 5. num. 25.* Licet etiam negandum non sit, excrescente hominum malitia, & pecunias congerendi siti, multos abusus in eas irrepere, ut per eundem *Castrac. in d. tract. & Virginiū Boccatium in tract. de censibus. & societ. officior. Philiarcum de off. Sacerd. tom. 2. lib. 5. c. 10. Tol. l. 5. c. 40. Io. Bapt. Corrad. q. 255. Vgol. de vsuris c. 56. & seq. Zecchium in tract. de societ. officiorum. Azor. p. 3. c. 9. & alios.*

QVÆSTIO LXXII.

Vtrum matrimonium contractum per procuratorem post reuocatum mandatum valeat. Et an mādator teneatur ad restitutionem damnorum, quæ mandatarius fines mandati excedendo intulit. An cui mādatum est ut equum centum uenderet, vendidit autem nonaginta, ad restitutionem teneatur.

Protasius vir potens mandauit Hippolito datis etiam literis, ut dicunt, credētialibus, ut in sua regione

regione nomine filij sui, cum Lucretia nobili puella matrimonium contraheret, & equum ei traditum centum aureos venderet, nonaginta eum distraxit, Item mandauit, vt Geminianum huiusmodi coniugium impedire conantem de medio tolleret, & si posset, interficeret. Ipse vero Protasius dicti, & facti pœnitens, mandatum hoc duplex reuocauit, quod tamen ipsi mandatario non innotuit, vnde non solũ matrimonium contraxit, sed etiam equum minoris tamen nempe nonaginta tantum aureis vendidit, sed & Geminianum in rustica domo tunc commorantem interemit, & domum cum ingenti eius familiæ iactura combussit, Quæritur Primo, an hic mandati contractus sit licitus, Secundo an matrimonium illud valeat. Tertio an mandator Protasius teneatur ad damnorum restitutionem, quæ mandatarius tàm quò ad equi venditionem quàm homicidij commissionem fines mandati excedendo, intulit, maxime cum mandatum retraxerit, &c.

SVPPOSITA, ET PRÆVIÆ inspectiones.

Resp. Præmitto Primo mandatum nihil aliud esse, quam cõtractum, quo quis officium honestum expresse, vel tacite in gratiam alterius exequendum suscipit. *l. 1. ff. mandati.* Dictum est officiũ honestum, ad demonstrandum, mandatum debere esse de re bona, & bonis motibus consona, nã mandatum de re mala, & iustis legibus repugnanti non obligat. *Borgnin. decis. 21. de iud. num.* 48. Imo si sequatur effectus, præter culpam, damnum datum resarciendi vterque obligationem insolidum subit, & in foro exteriori quò ad pœnam infligendam mandatarius potest de mandante interrogari, quando præsumptio verosimilis extat, ex alterius mandato fecisse. vt per *Clarum l. 5. §. fin q.* 89. *Tusch. v. mandans concl.* 36. *& seq.* Sic Pericles amico toganti, vt pro se falsum testimonium diceret, se quidem amicum esse dixit, sed vsq; ad aras, significans, eatenus amicis mandandum, obtemperandum, & benefaciẽdum, quatenus iustitia, æquitas, & in Deum pietas permittit. Nam & Cicero amicitiæ leges texens hanc in fronte posuit, Prima lex est amicitiæ, vt neque rogemus res turpes, neq; faciamus rogati. Qui turpe aliquid vel iniustum à te petijt, hoc ipso sentit de te male, & iniuria te afficit, indicans te turpitudine, & iniustitia delectari, neque enim alias postularet; sicut nec à Catone integerrimo viro, ad quem Cicero, O' te fortunate Cato, à quo rem improbam petere nemo audet, vt dixi supra *tr. 7. c. 29. q.* 120. *& c. 36. q.* 141. Publius Rutilius cũ amici cuiusdã iniustæ rogationi resisteret, atq; is per summã indignationem dixisset, quid ergo mihi opus est tua amicitia? respondit, imo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sum? Alex. Magn. matri vrgenti vt insontem neci traderet, & vt id impetraret dicenti, se eum per nouem mẽses in vtero gestasse, respondit, Aliud posce mater, hominis enim salus beneficio nullo pensatur. Triplex quippe est amicitia. Vna quę vtilitatem tantum spectat. Secunda voluptatem. Tertia honestatem respicit, cuius nodus est virtus post mortem etiam durans. *Alciat. in l. Lata, ff. de verb. signif. Alber. in Dict. in v. amor & v. amicitia.* In foro tamen externo ex Iuris consultorum placitis, amicorum causa facit vt eorum gratia aliquid minus iustum admissum mitius puniatur: cum non leui amicitia coniunctus consanguineo æquiparetur. *Tiraq. de temp. pœnis, causa.* 22. *Tusch. in v. amicitia concl.* 326. *Gratianus in Forens. discep. cap.* 200. Vbi etiam dicit appellatione suorum venire singularem amicum, ita ut legatum relictum Rectori alicuius ecclesiæ amico, censeatur potius relictum contemplatione ipsius, non ecclesiæ; cum etiã legata relicta amico intimo, debeantur ex testamento minus solemni, quasi in eo intelligatur clausula codicillaris, sicut in testamento inter liberos, vt ibi ex communi probat.

Secundo positum est illud verbum gratuito, quia quando mandatum gratis non fit, non mandatum proprie, sed operarum locatio dicitur: non tamen per hoc tollitur, quin sit mandatum, quando spe retributionis consequendæ fit, cum remuneratio ex gratitudine procedat, nam ex Soph. in *Oedip.*

Gratiam affert gratia,
Beneficium semper beneficium parit.

Menoch. l. 2. de arbit. iud. casu. 223. *Molfes. tract.* 11. *c.* 12. *num.* 46. *Valenzuola. cons.* 98. *num* 46. *& seq.*

Tertio additum est expresse, &c. Si quidem mandatum aliquando tacite, aliquando expresse fit, tacite quidem, cum quis sciens, & tacẽs patitur, vt alter suum negotium gerat. Vnde pater tenetur pro debito filij quando ei negotiari permisit, nam tacitum mãdatum intercessisse præsumitur. *Ricc. collect.* 1071. Expresse vero contingit, quando verbis, vel expressis signis committitur. Quod rursus duplex est, nempe generale, quod ad omnia datur, nec determinatam formam habet, & speciale, quod ad vnam rem in specie destinatur, & præscriptam formã gerit. Quod quidem regulariter generali derogat, & in multis casibus necessarium est, de quibus per *gloss. in c. coram. de restit. in integ. c. qui ad agendum. tit. de Procur. in* 6. Et sunt iuramentum decisorium deferre, transigere, matrimonium inire, instituere, vel beneficia conferre nam Vicarius Episcopi sine speciali eius mandato beneficia conferre nequit, & similia. *Cou. l. 3. var. resol. c.* 20. *Fachin. l. 2. cont. iur. c.* 93. *Ripa obseruat.* 219. *Tusch. in v. Vicarius. concl.* 189. *Grat. in discept. For. tr. 2. cap.* 303. Et cum in solo contrahentium consensu consistat, ideo Inter absentes

sentes quoque per nuntium, vel epistolam mandatũ suscipi potest, nec interest, quibus verbis fiat, potest enim concipi per verbum rogo, supplico, mando, volo, peto, & per quæcunque verba similia, & idonea. Non inducitur tamen mandatum per verba commendatoria, nec per literas credentiales, quando nimis generalibus verbis sunt conscriptæ, secus quando ex scribentis persona obscuritas, quæ ex literarum generalitate oritur, certior quodam modo redderetur, vt per Nicolaum Genuam de scriptura priuata *l. 3. tit. de literis cred. & commendat. Masc. de probat. concl. 629. &* 1009. *& Alex. Trentacinq. l. 3. var. resol. vol. 1. resol.* 38. *Oinot. in comment. in instit. ciuil in rub. tit. de mandato. Mantica de tacit. & ambigu. lib. 7. tit.* 3. *&* 7.

Tertio quod est excellentior contractus mandati, ex officio, & amicitia originem trahens, maximusque est illius vsus, vt qui rebus suis, & negotijs conficiendis supersesse, vel nolunt, vel impediti non possunt, saltem per alios ea explicare, & expedire ualeant, si quidem ex communi axiomate, Qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. Vnde solutio facta mandatario, seu negotiorum gestori liberat etiamsi de expresso mandato non constet, sic enim liberationem consequitur, qui ei soluit, qui cõmuniter creditoris minister habetur. *Farinac. p. 2. tom. 1. decis. 566.* Et suscipiens mandatum, vel illud perficere, & exequi, aut re integra renuntiare tenetur, aliàs, ut dicunt, ad interesse obligatur. *Rota Genuens. decis. 9. & 68.* Propterea iuxta vulgatam regulam, Fines mandati diligenter custodiendi sunt. *Tusch. v. mandatum concl. 39.* Hinc mandans ad restitutionem non tenetur, quando aliquod maleficium perpetrari iussit, & postea mandatum reuocauit, quæ reuocatio mandatario innotuit. Imò si aliquem actum mandauit, qui consensum necessario requirit, prout est matrimonium, etiamsi retractionem omnino ignorauerit, si illud ab eo peragatur, nihil actum est. *cap. fin. de Procurat. in 6. Mol. d. 263. Azor. p. 3. l. 9. c. 7. Sanchez. de matr. l. 1. d. 60. Bonac. d. 1. q. 2. p. 6. Mãtica de tac. & ambig. l. 7 tit. 21. n. 34.*

Explorati quoque iuris est, mandatum mãdantis morte expirare. *l. mandatum. C. mandati. c. si gratiose de rescript. in 6. Menoch. l. 2. præsumpt. præsump. 36. Ricc p. 3. decis. cur. Neap. decis. 309.* Siquidem cum interitu concedentis ipsius uoluntas extinguatur, consequenter fatendum est, ipsum quoque mandatum expirare, cum mors omnia soluat. *§. recte inst. tit. de mandat. Mascard. de probat. v. mandatum. concl. 1014.* Idem *Mant. l. c. tit. 23. Tusch. v. mandatum concl. 65. vbi nu. 85.* Hoc limitat in mandato facto ad pias causas quia morte mandantis re integra non deletur.

Tertio supponendum ex communi, matrimoniũ inter absentes per literas, uel procuratorem celebrari posse, modo tria concurrant. Primo præsentia Parochi, & testium. Secundo ut mandans cõsensum interim non abstraxerit. Tertio vt procurator constitutus speciale mandatum ad hoc habeat, & mandati fines non excedat, quandoquidem quæ mãdatarius vltra præscriptos limites agit, inualide agit, cum sine potestate operetur, & limitata causa limitatum producat effectum. *Sanchez. lib. 2. d. 11. Gutierez. de matr. c. 43. Menoch. consf. 69.* Idem *Bonac. de matrim. q. 3. p. 5. Coninch. d. 24. dub. 9.* Et vbi de magno præiudicio agitur, tunc speciale mandatum requiritur. *Thesaur. decis. 155. Tusch. v. mandatum concl. 52.*

RESOLVTIO.

His suppositis præiactis, veræ hinc hauriuntur resolutiones. Primum quidem mandatum licitum esse, cum sit de ineundo matrimonio per Procuratorem, quod quidem est contractus à Christo in Sacramentum eleuatus. *c. fin. de Procurat. l. 6.* Sicut etiam explorati iuris est, spiritualem cognationem à mittente contrahi posse, cum quis ad suscipiẽdum infantem in Baptismo delegatur, qui enim, ut supra dixi, per alium facit, per se ipsum facere censetur. Idem *Bonac q. 3. p. 5. §. 2. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. c. 15. §. 6. Nald. in v. cognatio. nu. 3.* Cum autem mandatum (quæ est ad 2. quæstionem responsio) sit à mandante reuocatum, constat, post reuocationem nõ validè celebrari, etiamsi Procurator illam ignorauerit, & ei nõ innotuerit, cum tam Protasij, quàm eius filij pro quo pater agit, consensus defecerit, sine quo ipsum coniugium firmitatem habere nequit *d. cap. fin. ut supra citati authores communiter asserunt.*

Secundum vero mandatum dico iniustum esse, nec subsistere, cum mandatum de re illicita inualidum sit, & si quid mandatarius pro re iniusta, & iniqua perpetranda accepit, nec adhuc mandatum impletum sit, illud exequi non tenetur, nec debet, & in conscientiæ foro danti restituere eum oportet, qđ ea de causa sibi datum est. Quod si mandatum iam adimpleuit, & quod accepit pretium est moderatũ, tunc, quidquid sit in contentioso iudicio, in foro cõscientiæ tuto illud retinere potest, ut per *Mol. de cõt d. 550.* Et licet ipse Protasius mandans in vtroque foro homicidij sit reus, & damna ex eo immediate secuta restituere teneatur, non tamen, & est ad 3. quæstionem responsio) ea resarcire obligabitur, quę Hippolitus mandati fines excedendo. i. domum rusticam incendendo intulit, huiusmodi enim detrimenta non ex mandantis cõsensu, & cooperatione, sed solum ex mandatarij malitia prouenire dicuntur: cum Geminianum absque combustione occidere potuerit, nec hæc damna ex eius imperio secuta videntur, aut si ex eo manant, id omnino fuit per

 accidens,

accidens, ficut fi mandaffet illum occidi, & præter homicidium, occifi bona mandatarius furto abftuliffet, uel eius filiam defloraffet, &c. *Azor. l. 4. c. 10. q. 4. Bonac. de cent. d. 1. q. 2. par. 6. num. 7. arg. Beia. p. 2. refponf. cafu Incip. Marcus, Salon. 22. qu. 62. art. 2. cont. 8. & alij communiter.* Quid quid fentire uideatur, *Sayrus in claui reg. l. 10. tract. 2. c. 7. nu. 7.*

Hippolitum quoq; teneri ad centū reftitutionē, quando Protafius ei mandauit, ut equum fuum cētum aureis nummis venderet, fed nonaginta tātum vendidit, ex illo axiomate colligitur, quod mandati fines diligenter cuftodiendi funt, quos quidem tantum equum pro nonaginta vendendo, tranfgreffus eft, & mandantis conditionem ob hoc deteriorem fecit, ita *Molina de contract. difp. 552. num. 1. & Bonacina difp. 1. q. 2. puncto. 6. nu. 13. Tufch. v. mandati fines. concl. 39. Melfef. tr. 12. c. 12. num. 30. Rota Genuenf. decif. 9. & alij communiter.*

Porro illud obferuandū eft, mandatū illicitū nunquā procuratori, uel alteri perfonæ factū pſumi, nifi probetur. Hinc eft, quod mandatarius in foro externo indicium ad torturam nō præftat, ex eo quod fimpliciter affirmet talem fibi mandaffe, ut aliquem occideret, nifi aliqua alia præfumptio, uel faltem fufpicio concurrat, *Clar. in praxi crim. §. vlt. q. 21. Burfat. conf. 192. Hier. Gabriel. conf. 189. Tufch. in v. mandatū concl. 35. & feq. Mozz. de mandato, n. 82.*

Inluper legem, uel ftatutum, maleficiū puniens, mandantem, uel confulentem nō ligare, nifi expreffa mentio fiat, cum in pœnalibus ftricta facienda fit interpretatio, *Dec. in l. confilij ff. de reg. iur. Sayr. de cenf. l. 3. c. 11. num. 15.* Tandem apud Subellia Iudicum rerum capitalium fæpe illam quæftionem examinari folere, an mandantis delictum, & mandatarij, effectu non fecuto puniri debeat, nec ne, & ab eifdem diftingui inter actum proximum, ac remotum, ad quem mandatarius deuenerit. Licet in Italia confuetudo inualuiffe videatur, ut conatus fine affectus non fecuto effectu pœnis non afficiatur. *Bellonus de poteft. eorum, &c. Thefaur. decif. 244.*

ALIQVÆ QVÆSTIONES, & CASVS qui fuper materiam ludi, & fponfionum formari poterunt. Cap. XXIV.

QVAESTIO LXXIII.

Verum in eo quod quis in Ludo amifit, poffit compenfationem facere, fi in iudicio repetere non audeat, & an uotum de non ludendo poffit per difpenfationem à confeffario tolli. An canē in quendā caufa iocandi irritādo, mortaliter peccauerit, & irregularis fit factus, & an ad aliquam reftitutionē teneatur?

LAurentius adolefcens aleis cum Gabriele credita pecunia ludens viginti aureos amifit, quos fæpius interpellatus perfoluit, cum autem in quodam Summulario materno idiomate cōfcripto legiffet, promiffa pecunia ludentes non teneri foluere, & folutum poffe repetere, nec dedecoris metu repetere audeat, rem æquiualentem in compenfationem rei in uetito ludo folutæ, clam ei furripuit. Et poftmodum vefperi antequam cubitum eat, confcientiæ examen faciens, fe non amplius lufurum vouit, quod fi illud uiolauerit, iterum Deo promittit à nullo poffe difpenfationem petere. Vbi ad confeffarium accedens, Primo quærit, an illam compēfationem facere potuerit. Secundo cum fe ad ludum procliuem fentiat, petit à prædictis uotis abfolui. Item rifus captandi gratia, ludendi, iocandiq; caufa ruri in confeffu cum focijs, fuum canem in Theodorū irritauit, ita ut ipfe Theodorus poft octo dies ex hac vita deceſſerit. Hic pariter quærit, an fic agēdo mortaliter peccauerit. Secundo an factus fuerit irregularis. Tertio an quidquam reftituere teneatur. Quid ergo refpondere, & quomodo cum eo agere debet Confeffarius?

SVPPOSITA, & FVNDAMENTA.

PRIMVM SVPPOSITVM.

REfp. Supponendum eft Primo ludum ex fuo genere rem effe licitam, & honeftam, & culpa carere, imo eutrapeliæ virtutis actum, fi ad refocillandum, & reficiendum animum affumatur. Si quidem,

Quod caret alterna requie, durabile non eft,
Neque femper arcum tendit Apollo.

Vt propterea merito ille etiam admonuerit, vt alibi animaduertimus,

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Vt poffis animo quemuis fufferre laborem.

Vnde qui literis operam dant, ait *Chanafius de prud. l. 3. c. 1. §. 6.* quia fpeculando valde caput exercent, animique intendunt vires, meminerint, fi perdurare volunt, faniq; viuere, illas ferias fpeculationes quandoque intermittere, præcipueque illam falutarem admonitionem ad fe pertinere. Cum Apoftoli ad Iefum conueniffent, vt ei renuntiarent, quę ipfo mittente egerant, ac docuerant, illis dixit, Venite feorfum in defertum locum, & requiefcite pufillum, non folum vt corporis vires refumerent, fed multo magis, fpiritum reficerent, & fic ad primum feruorem ex occupatione languentem reuocarent. *Aluar. de vita relig. feff. 5. cap. 4.* Naturam quippe hominum ingenia imitari debent, quæ vitam in remiffionem, & ftudium diuifit, & non modo vigiliā, fed & fomnum homini cōceffit, vt fubinde aliquando animo indulgendum fit, ac dādum otium, quod alimenti, ac virium vices fubeat, quando vt ille ait,

Maior

Maior est post otia virtus.

Non est itaque vt Anacharsis Scytha dicere solebat, turpe aliquando modestis lusionibus delectari, vt alacrior ad philosophiã fiat reditus. Quippe imitandę sunt volucres, quę dum nidos cõstruũt, postquam aliquid confecerint, ita leuandi laboris, ac fastidij causa volitant, vt breui postmodum spon te ad nidificationem redeant. Sed cauendum est, ne quid nimis, quia arcum nimia intensio, animum nimia remissio frangit. Philosophorum est sententia, tria esse ad longam vitam, adeoque ad tutandã valetudinem necessaria. Primum est frugalitas, & temperantia, quam etiam sanitatis parentem asseuerãt medicæ artis professores, victus enim tenuis hoc efficit. vt imprimis valeas bene, ait Horatius *Satyra* 2. Secundum labor, & moderata corporis exercitatio, otium namque vires extinguit, corpus cõsumit, vt rubigine ferrum exeditur, vt per Mercurialem *in Gymnastice*. Tertium est animi voluptas, & oblectatio, si quidem cor in quo vitalis est calor, facile molestijs atteritur, & edacibus curis labefactatur. Qua ratione ludum, risum, & iocum, ad vitam degendã necessarios esse constat. Et vt Sapiẽtes aiunt, genus est quoddam otij opportune suscepti, quod laude sua non caret, quo. s. virtus non euanescit, sed recreatur: Ideoque strenuis etiam viris interdum est appetendum, vt tempestiua laboris intermissione ad laborandum vegetiores surgant. Sane B. Philippus Nerius Congregationis Oratorij Institutor, tanta comitate, & eutrapelia cum suis agere cõsueuerat, vt non infrequenter etiam animi recreandi gratia cum illis ludos honestos sumeret, quod omnes sine aliqua suæ ipsorum deuotionis, ac pietatis iactura, imo cum virtutis accessione faciebant. Cauendũ tñ, ut dixi, ne ludus nimis frequẽter, vel continue adhibeatur, vel ne in eo multum temporis cõsumatur, nam vt ait. *Tull. lib. 1. officiorum*. Non ita à natura generati sumus, vt ad ludum, & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem, potius, & quædã studia grauiora, atque maiora. Et *D. Ambros. l.* etiã ipse. 1. *off*. Perfectam clerici formam tradẽs, hoc inter cætera grauiter monet, ne tempus inaniter terãt; & præsertim ludis, crebris visitationibus, & infructuosis collocutionibus. Quippe cum maxima sit temporis iactura, parũ delectationis pro condimento ad vitam trãsigendam sufficit. Zeno Citteus aiebat, hominibus nihil magis deesse quam tempus, lõge ab ijs dissentiens, qui bonam uitæ partem somno, nugis, & alea perdunt, quasi multum temporis homini superfit. Doctrina hæc est manifesta apud oẽs Philosophos, qui de moribus scripserunt, ita *Pla to. l. 4. de repub. Arist. lib. 4. Ethicorum Cicero, & D. Ambrosius, in libris de officijs. Theologi omnes præsertim D. Thomas* 22. *q.* 168. *art.* 2. Vbi *Val. d.* 5. *q.* 6. *p.* 5. *Salon. q.* 5. *de dominio. art.* 6. *concl.* 3. *Bonifignius tract. de ludo. s.* 2. *Fabian. Instin. super Tobiam. cap.* 3. *vers.* 27. *docum.* 1. *Molfes. tr.* 12. *c.* 21. *Holchot super sap. c.* 15. *lect.* 173. *Negron. de relaxat. anim. relig. necess. Carbo. de restitut. q.* 37. *& seq. Salas. de luco. dub.* 1. *& alij communiter*. De qua re alia multa adduxi *in Cõment. ad c. obligat. stat. hum. vitæ p.* 2. *cap.* 13. *& sup. tract.* 1. *c.* 8. *q.* 39. *&* 40.

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo præmittendum, circa ludum tria esse animaduertenda. Primo dictũ est, ut, ne animæ grauitas resoluatur. Secundo ut in noxijs, & turpib. actionibus delectatio non quæratur. Tertio ut personæ, loco, & tempori congruat. Item ad eiusdem iustitiã alia tria requiri. Primo ut ludentes habeant liberam rei, quam in ludum deponunt, dispositionem, non enim possunt res alienas, uel quas alienare non possunt, periculose exponere. Secundo ut alter alterum per iniuriam, ut minis, fraude, conuitijs ad ludum non pertraxerit, aliàs ut iniuriosa causa damni, ad restitutionem teneretur. Tertio ut contra leges ludi fraudibus non utantur: alioqui restitutioni obnoxij fiunt, tùm eius, quod lucrati sunt, tùm etiam ad reparationem damni, quod ille incurrit, qui alioqui lucraturus erat; secus si in ambiguo esset, cum in dubio ex trito axiomate, melior sit conditio possidentis.

Porro leges ludi sunt, quas uel ipsi ludentes communi consensu inter se statuerunt, uel si nihil de hac re egerint, quæ eo loco, uel apud eam gentem, ubi ludunt sunt receptæ. Fraudes tamen suæ astutiæ, in communem usum inductæ, uel in quas ludentes expresse, uel tacite consentiunt, licitæ sunt, ut si quis aduertens se certo lucraturum, aduersarium roget, velit ne duplum deponere, aut si videt errantem in numerandis signis, & non admoneat, ex vulgato enim dicto. Qui ludit non dormitat. *Lessius l.* 2. *c.* 26. *dub.* 2. *Reg. l.* 25. *nu.* 385. *Molina. d.* 511. *Azor. l.* 5. *c.* 25. *Sayrus. l.* 11. *c. l. reg. c.* 12. *& alij.*

TERTIVM SVPPOSITVM.

TErtio obseruãdum, ludum proprie accipi pro dictis, uel factis ad oblectationem animi destinatis. Ad quem pertinet affabilitatis virtus, humanæ conuersationi pręposita, inclinãs nos ad uersandum cum quibus oportet, idque iucunde, idest, nec absurdos admittendo iocos, nec honestos respuendo, admodum humanæ vitæ necessaria, quia creberrima est eius materia, nempe mutuus hominum conuictus, incommodorum, & delictorum plenus, nisi benefiat. Hic vero à nobis capi p cõtractu, quo ludentes inter se paciscuntur, vt victori cedat, quod vterque deposuit. Itaque ludus proprie est

veluti certamen quoddam duorum ad animi oblectationem pertinens. Contractus autem ludi est pactum, ut certaminis vice victori res ab vtroq; exposita tribuatur. Vnde contingit aliquem tribus modis ludere. Primo absque culpa, animi leuandi causa, quem modum supra, significauimus, esse eutrapeliæ actum. Qua ratione Seneca admonebat, in cōmuni hominum conuictu iucundum se quemlibet præbere, & vrbanitate vti oportere, ne rudis aut asper, uel molestus videretur: vt enim austerum vinū potioni non aptum est, ita agrestes mores conuersationi inepti sunt; proinde aiebat, ut in reddenda officiositate homo neque exactor, neq; negligens appareat, ut cunctis sit benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, seuerior iudicio, quā sermone, & vita, quam vultu, &c. Secundo ludus cū veniali peccato coniunctus esse potest, cum quis animo vincendi cum multa temporis iactura ludit, & hic ipso ludo abuti dicitur, cum non animi oblectatio, sed lucri cupiditas ipsum impellat. Et huiusmodi quæstum Aristoteles turpem etiam cēsebat, quod ab amicis ludentibus, quibus potius ex amicitiæ lege tribuendum foret, auferre studeat. Neque vero incipiat quis alea ludere, putans posse se subinde desistere: res enim aliter euenit, quoniam si aleator amisit, rursus ludit, vt damnum resarciat, & plerumq; iterum perdit: si vero lucrum fecit, spe noui lucri ludum renouat, quod sic expressit Naso,

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
Et reuocat cupidas alea sæpe manus.

Atque adeo merito hic aleæ, & taxillorum ludus confusionis ludus dicitur, quoniā in ipso bona omnia confunduntur, nempe tempus, bona naturæ, gratiæ, & fortunæ, redditque hominem confusione dignum. vt per Verratum super illud Catonis, *Aleam fuge*. Hinc aleator quidam moriens quasi parum lusisset in vita lusisse, testamento cauit, ut detracta cadaueri sua cute, ossibusque omnibus exemptis, ex his tesseræ fierent, *Paschas. Iustus lib. 1. de alea.* Tertio in ludo lethalis accidit culpa, quoties quis ludendo, & pecuniam amittendo, magnam substantiæ suæ quantitatem consumit, & in impias blasphemias prorumpit, ac Missam in die festo omittit, noctem diem faciendo, & è contra diem in noctem cōuertendo. De hoc ludentium genere loquens. *Mascardus uolum. 2. concl. 1496. ex Bart. & Hostiens.* sententia ait, lusores hos publicos flagitiosos esse, ac turpem vitam ducere, ac proinde à testimonio ferendo repelli. Hos etiam *Arist. lib. 4. Ethic. cap. 1.* Latronibus comparat, & tanquam prodigi ab eodē vituperantur, quippe qui bona sua indigne profundant, & fortunæ aleæ committant. Et DD. tradūt quod quanto aleator est in arte melior, ac peritior, tanto est nequior, aleatoresque tantum à tesserarijs differre, quantum fures à latronibus, &c. Quo fit, ut beneficium curatum publico aleatori, & magnam pecuniæ quantitatem in sumenti, honestæq; recreationis limites excedenti, tāquam indigno ecclesiæ ministro conferri nequeat, etsi de facto conferatur, collatio inualida sit, neq; per cōtrariā consuetudinē excusari possit. *Thol. in synt. iur. l. 39. c. 3. Rota nouiss. decis. 426. Nald. v. beneficiū nu. 10. Riccius resol. 119.* Et testes lusores, & blasphemi tāquā infames à testimonio, ut dixi, repellūtur, quia ex ludo omnis nequitia prouenit. *Grammat. decis. 11. Tusch. in v. testes. concl. 210.* Et licet clericus debitor non habens vnde creditoribus satisfaciat, conueniri non possit, nisi quatenus satisfacere valet, sibi, & familiæ suæ necessarijs alimentis deductis, iuxta, *cap. odoardus ext. de solut.* hoc tamen beneficio non gaudet, ubi in ludo prohibito, uel cum meretricibus pecuniam consumpsit, & factus est non soluendo. *Bald in l. fin. C. qui bonis ced. possunt. Ferret. cōs. 144. Bellett. de cler. debit. §. 2.*

RESOLVTIO.

Quibus sic præsuppositis dico, quod licet Laurentius ludendo aleis, uel alio ludo fortunæ magis, quàm industriæ nitente, animo etiā lucrandi potius, quàm recreandi, lethaliter non deliquerit, leges namque hūc ludum prohibētes, quō ad effectum, & vinculum mortalis culpæ non sunt usu receptę: etsi ipsarum legum beneficio repetere potuisset, quod Gabrieli quodammodo coactus soluit; non tamen ei integrum fuit, in compensationem pretij soluti, rem æquiualentem surripere, quando quidem iura hoc non concedunt, quamuis indulgeant, ut publica Iudicis authoritate repetere valeat. Proinde in vtroque foro sic iniuste acceptū restituere tenebitur, cum in Gabrielem colludentē per hunc ludum translatum sit illius pecunię dominium, quando omnes circunstantiæ in ludo requisitæ interuenerunt. Quinimo ludens pecunia absente data solum fide, amissa in ludo soluere tenetur (licet de iure ciuili ei qui perdidit, actio ad repetendum detur) & qui credita pecunia luctatus est, pecuniā sibi solutā tuta conscientia retinet, donec in iudicio repetatur. *Mol. d. 514. Sayrus. l. c. cap. 13. n. 16. Reg. l. 25. n. 386. Faust. q. 8. Beuac. d. 2. q. 3. p. 2. n. 7. Reginaldus 33. Io. Bapt. Corrad. q. 96. Molfes. tr. 12. c. 21.*

Ad 2. quæstionem dico Confessarium simplicē qui dispensandi in uotis facultate caret, non posse ipsum Laurentium à voto de nūquam ludendo hac lege soluere, secus si ordinaria, uel delegata authoritate potiretur, quamuis enim malitiam illiciti ludi in secundo, & tertio casu auferre nequeat, nihilominus ei fas est committendi peccatum occasionē subtrahere, quod propter uoti obligationem ab eo perpetratur, qui affectum, & propensionem ad lu-

dum

dum habet. Et uotum non petendi dispensationem, ac petita nō vtēdi eo casu obligat, quo eius animæ saluti expedit, quatenus. sā voti fractione compescatur, vnde si Laurentius vouens probabiliter de voti transgressione timeret, vt quia ad violandum pronus, & procliuis esset, tunc, vt ei consulatur, dispensationem petere poterit, & per consequens confessario authoritate dispensandi munito, beneficiū impertire fas erit. Sicuti etiā votum tale libidinis peccatum non perpetrandi, iuste relaxari potest, si vouens perinde fornicatur, ac si minime vouisset, quia per dispensationem à maiori malo, idest, à violatione voti arcetur, non tamen dicitur cum eo esse dispensandum, vt libere, seu iuste (quod cogitare nefas est) fornicari queat. *Graffius. consf. 4. tit. de voto Bonac. l. c. num. 19. Beia. p. 4. casu. 9. Molfes. tr. 11. c. 15. num. 139. Sanchez. l. 3. de precept. c. 18. & lib. 4. cap. 8. Nald. in v. ludus. & v. uotum. num. 8. Nau. consf. 16. de voto. Azor. lib. 11. cap. 18. quæst. 3.* Imo ex communi etiamsi vouerit, vel iurauerit se non amplius lusurum, sub pœna, vt si luserit ab alio absolui, vel dispensari non valeat quàm à Summo Pōtifice, adhuc tamen ab Episcopo absolutio, vel dispēsatio dari potest, cum per hoc sua iurisdictio non auferatur. vt est commune Scribentium placitum.

Ad 3. quæstionem dico, Laurentium à mortifero crimine, labe irregularitatis, & restituendi obligatione non excusari, cum suum canem in Theodorum socium, non dolo malo, sed ludo, & risus captādi causa, temere concitauit, ex quo canis illum occidit; in lata enim culpa esse dicitur, cum in tàm periculosa actione ludum, & iocum quæsiuit: quis enim ludum eum appellet, ex quo tàm grauis iniuria, & tàm ingens damnum nascuntur? Quippe vt admonet. *Cicero in 1. off.* Ludendi est quidam modus retinendus: vt ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. Quæ asserrio vera est etiamsi canis ille mordere nō consueuerat, sed tunc rabie affectus momordit, ac dentem infixit, ignorante eius rabiem ipso Laurentio Domino, qui eū irritauit: esto enim id raro contingat, id tamen accidere posse dubium nō est. Imo ob hoc temerarium delictum, & perniciosum ludēdi actum Iudicis arbitrio, in foro externo puniendus esset. dixi arbitrio Iudicis: quia Iureconsulti delicta in adolescentiæ ætate commissa, tanquam non certo adhuc iudicio firmata, mitius punienda esse responderunt. teste *Tiraq. de temp. pœnis. causa. 7.* Atque hæc supra expedita resolutio colligitur ex DD. *in c. ad audientiam. ext. de homicid. Farinac. in frag. crim. par. 1. §. canem concitans. V gol. de irregul. cap. 8. §. 2. num. 8.*

CONFESSARII PARTES.

Partes porro Confessarij erunt in præfati voti dispensatione magna prudentia vti, considerando quid secundum æquitatem liceat, quid secūdum honestatem deceat, & quid secūdum iustitiam quò ad ipsum vouentem expediat. *c. magna. ext. de voto.* Cum vero dispensat, multum interest, aliquid ab eo adimplendum admiscere, vt v. g quoties cunque eum ludere continget, aliquid pœnale sibi assumat, vel aliquam eleemosynam iuxta facultatum sua rum vires persoluat, & in pauperes Christi eroget. Item ad eius munus spectabit, à ludis, & iocis noxijs quò ad poterit, auertere, & mala, quæ inde proueniunt, ad mentem eius reducere. Theuth. n. 1. Dæmon ut est apud Platonem, aleatum ludum omnium malorum Seminarium adinuenit. Ac ea est, ut dixi, ludi huius conditio, ut vbi semel illius prurigo, & scabies animum alicuius occupauit, ægre admodum excuti queat: Ex quo sane funestæ tragœdiæ fere semper excitantur, vt ex alijs noxis, quæ à iucunditate incip entes, in luctus desinunt, teste *Iuueual. Satyra. 1. & Tholos. l. c.* Eos etiam esse infames qui publici sunt aleatores ex communi. asserit *Barbos. par. 2. Alleg. 43.* De quare in multis locis meminimus, præsertim. *tract. 7. cap. 5. quæst. 24. ex D. Anton. pra. 2. tit. 1. cap. 23. §. 6. & Io. Busseo in arca medica. in v. ludus alea. Paride de Puteo. & Io. Baptista Caccialup. in tract. de ludo. Hostiens. in Summa. de excell. Prelat. Io. Aquil fer. 2. in Quinq. serm. 5. Bast fer. 3. post 3. Dom. Quadr. serm. 28. Perald. in Summa virtutum, ac vitiorum. tom. 2. de auaritia. cap. 16. Iodoc. in v. ludus, & alys.* Ad Dei timorem amplectendum, & humanum exuendum pœnitens inducendus erit, cū enim humana fragilitas in omni loco, & tempore ad mala perpetranda, & bona prætermittenda nos procliues reddat, hic Domini timor si uere pœnitētis cor possideat, in malis frænum, & ad bona calcar erit, cur. n. multi à ludo ab insanijs, à luxu, à sumptuosis cōuiuijs, à pecuniarū profusione, & alijs hmōi nō se continent, nisi ob humanū timorē, ne timidi, & uiles existimētur, & ne auari, vel nimis modesti, & religiosi habeantur. Vere Sapiens *Eccles. c. 1.* pronuntiauit timorem Domini esse initium sapientiæ, quia tunc homo sapere, & rationis iudicio uti incipit, quando res uere magnus magnifacere, & res uere paruas paruifacere nouit: Et quænam sunt res in ueritate magnę nisi res æternæ, beatitudo, & gehennæ. Quæ reuera paruæ, nisi res temporales, diuitiæ uoluptates, & honores? Audiat idē Sapiēs *Eccles. c. 10.* Cor sapientis in dextra eius, cor stulti in sinistra illius. Qui habent cor ad ęterna, quę est pars dextra, in qua erunt oues in die Iudicij, illi sapiunt, qui ad temporalia, & ad sæculi huius uanitates, & ineptias cor affixum habent, quæ est pars sinistra, quam sortientur hædi, illi stultissimi sunt, &c. *Bellar. de gem. colum. lib. 3. cap. 2.*

QVAESTIO LXXIV.

An religiosus aleis ludendo peccet mortaliter, & colludens quod ab eo acquisiuit restituere teneatur: & an ipse religiosus si sit Parochus, Episcopi Edicto ligetur: Et p.m. pila ludendo, & non ieiunando nouum peccatum admiserit?

ALbertus religiosus, & ruri in Ecclesia sui ordinis Parochi officio fungens, solet sæpius æstiuis temporibus cum Laurentio patritio aleis ludere, & aliquando multam pecuniæ quantitatẽ amittere, quippe cum ipse Laurentius colludens maiori in ludendo peritia, & dexteritate polleat. Item cum quadam vigilia ad ualetudinem tuendam, & corporis fortitudinem exercendam, ludo pilæ palmariæ cum ipso eodem patritio lusisset, vesperi defessum se sentiens, ob nimiam corporis defatigationem cœnauit, ac ieiunium fregit. Cum autem eius diœcesis Episcopus contra sibi subditos Parochos, & omnes clericos, alearum ludo incumbẽtes suspensionis sententiã tulerit, quatuor hic pcipue quęruntur. Primo an d. Albertus sic ludendo lethaliter peccauerit, & uotiuã paupertatem uiolauerit. Secundo an Laurentius colludens restituere teneatur. Tertio an ipse Albertus Episcopi Cõstitutione ligetur. Quarto an ob talem ludum mortaliter peccauerit, & etiã non ieiunando nouam culpam lethalem contraxerit? Et quid Confessarius respondere debeat?

RESOLVTIO.

REsp. Hunc casum ex proprijs suis principijs resoluendo dico, Albertum difficile à culpa mortali excusari posse. Pro regula enim habendum est, clericis, & monachis à sacris sanctionibus aleæ, & taxillorum ludum, nec non venationem grauibus verbis prohibitam esse, idque merito, tùm qđ bona ecclesiæ quæ sunt pauperum pattimonia, ibi consumuntur, & à diuinis rebus auocantur, tùm quod clerici, & monachi, formã, atque viuendi exẽplum esse debent. *c. pen. ext. de uita, & honest. cler. c. cum inter dilectos. ext. de excess. Prælat.* Trid. *Synodus sess. 22. c. 1. Bellett. in Disq. cler. p. 1. §. 19. & 24.* Addo prohibitionem clericis factam multo magis ad religiosos ratione scandali extendi, ægre enim illud euitari potest, cum res malam speciem habeat quam perfectionis studiosi vitare debent, etiamsi absque pecunia ab eis ludatur. *Valentia. tom. 3. d. 5. q. 6. pun. 5. Nigron. de recr. à reliq. trans. tr. 2. §. 86.* Quod maxime locum habet, quando sic ludere in more haberent, & alijs, ut dixi, scandalum præberetur. Secus, si ut multi uolũt, religiosus recreandi animi causa modicum quid raro ex expressa, uel tacita superioris licentia luderet. *Mol. tr. 2. de cõtract. disp. 521. Vgol. de off. Episcopi. cap. 13. §. 23. & alij cõiter.*

Quò ad 2. q. quæ restituendi obligationem respicit, dico quod licet aliqui senserint, religiosum, qui conuentus sumptibus, & Superioris facultate ob iustam causam extra monasterium ludo uacat, posse aliquid etiam notabile in lumete, à suo namq; Præfecto tacitam licentiam habere præsumitur; ita ut pecuniam illam in colludentem transferre possit, & sic acquisitam sibi retinere fas sit, nec restituere teneatur: uerior tamen, & in praxi tutior est eorum sententia, inualidam esse pecuniæ per ludum translationem, non solum quando taciram Superioris licentia accederet; sed etiamsi expressus præstaretur consensus; non enim Prælatus monacho concedere potest, ut per ludum pecuniã distrahat, aut in usus uanos, superfluos, aut turpes, & illicitos insumat, eo quod Prælatus religionis bonorum monasterij non sit dominus, nec eorum, quæ à religioso dantur, sed administrator, ius autem non ad vanos, & profanos vsus, sed tantum ad necessarios, & honestos illi administrate concedit; vt proinde Laurentius collusor ab ea restituenda non excusetur. Idque eo magis quod ipse in ludi sciẽtia maxime instructus, Alberti imperitiam, & inscitiam nouerat. Concludunt tamen DD. in omni casu standum esse laudabili cõsuetudini singularum religionum, sunt enim aliqui religiosi ordines, qui suis alumnis nihil ludo illicito exponere permittunt, nisi forte grana quędam benedicta, aut patuas aliquas imagines, uel quid simile, ut puta aliquas preces pro victore, vel animabus in Purgatorij igne cruciatis recitandas, &c. *Carbo. de re stit. q. 69. Mol. tom. 1. tract. 2. d. 94. & d. 140. & tom. 2. d. 256. & 144. Azor. tom. 3. l. 5. c. 26. q 8. Less. l. 2. c. 4. dub. 5. nu. 29. & c. 18. dub. 11. nu. 83. & seq. & c. 41. dub. 8. nu. 73. Graffius. l. 3. decis. c. 5. nu. 133. Val. tom. 3. d. 10. q. 4. p. 3. Sayrus. l. 10. cl. reg. c. 12. n. 16. Boninsig. de ludo. c. 6. Zerula in praxi Episcopali v. ludus. Salas. de ludo dub. 21. Molfes. tr. 12. c. 21. nu. 82. Sanchez. de precept. tom. 2. l. 7. c. 19. nu. 20. & 30. Barth. à S. Fausto de restitut. disp. 27. q. 12.* contra eundem de ludo. *disp. 32. quæst. 21. & Rebell. par. 2. lib. 12. quæst. 41. & nonnullos alios.*

Ad tertiam quæstionem respondendo, dico Albertum in suspensionis censuram ab Episcopo latã sic ludendo non incidisse, cum regulares exceptis his, quæ ad sacramentum pœnitentiæ administrationem, & parochialem curam pertinent, ab Ordinariorum iurisdictione sint exempti. *Conc. Trident. sess. 7. c. 7. de refor. & sess. 25. cap. 11. Zerula in praxi Episcopali in v. excomm §. 4. Mar. Ant. l. 1. resol. 18. num. 3. Roder. p. 1. qq. reg. q. 36. art. 4. Parisius de resig. benef. l. 3. q. 11. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. cap. 20. §. 10. Piasecius in praxi. 1. episc. p. 2. c. 3. tit. de visit. regul. nu. 46.* vt etiam tradidi in Comment. de hum. vitæ stat. *par. 1. cap. 23.*

Ad 4. quæstionem dico, quod licet ludi qui corporis

potis fortitudine imprimis nituntur, cuius modi sūt illi, uidelicet. Si quis certet hasta, vel palū iacendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnādo, pila palmaria, uel maiori ludendo, ij, inquam, ludi, etsi laicis aliquando permissi sint, virtutis enim causa fiūt, & corporis agilitas, in his versatur; habita tamen ratione ad clericos & monachos, quos à secularibus rebus remotos esse oportet, ob honoris dignitatem, & grauitatem ab his abstinere, vel saltem secreto, & in suis ædibus hæc facere debent. vt ait, *Abb in c. cum decorem de vita, & honest. cler.* *Viuius in sua Sylua opin.* 467. Idem dicendum est de ludo niuis, qui est noxius, & à religioso, & clericali statu omnino alienus. Ideo si quis clericum percutiat, & sanguis exeat, incidit in excommunicationem canonis, si quis suadente Diabolo, 17. *q.* 4. vt ait, *Calder. cons.* 39. *Tusch. v. ludus. concl.* 457. *& Vgol. de off. Episcopi. c.* 13. §. 26. Quod tamen non approbo, si quidem vt illa censura afficiatur, requiritur, vt fiat suadente Diabolo, i. vt adsit animus iniuriam inferendi, nam si quis iocosa leuitate clericum percutiat, ab ea excusatur *c.* 1. *de sent. excom.* Propterea resoluo Albertum huiusmodi pilæ palmariæ ludo se tunc exercēdo, à lethali peccato, remoto scandalo, excusari posse, nec fracti ieiunij, quò ad præceptum reum factū esse, modo hoc bona fide, nec in fraudem ipsius ieiunij hoc factum sit; cum remote, ac per accidens hoc euenerit, &c. vt *Medina in instruct. confess lib.* 1. *cap.* 14. *Bonac. de legibus, d.* 2. *quæst.* 8. *pu.* 1. *num.* 16.

QVAESTIO LXXV.

Vtrum pactum de permanendo semper in communione valeat, An transactio calculi errore facta valeat, & læsus in integrum restitui possit, Num testamentum fratris, in quo alter frater præteritus est, & turpis persona instituta, valeat.

DEmetrius, & Ascanius fratres cum pactum inijssent, vt post mortem patris se nunquam diuiderent, sed in societate, ac communione semper permanerent; nunc quibusdam ex causis, quæ sibi iustæ videntur, paternam hæreditatem, ac patrimonium partiri volunt, At cum Lucius pater in publico gymnasio ipsum Ascanium alendo, sustentando, in libris emendis, & Doctoratus Laurea insigniendo, multos sumptus fecerit, & ipse Ascanius non paruam pecuniæ quantitatem in ludo consumpserit, & lis verteretur, an hęc omnia essent in partitionem cū fratre adducenda, adiurgia, discordias, ac litium molestias euitandas, cuiusdam Iureconsulti consilio, inter se transegerunt, quam transactionem iuramenti religione confirmarunt, Cum vero in conficiēdis rationibus calculorū error interuenerit, quatuor nunc potissimum quęruntur. Primo an pactum de permanendo semper in communione valeat. Secundo an transactio facta, in foro conscientiæ subsistat. Tertio an error calculi à Demetrio in partitione, & compositione læso, opponi possit. Quarto cum Demetrius ex hac vita decesserit, & Quintilianum suum socium aleatorem, & pessimi criminis infamia laborantem, Ascanio fratre præterito hæredem instituerit, petit an inofficiosi testamenti querelā erga ipsum habeat, vnde Quæritur pariter quid ei respondere debeat Confessarius.

PRIMVM SVPPOSITVM.

REsp. cum vera docendi, & addiscendi ratio sit assertæ veritatis fundamenta capere, & res ad sua principia referre. Suppono Primo è re maxime esse, si fratres quantum fieri potest, simul habitent, & vnam rem, domumque vnam, vnà conseruent. Quæ res non modo ad retinendam concordiā faciet, sed etiam ad patrimonium amplificandum conferet; tunc enim vnicum vnius familiæ corpus duos oculos, duas manus, duos pedes, duos custodes, & rectores duos habebit: quod corpus sine altero fratre mancum, mutilatum, ac claudum foret. Ei qui fratre caret (qui dicitur fere alter, & cuius amor omnis beneuolentiæ idea est.) seruos, & mercenarios interdum adsciscere necesse est, quorum rara est fides, diligētia, & leuis cura; siquidem mercenario non est cura de ouibus. Vna domus, vnus focus, vnū lumen, vni familiæ satis sunt, duobus vero nequaquam. Denique multa, & maxima ręs domestica ex hac vnione, vt ipsa experiētia docet, commoda percipit: quæ enim domus etiam florentissima ex patrimonij diuisione nō est imminuta, ac dissipata? Hoc intellexerunt prudētes Legislatores, qui rei domesticæ diuisionem sanctissimis legibus prohibuerunt. Vbi vero talis lex non viget, testatores fere omnes, quantum possunt prohibent, ne res auita à propria familia ad aliam transferatur. Vt enim vires congregatæ crescunt, disiunctæ dilabuntur, pariter, & opes; iuxta illud, Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Hinc antiqui Sapientes è republica esse putarunt, familiarum splendorē posteris conseruare, vt à maioribus bene gestorum memoria, cum nomine, & bonis in perpetuum superstes, ad virtutis imitationem, & actionem impelleret, vt Themistoclem dixisse ferunt, Meltiadis trophea sibi somnum adimere. Quod & considerarunt, cum saniori consilio statuerunt, vt hæreditates ad masculos confluerent; siquidem fœminæ, & ex illis nati in alienas familias transeunt, cum filij non matrum, sed patrum familiam sequantur, secundum illud Euripidis apud *Stob. serm.* 71. *&* 75. aliàs à nobis vsurpatum.

Mulier enim egressa paternam domum,
Non amplius parentum est, sed mariti.

Ideo pleraque Italiæ statuta, & aliorum locorũ, fœminas ab intestati successione reijciunt, ne alienigenæ defunctorum bona possideant, neue maiorum lumen extinguatur. *Fuschus in singul. v. fœmina. nu. 23.* Quandoquidem humana fœlicitas, ac nobilitas opibus indigent, nec facile res præclaras aget is, cui facultates deficiunt, vt non absque ratione facultates à nonnullis ita dictæ putentur, quod rerum omnium facultatem, ac veluti quandam facilitatẽ præbeant. Quippe vt ille cecinit,

Et genus, & uirtus nisi cum re uilior alga est.

Et sane diuitiæ sana conscientia partæ operãtur, vt familiarũ honestas, & nobilitas conseruetur, quæ ob inopiam perire solent. Imo nobilibus egestate sordescẽtibus, vita supplicium, mors vero solatium existit. *Rom. conf. 411. Tusch. v. diuitiæ cõcl. 544. & v. pecunia concl. 198. Menoch. l. 2. conf. 116. nu. 2. Tiraq. de nobilit. cap. 4.* Vt propterea illicitum non sit diuitias honesta ratione partas obtinere, vt vitæ necessitatibus pro status conditione opportune consulatur. *Tholos. in Syntag. in l. 45. cap. 13. nu. 4. Bellar. tom. 3. de bono opere cito.* Hinc *Gulielmus à Monte Laud. in Clem. 1.* ait, omnes diuites Principes dici posse, ita ut dispositio d. Clemẽtinæ de Principibus loquens, etiam in diuitibus locũ suo modo habeat, siquidem ex sententia Sapientis *Eccles. c. 10.* Pecuniæ obediunt omnia. vt late prosequitur. *Tiraq. de nobilit. cap. 3.* Imo aliqui vt *Henriquez de matrim. lib. 12. c. 3.* tenet dispositionẽ *Conc. Trid. sess. 24. de matrim. c. 5.* vt in 2. gradu consanguinitatis non nisi inter magnos Principes dispensetur, ad viros opulentos extendit, eo quod larga significatione Principes appellentur. (Quæ tamen interpretatio non placet vt per *Sanchez 8. de mat. d. 19. nu. 2. Gutierez cap. 128. Ricc. 3. p. decis. cur. Neap. decis. 17.*)

Quod si qua ex cõi habitatione oritur dissensionis causa, non propterea statim hæc fraterna societas q̃ tanti facienda est, dissoluenda erit, sed idonea remedia inuenire necesse est, quibus discordiæ si quæ suboriantur, tollantur. De quare ex professo egimus in *Comment. de hum. vita Hab. par. 2.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

Vnde secundo præmittendum est, Neminem inuitum cogi manere in cõmunione, & multo minus ad cõmunionem ineundam compelli posse, *l. si non sortem. §. si certum. ff. de condit. indeb.* Quod procedit etiamsi pactum esset appositum de stando in communione perpetua, nam non obstante tali conuentione, à communione recedi potest. Licet enim aliàs pacta seruanda sint, vt sunt verba Prætoris, in *l. iuris gentium §. Prætor ait. ff. de pactis.* Pacta conuenta, quæ neque dolo malo, neque aduersus Leges, Plebiscita, Senatus Consulta, Edicta, Decreta Principum, neque quò fraus cuiquam eorum fiat, facta erunt, seruabo. Quæ verba prius de ore Dei processisse, inquit, *Bald. in rub. de Constitut. Neuizan. conf. 11. Tusch. v. pactum. T concl. 3. holos. l. 21. c. 3. nu. 7.* Vbi aiunt, rumpere pacta non solum apud ius commune, tàm ciuile, quàm canonicum, sed etiam apud Deum graue esse delictum. Quid enim est tàm cõgruum humanæ fidei, quàm ea quæ inter homines placuere, seruare? Nihilominus quia illud pactum de perpetua communione seruanda contra publicam vtilitatem tendit, non valet, etiãsi iuramento sit vallatum, quia adhuc partes illud obseruare non tenentur, licet contrauenientes periuri efficiantur: sicut dicimus de iurante se testamẽtum non reuocaturum, nam valida, & licita est reuocatio, quamquam illud retractans nisi à Superiore relaxetur, periurij peccato delinquat. vt per *Alex. de communi testantem. uol. 2. conf. 18. Tusch. v. communio. concl. 805. num. 12. & in v. Testator. concl. 151. Vasq. de test. dub. 2. & 3. Menoch. Val. ii. cõs. 1093. Molfes. tr. 13. c. 2. n. 153.* Etsi hæc sententia aliquib. Iuristis displiceat. vt per *Oinot in instit. ciuil. tit. de act. com. diuid. n. 19. & Feliciũ de socie. c. 39. n. 72.*

Ampliant hanc positionem. DD. vt nec præscriptione, nec Testatoris præcepto, communio perpetua induci possit, reipublicæ enim interest, ne inter subditos simultates, iurgia, & lites oriãtur. Vnde olim Aegyptij hominem ex ciuilibus seditionibus, & tumultuosis discordijs re auctum significantes, eum in anguillarum venatione occupatum effingebant, aqua si quidem quieta, & limpida, earum captura nulla propemodum est, magna vero si perturbetur. *Pier. l. 29.* Et certum est, ipsam communionem esse discordiæ matrem. *l. cũ pater. §. dulcissimis. ff. de leg. 2. lib. 2. C. quando, & quibus quarta pars. debeatur. lib. 10.* Vbi dicitur, Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur, vt quis se nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur; denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ: sicut & dici solet,

Segnius expediunt commissa negotia plures.

Hinc Philosophus. *l. 3. Polit.* Platonis politiam reprobat, qui in rerum omnium communione rempublicãm bene ordinatam fore censebat. *Oinot. l. c. Tusch. v. communio concl. 805. & seq. & v. diuisio. cõcl. 652. Marta. de claus. p. 1. claus. 18.* Vnde infert. *Bart. in l. si conuenerit. ff. pro socio,* quod si testator in testamẽto ponit, ne fratres diuidant, intelligitur sub conditione, nisi sibi odiosi, rixosi, & molesti existant, & nisi delinquendi materia, & occasio suboriatur. Et iura maxime in continenda, ac cõseruanda fratrum concordia laborant, ac multa eius gratia constituerunt, præsertim ad ius æqualitatis post mortem

mortem patris collatione bonorum inducta, & sustinetur dispositis volũtas, quæ ad discordias propinquorum quæ succrescere possunt sedandas pertinet, atque ita concordiam lucro præferre oportet. vt ait. *Tholos. lib. 41. cap. 4. nu. 17.*

TERTIVM SVPPOSITVM.

Tertio Suppono, transactionem esse cõuentionem de re dubia, & lite incerta, non gratuito factam, proprie enim trãsactio appellatur, cum aliquo dato, vel recepto, timore præsentis, vel futuri iudicij, in re dubia conuentum, decisumue est. *lib. 1. ff. de transact. & l. 1. C. eodem. tit. Abb. in Rub. ext. eodem.* Et dicitur transactio quasi transitio actionis, quia is qui transigit, actor nimirum, vel reus, ab actione quæ sibi competebat, recedit, & in alia re conuenit. Ad quam tria necessario requiruntur. Primum vt res super quam transigitur, sit dubia, saltem probabili existimatione vtriusque partis, aliàs namque iniuria inferretur parti clarũ ius habenti, quæ non componere transigendo, sed vexationem redimere censeretur. Etsi constaret rem de qua cõrouertitur, alterius esse, non solum in conscientia, sed etiam in foro externo inualida esset transactio. Secundum est vt conuentio fit cum aliquo vtriusq; partis onere, alioqui non transactio, sed donatio esset. Tertium est, vt sit in ordine ad litem componẽdam, vel dirimendam, non tamen necesse est litem motam esse, sed satis est cõtrouersiam circam illam suboriri. *Molina tract. 2. disp. 516. Rebellus par. 2. de obligat. iust. lib. 42. Reginal. l. 23. num. 148. Tusch. v. transactio concl. 345. Fillinc. tr. 39. cap. 8. Tholos. in syntag. in. l. 28. c. 2.* Et obseruant DD. communiter transactionem esse speciem alienationis, ideo quatenus de rebus immobilibus ecclesiæ, vel minoris fit, eandẽ solemnitatẽ in ea requiri, quæ in eorũdem alienatione exigitur. Idem *Tusch l. c. & in v. alienatio. concl. 261.* Vbi ait, quod prohibitus alienare, prout est emphyteuta, prohibetur compromittere, & transigere, quia laudum est transactio, quando aliquid hinc inde disponitur, vel ex ea aliquid dati statuitur. Aliqui etiam casus ab eis recensentur, in quibus alienatione prohibita transactio valida sit, vt si ad tollendas lites, & grauia damna authoritate supremi Principis consumetur, ac perficiatur; vel si statuto, aut Iudicis sñia, ea esset necessaria, prohibitio namque in alienatione quæ voluntaria sit intelligitur; seu etiam si in ipsa trãsactione, & compromisso omnes consentiant, in quorum fauorem prohibita est alienatio, & vbi solemnitas requiritur, ea etiam adsit in rebus, vt dixi, minorum, & ecclesiæ. *Mol. d. 557. & Fillinc. l. c. cap. 9.*

QVARTVM SVPPOSITVM.

Vnde, & quarto loco præmittendum videtur errore calculi sententiam non vitiari, vt proinde eo admisso, & deprehenso, rationes, & cõputa iterum confici, & reuideri debeant. Et huiusmodi erroris retractatio, etiam post longum tempus peti potest, ac etiam opponi, postquam partes confecto calculo transegerunt, seque mutuis stipulationibus liberarunt: nam etiam sæpius computatæ rationes comperto errore retractari possunt, neque vetitati appositum iuramẽtum obstare valet. *Rota Auenion. in decis. diuers. decis. 124. Riccius in collect. decis. collect. 1149. Malvat. cons. 111. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 252. Arisminus de errore calculi. tit. 152. Ruin. lib. 4. cons. 71. Paris. cons. 13. Cephal. cons. 506. Decius cons. 349. Tusch. in v. Error calculi cõcl. 314.* contra *Iason in l. 1. C. de errore calculi, & Roland. à Valle vol. 1. cons. 49.* Atque huc cõfert *l. in omnibus. ff. de act. & obligat.* Quod in omni contractu siue sit bonæ fidei, siue stricti iuris, si contrahentes errauerint, gestum non valet, quia errantis nullus est consensus. *l. nihil §. non uidentur,* vbi, *Cagnol. & Dec. ff. de reg. iur.* Et vt ait, *Ioseph. Lud. in decis. Lucen. decis. 44.* Veritas omnibus præualet, omnia vincit, & in æternum viuit, eamque sequi debemus, nec mutatur ex gestorum erroribus; & est attendenda non obstante quacumque confessione in contrarium facta. Error autem probatus dicitur, vbicunque rem aliter se habere constat, præsertim si de damno vitando agatur. *Mar. Anton. l. 3. resol. 21. Felicius de societ. cap. 40.*

RESOLVTIO CASVS, ac quæstionum.

I. Q. DECISIO.

His sic suppositis, ad Primam quęstionem, qua quęrebatur, an pactum à Demetrio, & Ascanio de stando semper in communione valeat, ita vt numquam possit fieri diuisio, ex præuijs inspectionibus, & suppositis supra allatis, dico breuiter tale pactum non valere, quando alter frater esset rixosus, & discordiarũ materia subministraretur; cũ reipub. interest ne inter subditos, & præsertim ne inter fratres discordiæ vigeant. Nam si quando si multas inter fratres inciderit, ea quàm vulgarium inimicorum atrocior esse solet. Qua de re extat adagium, quod ab Aristotele. *lib. 7. Polit.* commemoratur, Acerba bella fratrum. Suppetunt abunde multa ex Historicis exempla, ut Cain, & Abel; Romuli, & Romi; Iacob, & Esau; Eteoclis, & Polynicis, qui mutuis vulneribus se confecerunt, ex quorum corporibus vna concrematis nascentes flammæ sese, vt scribitur

dit ur dissociarunt. *Carbo. de concord. fraternac.* 3. *vt etiā nos retulimus in coment. de statib.p.2.c.22.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico, transactionem illam inter Ascanium, & Demetrium fratres initā ratam, ac validam esse, cum supra dixerimus transactionem de re dubia, aliquo dato, in vtroque foro iure valere. Et apud Doctores valde controuersum sit, an expensæ factæ in studio, nummi amissi in ludo, & libri à patre traditi illo defuncto sint cū alijs fratribus in diuisione conferendi, alij enim aiunt, alij negant, ita vt huius disquisitionis veritas difficile hauriri possit; & in dubio illa opinio sit tenenda, per quam fratres ad æqualitatem, & concordiam inter eos fouendam amotis litibus reducatur. *Menoch.l.2.de arbit.iud. casu.*131. *Felic.de societ.cap.*26.*&* 27.*Tusch.v.libri concl.*349.*Bonac. de contr.d.*3.*q.*6.*puncto* 6.§.1. *Ioseph. Lud.decis.*29. *Oinot.in instit.ciuil.de actione fam.bercisc tit.*6.*nu.* 48.*& seq. Molina tract.*2.*disp.*239. *Vasquez in opusc.de testam.c.*7.§.5.*dub.*7.*&* 8. Et sane neminē latet, lites tanquam execrandas, & perniciosas maxime inter consanguineos esse fugiendas: illæ namque omnium malorum seminarium sūt, etsi bene perspiciamus, nullum propemodum est delictum, quod ex litigio non oriatur, ita ut etiam Dio Prusiens. dixerit, lites esse bellum sempiternum inter homines, quod perpetuo inter se gerunt, nullis conditionibus, aut fœderibus dirimendum; ac vere dictum videatur, satis lucrari eum, qui à lite discesserit: & prudenter vir quidam in lite decem millium ducatorū cesserit, ne, vt dicebat, sibi, & aduersario, litigando, duram, & acerbam vitam fabricaret. Præserrim quod multi res suas non iure cœli, sed iure fori metiūtur, ita vt ex D. Ambrosij sententia, dum rebus suis metuunt, religionis, ac fidei obliuiscantur; ac proinde commendanda sit transactio, per quam tot malis aditus præcluditur. *Tuschus.in v. lites concl.*384.*Tholos.in syntag.in.l.*46.*c.*1.*Iustin. in Tob.cap.*9.*uers.*7.*in docum.Consule quæ diximus in comment.de hum.uita stat.p.*2.*c.*5.*& alibi.*

III. Q. RESOLVTIO.

TErtiam quæstionem pariter ex suppositis sic resoluendā ducimus, errorem calculi à Demetrio in partitione, & transactione læso semper opponi posse, etiamsi iuramentum appositum esset; nam licet Iuris consultorum regula sit, diuisionem semel factam retractari non debere, sed tantum res, quæ indiuisæ remanserunt, partiendas esse. *l.si maior.C.com.diuid.l.*4.§.*hoc iudicium.ff.eodem.* Fallit tamen si hæc diuisio ex falsa causa, & per errorem facta sit, quia vbi error est, ibi non est consensus. Et nullius valoris esse ea, quæ ex falsa causa geruntur, late comprobat. *Menoch.cons.*91 *nu.*40.vbi *nu.*43. *&* 52. addit etiam iuramentum ex falsa causa præstitum vitiari. Ac siue sit error facti, siue iuris, non nocere, quando, prout in diuisione euenit, de damno vitando agitur. *arg.l.si soror.C.de collat. & l.maioribus.C.comm.utriusque iud.* vbi etiam maioribus subuenitur, si perperam per fraudem diuisio facta fuerit. Et semper diuisio retractatur, cognito quod plus ad vnum, quàm ad alterum peruenerit, quia in bonæ fidei iudicijs, quod inæqualiter factū esse constiterit, in melius reformandum est. *Decius. cons.* 349.*&* 408. Vbi latissime probat etiam iuramentum appositum non tollere errorem, neq; facti ignorantiam, Imo *Ant.Galeac.Malu.cons.*111.*& Tusch. v.error calculi nu.*41.*& Gratian. in Discept. Forens. tom.*1.*c.*324. tenent quod non requiratur absolutio à iuramento, quia errans periurus dici non potest. Licet hæc sententia in praxi non recipiatur, cū relaxatio à iuramēto peti soleat. *Castrens.cons.*122. *l.*2. qui considerat, quod etsi tale iuramentum ipso iure obligaret, nihilominus absolutio perēda esset, quia licet sit obseruandum, quando ab vtraq; parte, sine peccati labe custodiri potest, hoc tamen non procedit, quando iniustitiam contineret, cum iuramentum iniquitatis vinculum esse non debeat. *cap. inter cætera.*22.*q.*4. Quam sententiam tenet etiam *Ruinus cons.*167. *Beccius cons.*90. *Felic. de societ. num.*21. Sic in simili dicimus errorem personæ iure naturæ matrimonium vitiare, cum circa ipsius substantiam versetur, & error in hoc libertatem, & consensum auferat, & errātis, vt diximus, sit nullus consensus; errare enim est falsum pro vero approbare, & aliud pro alio putare. *gloss.in Clem.*1.*in v. ex certa scientia.tit.de iud.l.si per errorem ff.de iurisd.omnium iud.l.cum testamētum.C.de iur. & facti ignor. Gutierez de matr.c.*89. *Bonac.q.*3.*p.*2. *Sanchez l.*7. *disp.*18. Nec iuramentum insertum illud validum redderet, siquidem iusiurandum regitur secundum naturam contractus, cui apponitur; nec iuramētum circa ignorata consensum addit. *Tusch.v.iuramentum.concl.*505.*& seq. & in v.consensus. concl.*754. Et quamuis cætera sacramenta ex personæ errore irrita non sint, ut si quis baptizet, confirmet, vngat, absoluat, sacris ordinibus initiet, Petrum, existimās esse Ioannem: attamen hoc discrimen agnoscitur, quod matrimonium indiuiduas personarum cōtrahentium conditiones respicit, & iuxta illas consensus determinatur; in cæteris autem sacramentis indiuiduæ recipientium cōditiones non expectantur, utpote quæ nihil ad sacramenti finem conferunt. Idemque est in alijs, extra coniugium, humanis cōtractibus, quorum iustitia commutatiua solū æqualitatem inter rem, & pretium, & rei venalis vsum respicit,

respicit, ac proinde nihil error in persona venditoris, ac emptoris officit, dummodo pretij æqualitas, & eiusdem commoditas seruentur. *Sanchez, & Gutierez l.c.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. quæstionem respondēdo dico, Ascanio querelā inofficiosi testamēti aduersus Quintilianum, tāquam turpem personam institutam, cōpetere: ad ipsam enim querelam intentandam satis est hæredem scriptum turpem esse, vel leuis notæ macula aspergi, quāuis infamis de iure non esset. vt habetur. in *l. fratres. C. de inoff. testamento. Castrēs. lib. 2. consf.* 385. Nam licet frater, & soror possint de bonis suis libere testari, & quem voluerint, hæredē instituere; absque eo quod fratribus, uel sororibus legitimam, vel aliquid aliud relinquere teneantur; hoc tamen intelligitur, dum turpis persona hæres non instituatur. *Bald. l. 3. consf. 232. Tusch. v. frater. concl.* 454. *& in v. legitima concl.* 182. *nu.* 33. *Pereg. de fideicomm. art.* 36. Aleatores vero publicos, & nefandi vitij perpetratores, turpes personas esse, ex aliās à nobis traditis constat, præsertim. *tract.* 9. *c.* 11. *q.* 34. dum diximus, eos infamiæ notam subire. *Tholos.* 139. *syntag. iu. cap.* 3. Vbi etiam scribit eos nec ordinibus initiari, nec ecclesiasticum beneficiū assequi posse. *Apost. ad Decium. consf.* 90. *Tusch. v. Sodomiticum crimen. cōcl.* 316. *Tol l.* 1. *c.* 74. *Sayrus. l.* 7. *de Irregul. c.* 11. *nu.* 22. Vbi aiūnt, Sodomitam notorium intestabilem, & irregularem esse.

Hinc non leuis apud sapientes dubitatio insurgit, an Demetrius in statu salutis decesserit, cū tàm impie fratrem sine causa in sua dispositione prætermiuit, est enīm inofficiosum testamentum, quod cōtra pietatis officium factū est. *l.* 2. *C. de inoff. testam.* Quare, vt alibi dixi, ingeniose, & uere à Sotione pronuntiatum fuit, eos qui fratribus relictis alios amicos quærunt, eis esse persimiles, qui suum rus incultum sinunt, & alienū colunt, quo quid stultius, quid ineptius excogitari potest? Et merito Euripides dixit; Quem natura alicui coniunxit, is nullo modo alienus fieri potest. Hucque spectat Quintiliani locus *Declam* 321. qui de fratricidio loquens sic ait, Equidem Iudices admirari me confiteor, aut constitutas esse tantis de sceleribus pœnas, aut ullos inueniri potuisse mortalium, in quos cadetet ista suspicio: fratrem suum potuit aliquis occidere? Non obstitit tacita natura? non sanguinis ius? non sceleribus manus suas obiecit, quæcunque est illa, quæ creditur esse pietas fratrem occisuro? Non succurrit communis uterus? Non eadem causa vitæ? Non una primordia? Non illa consuetudo, quæ alienos etiam, ac nulla necessitudine inter se coniunctos cōponere, & astringere affectibus potest? Consuetudo actæ pariter infantiæ, pueritię studia, lusus, tristitia, ioci. Nam quid est aliud fraternitas, quàm unitas spiritus? hæc ille. Obseruant autem DD. adhoc ut fratri querela inofficiosi testamenti competat, tria copulatiue requiri. Primo ut eam proponens sit utrinque coniunctus, uel ad minus consanguineus, i. ex eodem patre natus non autem uterinus. Secūdo ut turpis persona sit instituta, ut sunt usurarij, infames, lusores, ebriosi, sodomitæ, & huiusmodi. Tertio ut sint ex legitimo matrimonio nati, adeo ut per Principis rescriptum legitimatus, fratris testamentum impugnare non ualeat, ut per *Ias. in d. l. fratres, & Oinot. in* §. 1. *instit. ciuil. eodem tit.* Item aduertunt, ex tribus causis fratrem ab alio fratre præteriri, & hæreditate priuari posse, etiamsi turpis persona instituta sit, Primo si testatoris fratris mortem procurauit. Secundo si criminalem accusationem contra eum induxit. Tertio si suæ substantiæ, iacturam inferre properauit. Et ad hæredem ingratitudinis causam probare spectat. vt tradit idem *Oinot.* §. 1. *tit. de ex hæredat. liber.* Nam cum ingratitudo sit immane crimen, non præsumitur, nisi plene, & clare probetur. *Mascard. de probat. uol.* 2. *con. cl.* 897. *Menoch. l.* 10. *de præsumpt. præsumpt.* 4. *Tholos. lib.* 44. *syntag. iur. cap.* 3.

QVAESTIO LXXVI.

An qui comœdijs interfuit, & laruatus cum meretricibus, diebus Bacchanalibus turpiter loquendo conuersatus est m. p. Num qui cum Equite Commendatario lusit, & lucratus est, acquisitum restituere teneatur. An meretrices quæ per tres annos non sunt confessæ, in excommunicationem inciderint, & qui cum eis sic affectis conuersati sunt, an aliquam censuram contraxerint?

GAspar adolescens tempore, ut dicunt, Bacchanalium, uel carnis priuij, ex patrio more personatus in vrbe incedere solet, & aliquando ad parum honestas comœdias accedere; ac insuper cum socio Equite Commendatario, etsi intentione non delinquendi, recreandi animi causa, meretricum domos ingredi, & ibi aleis ludere, choreas ducere, & sermones aliqua turpitudine aspersos admiscere. Cum autem ipsæ meretrices, præterito Paschate ab Episcopo excommunicatæ, & denūtiatæ sint, quia confessionis, & communionis præcepta per plures annos transgressæ sunt, nunc tria potissimum quæruntur. Primo an Gaspar qui sic laruatus incessit, comædijs huiusmodi interfuit, & cum meretricibus tàm turpiter loquendo, aleis ludendo, & choreas ducendo, conuersatus est, culpam lethalem contraxerit, & acquisitum Commendatario in ludo restituere teneatur? Secundo nùm meretrices ob omissam

missam per tres annos confessionem,& communionem ab Episcopo excommunicationis censura percelli potuerint. Tertio an cum eisdem excommunicatione innodatis sic agendo in aliquam censuram Gaspar inciderit?

SVPPOSITA, & prænotiones.

PRIMVM SVPPOSITVM.

RESP. Supponẽdum est Primo, laruarum exercitium, choreas, & comœdias inter ludorum genera connumerari, qui ex sui natura, ut Theologi loquuntur, indifferentes sunt; imo actum uirtutis esse posse, si cũ debitis circunstantijs fiant: vt quod Primo recreãdi animi causa, cũ bona, & recta intẽtione assumãtur. Secundo, loco, tẽpori, ac personis congruant. Tertio quod delectatio, uel uoluptas in operibus, seu uerbis turpibus, & animæ noxijs non quæratur, *arg. D. Thom. 22. q. 168 art. 2.* Vnde si laruarum ludus, chorea, uel comœdia, aliqua malitia uel prauitate affecta sint, hoc est per accidens, de quo non solet haberi ratio, iuxta illud,

Non res in uitium, sed malefacta cadunt.

vt scriptum reliquimus *in Comment. de hum. uita stat. p. 2. cap. 14.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo Suppono multa in iure circa meretrices tradi, quod est uile, ac turpissimum genus mulierum; & utinam tàm multæ in christianæ reipub. ciuitatibus non essent; ubi tamen ad maiora mala euitanda, & auertenda, permissiue tolerantur: ita ut cum sui corporis copiam faciunt, pro uoluptate, quam uiri de his capiunt, mercedem recipere possint. Necesse est enim ut eueniant scandala, uerumtamen uæ homini illi, per quem scandalum uenit. *Matth. c. 18. c. nerui. dist. 13. Cou. p. 1. de sponsc. c. 4. Graff. l. 2. decis. aur. c. 124. Tusch. v. meretrix. concl. 211.* Cæterũ hæ etsi in lupanari degant, ad usum sui corporis præstandum cogi nõ possunt, nam non modo lethale crimen perpetratur ad publicas meretrices toties quoties accedere: uerum etiam ad fornicationem eas inducere; & quamuis paratę sint inuitare; quia hic & nunc ad actum malum cooperatio datur. Idem *Cou. l. 3. uar. resol. cap. 14. nu. 2. & Menoch. de arbit. iud. cent. 6. casu. 535. nu. 18. Farinac. in praxi crim. tit. de delict. car. q. 145. num. 188.* Vbi addunt ex ueriori, & receptiori sententia, tali mulieri uim inferentem libidinis causa, extraordinaria pœna, Iudicis arbitrio puniri debere. Quò fit, ut apud christianos in ciuitatibus, & oppidis degentes, in quibus aliquando conciones fiunt, pueri in christiana doctrina instituuntur, Episcoporum uisitationes frequentantur, & cognitio rerum ad fidem pertinentium traditur, de fornicationis peccato ignorantia inuincibilis etiam in mulieribus, ac meretricibus expositis dari nequeat. vt ait *Azor. p. 1. l. 1. c. 13. q. 1. & tom. 3. l. 3. cap. 4. q. 1.* quidquid dicere uideatur *Filliuc. tract. 3. c. 2. q. 7.*

Et quoniam sæpe à Iuristis in controuersiam uocari solet, quæ meretrix dicatur, & hæc meretricia, infamisq; inhonestas, regulariter non præsumitur, ab asserentibus probari debet.

Et quidẽ Primo ꝓbabitur, si Iudici planum fiat eas palam, & passim, & sine delectu etiam sine pecunia se prostituere. Secundo ex turpi tactu, uel etiam colloquio cum pluribus, etiamsi venereus concubitus non sequatur; quod noctu ianuam domus ad eam intrantibus aperiat, & iuuenes dertideat; quod scholastici ad eam ingrediantur, & solam alloquantur. Tertio ex habitu, & cultu corporis meretricia prauitas pręsumitur, cum ex Sapientis enũtiato, Amictus corporis, risus dentium, & incessus hominis enuntient de homine. *Eccl. c. 19.* Vera autem præsumptio de ea capitur, si in lupanari resideat, seu in eo loco habitet, in quo aliæ meretrices uersari solent. vt per *Mascard. de probat. in v. meretrix. concl. 163. Tholosan. in syntag iur. lib. 10. cap. 2.* Vtrum uero qui meretrici domum in lupanario sitam, uel etiam extra illud locat, non ignorans ipsam meretriciam artem exercere peccet. videatur *Aegidius, de iure, & priuileg. honest. art. 8. Sanchez. lib. 1. de praecept. cap. 7. nu. 20. Beia p. 1. resp. casu. 27.*

TERTIVM SVPPOSITVM.

TErtio obseruandum, in *c. omnis utriusque sexus ext. de pœnit. & remiss.* Duo præcepta separatim contineri nempe præceptũ de semel in anno confitendo, ad nullum certum tempus restrictũ, cum quolibet anni tempore adimpleri possit, & mãdatum cõmunionis ad certum tempus limitatum sit nempe tempore Paschatis exequendum. Quamuis iam in vniuersa ecclesia cum ingenti animarum fructu mos ille salutaris obseruetur, sacro illo, & maxime acceptabili Quadragesimę tempore confitendi. Quem usum, S. *Tridentina Synodus sess. 14. cap. 5.* tanquam pium, & merito retinendum ualde probat, ac amplectitur, vt propterea hodie annuæ confessionis, seu anni, quo quis sua peccata confiteri debet initium, non à postrema confessione, sed à tempore Paschatis sumendum sit. *Comit. l. 1. quæst. 15.* Vnde & Curatis necessitas imponitur eorum nomina in scriptis Prælatis tradendi, qui in Quadragesima, uel in Paschate confessi non fuerint, nec sacram Eucharestiam sumpserint; quos propterea locorum Ordinarij nõ solum pecuniaria plectunt pœna, sed

na, sed etiam excommunicationis censura feriunt, ut inquit, *Ioannes Medina. C. de confess. q. 14. de confess. semel in ann. agen.* An autem tales excommunicationes meretrices afficiant, quæ nec confessionis, nec communionis præceptum non impleuerunt à nonnullis dubitari solet, cuius difficultatis resolutio infra statuetur.

RESOLVTIO CASVS, & quæstionum.

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic suppositis, ad casus, & quæstionum resolutionem deueniendo, dico Primo Gasparem qui personatus in domum meretricis, ut se turpiloquio oblectaret, se contulit, à lethali culpa non excusari, si quidem, ut alibi docuimus, turpiloquiū siut Theologi loquuntur, fiat animo delectandi rebus ipsis narratis, & imaginationi obiectis, tāquam præsentibus, mortiferum est peccatum, sicut & ipsa delectatio morosa, cuius causa fit. Similiter si animo excitandi se, uel alios ad turpia, uel cum periculo in illa consentiendi, etiamsi talis intētio desit, *Lessius. l. 4. c. 3. dub. 8. nu. 63. Sanchez. l. 9. de matr. disp. 46. nu. 32. Bonac. cum communi. de matr. disp. 4. p. 9. nu. 18. Fillinc. tract. 30. cap. 10. num. 208.*

Sicut etiam laruarum ludus, etsi cum uirtute coniunctus esse possit, si, ut dixi, recreandi animi causa honeste assumeretur: in aliquibus tamen casibus non solum uenialis, sed etiam mortifera culpa esse posset. Primo si intentione inducendi aliquem ad mortale peccatum fieret, cuius enim finis malus est, ipsum quoque malum est, ut tradit. *Nau. in cap. cum minister. 23. quæst. 5. & in Man. cap. 14. num. 35.*

Secundo quando quis sciret, aut scire deberet, propter eius laruatum incessum, aliquem scandali, uel offensionis ansam arrepturum. ut per *Ang. Syl. & Tab. in v. scandalum.* Vt si grauis Sacerdos, & multo magis Prælatus, & religiosus professus, personatus per urbem, populo aduertēte, Bacchanalib. diebus incederet; habitu namque perridiculo, & summe indecoro, factorum ordinum, quorum instituta sequi debent, sanctitati, & dignitati, ac Dei Optimi Maximi, & Sanctorum gloriæ insignem contumeliam irrogarēt. *Vinaldus. in cand. aureo. p. 3. c. 18. tit. de laruarum ludo. Lessius. l. 4. c. 4. dub. 13. num. 98. Comitulus in responsi. mor. l. 6. quæst. 8.*

Tertio quando qui personatus procedit, periculo mortiferam noxam contrahendi se exponeret, nam qui amat periculum, peribit in illo. *Eccles. c. 23. Caiet. & Armilla in v. periculum. Nau. cap. 14. num. 26.* Cum certissimum sit, opus in se indifferens, aut ueniale, in mortale transire, si operans ita proximæ occasioni exponatur, ut eū in morali, ac proximo peccandi mortaliter periculo se constituat: tunc autem hoc contingere potest; Quando ex suo genere occasio talis est, ut frequenter similis conditionis homines ad peccatum mortale inducat, uel experimento constet, in hoc homine talem effectum habere. Atq; in hoc probabili lethaliter delinquendi periculo attendæ sunt circunstantiæ illius peccati, cuius periculo se obtulit; eiusdem enim malitiæ est, in morali discrimine perpetrandi alicuius criminis se constituere, atque illud committere, cum eodem præcepto, quo quis crimen uitare tenetur, ad proximum quoque illius periculum uitandum obligetur. *Suarez. tom. 5. de cens. disp. 18. sect. 3. num. 16. Sanchez. de præcept. lib. 1. cap. 8.*

Quò ad comœdias quibus ipse Gaspar interfuit, dico pariter, quod si comœdiæ turpia repræsentent, lethali culpa animam sauciauit, si cum delectatione rerum relatarum, uel cū periculo morosæ delectationis, uel alterius peccati grauis eis adfuit. Secus esset dicendum, quando ob solam uanam curiositatem, absque probabili periculo in aliquod mortale peccatum labendi, eas audiuisset, uel interfuisset. *Sanchez. & Bonac. l. c. Corrad. in resp. cas. consc. q. 195. Fillinc. d. tr. 30. c. 10. nu. 210.* De qua re ex professo egimus in supra citato *Comment. de hum. nit. stat. p. 2. cap. 14.*

At uero quod ad choreas attinet, eadem ratione dicendum uidetur, quod etsi tanquam mortalia peccata damnandæ non sint, neque ex se illicitæ, malæ tamen euadere possunt ex mala intētione, uel abusu, seu probabili periculo libidinis. Vnde si idem Gaspar cognita sua fragilitate, sibi uel alteri in anima damnum creauit, uel probabili se periculo exposuit, lethalem noxam non effugit. *Ang. Syl. Tab. & Caiet. in v. chorea. D. Ant. p. 2. tit. 6. c. 6. Menoch. l. 2. de arbit. iud. cent. 6. casu. 69. Filliuc. l. c. nu. 223.* Iuxta quem sēsum *Aeneas Syluius l. 1. de reb. Alph.* auctor est, Fridericū 3. Imper. dicere solitum, malle se febri teneri quàm saltationi operam dare, & est sententia cuiusdam ex SS. Patribus, quod Tripudium, seu chorea est circulus, cuius, centrum est Diabolus, ignem concupiscentiæ inflammans; ut propterea Francisci Petrarchę. *Dial.* 24. fit illa vox. Ex cantu dulcedo aliqua, & sæpe utilis, ac sancta percipitur, ex choreis nihil unquam, nisi libidinosum, ac inane spectaculum honestis inuisum oculis, uiro indignum. Quamuis ergo, ut Anacharsis Scytha dicere solebat, turpe non sit aliquando modestis lusionibus delectari, ut alacrior ad philosophiā fiat reditus, nam & Plutarchus symbolum illud Pythagoræ cor non edendum, explicans, tradit curis perpetuis non esse animum excruciandum, nec huius mundi sollicitudinibus uitam esse breuiorem reddendam; Aristoteles enim *lib. 3. de part. animal.* narrat, cor esse omnium sensuum, uitæque, ac san-

guinis fontẽ:seruanda tñ est, vt supra dixi, illa Ciceronis pceptio, cũ *l. 1. de officijs*, inquit, Cum Iuuenes relaxare animos, & dare se iucunditati volent, caueant intemperantium, meminerint verecundiæ. ludendi est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatiq; voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur. Et vnusquisque ex christianæ philosophiæ præscripto, se metiri debet, an in talibus ludis, ac iocis, animam suam peccati labe fœdare animaduertat: nam qui se fragilem sentit, & periculum sibi ex choreis, comędijs, laruis, sermonibus cum fœminis habitis, sibi imminere uidet, caute abstinere debet,

Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, & opertum miluius hamum.

Hor. l. 1. ep. 16. Zecchius de sacr. in tract. de pœnitentia. c. 1. §. quò uero ad conuersationes,

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico, Gasparem ludentem cum Rudulpho Equite, & S. Mauritij, & Lazari Commẽdatario, non teneri parta in ludo restituere, quia cum huiusmodi commendatarij perpetuo non omnimodã castitatem, ac paupertatem profiteantur, de bonorum suorum, uel redditũum fructibus, ita libere, ac cæteri sæculares disponere possunt; siquidem antiquissima consuetudo ita eorum paupertatem est interpretata, Superioribus scientibus nec contradicentibus, & redditus commendarum titulo sæculari his dantur, nempe militari, ut proinde liberi maneant à stricta conuertendi superfluos redditus in opera pia obligatione. Et quamuis *Azor. l. 1. in stit. mor. l. 13. c. 4. q. 10.* horum potestatẽ ad ludendum limitet, dicens, integrũm esse eis ludere, dummodo tales sint ludi, quales alios nobiles decent, loquitur, tamen consequenter ad suam sententiam, quam ibi sustinet, dicens, forte hos paupertatis uoti reos esse, si in uanos usus bona expẽdant; Iuxta tamen aliorum receptiorem in praxi sententiam, dicendum videtur, hos Equites quocunque ludo ludentes non aliter peccare, quàm si mere sæculares forent, cum ut dixi, ita libere, ac illi de suis bonis disponere possint. vt per *Sanchez. de precept. l. 7. c. 8. nu. 32. & Garziam p. 1. de benef. c. 4. Ioannem Choch. de permut. benef. c. 7. Riccium in praxi cõmende. resol. 138. & Priuilegij fori, resol. 311. Suarez, tom. 1. de relig. l. 4. c. 17.* Vbi tradit commendas militares reuera tantum esse temporalia subsidia, uel stipendia prò muneribus temporalibus, & ideo per se spectatas non esse simoniæ materiam, quia non sunt aliquid spirituale, uel spirituali annexum. Et licet illud ius, spectata diuina lege, uendi nõ possit, si cõcederetur, spirituali, ex aliorum sentẽtia, annexũ esse, cum cõmenda nihilominus transferr, si illa uenderetur; nec tamen illud ius alienari diceretur, sicut in iuribus patronatus constat. Inspecto vero humano iure, nec Reges, nec Principes, & multo minus ipsi particulares commẽdatarij possent eas distrahere, cum non sint absoluti domini, sed solum usufructuarij,

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. illam quæstionẽ respondendo, qua quærebatur, an illæ meretrices quæ nec confessionis, nec cõmunionis præceptum in Paschate impleuerunt, ab Episcopo excommunicari potuerint, ita ut Gaspar cum illis uitandis conuersando, in excõmunicationem minorem inciderit, dico, Primo, quod in locis, ubi per synodales constitutiones, uel per alia particularia edicta, annuæ cõfessionis, & ẽt communionis legi non satisfecerunt, omnes meretrices quæ dicta præcepta non confitendo, nec communicando fregerunt, in criminis sui detestationem ecclesiæ pœnas subeunt, & excommunicatæ censentur, ita ut ij qui cum illis uersantur, & consuetudinẽ habent, postquam sunt denuntiatæ, minorem excõmunicationem contrahant. ut per *Vinald. in noua impress. de confess. nu. 60. contra Graffium. l. 1. decis. aur. c. 9. nu. 8. & Emanuelem Sà in v. confessio. n. 42.* Certum est. n. ex participatione cum excommunicatis aliquando excommunicationem incurri, maiorem quidem in tribus casibus. Primo quãdo quis cum excommunicato in crimine criminoso cõmunicat, nempe in illo, pro quo lata est excommunicatio. *c. nuper. de sent. e xcom.* Secundo si quis in officijs ecclesiæ cum nominatim à Papa excommunicati participat. *cap. 18. eodem tit.* Tertio quando in omnes participantes generaliter excommunicationis sententia prolata est. Minorem uero excommunicationem constitutum est incurri, quando quis illicito modo cum maiori excommunicatione innodato participat, modo ille sit nominatim denuntiatus, uel publicus cleric percussor. *Coninch. de cens. disp. 14. dub. 1. & 2. & alij communiter.* Et licet aliqui senserint, meretrices quæ confessæ sunt, sed absque absolutionis beneficio ob culpam suam dimissæ fuerunt, annuæ confessionis obligationi satisfecisse, ex eo quod habetur in *cap. quod quidam ext. de pœnit. & remiss.* vbi Pontifex rogatus respondet, eorum qui quamuis confiteri uelint, se tamen à peccatis abstinere non posse dicant, confessionem esse recipiendam, quia tametsi, inquit ille, non est uera huiusmodi pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio, & crebris, ac salutaribus monitis pœnitentia indicenda. Attamẽ mihi magis placet quod alij censent, eas ecclesiasticum præceptum nequaquam implere, non quia à peccatis illæ non absoluantur, sed quia sua culpa non absoluuntur. Nam quamuis

ecclesia

ecclesia solùm præcipiat, ut semel quolibet anno confiteamur, non tamen iubet, ut absoluamur, ac proinde satis est, si culpa nostra absolutionem non impediamus: ut enim constat. *ex c. omnis. eodem tit. de pænit. & remiss.* Licitum est ab Eucharistia in Pascate abstinere ex proprij Sacerdotis consilio, ergo quis uere ecclesiæ præceptum implet, etsi à peccatis non absoluatur, quando absolutio in aliud tempus sacerdotis arbitratu absque pœnitentis culpa differtur. Attamen qui suo uitio à peccatis non absoluuntur, aut quia publici sunt peccatores, aut quia asserunt se de peccatis non dolere, aut non posse se à peccando in posterum abstinere, confessionis ius sum non seruant. Pontifex uero in *d. c. quod quidam* solum significat hos pœnitentes ad confessionẽ esse admittendos, videlicet, ut dirigantur, corripiantur, & salutaribus documentis moneantur, quò fiet ut paulatim illi, Deo adiuuante, ad confitendum idonee atque legitime præparentur. *Azor. p. 1. l. 7. c. 40. q. 4. Coninch. de confess. disp. 5. dub. 9. nu. 72. Molfes. tr. 7. c. 10. nu. 29.* contra alios præsertim *Zerulā in praxi Episcopali v. lupanaria.* Bene uerum est per cõfessionem ualidam, sed informem præceptum seruari, quia hoc ipso quod confessio est ualida, quò ad substantiam expletur, cum finis qui est gratia, sub præceptum non cadat. ut ex communi tradit *Filliuc. tract. 7. cap. 2. num. 42.*

CONFESSARII PARTES.

Modus autem, & ratio, quam cum meretricibus ad Deum adducendis confessarius seruare debet est, ut Primo infelicem, & miserum statū proprium agnoscant, cum Diaboli catenis obstricte teneantur, quia se prostituere, & ad meretrices accedere iure diuino prohibitum est, & tàm eas, quàm illos qui cum eisdem fornicantur, Deus æterno regno priuat. *c. meretrices. 32. q. 4.* Et, ut alibi est à nobis animaduersum, Meretrices infames esse, & turpibus personis annumerandas nemo dubitat, ita ut etiam qui illis adhæret, talis efficiatur, iuxta illud aliàs à nobis adductum,

Qui sequitur Bacchum, taxillos, & meretrices,
Infamis semper, semper egenus erit.

Tholos. in syntag. iuris p. 2. l. 10. c. 2. Vbi etiam refert, in Insula Palmaria in orbe nouo nauigationis Hispanicæ comperta, quid fit cum fœmina congredi, neminem intelligere, donec nubat; nefasque, ac morte expiandū esse, aliter agere. Et apud Atheniẽses meretrices, & scortatores infamia perpetua nota ri, quorum lex est, scortatorem ad reipublicæ administrationem non admittendum. Ex communi etiā sententia traditur meretricem, & illam quæ etsi meretrix non sit, inhoneste tamen cum amasio aliquo turpiter viuit, ex vicinia expelli posse. Pestilentiæ vero tempore, aut cum timor illius imminet, meretrices, & alias personas, fœdam uitam degentes, extra vrbem esse eijciendas, quia etsi omni tempore continendum sit, fugiendaq; sit libido pestis blanda, in lue tamen, tabe, & epidemia, multo magis secundum Cornelium Celsum, scribit *Ripa in tract. de Peste. de remed. præser. nu. 144. & Aegidius de iure, & priuileg. honest. art. 9.*

Deinde, & secundo loco ipse Confessarius studere debet, ut hæ perditæ uitæ fœminæ eam detestentur, & admissorum peccatorum eas pœniteat, & dum distinctè quò ad numerū ea exprimere nequeunt, saltem tempus exprimant, quo in tàm lutulento statu permanserunt: grauiora tamen ut sacrilegia cum sacerdotibus, uel religiosis perpetrata, uel contra naturam commissa, facilius erit quò ad numerum ad memoriam reuocare. Antequam absolutionis beneficium illis impendatur, & ad sacrosanctam synaxim admittantur, periculū de continentia sumendum est. Imo etsi uere pœniteant, attamen ante publicam, & omnibus notam emendationem, ob scandalum non nisi in secreto communicare possunt. *Nald. v. meretrix.* Tertio videndum est quod restituere tenentur, quod sibi in notabili quantitate ab his donatum est, qui sui iuris non erant, nec alienare poterant, vt sunt filij familias, & etiam religiosi, esto à Superiore aliqua expendendi facultatem haberent, quia ad eum finem cõcessum non intelligitur *reg. in generali de reg. iur. in 6.* Insuper si fraude, uel mendacio ab amasio, uel adolescente plus extorserint, quàm ueritate comperta extorsissent, excessum restituere debent, ut quia se iactabant à nullo fuisse cognitas, & ita maiorem quātitatem corraserint &c. *Vasquez. in opusc. mor. de restit. c. 5. dub. 1. nu. 2. Nau. c. 17. nu. 31. Graff. l. 2. decis. aur. c. 124. Vivald. in cād. aureo. de cõfess. n. 59.*

Et quia initium salutis est sui ipsius cognitio, & ut dicebat Seneca, Idcirco ad sanitatem non peruenimus, quia nos ægrotare nescimus, satagēt Confessarius, ut meretrix grauissimum animi sui morbū agnoscat, qui non parum à corporis infirmitate differre uidetur. Primo quia nemo sponte in corpore infirmatur, ut in anima, nam peccatum est uoluntariū. *c. si hoc est. 15. q. 1.* Sũecdo quia corpore ægroti naturaliter sanari cupiũt; at in animi morbis plurimi permanere uolunt. Tertio quod corpore æger morbum quantumuis uerecundum ei libenter detegit, à quo liberari sperat, sed stultus peccator sæpe scelera abscondit. Quarto corpore infirmus non grauate omnes diuitias erogaret, ut sanus fieret, cū non sit census super censum salutis corporis. *Eccles. c. 30.* at miseri peccatores, usuras, furta, & delinquendi occasiones relinquere nolunt, fine quib. peccata nõ dimitti certum est. Quinto corpore ægrotantes, ut sanitatē cõsequātur, grauia quæq; sustinēt, quod tū

animo infirmi facere detrectant. ut explicat *Guil. Pipin.in 2.lect.1.psal.pœnit.* Vbi tandem concludit, morbum spiritualem corporali grauiorem, & periculosiorem esse, licet segnius curetur. In quo magna delinquentium (& præsertim meretricum) fatuitas ostenditur, qui corpus animæ præferunt, etsi pro ipsius animæ curatione facillimũ remediũ in promptu habeant, i. solum pœnitere, & quod magni interest, anima sanata sæpe corpus sanum redditur. *c.cũ infirmitas.ext.de pœnit.& remiss. Bald.in c.qua fronte.ext. de appellat. Actius de infirm.par.1. cap.12.* Tandem in imponenda pœnitẽtia prudentiam adhibeat, ut eam iniungat, quam verisimiliter pœnitentes impleturos speret, ne ipsam violãdo, deterius eis cõtingat. Medicum imitetur, qui nõ semper medicaminum rigore vtitur, quę morbus exigit, sed ad ægri debilitatem attẽdit, qui si grauem medicinam ferre nequit, remissius cum eo agit. iuxta illud *Hipp. sect.1.aphor.2.* qui de euacuationibus loquens ait, Inspicere oportere, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non. Meminerit illius euangelicæ sententiæ, *Matth.c.9.* No lite mittere vinum nouum in vtres veteres, vinum enim nouum vocat, duram, & laboriosam pœnitentiam, vtres veteres inueteratos peccatores, qui non statim duris pœnis sunt grauandi, sed paulatim cõmunioribus medijs, vt frequẽti confessione, ad Deũ sunt trahendi. *Graffius.l.1.decis. aur.cap.31.*

QVAESTIO LXXVII.

Verum sponsionis ludus sit licitus, & an damnum emergens quod illum exercens passus est eo quod pecunias sub vsuris mutuo acceperit, repetere possit, &c.

LVcius sponsionem init cum Andrea, quod talis Prælatus in Romana Curia existens, intra duorum mensium spatium Cardinalis creabitur, quod cum ipse Andreas neget, ambo ducentum aureos deponunt, vt vincenti dentur, & ei statim acquirantur, quæritur, an hic cõtractus ludi sit licitus. Item inter eos fit sponsio quod Andreas Lucium currendo, vel saltando, vinceret; deinde ipse Lucius currere, vel saltare renuit, an soluere obligetur, qđ est in spõsione depositũ? Tãdẽ Lucius cũ 50. aureos olim Petro mutuo dedisset, illo tamen pacto, vt infra sex menses illos ei restitueret, & ille in mora soluendi fuerit, vult nunc vt omni damno subiaceat, quod idem Lucius passus est, eo quod ob hunc ludum exercẽdum, pecunias ab Hebreo sub pignoribus, & vsuris mutuo accepit, vtrum hoc damnum iure repetere possit?

SVPPOSITA.

RESp. Suppono Primo Spõsionem nihil aliud esse, quam contractum, in quo duo de veritate, vel euentu alicuius rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fuerit assecutus. Qui quidem contractus si dolus absit, ac vterq; certans dubius sit de re proposita, & bonorum suorum liberam administrationem habeat non est ex se, & sui natura illicitus, cum vterq; perdendi, & acquirendi periculo exponatur; si enim quis certo scit, rem pro qua spondet, certam euenisse, vel venturam esse, peccat, & ad restitutionem rei per sponsionem acquisitæ tenetur, nisi suã scientiam alteri manifestauerit; quandoquidem æqualis debet esse ludentium, & spondentium conditio; quod profecto non est, cum vnus certò nouit, rem euenturam, & alter id ignorat. Secus dicendum si exploratum habens rem ita esse, alteri spondenti suam scientiam pandit, qui nihilominus contendere vult, & in certamen descendere; si quidem scienti, & volenti non fit dolus, nec iniuria, vt per *Bisfeldium.in cap.nauiganti. quæst.4. de vsuris. & alios.*

Addo quod si quis reputans id pro quo spondet esse omnino certum, spondeat, & luctetur, quia res ita contigit, reuera tamen postea cõperiat non fuisse ita certum, sed se amittendi periculo exposuisse, etiamsi talis spondendo ob erroneam conscientiam peccauerit, id tamen quod lucratus est, retinere poterit, quia reuera res erat incerta, & seipsum perdẽdi periculo exposuit. Sicut qui contractu quem fœneratitium putabat, lucratus est, sed deinde comperit, talem non fuisse, culpæ quidem contra consciẽtiã agens, factus est reus, sed lucrũ restituere non tenetur, quia reipsa contractus vsuræ vitio non laborabat. Videantur de hac materia. *Decius cons.115. & Petrus Santerna in tract de spõs.mercat.p.1.& 2. Azor.p.3.l.11.c.20. Mol.disp.508. Carbo.de restit.q.40. Bonac.d.2.q.3.par.1. Clarus in §.ludus. num.2. Tuschus v. ludus. concl.456. Hier. Magon. decis.8. Scaccia.§.1.de commerc.q.1.nu 84. Nald. in v. contractus.n.7. Regius casu.32. Thesaur. in qq.Forens. l.2.q.14. Molfes.tr.12.c.21.nu.19. Filliuc.tr.37 c.2. Straccha in tract.de sponsionibus, & alij.* Verumtamen christianæ reipub. expediret, vt huiusmodi spõsiones præsertim super quibusdam rebus prohiberẽtur; cum ex hoc contractu multa dissidia, & contentiones sæpe oriantur, & in eo, lucrum otio, non labore comparatur; contra illud, quod serijs verbis nobis præcipitur, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Genes.c.3.* Quæ sententia non solum personam Adæ, sed etiam omnes qui ab eo originem trahunt, concernit, quandoquidem vt loquitur *Iobus cap.5.* Homo nascitur ad laborem, sicut auis ad volatum; naturale quippe est homini laborare, sicut auium generi

generi volare; naturale quoque mortalibus est victum sibi cum labore, & sudore parare: sicut è contra auis nullo labore alienis fruitur, agricolæ sudoribus *Et Apost. ad Ephesios*. 4. Qui indiget, laboret, inquit, operando manibus suis, quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti. Et iterum, Qui non laborat, non mäducet. Confirmatur, sicut enim in humano corpore nullum est mẽbrum, quod munere suo non fungatur, nec quod aliquem actum cæteris membris vtilem non exerceat: sic in reipub. corpore nullum debet esse membrum, quod aliquid agẽdo reipub. vtile, & commodum esse nõ queat, nam vt canit Catullus.

Otium & Reges, simul & beatas
Perdidit vrbes.

Antiph. Philosophus apud Plut. in M. Ant. censuit: rem pretiosissimam esse tempus, cuius à nobis Deo rationem esse reddendam docuit. *D. Greg. Nazian. orat.* 28. præsertim cum amissum nunquam recuperari queat, vt auri, & argenti similitudine tradebat quidam Senior monachus apud *S. Doroth. serm.* 11. Quippe ingenitus est homini labor, quẽ in hac vita fugere non potest. Homo enim, vt dixi nascitur ad laborem *Iob. c.* 5. si quidem

Est legis naturæ parens, eademque magistra.

Bustus in suo Rosario. p. 1. *serm.* 37. Socrates è priscis authoribus versiculos aliquot selegerat, quos prouerbiorum vice frequenter usurpabat, quorum est ille Hesiodi,

Non probrum est operari, at est cessatio probrum.

Quo dehortabatur iuuenes non solum ab otio, sed etiam ab infrugiferis actionibus, quando eos appellabat otiosos, qui alea, ludis, compotationibus, & scortis ætatem absumerent: vt merito, & salubri consilio motus Gregorius XIV. in sua Constitutione Incip. *Cogit nos*, sub pœna excommunicationis Apostolicæ Sedi reseruatæ, sponsiones, seu promissiones, vel conuentiones super creationẽ Pontificis, & Cardinalium interdixerit. Nam si rem ipsam quę nedum ecclesiastica, sed & sacra, & spiritualis est spectemus, profanatio quædam rei sacræ, & sacrilegium quoddam inde propterea committi videtur, dum sacris electionibus, & promotionibus sors pecuniarum immisceatur, & turpissimæ nundinationis genus cohæreat. Siue grauissima peccata earũ occasione perpetrari solita, & detrimenta inde prouenientia consideremus, sponsiones huiusmodi, quæ super prædictis fiunt, omnino damnandas, & exterminandas quisque sanæ mentis arbitrari poterit; vt enim alia omittamus, nonnulli manifesta iniustitia peccant, dum fere certi eorum, qui eligẽdi, aut promouendi sunt, sponsiones ineundo ab alijs id ignorantibus, pecunias per fraudem extorquent. Multi præterea dum otiosam vitam ducunt, & vana spe vniuersum patrimonium suum in discrimen temere deducunt, repente ad inopiam, & miseriam redigantur, vt in eadem Constitutione patet.

RESOLVTIO.

His sic præcognitis, ad primam partem casus sic respondeo, Lucium, & Andream, huiusmodi sponsionem super futura electione Cardinalium faciendo, lethali culpa, si scientes prohibitionem hoc egerunt, animas sauciasse, & excommunicationem Papæ reseruatam contraxisse, ac proinde huiusmodi contractum nullum in vtroque foro, ac irritum esse ideoque etiam in animæ, & conscientiæ iudicio, si aliquod lucrum fit ex illo acquisitum, restitui debere. Et cum ex parte vtriusque contrahentis turpitudo versetur, ex generali principio restitutio pauperibus facienda videtur.

Ad 2. partem dico Lucium teneri sponsionem soluere, quia eo ipso quod per eum stat, conditio adimpleta censetur. iuxta regulam. *l. in iure ciuili. ff. de reg. iur. cap. cum non stat. de reg. iur. in* 6. Sicuti alibi hoc axiomate resoluimus, legatum factum ecclesiæ pro sepultura adhuc ei deberi, etiam si testator indignus ipsa ecclesiastica sepultura, puta in excommunicatione, vel in peccato mortali decesserit. *Lopez. tom.* 2. *in Instruct. consc. cap.* 27. *q.* 1. *Philiarc. de off. sacerd p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *Nald. in v. legatum. num.* 15. *Azor. l. c. dub.* 7. *Fillinc. q.* 6. *& tract.* 36 *cap.* 6. *q.* 5.

Ad 3. quæstionem dico Lucium damnum illud emergens, eo quod Petro. 50. aureos mutuo dans. ob hunc sponsionis ludum ineundum eodem Petro in mora restituendi existente, aliam pecuniam à Iudæo accipere sit coactus, damnum inquam illud repetere non posse, cum nummos illos non ad vsus necessarios, sed ad otiosos, & inutiles v.g. ad ludum mutuo acceperit, si quidem ipse Lucius creditor in tali casu hoc detrimentum voluntarie, & sponte pati censetur. Et vt obseruant DD. ad hoc vt debitor existens in mora soluendi ad restitutionem damni, quod creditor ob dilationem patitur, teneatur, requiritur Primo, vt creditor accipiat mutuũ sub usuris ob necessarios vsus, non ob vanos. Secũdo vt creditor debitorem moneat, se velle sub vsuris ab alio mutuũ accipere, quia forte ipse debitor de hoc monitus, vel debitum soluisset, uel alio modo prouidisset, ne creditor damnum pateretur. *Ang. v. usura.* 1. *nu.* 20. *Azor. p.* 3. *l.* 5. *c.* 4 *q.* 3. *Bonac. de cont. d.* 3. *q.* 3. *p.* 4. *nu.* 10. *Salas. de usuris. dub.* 20. *& alij.*

DOCVMENTA A CONFESSARIO animaduertenda.

ATque hæc quò ad materiam cõtractuum breuiter, & paucis dicta sufficiant; plures aliæ quæstiones ex suppositis principijs, generalibus regulis, & fundamentis deduci poterũt, quæ arbitrio, & pru-

& prudentiæ Examinatorum, cõsiderata examinãdorum conditione, relinquuntur. Nec non (quando vno itinere plura conficiuntur negotia) multorum, & variorum casuum ad vtrumque forum spectantiũ resolutiones Confessarijs haurire licebit. Quippe non solum scientia, sed & iudicio, & prudentia Cõfessario opus est, vt casibus singularibus, qui in humanis commercijs in dies contingere solent, fundamenta, positiones, & regulas aptare sciat, & possit. Nam vt ait *Iulianus I.C. in l. non possunt. ff. de legibus*. Non possunt omnes articuli singillatim, aut legibus, aut Senatus consultis comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ius dicere debet. Tanta est enim in emergentibus casibus humanarum actionum varietas, & inconstantia, quæ ex diuersitate factorum, personarũ, locorum, & temporum oritur, vt plerumque nihil aliud in genere statui possit, quàm totum esse prudentis Iudicis arbitrio, & iudicio relinquendum, qui illis circunstantijs ponderatis, statuat, quid rationi consentaneum censeatur. Vnde & sapienter. D. *Thom. 22. quæst. 47. artic. 6.* ait, proprium actum esse prudentiæ, vniuersalia principia ad particulares operabilium conclusiones applicare. Hinc & *Posseuinus de off. cur. cap. 15.* in monitis ad rectum studium pro casibus conscientiæ, hæc habet verba, Inter studendum vero in singulis titulis, seu materijs, nota regulas generales illius materiæ, & secundum eas tuum studium dirigas, quia inde facilius resolues multos casus contingentes, & ista facilius memoriæ mandantur, vel saltem retinentur, quàm singulorum casuum decisiones. Nequidquam prodest hortos varijs herbis, plantisque consitos possidere, nisi singularum vocabula, differentiæ, virtutesque pernoscantur, sciaturque cuiq; morbo, quando, & qua ratione applicari possit, &c. Hinc in iure, vt ait Boetius in Topicis, ad docẽdum, & decidendum locus à simili aptissimus est, siquidem vbicunque eadem est ratio, & idem fundamentum, ibi debet esse eadem iuris dispositio; & casus, quos paritas rationis nectit, non sunt quò ad iuris dispositionem separandi. *l. illud. ff. ad l. Aquiliam*. Et sapienter. *Aristoteles l. 1. Rhet.* scriptum reliquit, illas leges optime constitutas esse, quæ in omnibus, qui incidere possunt casibus, sancitæ sunt, quæq; paucissima Iudicis arbitrio reliquerunt, quoniam qui legem imperare iubet, is Deum, & leges imperare iubet, qui vero hominem, belluam ad iungit, cum vtrisque communis cupiditas, & ira, Magistratus omnes varie peruertat; verum quia lege omnia comprehendi non potuerunt, recte factum est dum prudenti eius iudicio multa commissa sunt; si quidem vbi legis determinatio deficit, ibi Magistratus, iusdicentis, & Confessarij Iudicis spiritualis arbitrium ratione rectum locum habet, vt consideratis similibus dispositionibus, & multis coniecturis perpensis, regulis nixi, casus resoluant; quia sicut genus proprie species comprehendit, ita regula casus post illam superuenientes complectitur, est. n. eius officiũ rationis clauo plures similes casus coniungere, adeo vt in casibus non diffinitis ille fundatam intentionem habeat, qui pro se regulam tenet. *Menoch. in proemio de arbit. iud.* Graffius *in proemio pariter de arbit. confess. Decius, & Cagnol. in l. 1. ff. de regul. iur. Tuschus. in v. regula. concl. 94.*

Finis Noni Tractatus.

TRACTATVS DECIMVS.

QVAESTIONES, ET CASVS, qui super materiam, & articulos restitutionis institui possunt. Cap. I.

QVAESTIO I.

An edicto Principis vetante frumentorum extractione m comprehendatur ille, qui in eiusdem Principis territorio prædia possidens triticum, & farinam extrahit, & an mortaliter peccauerit, eo quod cum sit patronus, dignum omisso digniori præsentauerit, & aliquid restituere teneatur?

PAulus cum in ditione serenissimi cuiusdā Principis, quædam prædia possideat, alibi tamen alterius dominio subditus vitam degat, contra Edictum primi illius Domini sub graui pęna prohibentis extractionem granorum è sua territorio, semel decem saccos farinæ, & omne triticum, quod in suis agris collegit, pro suo, & propriæ domus vsu extraxit, quæritur an peccauerit mortaliter, an pœnam soluere teneatur, & an quidquā restituere debeat? Item cum in quadam parochiali ecclesia ius patronatus obtineat, & ad eā Rectorem præsentare pertineat, quendam Sacerdotem dignum, omisso alio digniori, præsentauit: quæritur pariter an lethalem culpam, & restituendi obligationem contraxerit. Respon. Pro resolutione huius casus, & pro faciliori intellectu materiæ restitutionis cuius cognitio adeò Confessarijs, ac animarum Iudicibus est necessaria, licet omnes particulares restitutionis casus cognoscere non teneātur, sed satis sit, vt regulas norint, & dubitare sciāt, ac libros, peritioresq; consulere, conformiter ad ea quæ supra tradidimus. *tract. 5. cap. 7. quæst. 45.* hæc fundamenta præmittenda videntur.

SVPPOSITA, & FVNDAMENTA.

PRIMVM SVPPOSITVM.

SVpponendum est Primo, Iustitiam, cui omne restitutionis pondus innititur, duplicem esse; vnam, quæ legalis, vel generalis dicitur, quę ad formandos in hac vita ciuiles, ac politicos mores pertinet, & quandam exteriorem honestatem exigit, vt in tuto sit reipub. trāquillitas. Quæ etiam ab aliquibus diffiniri solet, vt sit constans, & perpetua voluntas, ius suum cuiq; tribuēdi. *l. iustitia, ff. de iustitia, & iure.* Et duo importare solet, vnum in Principe, videlicet ius ob commune bonum leges condendi, alterum in subditis. s. obligationem debitam obedientiam, & obsequium præstandi. *D. Thomas. 22. q. 61. art. 1. Mol. de iustit. tract. 1. d. 12. Lessius. l. 2. cap. 1. dub. 3. Rebellus. par. 1. lib. 1. q. 3. sect. 1.*

Altera vero iustitia particularis dicitur; quæ vna est ex quatuor virtutibus cardinalibus, cui propriū est, cuique quod ei debetur, reddere, & humanas actiones ad æqualitatem reducere. Et dicitur particularis, eo quod circa singularia reipub. membra versetur; ad differentiam generalis, quæ commune bonum respicit, propter quod Principes, iura, & leges condunt, iuxta illud Hesiodi,

Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
Dicere ius lesis, iniusta que tollere facta.

cap. Regum. 23. q. 5. Arist. l. 5. Polit. cap. 10.

Inter hanc vero duplicem iustitiam hoc reperitur discrimen, quod ex particularis iustitiæ cum alterius damno violatione, restituendi nascitur obligatio, non autem ex legalis iustitiæ læsione, modo hanc transgrediens, bonum commune ex officio cōseruare non teneatur, vt accidit, quando Iudex furtum non impedit, &c. Ex quo sequitur, furem ad restitutionem teneri, cum per illud particularem iustitiam commutatiuam violauerit, reum vero, qui in iudicio veritatem negauit, ad soluēdam pœnam non obligari, ad quam condemnatus fuisset, si Iudici verum confessus fuisset. Item eum, qui triticum extra ditionem contra Principis edictum transfert, per se loquendo, restituendi obligationem non contrahere, cum non particularem, sed publicam, & legalem iustitiam non sit transgressus. *Sayr. in cl. reg. l. 10. c. 2. c. 15. nu. 7. Bonac. d. 1. q. 1. p. 1.* Quo etiā fit, vt in pœnitentialem satisfactionem, opus aliās præceptum iniungi possit, vt Missæ auditio in die Dominico, aut ieiunium in Quadragesima, &c. nā hæc opera sunt pœnalia, & à Confessarij voluntate dependēt, & per consequens pœnitens potest eodē actu obligationi satisfacere, qua ex pœnitentia, & ex alio titulo tenetur. E cōtra vero non integrū est, pluribus creditoribus satisfacere, quibus tātumdem debetur, & ratio discriminis est, quia debitor ex nomine, & debito iustitiæ, quæ æqualitatem rei ad iē respicit, soluere, tenetur; pœnitens vero ex legali titulo vt voti, ieiunij, pœnitentiæ, & huiusmodi, in quo rōnabilis legislatoris voluntas attenditur. &c. *Sanchez. de præcept. l. 1. cap. 14. num. 5.* Idem *Bonac. de sa-*

de sacram. d. 5. quest. 5. sect. 3. pütto 2. Rursus huius particularis iustitiæ duę, vt innuimus, species cōstituuntur, nempe commutatiua, & distributiua. Prima est, quæ æqualitatem in commutationibus constituit, iuxta quas rerum dominia de vna persona in aliam transferuntur, vt in emptione, venditione, & alijs contractibus. Distributiua est illa, quæ in publica, & priuata vita meritis personis, apti gradus, munera, præmia, & honores tribuuntur. Si quidem teste M. *Tullio. l. 3. de nat. Deorum*. Nec domus, nec respub. stare potest, si in ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis. Sic veteres Iustitiam, & Nemesim ita pingebāt, vt stateram manu altera, & gladium altera ostentaret, nimirū, vt indicarent, duo præstantissima iustitiæ munia, vnum quidem positum in facultate suum cuiq; tribuendi, alterum vero in puniendis facinorosis, & præmio bonis afficiendis.

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo Suppono, Iudicium esse iustitiæ administrationem, quæ fit à Iudice in causa cotam eo proposita: quod quidem inuentum est, ne quis sibi ius diceret, sed quod sibi debetur, coram iustitię custode ac ministro peteret. *D. Hier. relat⁹ in d. c. Regum officium 23. q. 5. Arist. l. 5. Polit. cap. 10. Maranta in praxi iud. in 3. par. num.* 135. Duplex vero est Iudicium, nempe diuinum, seu conscientiale, & humanum. Primum est tribunal æqui, & boni, ac veritatis, in quo fictiones, & iuris apices locum non habent, & cui omnes iurium, & legum regulæ seruire debent. *Iaf. in rub. ff. de acq. hæred. in fine.* Et hoc pręcipuum habet, vt in dubijs opinionibus tutior fauore animę eligatur, & delictum ad illud auertendum præsumatur. *c. iuuenis. ext. de sponf. Tusch. in v. Forus. concl.* 447. Humanum iudicium multiplex est, sed in tres partes potissimum diuiditur, prout aliud est ciuile, aliud criminale, & aliud mixtum: ciuile dicitur quando ad priuatum cōmodum, siue ex contractu, siue ex delicto principaliter agitur. Criminale, quando ad publicam vtilitatem ex delicto primario exercetur, vt cum intentatur, vt aliqua particularis persona ob aliquem excessum pœnas luat; vel etiam cum ad pœnam pecuniariam fisco applicandam tractatur. Mixtum vero est illud quod de vtroque participat, vt quia pœna partim fisco, partim priuato ascribitur. Idem *Maranta l. c. 4. p. num. 92. & Tusch. v. iudicium. concl.* 479. Et licet Cicero *pro Cæcinna* dicat, Nihil est tàm diligenter retinendum, quàm Ius ciuile, quo sublato, nihil cuique exploratum esse potest, quid suum, quid alienum sit. & *I. C. in l. 1. ff. de iustitia, & iure*, quod ius sit ars boni, & æqui, collectio præceptorum, quæ docent quid iustum, quid iniustum, quid æquum quid iniquum sit; diffinitio tamen causarum, quæ diuinum, vel conscientiale iudicium, vel forum concernunt, ad Theologos, & Canonistas spectat. *Alex. l. 2. conf. 1. Euerardus in top. leg. in loco ab authoritate.*

TERTIVM SVPPOSITVM.

TErtio Supponendum est, restitutionem, quæ significat in pristinum statum repositionem, esse actum iustitiæ commutatiuæ, quo res accepta in pristinum statum restituitur, vel damnum illatū circa bona animi, corporis, honoris, vel pecuniæ compensatur. Vnde ex hac descriptione apparet, ex iustitiæ distributiuæ violatione, restituendi obligationem non oriri, nisi quatenus simul aliquod ius ad commutatiuam iustitiam pertinens læditur. Hinc ille v. g. cui à Principe impositum est, vt communia bona, vel spolia meritis personis distribuat, ad restitutionem teneri constat, si iuxta earum dignitatem illa non partiatur, nā subditi ex illo Superioris præcepto ius strictum, & proximum acquisierunt, vt huius modi bona tali modo, & ratione seruata, conferantur, &c. & hæc est cōmunior, & verior DD. sententia. Secundo infertur iustitiæ actum esse rem reddere, à quo accepta est, & eam in suum statum restituere, ac proinde emptorem bonæ fidei rei furtiuæ tuta cōscientia posse eam latroni à quo habuit restituere, si aliter pretium à se datum recuperare non possit. Quod etiam suo modo intelligi potest de omnibus alijs, à quibus contractu oneroso res accipitur, cuius non sunt domini, vt est filiusfamilias monachus, seruus. Et idem dicitur quò ad rescissionem contractus venditionis de pupillo, & de habēte bona obligata, quæ deinde talia esse nouit, & bonafide emit, potest enim venditorem adire, contractum rescindere, & pretium recuperare. *Regius casu 2.* Porro omnis restitutionis obligationem ex triplici radice oriri certū est. Primo ex re accepta, quando quis nulla præuia iniqua actione pecuniā, aut aliam rem alienam apud se inuenit, aut quando rem alterius bonafide consumpsit, & ex ea locupletior factus est. Secundo ex iniusta acceptione, seu ex delicto, aut damni illatione, vt cum quis alienā rem abstulit, vel damnum intulit, vt vestem furando, aut segetes, vel domum incendendo. Tertio ex contractu licito, vt cum inter aliquos cōtractus v. g. pignoris, commodati, depositi, vel mutui, initus est, ratione cuius restituendi subinde emergit obligatio. Hinc magna differentia constituitur inter obligationem, quæ ratione rei acceptæ insurgit, & obligationē, quæ ratione acceptionis procedit, nā qui, Primo modo tenetur, iniustæ restitutioni subijcitur, si res in se, vel in suo effectu extat; ab ea vero restituenda immunis est, si sine culpa sua pereat, vt patet in re inuenta, vel etiam bona fide empta. Qui

vero

vero secundo modo nempe ex parte acceptionis rei alienæ obligatur, semper obstrictus remanet, etiāsi res debita absque culpa accipientis pereat, vt in mutuo, &c. contingit. Rursus si acceptio iniusta sit, vt in furto, non solum accipienti perit, sed etiam omnes fructus ex illa prouenientes restituendi obligationem subit. Secus est de rei alienæ bonæ fidei possessore, cum restituere nō teneatur, nisi id in quo est factus locupletior: fructus vero qui ex industria accipientis nascuntur, sicut in re non computātur, ita nec restitutioni obnoxij sunt. Sed secūdum aliquos fauore ecclesiæ, etiam eius rerum bonæ fidei possessor, consumptos fructus restituere tenetur. *Genuens. in pract. eccles. quæst. 513.*

QVARTVM SVPPOSITVM.

QVarto est illud maxime animaduertendum, ex solo delicto contra iustitiam, non vero contra charitatem, & alias virtutes, restituendi obligationē enasci, vt propterea restitutioni obnoxius non fiat, qui proximo in necessitate extrema constituto cum posset, opem non tulit, &c. Hinc restituere non tenetur, qui videns furantem rem proximi sui, ab ipsoque interrogatus, veritatem negat: cum tamen secus sit, si Iudici inquirenti verum occultaret, discriminis ratio manifesta est, quia in primo casu tantum contra charitatem peccat, modo ex officio ad id non teneatur, In secundo vero casu, etiam iustitiā lædit, vt supra quoq; innui. Pariter restituere non obligatur, qui malo animo proximum à consecutione alicuius boni impedit, ad quod nec ius in re, nec ad rem habet: contra charitatem quidem peccat, proximum illicite lædendo, sed quia per vim, metum, vel dolum, iniuste damnum non intert, ad nullam astringitur restitutionem. Qua ratione DD. resolu unt religiosum qui contra prohibitionē *Clem. 1. de priuileg.* testatorem à legatis maticibus ecclesijs faciendis retraxit, eo animo, vt sibi potius, vel alteri de suo ordine relinquat, licet mortaliter deliquerit, nullam tamen restituendi obligationem subijsse, quia cōmutatiuam iustitiam non violauit, siquidem ij quibus testator relinquere volebat, nullum adhuc ius ad id acquisierant. At vt quidam pius author ait, Parum refert, vtrum quis ex defectu iustitiæ, aut defectu charitatis in gehennam descendat, vt est communis DD. sentētiā. Sicut etiam ex debito gratitudinis, & antidorali nō nascitur restituendi obligatio, vt quia v.g. Petrus in Ioannem beneficium contulit, ipse Ioannes. d. Petro ex iustitia aliquid ei rependere non tenetur. Pro seruando tamen charitatis præcepto, quæ proximi vtilitatem concernit, potest quandoque aliquid recipi, prout si quis sua opera, & patrocinio in necessitate constituto succurreret, cum nemo de suo gratis beneficium conferre teneatur. vt per *Sayrum in clau. reg. lib. 10. tract. 2. c. 15. & de cens. l. 7. c. 4. Carbonem de restit. q. 4. Nau c. 17. nu. 69. Barth. à Fausto d. 28. q. 3. Regiñ casu 35. Arrag. 22. q. 62. art. 2. Sot. l. 4. de iust. q. 7. ar. 2. Nald. in v. restituere. & dixi sup. tr. 9. c. 14. q. 43.*

V. SVPPOSITVM.

QVinto annotandum est, restitutionem earum rerum, quæ ab aliquo iniuste detinentur, esse ad salutem consequendam necessariam, ita vt nemo nisi restituat, saluari queat. *Steph. Binnettus de conf. spir. c. 11.* vbi etiam nonnullis exemplis ostendit multos à corporis morbis ob non factam restitutionem haud liberari. Quæ positio de necessitate præcepti intellecta, est de fide tenenda, contra stultam illam Græcorum opinionem, qui asserere audebant, ad salutem consequendam, pœnitentiam, seu dolorem de admisso crimine sufficere. Sacerdotes autem qui huiusmodi doctrinam tradebant, fures oleo inungere, & ad aliquam rapinæ partem sibi dandam obligare solebant, iuxta adagium, quod Lampridius in vita Alexandri Seueri refert, Quicunque multa rapuerit, pauca autem suffragantibus dederit, saluus erit, &c. Huc etiam pertinet eorum error, qui affirmarunt, furtum non malum esse, vt de Germanis, & Lacedæmonijs refertur; in quo errore turpiter etiam nonnulli rustici versantur, qui bona, præsertim quæ in agris habentur, vt sunt arborum fructus, & ligna, capi posse existimant, putantque hoc bonorum genus omnibus esse commune. Imo ad soluendum æs alienū se non teneri existimāt, nisi Iudicis sententia condemnentur, ac propterea dicere solent, Nihil tibi debeo, si quid à me prætendis, apud Iudicem postula. Tanta insuper ignorantia nonnulli laborant, vt per sacramentalem absolutionem maxime tempore Iubilei à restitutione faciēda subinde liberari opinētur. Et profecto iure naturali, diuino, & humano, alienæ rei restitutionem fieri debere, hinc constat, quod ex naturali omnibus insita lege, nemo vellet sua se inuito ab alijs detineri. Quod naturæ lumen tanti Alexander Seuerus fecit, vt cum aliquem puniri iubebat, per præconem proclamari iusserit, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ac sicut qui deprauato sanguine abundant, sanari nequeunt, nisi per phlebotomiam corruptus ille sanguis emittatur: sic qui aliena detinēt, nisi venæ sectione restitutionis curentur, salutem consequi non possunt. Hinc Dominus *Matth. c. 22.* Reddite, quæ sūt Cæsaris Cæsari, &c. & D. *Paulus ad Rom. 13.* Reddite ergo omnibus debita. Et est celeberrima, & ab omnibus approbata iuris regula. *c. peccatum. de reg. iur. in 6.* Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, ita vt legatum pro male ablatis restituendis factum, non sit proprie legatum; quia beneficium

neficium non præstat, qui iure naturali, & diuino debitum soluit, *Tusch.v.restituire.concl.*303.*v.male ablatum.concl.*23.*v.legatum.concl.*144. Nec aliena Christi pauperibus relinquenda, seu in opera pia insumenda sunt, cum necessario restitutio veris dominis cum noti sunt, vel si non extant, eorum heredibus facienda sit: neque enim de aliena substantia Dominus honorandus est. *Prou.c.*3. Et de illa regula, peccatum, &c. videantur. *Couar. p.*1.*relect.*1. *Chauas.de prud.l.*4.*c.*1.§.8.*Alph.de Castro in Summa contra hæreses in v.restitutio. Carbo. q.*5. *Molin. tom.*3.*d.*716.*Salon.& Arrag.*22.*q.*62.*art.*2.*Val.d.*5.*q.*6.*p.*2.*Rebell.l.*2.*q.*1.*Sayr.l.*10.*t.*1.*c.*3.*Reginal. l.*10. *nu.*1.*Tusch.d.*5.*restituere, & alij communiter.* Quando tamen quis indirecte damnum inferret, & culpa tantum venialis interueniret, à restitutionis nexu excusaretur, nam si hoc esset, multa inde incõmoda orirentur; sane omnes fere artifices, & operarum suarum locatores ipsi restitutioni obnoxij forent, vt patet etiam in medicis, notarijs, aduocatis, causidicis, & huiusmodi. *Abb.in c.*1 *de constitut. & in c.quia plerique de immunit.eccles. Sylu.v.culpa.q.*4.*Pet.*Nau.*l.*2.*cap.*1.*num.*57. *Lessius. l.*2.*c.*7.*dub.*6. *Carbo.de restit.q* 71.*Sà v. culpa. Clarus in praxi crim.q.*62.*Graffius.l.*4.*decis.aur.c.*8.*num.*6. *Possen.de off.cur.c.*15.*n.*50.*Tusch.v.Forus.cõcl.*447.

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic pro basi, & fundamẽto iactis dico Primo Paulũ farinam extrahẽdo, lethali culpa animam sauciasse, cum apud omnes resoluti sit iuris, legem pœnalẽ à Principe latam, ob verba præceptiua in re graui, & ex magna pœna apposita, ad mortalem culpam obligare, & forenses transgressores obstringere, & ratione delicti ipse Paulus subditus efficiatur. Ac statutum prohibẽs granum extrahi, eum etiam comprehendit, qui farinam extrahit, aliàs legi fraus fieret, si quidem non solum legem violat, qui nimis rigide contra legislatoris intentionem vult illam obseruare, sed etiam qui fraudulenter verba legis obseruans, legislatoris mẽtem interuertit. *l.non dubium. C. de legibus.* Barthol. *Medina.* 1. 2.*q.*90.*art.*6.*Sayr.l.*3.*cl.reg. c.*10.*nu.*2. *Rouesc. in l.quæ propter.ff.de reg.iur. Azor.p.*5.*l.*5 *c.*26.*q.*2. *Garsias Mastrillus.p.* 2.*decis.*15. *Clarus. in praxi crim.*§.*fin.q.*82. Et taliter in casib. non exceptis extrahẽtes, nõ facile iuramẽto intẽtionẽ suũ pbãt, ita vt ab externi fori Iudice molestia affici nequeant, *Mancinus de Iuramento.p.*4.*effectu.*130. *Seraph. de priuileg. Iuram.Priuileg.*14. At prædicti Principis edictum annonã extra territoriũ deferri prohibens, clericos non cõprehẽdit, quò minus extrahere possint, q̃ in ecclesiasticis prædijs colligunt. Minus eos ligaret, si iuberet eãdem annonam ad ciuitatem deferri, quiã per huiusmodi edictũ, nũquam exemptorum priuilegio derogatur, nisi constaret, penuriam arbitrio ecclesiastici Iudicis euitari non posse. *Bellett.p.*1.*de exempt.cler.*§.3. *cum multis ibi relatis.*

Secundo dico quò ad extractionem frumenti à iurisdictione, & territorio Principis, vbi Paulus bona sua possidebat, nec ipsum Paulum peccasse, nec in pœnam aliquam incidisse; nam vbi vetita est granorum extractio aliunde, nõ ideò exteri prohibentur bona ibi collecta esportare. Quod eò magis procedit, quod Principis lex frumenti exportationem interdicens non habet locum, cum locus ad quem defertur, penuria laborat; nisi eadem calamitas etiã in eodem loco vbi extrahitur, grassaretur, quia tunc extrahere non liceret, cum potior debeat esse conditio possidentis, & prima charitas à se ipso incipiat; & inter omnia primum, ac maximum sit annonæ cura, vt regnum, vel ciuitas copia, & vbertate redundet. Si quidem testimonio Aureliani Imperatoris. Nihil lætius est saturo populo, nihil seditiosius ieiuno, ac famelico; multaque incommoda, ac discrimina ex penuria, & fame, in rempublicam inuehi, Regisque, vel Principis ærarium, vel fiscum, plurimum imminui, experientia ipsa comprobat. *Genuens. in pract.eccles.q.*618.*Nouar.in collect.super pragm.regni Neap.collect.*11. *Decianus. tract.crim.p.*2.*l.*7.*c.*22.*tit.de fraudantibus annonam. Tusch. v.annona. concl.* 338. *Alciat. Emblem.*179. Atque sic resoluit *Ant. Thes. decis.*152. *Riccius in decis. Cur. Archiepisc. Neap.decis.*84.*Rouesc.in d. l. quæ propter.arg. Sayr.l.*12.*cl.reg.cap.*14.*num.*14. *Guido Papa.q.*373.

II. Q. RESOLVTIO.

INsuper ex positis fundamentis assero, Paulum ad pœnam contra extrahentes à Principe inflictam, non teneri, cum ex trito iuris axiomate, Pœna non debeatur, nisi post sententiam; Et cum legalem, seu generalem iustitiam, nõ particularem violauerit, nulla proinde consurget restituendi obligatio. Vbi tamen aduertendum existimo, quod etsi pœnam huic delicto debitam, & per Principem cõstitutam soluere non teneatur, donec condemnetur, tributum tamen, quod deputatis, & vectigaliũ conductoribus pendendum est, in foro conscientiæ subtrahendum non est. vt annotauit. *Nau.l.*5.*de sent. excommunicationis. cons.*18. *Salon.& Arrag.*22.*q.*62.*art.*3.*Carbo.de legibus.l.*8. *disp.*7. Atque fertur Cardin. Congregat. sic declarasse; contra *Sotum. l.*4.*de iustitia, & in.q.*6.*art.*4. Quæ nostræ Decisiones non parum conferunt ad intellectum Constitutionis Pauli V. Incip. *Inter grauissimas curas.* In qua, excommunicatione Apostolicæ Sedi ex vsu, vel viuæ vocis oraculo reseruata ferit omnes extrahentes frumenta, blada, legumina, & oleum, & etiã

oleas ad oleum conficiendum asportantes, & extrahi facientes ex statu ecclesiastico, &c. Sed quò ad alia quæ, vt aiunt, grasciam concernunt, temporales, & quidē graues pœnas infligit. De qua prohibitione meminit. *Nald. in v. extrahere. & Raynerius in catalogo cens. excom.* 34. *Filliuc. tr.* 15. *c.* 6. *n.* 154.

Hinc colligi poterit, quomodo in praxi se gerere debeat Confessarius erga pœnitentem, qui extra territorium frumenta, blada, & alia ad annonam spectantia extrahere consueuit, nam secluso etiam damno, quod ecclesiastico statui ob eiusdem annonæ penuriam facile exoriri posset, atque excommunicationis censura, cui ipso iure subijcitur, adhuc tamen lethaliter peccare conuincitur, ob vitę periculum in quod huiusmodi exercitio incumbens se conijcit, ac proinde si desistere nolit, absoluendus non est. *Bonac. de cont. d.* 1. *quæst.* 1. *num.* 7.

Porro est satis probabile, p̄dictorū in parua quātitate extractionem, excōicationi non subijci, tùm quia in omnibus fere præceptis materiæ exiguitas ad effugiendum saltem peccatum mortale locū habet, quod quidem, vt omnibus notum est, ad incurrendam excōmunicationem requiritur, multo magis in humano præcepto & in rebus ad vitam transigendam necessariis procedit, cuiusmodi sunt illa, quæ per dictam Constitutionem extrahi prohibentur. Tùm quia teste *Filliuc. l. c.* Sic est declaratum in Cōstitutione Clem. 8. Incip. *Pastoralis*, in qua dicitur excommunicationis pœnam à Gregorio XIII. inflictam contra extrahentes frumenta, blada, & id annonæ genus à se tolli, & abrogari quò ad eos, qui in modica quantitate, ac pro vsu proprio tantum non autem mercaturæ causa extraxerunt. Quod etiam absolute censuit. *Bart. in l. cætera. ff. de leg.* 1. quidquid *Clarus, & Azor. l. c.* sentiant. Modica vero quantitas quæ a peccato mortali, & per consequens ab excommunicationis pœna generaliter excusare potest, licet arbitrio boni viri sit æstimanda; aliquibus tamen videtur, eam modicam censeri, quæ ad sustentādā familiam suam per diem, vel biduum satis sit. Nec desunt qui asserant, modo non excedat quartam partem rubij, seu, vt dicunt, duodecim stadia, modicam quantitatem dici; nec in ea tantum quantitate, ex sacræ Pœnitentiariæ stylo solere imponi obligationem restituendi pecuniam Cameræ Apostolicæ. Hinc infertur eum qui causa propriam familiam sustentandi, quæ aliter ali nequit, vel non nisi cum magna difficultate vitam degere, prædictis pœnis non affici. Item si eo fine extrahat vt suis operarijs in agro suo laborantibus congruum det alimentum, vel vt frumentum, cum alibi haberi non potest, in eo seminet. In quibus casibus cum necessitas vrgeat, etiamsi modicum quotidie eo fine extraheret, eum tùm à lethali culpa, tùm ab excommunicationis censura excusari pie credendum est. *Fari-*
nac. p. 1. *frag. crim.* §. *bannimen. Filliuc. l. inf. citand. Gregor. X V. in Const. Incip. Romani Pontificis. ut dixi infra tract.* 13. *de cens. art.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. quæstionem casus, qua quærebatur, an Paulus patronus qui minus dignum, omisso digniori, Episcopo præsentauit peccauerit, & ad aliquam restitutionem teneatur, dico breuiter, supposito, vt alibi scripsimus, vt aliquis sit idoneus beneficio ecclesiastico requiri, Primo vitæ bonitatem. Secundo legitimam ætatem. Tertio scientiam, & prudentiam, & aliquando minus doctum, modo idoneus sit, quando eius mores approbati sunt, & idoneum de eadem vrbe, vel de domo fundatoris, doctiori, cuius vita ignoratur, externo cæteris paribus, vel vt alij volunt, aptiori præferendum esse. Item beneficijs vacantibus, ab ijs ad quos prouisio spectat, infra sex menses consulendum esse, & patronos laicos intra semestre, laicos autem intra quadrimestre tempus præsentare debere; his inquam præmissis, resoluo Paulum patronum laicum qui ad beneficium Curatum Sacerdotem minus idoneum præsentauit, propriam conscientiam vulnerasse, quamuis nec ecclesiæ, nec alteri, qui nullum ius in ecclesia habebat, q̄dq̄ restituere teneatur. *Viuianus de iure patronat. p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *n.* 16. *Cenuens. in Man. Past. c.* 38. *Sà in v. electio. n.* 8. *Molfes. tr.* 6. *c.* 5. *n* 63. At Episcopus potest dignum instituere, tametsi magis idoneus extet, qui à patrono ad illud beneficium præsentari potuisset, vt aduertimus supra. *tr.* 2. *c.* 3. *q.* 33. *conformiter ad Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 18. *Filliuc. tract.* 32. *cap.* 7. *Raud. Decis.* 33.

QVÆSTIO II.

An qui furando per accidens damnum infert, restituere teneatur. Nùm rem furtiuam emens bona fide nō refuso pretio restituere teneatur. Et utrum receptans rem furtiuam peccet, & ad aliquid restituendum sit obligatus?

EMmanuel cum in domum Augustini ad furādum eius equum noctu ingressus esset, inaduertenter, & præter intentionem, lucernam, quæ in stabulo accensa erat, in tectam deiecit, ex qua re cū ignis in paleam fœnumque esset accensus, rusticæ domus pars incendio consumpta est. Cum vero equum surreptum per sex mensium spatium in domo Sebastiani receptoris detenuisset, & multis locasset, eum post modum Eugenio vēdidit, à quo Andreas eius furtiui equi dominus compatens, ipsum repetere conatur. Nunc hæc tria à Cōfessario quæruntur. Primo, An d. Emmanuel damnum per in-

cendium causa furti illatum,& pretium equi venditi restituere teneatur. Secundo an Eugenius equum bona fide emptum cum emolumento, quod ex eo accepit, absque refuso pretio Andreæ tradere in foro conscientiæ debeat. Tertio quid dicendum de Sebastiano receptante, an lethaliter deliquerit, & an aliquid restituere teneatur.

PRIMVM SVPPOSITVM.

Respond. Supponendum est Primo, in hac restitutionis materia octo esse consideranda, quæ in hoc carmine continentur,

Quis, quid, ubi, per quos, cui, cur, quomodo, quãdo.
vel vt alij ponunt,

Quis, quid, ubi, quantũ, cui, quãdo, quomodo, quoue Ordine restituas, sic pie lector habe.

Quis. s. non solum rapiens, sed quicunque damni efficax causa extitit, & quò ad hoc duæ potissimæ sunt restitutionis radices, v. iniustæ acceptionis, & rei iuste acceptæ, quæ ad omnem actionem extenduntur, per quam damnum proximo in anima, in corpore, fama, & rebus infertur. *Caiet. in v. restitutio. c. 1. & 8. Tol. l. 5. c. 17. Sayr. in cl. reg. l. 10. tract. 1. c. 1. Filliuc. tract. 32. c. 198.* Restitutio tamen ab eo facienda non est qui non efficax causa, sed damni tantum occasio extitit: vnde ab ea immunis est qui alterum alapa percussit, ille vero id ægre ferens ob impatientiam in morbũ lapsus est, ex quo vitã cum morte mutauit. *Bonac. de cont. disp. 1. q. 2. p. 3. n° 12.*

Quid idest, rem alienam, non solum ablatam, verum etiam id quod bona fide possidebatur, damnum, interesse, fructus, perceptos, &c. Etsi consumpta fuerit, æquiualens, vel pretium restituẽdum erit. Vbi. i. si restitutio ex iniusta actione consurgit, in tali loco fieri debet, vt dominus indemnis remaneat. Si vero ex re aliena descendit, quæ bona fide possidebatur, vbi res habetur, restituenda est.

Quantum. i. æquale, vt inæqualitas per iniustam actionem inducta ad æqualitatem reducatur. Etsi qualitas, vel quantitas est incerta boni viri arbitrio, idest, Confessarij restituẽda est. Vnde ex communi quando dubitatur, vtrum culpa quæ in damno inferendo intercessit, mortalis, an venialis fuerit, dãnificator ad dimidiũ viri prudẽtis iudicio restituẽdum obligari poterit, non autem ad integram restitutionem adigendus erit, eo quod in dubio sit possidentis melior conditio.

Cui idest, regulariter res domino restituenda est, nisi rationabilis causa obstet. Si vero restitutio fieri debet ex eo, quod dare, & accipere est prohibitum, vt in simonia, ecclesiæ, vel pauperibus dandum est. Proinde non parum hallucinantur qui quod proximo furati sunt, vel aliter ei debent, verecundia retenti cum possint reddere nolunt, sed pauperibus largiuntur, vel inde sacram suppellectilem augent, & sic hoc nomine tutissimos credunt. Non equidem est hoc iustitiam colere, nec se à restituendi onere liberare. Reddenda sunt Cæsari, quæ eius sunt, quando ipse vel eius hæredes inueniri possunt. *Tusch. v. ablatum. concl. 3t* Debitor tamen incertorum si sit pauper, potest illa sibi tanquam pauperi retinere. *Nau. cum commun in cons. 9. in nouiss. tit. de incur. & damno dato. Zerola in praxi pœnit. cap. 25. quæst. 30.* Quod si sola acceptio à iure interdicatur, vt in vsura, & furto, damnum passo restituendum est. Hinc surripiens furtiuam pecuniam non furi, sed vero domino cum interesse vt DD. loquuntur, restituere debet, licet lucrum aliena pecunia acquisitum restitutioni obnoxiũ nõ sit *Regius casu* 5. Et rem furtiuam emens etiam si bona fide emerit, inuẽto domino ei, etsi pretiũ nõ refundat, restituere tenetur. *l. in ciuilem. C. de furtis. Natta cõs. 436. Thesaur. in qq. For. l. 1. q. 80.*

Quando, idest, quò ad animum, quam cito solucte debet esse promptus, sed quò ad executionem, quàm cito opportunitas affuerit. Sic regulariter debitum absque termini alicuius præfinitione, statim soluendum est, si ex delicto debeatur; si autẽ ex contractu consurgit, tunc demum est soluẽdum, cum dominus illud expresse, vel tacite petierit. Debitum autem ex lege, vel statuto, sine termino pendendum est, cum exigitur, vt in decimis, & alijs tributis, ex regionis more. Legata vero pia statim persoluenda sunt, & quàm primum potest, licet in iuris pœnas quis non incidat, si ipsa pia intra sex menses, alia vero non pia intra annum nõ impler. Item dos construendæ ecclesiæ à testatore legata statim ante constructionem debetur; quoniam in ecclesiæ ædificatione, præter fauorem piæ causæ, hoc est etiam speciale, vt quando mittitur primus lapis, dos consignetur. *Io. Med. C. de cõfess. q. 13. Pet. Nau l. 3. c. 4. n. 166. Cou. in c. si heredes ex de testam. Nald. v. debitũ num. 23. & v. legatum. num. 17. Marc. Ant. Genu. in pract. eccles. q. 266. Molfes. tr. 13. c. 5. nu. 202.*

Admonent etiam communiter DD. in casu in quo debitor ex aliqua causa, vel titulo, cum sui status iactura restituere non tenetur, superfluos nihilominus sumptus restringere debere, & vanitates relinquere, & genium aliqua ex parte defraudare: parsimonia enim opes auget, & magnum vectigal est. Hinc Socrates Heschilem qui inopia premebatur, admonere solebat, vt à se ipso mutuum, vel vsurã sumeret, sibi ipsi scilicet, cibaria, & sumptus subtrahendo, vt dixi in *Cõmẽt. de stat. p. 2. c. 16.* Quomodo. i. per se, vel per hominem fide dignum occulta secrete, & publica palam restituendo. Vnde puerilis est illa aliquotũ excusatio, quod rem iniuste acquisitam restituendo infamiam subibunt, &c. in promptu enim expeditus est modus, probi, ac prudentis

prudentis Confessarij opera vti, cui tanquam fideli longe grauiora committuntur, hoc est peccata propria, & animæ negotium. A quo etiam pro abundantiori cautela potest pœnitens traditæ, & restitutæ pecuniæ syngrapham exigere. *Chauas. de prud. l. 4. c. 1. §. 8.* Et pœnitẽs qui res restituendas Cõfessario dedit, satisfecit, donec nõ fuisse restitutas sciat. *Nau. cõs. 4. alias. 5. de solut.* *Filliuc. tr. 32. c. 5. n. 136.*

Quo ordine. vbi potest omnibus satisfieri, nullus ordo est in restitutionibus seruandus, aliàs res alienæ in propria specie existentes restituendæ sunt, postea certa, deinde incerta, vt inter alios. *Lazar. in can. 99. sect. 3. q. 7.* & ex infra dicendis ex communi DD. sententia patebit.

SECVNDVM SVPPOSITVM.

Secundo Supponendum, in re aliena quatuor reperiri. Primo ipsum corpus rei. Secundo impẽsas in ea factas à possessore, vel emphyteuta, quæ vulgo meliorationes dicuntur. Tertio fructus ex ea re à bonæ, vel malæ fidei possessore perceptos. Quarto lucrum rei, quod percepisset, si rem suam habuisset, aut damnum quo læsus est, te sua carẽs, eo quod ab eodẽ bonę, vel malę fidei possessore detinebatur.

Porro Possessor bonæ fidei dicitur, qui rem iusto titulo possidet, vt quia v. g. eam emit, credens, venditorem esse dominum, vel bona fide, & ex iusta ignorantia, ex testamento, legato, vel donatione, seu alio simili titulo rem aliquam cõsecutus est.

Malæ vero fidei possessor dicitur, qui nouit se alienũ habere, vel per iniquã acceptionem, vt à fure, vel qui à accepit ab eo, qui dominium transferre non potuit; vel qui sciẽter à fure emit, aut dubia fide, nimirũ qui prudenter, & probabiliter dubitans, an res quã emit, furti vitio sit affecta, & hmõi. Est vero apud omnes constitutum. Primi generis possessorẽ durante bona fide, ad restituendum non teneri, sed quàmprimum eam alienam esse cognouerit, hac obligatione constringi, non tamen quò ad fructus perceptos. Secundi autem generis detentorem non solum rem, sed & fructus perceptos, & percipiẽdos, & omne interesse restituẽdi onus subire. vt de communi tàm Theologorum, quàm Canonistarũ sententia tradit. *Cou. in regula peccatum. p. 2. §. 6. nu. 4. & §. 12. num. 3. de reg. iu. in 6. Arrag. Salon. & alij. in 22. quæst. 62. art. 6. Carbo. quæst. 27.*

TERTIVM SVPPOSITVM.

Tertio Bifariam posse quempiam ad restitutionẽ obligari, nempe ciuili, ac naturali obligatione. Obligatio ciuilis est qua cõtra obligatum, & illa astrictum in iudicio agi potest; & hæc multipliciter contrahitur. s. verbis, literis, &c. verbis quidem, & literis, vt in stipulatione, aut promissione, Re autem dupliciter, videlicet, ex delicto, vt ex furto, rapina, extorsione, & ex contractu, vt ex mutuo, commodato, deposito, &c. de quibus fuse agunt Iuristæ. *l. 3. in stit. ciuil. tit. de obligat.* Obligatio secunda est naturalis, & in foro conscientię currit, etiã si contra illa deuinctum actio intentari nequeat. Gñaliter autẽ obligatio ex tribus radicib. consurgit. s. ex iniusta rei alienæ acceptione, ex iniqua retẽtione, & ex causa data iniuste acceptioni, aut retẽtioni. Primo modo raptor, fur, vsurarius, restitutioni obnoxij sunt. Secundo morosus debitor, qui ex quò in mora esse incipit, est iniustus alienæ rei detentor, etiamsi rem non iniustẽ, sed de voluntate domini acceperit, vt patet in re ad certum tempus mutuo data, aut commodata. Tertio modo ij astringuntur, qui verbo, aut opere causã dant, vt aliquis aliquo mõ dãno afficiatur, & certũ est, nedũ principalem agentẽ, vel damnum inferentem, ad restitutionem teneri, sed etiam cooperantem, vel participantem, quando causa efficax, vel sine qua non extitit, in casibus per sequentes versus expressis. Si quidem,

Restituet capiens aliena, eiusque minister,
Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Capiens aliena. i. qui per se rapit, vel iniuste damnũ infert. Si autem multi ad vnum, & eundem effectũ, vt ad furtum concurrunt, omnes insolidum tenentur, si sibi inuicem sunt efficax causa, attamen si vnus restituat, alij non tenentur. Sed pro sua parte ad refundendum restituenti obligantur. Sed alia est ratio, quando plures accidentaliter concurrunt, ita vt nullus sit alteri causa; tunc enim quisque pro sua tantum portione obligatur.

Capientis minister, qui ex principalis agentis authoritate est executionis minister, cuius modi est famulus domini iniustam alicuius necem sibi committentis.

Iussio, vt cũ dñs seruo, vel subdito iubet, vt furetur.

Consilium. i. qui ex consilio est iniustæ acceptionis, vel damni efficax causa. Ex quo capite non rarò delinquere solent Aduocati, Principum Cõsiliarij, & etiã Cõfessarij, qui ex culpabili ignorantia, malum, & iniustum consilium præbent, vt propterea restituendi etiam obligationem contrahant. Attamen minus malum consulens, vt maius euitetur, nec charitatem, nec iustitiam lædit, quando hoc malum sit in eodem, in quo illud maius cõmittendum erat; secus si in aliquo alio tertio hoc consuleretur. exemplum sit de parato Petrum occidere, qui suaderi potest, vt illum tantum percutiat, non autem vt eius seruum, vel amicum cædat, &c.

Consensus, i. qui cõsentit, ita vt sine suo consensu non sequeretur effectus, vt qui per vota, consilia, vel suffragia influit in mortem inferendam, vel in aliud

proximi dãni, vt efficax causa cõcurrit. *Alc.iuf cit.*

Palpo.i.laudator, vel adulator, nam qui malefactorem laudat, cumque ad inferendam alteri mortem, vel aliquid aliud damnum inducit, cum illius est efficax causa, ad restitutionem tenetur, ita vt locum habeat quod Bion philosophus dicebat, quod inter animalia fera Tyrannus, inter mansueta vero adulator perniciosior erat. Apte quidem adulator tibicini comparatur, nam tibicen cum tuba clãgit, delectationem ingerit, & affectus mouet. Sic Alexander Mag. illũ audiens gladiũ è uagina eduxit, ac si dimicare vellet; eodem modo adulator passiones ad peccata excitat, quare eadem pœna qua faciens puniendus est. *Mol.tom.3.disp.733.*

Recursus.i. qui scienter furem recipit, vel patrocinium præstat, vel eius furta in proprijs ædibus custodit, ac seruat, ita vt ad male agẽdum, vel ad persistendum in delictis securitatem præbeat. Qui propterea etiam in foro externo eadem pœna qua fur ipse plectitur. *l.eos.C.de furtis.Clarus. in §.fin.q. in fine.Tusch. v.receptator.concl.*47.

Participans.i. qui est socius in furto, vel in rebus furto ablatis partem accipit, sed qui prædæ iam factæ particeps fuit, ad restitutionem tenetur pro ea tantum portione, quæ ei obtigit. Secus si cooperando totius iniustæ actionis particeps fuit, &c. Imo opem in crimine ferens plus aliquãdo punitur quàm ipse principalis, & sic socius filij familias paterna bona surripientis ab excommunicatione, si lata sit, immunis non est, quamuis ipse filius in dubio excusetur, cum pater non præsumatur tàm acri mucrone velle proprium filium ferire. *Nald.v.adiuuare n.*1. *Lazar.de Monit.sect.*3.*quæst.*8. *& alij.* Quò spectat ille Æsopi apologus de eodẽ tibicine in bello capto. qui, vt alibi meminimus, se insontẽ prædicabat, quod neminem occidisset, qui mox audiuit, Sed ideo magis tibi moriendum est, qui cum pugnandi sis expers, alios omnes ad pugnam concitas, vt est apud *Alciat.emb.*174.

Mutus. s. qui sciens, vel videns aliquem furari, vel rapere, dolose tacet. *Sayr.l.*10.*cl.reg.tr.*2.*c.*13.

Nõobstãs.s.furto.cũ sine suo piculo obsistere possit.

Non manifestans, videlicet qui furem, vel rem ablatam non indicat. Sed ij tres postremi licet peccent, non tamen restitutionis rei sunt, nisi ratione officij, vt Iudices, & Gubernatores, aut lege iustitiæ, vt custodes syluarum, vel vinearum ad hoc astringantur. Licet ipsi custodes agrorum cum fures ob necessitatem excusantur, possint absq; culpa dissimulare. Datum etiam à fure alicui vt taceat, vel non obstet, non est restituẽdum, nisi sit pars furti, vel nisi ex officio accipiẽs obstare teneatur. Sicut etiam famuli ad restitutionem tenentur, si non impediunt ne damna ab alijs consamulis, vel ab externis inferatur, quando ipsis illarum rerum est cura commissa, in quibus dominis per furtum iactura fit. *Bonac.cũ cõi disp.*1.*q.*2.*puncto* 9.*n.*7. *Theologi in* 22.*q.*62. *art.*7. *Azor.p.*3.*l.*4.*c.*16.*& seq.Sayr.in cl. reg.l.*10.*t.*2.*c.*15.*& l.*11.*c.*11.*n.*5.*Sà.v.custos.Nald. v.dare, & v.familia Sot.l.*4.*q.*7.*art.*3.*Nau.c.*17.*nu.* 18.*Sũmulary in v.restitutio. Filliuc.tr.*32.*c.*4.*q.*12.

RESOLVTIO.

HIs generalibus fundamentis positis, Ad primam casus partem dico, Emanuelem ad equi furto sublati, & lucri cessantis, damnique illati restitutionem, & compensationem teneri, non vero ad damnum ex incendio secutum resarciendum cogendum esse, si quidem detrimentum quod per accidens ex iniusta actione prouenit, cum non sit præuisum, nec intentum, ad culpam non imputatur. Quamuis forũ exterius quod in falsa præsumptione fundatur, ad illud restituendum, si res in iudicio ageretur, iuris rigorem sequẽdo adiudicaret. Sicut etiam dicimus eum qui ex odio, vel ira, aut vindicta occidit, vel mutilat debitorem, nihil de creditorib. cogitans, vt frequenter fit, in foro conscientiæ eis aliquid restituere non teneri, quandoquidem tunc creditoribus per accidens sine aliqua iniuria nocet. *Mol.disp.*83. *Bannes* 22.*q.*62. *art.*2. *Faustus de restitut.disp.*15.*q.*25. *uide supra tract.*9.*c.*27.*q.*64. Rebellus.p.1.*l* 2.*q.*10.*art.*19 *Bonac.d.*1.*q.*1.*p.*3.*n.*11.

Secundo Eugenium, qui bona fide equum ab Emmanuele emit, ad illius tantum restitutionem teneri, à damni vero emergentis, uel lucri cessantis restauratione immunem esse, nisi in aliquo locupletior sit factus. Nec dominus equi pro eius restitutione, pretium quod in illo emendo Eugenius consumpsit, refundere tenetur. *l. in ciuile. C. de furtis. Sanchez de precept.l.*2.*c.*23.*nu.*2. Quamuis etiam tuta conscientia potuisset equum furi restituere, ne pretium amitteret, nam nemo res proximi tenetur cum proprio damno seruare, cum ordinata charitas se ipso incipiat. *Tusch. in v.charitas concl.* 220.*Salon.de communi attestans.*22.*quæst.*62.*art.*5.*cont.*1. *Nald.in v. Bona.num.*2.

Tertio Sebastianum, qui equum furto sublatum in domum suam recepit, si efficaciter in damnum influxit, in principalis defectum, in solidũ restituendi obligatione ligari; secus si Emmanueli ad furtũ admittendum, vel in delicto persistendum, securitatem non tribuit, sed illum furem, & equum ratione amicitiæ, uel consanguinatis recepit, cum tunc non proprie receptator dicatur, nec quidquam per se ad damnum pertinens præstiterit. communis est sententia. *Sayrus.l.*10.*c.*10. *Azor.l.*4.*c.*12. *Lessius. l.*2.*c.*13.*dub.*3. *nu.*25.*Mol tom.*3.*d.*733.*Reginal.l.* 10. *n.*85.*Vasquez.c.*9.*de restit.*§.1.*dub.*1.*& alij supra citati.*

Cap. II.

Cap. II.

QVAESTIO III.

Vtrum Clericus casu ignorantia comitate hominem occidens. p. m. teneatur ad restitutionem, & irregularitatem incurrat. Num satellites qui illum noctu cum armis redeuntem apprehenderunt, excommunicatione sint affecti. An datum ne maleficium fiat possit repeti, & coram quo Iudice?

GEorgius Clericus ruralis cum plumbea glande crederet feram in agris occidere, illam casu in Bernardum rusticum contorsit, & illum occidit, quem nihilominus interemisset, si hominem esse cognouisset. Quærit Primo, an mortaliter peccauerit, præsertim cum venatio, & armorum delatio tùm iure communi, tùm speciali sui Episcopi cōstitutione sub suspensionis pœna sit prohibita. An satellites qui eum domum nocte cum armis redeūtem deprehenderunt, & ad secularem Iudicem adduxerunt, in excommunicationem inciderint. Et an tuta conscientia repetere possit 50. aureos, quos Cæsari dedit, quò à sui nepotis homicidio abstineret, & coram quo Iudice conueniri. Secundo an ad homicidij restitutionem teneatur. Tertio an irregularitatis labem contraxerit? Quid ei respondere debet Confessarius?

Respon. Pro huius casus, & aliorum similium resolutione hæc prænotanda duximus.

PRIMVM SVPPOSITVM.

PRæmittendum est Primo, Ignorantiam in varias species diuidi, Primo in ignorantiam iuris, facti, ac pœnæ. Ignorantia iuris est, quando lex prohibens ignoratur, ut accidit quando quis clericum percutit nesciens id interdictum esse ab ecclesia, uel homicidium non esse peccatum mortale. Facti, quando iuris adest scientia, sed factum ignoratur, ut accidit, quando licet sciat clericorum percussores graui culpa, & scelere affici, hunc tamen clericum esse ignorat. Pœnæ uero ignorantia tunc est, quando quis in clericum manus inijcit sciens id à Deo, & ab ecclesia prohibitum, & eum clericū esse agnoscens, nescit tamen excōmunicationis pœnam in ecclesiasticorū percussores latam esse. *Sanchez. de matrim. tom. 3. l. 9. d. 32 Nald. in v. ignorantia. Filline. tract. 21. c. 10. nu. 358. & seq. Bonac. tom. 2. disp. 2. q. 8. puncto 3. Molfes. tract. 8. c. 9. Tusch. v. ignorantia. concl. 11. Mascard. de Probat. tom. 2. concl. 881.* Secundo ignorantiam siue iuris, siue facti distingui in probabilem, quæ dicitur inuincibilis, & inculpabilis, & in improbabilem, quæ vincibilis, & culpabilis nuncupatur. Vincibilis est, quæ uinci potuit, sed ignorans homo sufficientē diligentiā iuxta negotii qualitatem non adhibuit. In qua quoque alia est cui grauis adhæret negligentia, alia, in qua leuis negligentia ad mortalem culpam non sufficiens, intercedit.

Probabilis uero, & inuincibilis est, quam leges, & canones approbant, & quæ uinci non potuit, etiamsi debita diligentia præmissa fuerit: vt si quis in deserto existens, sagitta, uel manuatio tormento hominem interficiat, &c. *Mascard. de probat. d. concl. 881. Menoch de præsump. l. 6. psump. 23. Tuschus l. c.* Tertio hæc uincibilis, uel improbabilis ignorantia duplex est, alia affectata, cum quis de industria aliquid ignorat, ne ab agendo quod vult retardetur si sciat, ut v.g. non vult ieiuniorum tempora, uel sacros dies scire, ut liberius edendo, uel bibendo ventri, & genio indulgeat, de qua sane ait, *Psal. 35.* Noluit intelligere, vt bene ageret. Et alia dicitur crassa, seu supina, qua quis ignorat, quod scire debet, & potest, & quod communiter omnes sui status homines sciunt, & crassa uocatur, quia ex desidia laborandi, ut ad scientiam perueniat, nasci solet, quæ sæpius crassis, & obæsis hominibus inest. Et sicut à mortali culpa non excusat, ita etiam ob actus prauitatem à restituendi obligatione immunem non efficit. De qua *Arist. in 2. rhet.* Turpe est ignorare, quod omnibus scire conuenit. Et vt habetur in *Cōc. Tolet. 4. c. 24. & in c. 1. d. 38.* Est mater cunctorum errorum, regio etiam uate sic attestāte, in *Psal. 138.* Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. i. peccata, si quidem homines hac inscitia, & his tenebris suffusi de scelere in scelus ruunt, & in omnis generis facinus se præcipitant; ita ut huiusmodi inscitia grauissimum homini supplicium censeatur. Cuius quidem ignorantiæ olim sphinx symbolum erat: qui enim quod ab illo proponebatur, intellexerat, salutem cōsequebatur, qui uero minime, in exitium incidebat. Cuius ignorantiæ triplex est causa efficiens, nempe animi leuitas, & inconstantia, turpis uoluptas, quæ animum obcæcat, & superbia, seu arrogantia, quæ secum inuoluit perniciosissimum sui amorem, & meliorum rerum contemptum, quem postmodum necessario crassa, & exitiosa consequitur imperitia. *Alciatus embl. 188.* Multorum tamen, & fere communis est, sententia ignorantiam etiam crassam in foro conscientiæ excusare, ne quis in excommunicationem incurrat. *Nau. c. 27. num. 141. Graffius. cons. 22. de sent. excom. Duard. in Bulla Cœna Domini l. 2. can. 1. q. 36. Sanchez. l. 2. de matrim. d. 40. num. 4. & l. 9. d. 32. nu. 36.* Vnde etiam dicit. *Farinac. p. 1. frag. crim. §. bannimenta*, quod licet edicta, constitutiones, & statuta pœnalia, comprehendant etiam ignorantes, & forenses, quando imponunt pœnam pro facto à iure ciuili, vel canonico damnato, ut concors est DD. placitum tàm in foro sæculari, quàm ecclesiastico.

stico, hoc tamen in pluribus casibus non procedit, quorum potissimus est, quando aliqua pœna spiritualis puta excommunicatio imponeretur, quæ semper scientiam, inobedientiam, & contumaciam requirit: Quia uerè scienter quis facere non dicitur, qui ex ignorantia etiam crassa aliquid agit, sed dolus requiritur. Quod, tanquam clauis multorum casuum resolutionem continens, à Confessario annotandum est.

Quarto moralium rerum Scriptores ignorantiam in antecedentem, comitantem, & consequẽtem partiuntur. Prima est, cum quis si sciret, non peccaret, & quia ignorat, delinquit, quare meritò peccatum antecedere dicitur, ac proinde nullo modo uoluntaria est.

Comitans est, cũ quis peccando se peccare ignorat, sed nihilominus etiamsi sciuisset, deliquisset, ut in nostro casu, cum aliquis hominem, putans esse feram, occidit, nec talem ignorantiam uincere potuit, aut debuit; sic tamen affectus in animo erat, ut si sciuisset, illum nihilominus, ut dixi, de medio sustulisset.

Consequens ignorantia est, quæ tanquam effectus, ex peccato nascitur, qualis est illa, in quam homo culpa sua, ex ebrietate, uel furore incidit. *Vasquez in D. Thomã tom. 1. d. 117. c. 1. Sayr. l. 2. cl. reg. c. 2. & de cens. l. 1. c. 18. Pereg. de duello. c. 8. & alij.*

Porro regulariter ignorantia præsumitur nisi probetur, ita ut probandi onus in aduersarium trãsferat; & licet in facto proprio probabilis sit, probabilior tamen in alieno agnoscitur. *c. præsumitur, ubi gloss. de reg. iur. in 6. Mascard. & Menoch. l. c.* vbi longa manu tradunt quomodo, scientia probetur. De qua re agit etiam *Seraphinus in tract. de Priuilegijs Iuramenti Priuileg. 4.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo Præmittendum est, duplex esse homicidium, uoluntarium unum, quod per se, uel per alium deliberate committitur, & sic directe est volitum, aliud est casuale, quod casu præter occidẽtis intẽtionem fit. Vnde si quis rei licitæ operam dabat, ut quia uenationi uacabat, & adhibita debita diligentia, credens feram occidere, hominem occidit, illi huiusmodi homicidium non imputatur, secus si rei illicitæ incumbebat. *c. lator. c. ad audientiã. ext. de homicidio. D. Thomas. 22. q. 64. art. 8. ubi Bãnes. Arrag. & Salon. Sayrus. de cens. l. 7. cap. 5. ut infra in art. de irregularitate dicitur.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio uenationem nihil aliud esse, quàm quẽdam modum acquirẽdi dominium animantium, quæ in nullius bonis sunt. Quæ licet de iure naturali, & gentium licita sit, ut patet in §. *feræ. instit. de rerum diuis. & apud D. Thomam. 22. q. 64. art. 1.* quadruplici tamen ratione potest esse prohibita. Primo ratione publicæ utilitatis, ne ferina soboles extinguatur: & sic uenatio illis mensibus à Magistratibus interdici aliquando solet, quibus feræ grauidæ sunt, & quando niues rigent, quia tunc facile capiuntur. Secundo ratione temporis, ut diebus festis, & ieiuniorum, præsertim si uel festa, uel ipsa ieiunia uiolandi periculum subesset. Tertio causa loci, ut si alicubi à Principe statuta sit immunitas, ne quis ibidem uenari possit. Quarto ob conditionem status personæ, & ita clericis, & multo strictius monachis prohibetur, præsertim ea uenatio, quæ magno canum, & armorum strepitu fit, cũ altaris ministris, & in sortem Domini uocatis sit ualde indecens, & ob scandalum, quod præbetur, ab eorum dignitate, & grauitate maxime aliena. *cap. quorundam. d. 34. & toto tit. de Clerico venatore. Zerula in praxi Episcopali in v. venatio. p. 2. Io. Hieron. Camp. in diuers. iur. can. Rub. 11. c. 23. nu. 43. Farinac. in frag. crim. p. 2. tit. de homicidio casuali num. 542. Molfes. tract. 12. cap. 3. num. 79. Barth. à Fausto. disp. 30. quæst. 2. & alij.*

IV. SVPPOSITVM.

VNde quarto loco præmitto, armorum vsum maxime clericis interdictum esse. *cap. Clerici arma. ext. de uita, & honest. Cler.* idque merito quando quidem arma clericorum sunt lachrymæ, & orationes, ut dixit. *D. Ambros. in c. cõmunior. 23. q. 8.* Excipitur tamen ubi clericus per loca periculosa iter faceret, uel hostes sibi insidiantes haberet, & de Ordinarij facultate ad propriã defensionem arma ipsa deferret. Et multi etiam locorũ Ordinarij synodalibus constitutionibus cauent, ut nulli Clerico canes, aut accipitres, aut falcones, uel eius generis alia ad uenandum habere liceat, ne ecclesiastici reditus qui in pauperibus pie alendis sunt dispensandi, in uictu canum, & auium cum Dei offensione, & populi scandalo insumantur. Ac ideo cum clericorum arma, ut dixi, sint lachrymæ, precesq; pro his quoque, qui eos persequuntur, si quis cum sclopis, hastis, arcu, aut alio armorum genere prohibitorum repertus fuerit, luere debet pœnas Ordinarij arbitrio irrogandas, & presertim suspensionis pęna affici. vide *Bernard. Diaz, & ibi Scholiastem in praxi crim. can. c. 69. Lessium. l. 2. c. 5. dub. 9. Rebellũ. l. 1. q. 14. sect. 2. Reginal. l. 10. n. 360. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. c. 13. §. 21. Mol. tom. 1. d. 44. Carbonem. quæst. 34.*

Quinto Præmitto, in materia restitutionis aliquid illicitum, uel turpe quatuor modis dici, Primo quando

quando id quod iniuste ab aliquo acquiritur, ei debetur, à quo est acquisitum, ut in furto, & rapina. Secundo ex parte tàm dantis, quàm accipiētis, malitiam, & turpitudinem haurit, ut quia iustitiæ, & legi repugnet; huiusmodi est quod ad corrumpendū Iudicem, uel testem datur, uel quod per ludum à lege interdictū comparatur. Tertio quando datio ipsa non est prohibita, sed causa ob quam datur, vt quod meretrici ob mercedem fœdæ uoluptatis perceptæ tribuitur. Quarto quando actio ipsa est tantum ex parte recipientis uetita, ut si quis cuiquam pecuniam porrigat, ne peccatum aliquod, uel maleficium committat: in quo inter DD. disceptatur, an accipiens aliquid pro crimine aliquo omittendo contra iustitiam commutatiuam agat, & restitutioni obnoxius sit. vt per *Graffium. l. 2. decis. aur. cap. 122. Salonem. 22. q. 62. art. 5. Sayr. l. 10. cla. reg. tr. 5. cap. 4. Filliuc. tr. 32. c. 4. q. 7. & alios communiter.*

RESOLVTIO.

HIs præhabitis ad casum quinque difficultates inuoluentem respondendo dico Primo, Georgium clericum à mortali culpa, & homicidij reatu non excusari; tùm quia venari, ac arma deferre à iure communi, & à speciali Episcopi sui Edicto sub suspensionis pœna interdicebatur; tùm etiam quod male affectus erga Bernardum eum occidisset, si eum hominem esse agnouisset. Secundo damnum illatum cum ignorantia concomitante, ex rigore, & obligatione iustitiæ resarcire non teneri, siquidem actio exterior homicidij cum huiusmodi ignorantia facta, non est iniusta, nec ad culpam imputatur, cum ignorantia comitans actum externum à culpa eximat, quamuis prauum affectum internum non excuset. Quæ positio locum habet, etiamsi Georgius occidens tempore homicidij armis vetitis venando, rei illicitæ operam daret, cum non contra specialem iustitiam, sed contra legalem obedientiam deliquisse dicatur, &c. Tertio dico per hæc consequi, ut iste clericus ab irregularitate ex delicto proueniente excusetur; siquidem irregularitas, & censuræ ob externum peccatum incurruntur, opus autem externum cum comitante ignorantia peractum culpa caret, cum peccatum esse non possit nisi voluntarium. Ita contra nonnullos tenet. *Sanchez. l. 1. de præceptis. l. 1. c. 16. nu. 16. Vasquez. 1. 2. q. 76. art. 3. disp. 126. Mol. tom. 4. d. 53. Bonac. de cont. d. 1. q. 1. p. 3. num. 7. & de cens. d. 1. q. 2. p. 1. Pet. Nau. l. 2. c. 1. de restit. num. 61. Lessius. l. 2. c. 7. dub. 9. Reg. l. 10. tract. 1. num. 70.*

Quarto illam resolutionem affero, Apparitores, qui ipsum Georgium nocte domum cum armis redeuntem apprehenderunt, peccasse lethaliter, (nisi bona fides excuset) & in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam incidisse. Quandoquidem in clericos contra profana, & sæcularia edicta delinquētes nullam iurisdictionem laici habent. *c. at si Clericis. ext. de iudicijs. c. si diligenti ext. de foro compet.* Nam dato, & non concesso, quod ageretur de lege ciuili, generali, reipub. & clericis ipsis fauorabili, & sacris canonibus consentanea, cū vt dictum est, clerici arma deferre prohibeantur, nihilominus vera assertio est, clericos in casu quo ex aliqua rationabili causa laicorum statuta seruare tenerentur, ad illa obseruanda per ecclesiasticum Iudicem cogendos esse; & tantum ad obsistendum delicto ad Episcopum Clericos duci posse, si arma gestandi licentia careant. vt per *Vgol. de off. Episcopi. p. 1. cap. 13. §. 12. Geuuens. in praxi* Neap. *cap. 93. Duard. in Bulla Cœna Domini l. 2. cau. 15. q. 11. nu. 91.* Et hæc est verior, & in praxi receptior sententia.

Quinto dico, tuta conscientia repetere posse in iudicio 50. aureos quos Cæsari dedit, ne proprium nepotem occideret, cum ex parte ipsius recipientis turpitudo, & iniustitia uersetur; qua fit, ut statim, & ex natura rei, & ratione iniquæ acceptionis, ante omnem etiam repetitionem sic accipiens danti restituere teneatur. ut ex communiori, & veriori sententia resoluit *Regius in respons. cas. consc. casu. 4.* Hęc autem repetitio coram Iudice ecclesiastico fieri debet, licet enim extet Iuris axioma, Actorem teneri sequi forum rei. *c. cum sit. ext. de foro compet.* nihilominus, vt ait, *Tuschus in v. Actor cōcl. 122.* Vbicunque clericus contra laicum de rebus ecclesiæ, vel suis agit, & in libello deducit, laicum per fraudē vel dolum, seu vim, uel ex contractu nullo aliquid detinere, coram ecclesiastico Iudice lis, uel iudiciū instituendum est, conformiter ad Bullam Gregorij XV. Incip. *Cum nos e.*

CONFESSARII Partes.

PArtes Confessarij erunt ipsum Georgium clericum hortari, ut si non ex lege iustitiæ, saltem ex charitatis præscripto, hæredibus Bernardi occisi, illata damna arbitrio boni viri, si potest, resarciat, tùm quia abundantiori charitate, quàm laici fulgere clerici debent, eius enim vicem gerunt, qui sanguinem profundendo animam pro ouibus suis posuit; tùm quia cum opere externo ad fuit in eo mala voluntas, eum interficiendi, etiamsi talem hominem esse sciuisset, eo quod illum odio prosequebatur, tùm etiam quia rei illicitæ operam dabat, & valde dubium est, an ad illum excessum, & damnū vitandum, debitam diligentiam adhibuerit, ut proinde uel ad cautelam ab irregularitate si qua tenetur, dispensationem ab Episcopo petere debeat, &c. Sapientis est enim ex animi religione, diuinæque

iustitiæ

iustitiæ timore dicere cum *Iob.ca.9.* Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Et illas celebres gnomas in se ipso exequi. In dubijs tutior pars est eligenda. Qui amat periculum peribit in illo. Tene certum, & dimitte incertum. Bonarum est mentium ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. De quibus *D. Anton. p.1. tit.3. c.10, §.11. Nau. cap.27. num.280. & alij communiter.* Sicuti & ei suadere debet, ut ex eiusdem charitatis dictamine, pro anima casu occisi bonis spiritualibus, eleemosynis, precibus, ac sacrificijs, satisfacere studeat. Qui enim charitate arderet, & in ueritate, & opere, non uerbis tantum, proximum amaret, in tra propria uiscera eum si posset, includeret. *Sot l.4. de iustitia, & iure. q.6. art.3, Lessius. l.2. cap.9. dub. 25. & alij communiter.* Quò charitatis igne multi sancti uiri succensi, animas in Purgatorij carcere tortas, orationis, ieiunij, eleemosynæ, peregrinationisquè ope, sed præcipue sacrosancti sacrificij missæ oblatione, dum inhumanis agebant, liberare satagebant; si quidem ex SS. Patrum sententia, citius diuina misericordia ad preces nostras inclinatur, si pro defunctis exoratur. Hinc illa D. Christinæ uox O' si possem Deus meus, carnem, & sāguinem darē pro animabus illis, quas in Purgatorijs flammis adeo castigas. *Surius. tom.3. die 23. Iun.*

QVAESTIO IIII.

An Chirurgus petere possit incrementum salarij, quando certo stipendio cuidam monasterio inseruiuit, in quo monachorum numerus auctus est, & an contumelia Superiorem eius afficiens, ac dicens in eodem monasterio uotiuam castitatem non seruaret. p. m. & ad restitutionem famæ teneatur, & an mortuæ uxori famam ablatam, restituere iure cogatur?

Hieronymus medicus, & chirurgus cum Primo certo stipendio conductus, cuidam monasterio in suo munere, & opera præstanda inseruiret, & monachorum numerus auctus esset, incrementum salarij petebat; quod cum ab illius Collegij Præfecto simul cum Discretorum consensu denegatum esset, quędam contumeliosa uerba in eum coniecit, Postmodum malo ipse animo affectus, in quodam nobilium uirorum cœtu, de illius monasterij fratribus obloquutus est, hoc præcipue effutiēs, in eo incontinētem uitam agi, uotiuam castitatem non custodiri, nonnullos eorum morbo gallico esse infectos: propter quæ uerba, unus illorum patritiorum, qui quotannis largam eleemosynam largiri solebat, manum retraxit, & aliò diuertit, quæritur an iste medicus mortaliter peccauerit, & honorem, famam, emolumentumquè illud ablatum restituere teneatur? & quomodo. Et quid dicendū de augmento stipendij, quod ipse prætendebat, &c. Item cum quibusdam uanis suspicionibus laborans, uenenum in edulijs admixtum uxori, ut clam eam de medio tolleret, dedisset, in extremum uitæ periculum sensim adducta, testamentum condidit, in quo (cum liberis careret) opulentum ei legatum sub cōditione non trāseundi ad secūdas nuptias reliquit, atea defuncta, & uentre eius secto, cum Iudici innotuerit, & uiolentis præsumptionibus constiterit, ab eodem met Hieronymo coniuge necatam, in carcerem coniectus, falsis testib. adhibitis, probauit, his in adulterio eam deprehendisse, & ut honori suo cōsuleret, illā interimere, coactum fuisse, nunc pecuniæ præsidio, & potētium amicorum ope liberatus, hæc fatetur, quæritur etiam quænam in hoc casu sint confessarij partes?

SVPPOSITA, PRAENOTIONES, & fundamenta.

RESP. Suppono quod alibi quoq; nos animaduertimus, contumeliam specie a detractione differre, sicut rapinam à furto, nam proximus per detractionem clam læditur, sicut etiam fit per furtum; est enim detractio alienæ, & etiam propriæ famæ denigratio, seu læsio occulta, & iniusta. Per contumeliam uero aperiè, & in præsentia, in honore, & fama offenditur, sicut per rapinam in substantia damno afficitur.

Secundo ut detractio mortalis culpa sit, & restituendi famam obligationem inuoluat, tria requiri. Primo ut re uera attentis circunstantijs, fama sit ablata, cōtingit enim aliquando, ut quantumuis conetur quis alterum infamare, id tamen nō assequatur, uel quia ei non creditur, uel quia res sit talis ob personarum conditiones, quæ parum aut nihil in fama lædat, ut qui diceret, aulicum, uel procacem iuuenem amicam admisisse, militem ad duellum prouocasse, &c. Secundo ut fama non quomodocunque, sed iniuste sit læsa, non autem iuste, ut in iudicio coram Superiore, quò delinquēs ab eo corrigatur. Tertio ut diffamatus famam aliunde non recuperauerit, puta sufficienti, & apta ratione se purgando, &c.

Tertio Detractionem dupliciter fieri, s. directe, & indirecte. Directe quatuor modis. Primo imponendo falsum crimen. Secundo peccatum uerum, sed occultum reuelando. Tertio uerbis augendo. Quarto quod bonum, & rectum est, praua intentione factum esse dicendo.

Indirecte duobus modis. Primo bonum alterius negando, uel malo animo reticendo, seu uerbis minuendo. Secundo detractionem audiendo, nec obsistendo, &c. communis est DD. sententia, ut per

Bannes,

Bannes, Salonem, Arragonium, & alios in 22.q.73. art. 1. Less.lib. 2.cap. 11. dub. 2.

Quarto ad catalogum insignium animi bonorũ reduci bonam famam, quam ita Sapiens. *Eccles. c. 41.* commẽdat, ut scribat, Curam habe de bono nomine, &c. ut infra etiam dicemus. Et certe ualde necessaria est ad publica commoda prouehenda, ut propterea D. Paulus semper solicitus fuerit, ut prouideret bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *c. sunt nonnulli. 1. q. 1.* Et *D. Thom. 22. q. 72. art. 2.* docet, illatas contumelias nonnunquam repellendas, nõ modo propter bonum illius, à quo inferuntur, seu ad reprimendam eius audaciam, sed etiam ad tuendam authoritatem, propriamquè dignitatem, maxime si apud Magnates, & Principes lædatur. Vnde Homerus insigniter volens Thersitem à moribus infamare, satis habuit uno uerbo dicere,

Odit & hunc magnus Pelides, odit Vlysses.

Qua ratione *Sotus* etiam quem alii DD. cõmuniter sequuntur, in *l. 4. de iust. & iur. q. 6. art. 3. & l. 5. q. 10. art. 2.* ait à graui culpa, & restituendi nexu nõ excusari, qui vni tantum uiro sapienti, & cordato alterius crimen pãdit, cum fieri possit, ut malit quis sua crimina multis externis, & plebeis esse nota, q̃ Prælato, aut alicui uiro graui, à quo metuit, ne male erga se afficiatur, & aliquod incõmodũ reportet.

Porro circa famam ab eo quatuor prudentia obseruari vult. Primo cum homo male sibi conscius fuerit, ne temere se innocentem probare conetur, ne forte in causæ decursu nocens appareat. Secundo ut siue semper male audiuerit, siue non, idq; merito, aut immerito, uitam in posterum innocentem degat, utpote auctuam magis adhuc bonum nomen, aut defensuram, seu purgaturam malum, quia ut est apud. *D. Hier. in epist. ad Fur.* Falsus rumor cito opprimitur, & uita posterior iudicat de priori. Quinimo Mutatio morum per triennium præsumptionem mali de iure cessare facit, & malã suspicionẽ excludit. *§. sancimus. in Authen. de nupt. Farinac. in tit. de delictis, & pœnis. q. 32.* Tertio ut non solum crimine carere studeat, sed etiam ipsa criminis suspicione, ut admonet idem *D. Hieron. in epist. ad Nepot. & Innoc. 3. in cap. cum ab omni. ext. de uita, & honest. cler.* Cur Deus. *Leuit. 11.* animalia quædam immunda reputat, & in cibum assumi uetat, ut camelum, cuniculum, leporem, suem, noctuã, cygnum, & aquilam? non certe quod ex se mala sint, sed quod in speciem, & ingenio suo uitia quædam grauissima adumbrent, camelus superbiam, cuniculus auaritiam, lepus mundanum timorem, noctua carnis prudentiam, sus libidinem, cygnus in terra, & aqua degens, ingenium politicum, & uersatile, aquila rapacitatem. Quarto ubi homo iniquam à se famam depellere studuerit, nec tamen valuerit, caueat, ne plus æquo consternetur: una siquidem hæc est de præcipuis uitæ huius calamitatibus, quam ne sanctissimi quidem effugere omni ex parte ualuerunt, & complutium instar testem habemus. *D. Basilium in epist. ad Patro.* sic dicentem, Nihil occasionis istis dissidio siue parum, siue multũ datum est, sed homines illi qui nos odio prosequuntur, assiduis nos calumniis grauarunt. *Chanas. de prud. l. 3. c. 1. §. 5. Gibert. de uita eccles. cap. 63.*

RESOLVTIO,
& Documenta.

His sic prælibatis, dico, Hieronymum christiani hominis, & medici officio defuisse, cum in monasterii Rectorem contumelias coniecit, & de duobus eius subditis oblocutus est, nullamque causam habuisse de celebrati inter eos contractus fide, & iustitia conquerendi, tùm quia contrahentes de tanto pretio solum pacti sunt; iustum autem pretium illud est, de quo inter partes conuentum est. Tùm quia æqualis est conditio monasterii conducentis, & ipsius medici operas suas locantis: nam sicut Conuentus idem pretium solueret, si fratrum uel monachorũ numerus diminueretur; ita auctiorem mercedem pendere non tenetur, si numerus augeatur, cum non debeat quis petere, cuius contrarium in casu conuerso non esset postulaturus. ut per *Euerardum in top. leg. in loc. à ratione casus conuersiua.* Prꝑsertim quod non admodum creuerit eorum numerus, & operas suas eidem monasterio locauerit, quod certum numerum personarum non habet, quia nunc pluribus, nunc paucioribus constat, &c. *Syl. in v. locatio num. 7. Tab. num. 16. Rebellus. l. 14. q. 15. num. 15. Azor. p. 3. l. 8. tit. de locat. cap. 14. q. 2. Bonac. d. 3. q. 7. p. 4. nu. 18. Hippol sing. 134. Arisin. tit. 370. cap. 17.* vide *supra tract. 9. cap. 20. quæst. 63.*

Proinde manifestum apparet, medicum hunc lethaliter deliquisse, cum charitatem, & iustitiam graviter uiolauerit, cõtumeliosis uerbis monasterii Superiorem afficiendo, & duorum illorum religiosorum, & communis cętui famæ, & existimationi detrahendo: quandoquidem multis nominibus fama est nobis necessaria; quia inter bona externa, maximũ est bonũ, ita ut à Sapiente prout supra innui, pręcipiatur, ut curam de bono nomine habeamus. *Prou. c. 22. & Eccl. c. 41.* vnde ille apud Plautũ ait,

Ego si bonam famam seruasso, sat ero diues.

Nec sunt audiendi, qui famam suam negligunt, cum nobis conscientia, aliis ipsa nostra fama necessaria sit, adeo ut quando nostra fama proximi nostri egent, illius restitutionem remittens grauiter peccet, & pro ea ad Dei honorem, & proximi salutem cõseruandam, uitam exponere liceat. Et in iure causa famæ uitæ causæ æquiparatur. *l. iusta. ff. de manum*

manam.uind.cap.non sunt audiendi.11.q.3.Lopez in instruct.conscientiæ.p.1.cap.65. Io.Bapt.Corrad.in resp.cas.consc.q.191.Menoch.l.6. de præsumpt.præsumpt.49.& l.1.consil.94.nu.1.& seq.Gisbert. de uita eccles.c.63.Sayrus.l.11.clauis reg.c.7. nu.14.& seq.Fab.Iust.super Tob.c.8.uers.12.& attigi supra tract.7.cap.33.quæst.122.

Porro huiusmodi externa bona, quæ ad honorē, & famam pertinent, hoc ordine à moralibus philosophis collocantur, ut Primo loco ipsa fama ponatur, i. bona illa opinio, & æstimatio, quam honor sequitur, signum. s. bonæ illius opinionis, ac etiam laus, quæ uoce prædicationis, eum de quo bene sentimus extollimus: hanc subsequitur gloria, frequens s. apud multos laudatio. Hinc fama dicitur quasi famula, eo quod tanquam serua semper dominæ. i. bonis operibus adhæret; quidam enim famam, & gloriam describentes dixerunt, esse uirtutis umbrā, & cocodrilum, cuius ea est natura, ut sequentem fugiat, & fugientem sequatur. Quò spectat illud Catonis,

Si famam seruare cupis, dum uiuis honeste,

Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia vitæ.

D.Thomas, & ibi scribentes. 22.q.131.art.1.Carbo. de restit. quæst.16. Cæterum etsi uerum esset, illos duos monachos morbo gallico esse infectos, hoc tamen apud alios pandere, graui culpa non cāreret, cum de illis hic morbus asseratur, de quibus mortale esset peccatum dicere, illos esse fornicatos: istius enim defectus manifestatio, maxime in homine graui, & religioso, grauiter eius famā lædit, cū ex fornicario congressu cōtrahi, vt plurimū soleat. Atq; hęc culpa eo magis in medico augetur, quod ex officio occasiones morbi graues, & quæ cum peccato coniunctæ sunt, & magnum scandalum afferunt, celare debet: quemadmodum Hippocrates in tenebris ambulans, iureiurādo pollicitus est his uerbis, Quęcunque inter curandum uidero, uel audiero, imo etiam ad medicandum non adhibitus, in communi hominum uita cognouero, si ea efferre non contulerit, tacebo, & tanquam arcana apud me continebo. ut per *Codrōchium. l. 2. de christiana, ac tuta med. ratione. cap. 27.* Mortalem insuper culpam contraxit hic impius medicus, uerba illa proferendo, In tali monasterio castitatem non seruari, &c. nam iuxta commune DD. placitum, eum ab eadem culpa non excusat, qui in genere monasterium, aut domum infamat, dicendo, in tali religioso cætu nota nō obseruari, male uiui, & hmōi nisi id aliàs notoriū esset, & mala abesset intentio illa uerba proferentis. Simulquè docent, Rectoris collegij remissionem non sufficere, sed communitati, & toti congregationi restitutionem faciendam esse; ut proinde maximopere curare debeant religiosi, quòmodo, ambulent, & qualem uitam degant, cum saltem splendorem, & decorem religio tota unius, uel duorum culpa plerumque amittat, iuxta illud D.Augustini, Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur. Etsi congregatio aliqua mala dicenda non sit, eo quia in illa aliqui mali sint, si quidem nō erat damnandum totum Apostolorum collegium, propterea quod vnus ex duodecim auaritia ductus sanctū sanctorum tradidit, se ipsum suspendit, & crepuit medius. Nec sit permittendum, ut ob aliquotū forte delictū, aliquis religiosus ordo infuscetur, alioqui iure etiam dici posset, si ex tali familia aliqua mulier turpiter lapsa est, ergo ex eadem domo omnes tanquam adulteræ habendę, quod omnino absurdū est, & à ratione alienū. Lilium est inter spinas religio, si spinæ ibi pungunt, ibidem flores olent, & fa-nant: Vnde in spiritualium collegiorum defensionē prouerbiū illud inoluit, Inter Apostolos fuit Iudas. Et licet demus ex multis bonis aliquos malos esse. non tamen in eos temere ferenda sententia est, cum de omnibus ferre iudicium summa sit iniquitas. ut ait, *D.Hieron.epist.11.* Iustum esse fatendum est, ut monachi, & clerici, ut in officio suo contineantur, & virtute præluceant, in terra viuentes cōuersationem in cœlis habeant, gemmasquè imitentur, quæ cum in mari generentur, & ibi maneant, nihilominus cœli colorē præseferūt, adhuc tñ honorādi quod sacris præsint, eorumquè sint administri, & si interdum uitijs implicentur, iuxta illud emblema, Non tibi, sed religioni. *Alciat.emb.7.D.August.epist.137.D.Thomas.22.q.33.art.7.Sayrus.l.11.cl.reg.c.6 num.20.* Cæterū si recte viuant religiosi, & ex statu sui præscripto vitam instituant non affligantur, si obloquētes linguās sentiant, nam sicut apes cum dolore aculeum infigere possunt, sed statim ipsæ pereunt; ita maligni detractores postquam proximo malum inflixerint, contabescunt. Et valde vtiliter seruiunt, si patienter sustineātur, nam uiris sanctis spinæ sunt, Inferni viam obstruentes, limæ sunt à vasis gloriæ rubiginem auferentes, nouacula sunt à filijs Dei elationis pilos eradentes. Vnde & Cato,

Cum recte viuis, ne cures uerba malorum,

Arbitrij nostri non est, quod quisque loquatur.

Malis displicere ait Seneca, laudari est; ideò cum obijcitur, Male de loquuntur homines, respondendum docet, Moueter, si hoc iudicio facerent, nunc morbo faciunt: non de me loquūtur, sed de se; quoniam bene loqui nesciunt, sic enim loqui consueuerunt. Quibusdam canibus, sic innatum est, ut non pro veritate, non pro necessitate, non pro defensione domus, sed pro consuetudine latrent, &c. Atque huc pertinet symbolum canis in Lunam latrantis cum emblemate,

Inanis conatus.

Quippe

Quippe ille magnus, & nobilis, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus ob audit. *Pet. Nau. l. 2. de restit. num.* 358. *Barthol. à Fausto d.* 21. *quæst.* 49. *Scholiast. ad Alciat. emb.* 165.

Modus autem quo contumeliæ in Superiorem inflictæ satisfacere debet est, ut ab eo veniam petat, hoc est agnoscendo per se, uel per interpositam personam, apud læsum suam culpam, vel æquiualentia signa ostendendo boni viri arbitrio. *Syl. in v. contumelia. Salon, & Arrag.* 22. *q.* 72. *art.* 3. *Carbon. de restit. q.* 15. & 25. *Azor. p.* 3. *l.* 13. *c.* 9. *Sayr. l. c. c.* 8. *Reg. l.* 10. *num.* 354. *Mol. tract.* 4. *d.* 46. & *alij*. vide dicta *supra tract.* 12. *cap.* 12 *quæst.* 7.

Quò ad famam restituendam dico, eam difficilis admodum restitutionis esse; si quidem ex sententia philosophi, Semel ad nihilum redactum, non idem numero redit. Et plus homines attendunt, quod est in opinione, quàm quod est in veritate. quāquidem ignis semel accensus facile seruatur, extinctus haud facile reaccenditur; Ita famā tueri non ita laboriosum est, extinctam uero, vel ablatam, difficile est restituere.

Ratio vero quæ in eius restitutione adhiberi poterit, hæc erit, si uerum dixit, sed tamen illa crimina, uel ille morbus gallicus occulta erant, infamatos laudare, ac de his honorifice loqui conetur, vbi de hoc occasio offertur, quā etiam quærere tenetur.

Si autem hic modus sufficiens non iudicetur, vel commode locum habere nequeat, eo quod apud sapientes viros res agatur, qui consuetam famam restituendi artem facile deprehendant, amphibologicis verbis vti expediet, dicendo, mentitum, ac falsum dixisse: quia etsi vno sensu dictum suum falsum non fuerit, nempe quia erat rei cōforme (puta, si uere ea crimina commiserant, quæ eos commisisse dixerat) alio tamen sensu falsum fuit, idq; dupliciter, Primo quia legi diuinæ consonum non fuit, vtpote proximi secretum culpate reuelando, quod peccatum in sacris scripturis mendacium vocatur, iuxta illud *Psal.* 115. mi, Omnis homo mendax. Secundo quia publica veritate verum non fuit, licet veritate occulta verum fuerit. Si autem neque id in praxi sufficiat, debebit in alio genere ablatæ famæ æquiualens restituere, prudentis viri arbitrio. Idq; procedit, si vel falsò infamiæ notam inussisset, postquā retractasset, quod dixit, significando se mentitum esse, adhibito etiam si opus fuisset iuramento. *Bannes, & Salon.* 22. *q.* 62. *art.* 2. *Val. d.* 5. *q.* 17. *p.* 2. *Lessius. l.* 2. *cap.* 11. *dub.* 20. *Rebel. l.* 4. *q.* 10. *nu.* 2. *Barth. Metin. in instruct. confess. l.* 1. *c.* 7. §. 33. *Pet. Nau. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 375.

Hinc sequitur etiam hæc vera resolutio, Hieronymum ipsum medicum qui per suam infamiam iniustè causa extitit, ne monasterium in posterum eleemosynarum emolumenta consequatur, damna illata resarciendi obligatione astringi, nam qui via iniusta impedit, ne quis aliquod bonum adipiscatur, quod probabiliter consecutus fuisset, ad restitutionem tenetur, quatenus ea verosimilis spes valebat, si quidem bonum in spe minus valet, quàm in re; nam multa cadunt inter os & offam, inter calicem supremaquè labra. Et homo est animal mutabile, ac omnium rerum est vicissitudo. *Salon.* 22. *q.* 62. *art.* 2. *cont.* 20. *Pet. Nau. l. c. num.* 384. *Sayr. l.* 11. *c.* 3. *num.* 17. & 19. *Bonac. d.* 1. *q.* 2. *p.* 12. & *d.* 2. *q.* 4. *p.* 16 *Graffius. l.* 2. *decis. cap.* 131. *Carbo. quæst.* 29.

De interrogationibus, quę circa honorem ob delictum carnis, vt stuprum, adulterium, &c. fieri possunt, vide supra circa 6. præceptum Decalogi.

Ad 2. casum propositum dico Primo, Hieronymum cum falsis inductus suspicionib. de vxoris incōtinentia, eam lento veneno necauit, grauissimum scelus perpetrasse: adeo. n. atrox, & nefarium visum est veneficij crimen, ut præcæteris vnum hoc delictū maleficij nomine designetur; crimen est sæuum, & eò occultius, quò sceleratius, & tanto sceleratius, quanto occultius. Homicidas, inquit Philo Iudæus, eosquè qui palam aggrediuntur, videre, ac vitare licet; at occultæ insidiæ, & venena, quæ in conuiuio inter mensas, inter amicos, & sodales, coniunctosq; præbentur, vix caueri possunt. *Ann. Rob. l.* 1. *rerum iudic. c.* 6. *Tholos. in synt. iur. l.* 36. *c.* 18. *Tusch. v. veneficus. cōcl.* 69. Imo etiamsi ipse Hieronymus vxorem in adulterio deprehendisset nihilominus in foro conscientiæ, quidquid sit de foro externo, adhuc illam occidere ei non licuisset, ut post alios ex communi tradit *Molfes. tract.* 11. *num.* 19. *nu.* 64. & *Bonac. de contract. d.* 2. *q ult. sect.* 1. *p.* 2.

Secundo dico, scelus scelere cumulasse, cum falsos testes induxit, q deponerēt suā coniugē bis in adulterio deprehensam fuisse, ac propterea pter peccatū admissum, restituendi etiam famā vxori defunctæ, & eius consanguineis contraxisse, si absque propriæ vitæ periculo fieri possit. Quod si ablatam famā restituendo In probabile vitæ discrimen se conijceret, pecunijs saltem aliqua recompensatio facienda esset, vt si nō æqualis, & iusta, aliqua tamen, & possibilis fieret satisfactio. *ex Beia p.* 2. *casu* 1.

Vnde dico, Tertio recōpensandi, & damnū illatū resarciēdi modū esse posse, si legatū illud vel eius partem arbitrio prudentis, hæredibus cōsanguineis dimitteret: quod quidem amittere quoque diceretur, si ad secundas nuptias transiret, si quidem testatrix potuit sub pœna secunda uota mariti prohibere; licet enim conditio reijciens nuptias non teneat, quando is cui adijcitur, nunquam matrimonium contraxit, nec consummauit, quando tamen coniugium iniuit, & copulam cum vxore habuit, valide ei prædicta imponitur pœna. vt post alios tradit, *Sanchez. l.* 7. *de matrim. d.* 91. *num.* 5. *Tusch. v. legatum.*

v. legatum.concl.104. Bonac. de cont. disput. 3. q. ult. puncto ult. num. 26. & Naldus. v. testamentum. num. 12. & omnes communiter.

Cap. III.

QVAESTIO V.

An qui impia suasione à proposito ingrediendi monasterium puellam retraxit, peccauerit mortaliter, & in censuram inciderit, & an tàm monasterio, quàm ipsi puellæ quidquam restituere teneatur. An etiam consilium dando, falsos testes vita, honori, uel rebus damnum inferentes, posse salua conscientia occidi, secuto effectu, culpam lethalem, & restituendi obligationem contraxerit, & in irregularitatem inciderit.

ANtonius I. C. cum ex testamento Margaritæ puellæ orphanæ; sed diuitis Commissarius, & Curator relictus esset, illam, quæ in quodam monialium obseruantiori monasterio degebat, & in earundem sanctimonialium cætum coaptari decreuerat, impijs, & falsis suasionibus retraxit, utpote iactans eam, præstàtius, ac facilius in sæculo, quàm in religione salutem consequi posse. Atq; eum illā apud se in proprio domo retineret, ad secum turpitudinem perpetrandam sollicitauit dicens, peccata carnis cum leuia sint, à Deo nō puniri. Quæ tamen puella, etsi Deo opem ferente illæsa pudicitia euaserit, nec in turpem actum consenserit, grauibus tamen tentationib. nūc urgetur, & ob prauam illā doctrinam offensionem in anima patitur, ac in pudicitiæ discrimen adducitur. Item cum quidam falsi testes conentur Eugenium innocentem uita, & honore, uel saltem rebus, seu facultatibus priuare, consilium præbet, illos posse ab eo tuta conscienria occidi, propter quod eosdemet duos testes de medio sustulit. vnde pariter.

Quæritur Primo, an homo iste peccauerit mortaliter, illam à religionis proposito reuocando. Secundo an in aliquam censuram inciderit. Tertio an tàm quò ad monasteriū, quàm quò ad ipsam puellā alicui restitutioni obnoxius sit. Et an idemmet Antonius I. C. lethalem culpā, & restituendi obligationem contraxerit, & in irregularitatem inciderit, cum fallos testes occidi posse Eugenio consuluit.

PRIMVM SVPPOSITVM.

REspond. Supponendum Primo, Curatorum, ac Tutorum obligationes in tribus potissimū consistere. Primo ut bonis moribus, ac christianis disciplinis per se, vel per alium pupillos, uel pupillos sibi concreditas imbuant; nam ex Diotegenis sententia, Adolescentum bona educatio totius reipub. est fundamentum, ut proinde omnibus parentibus, tutoribus, & Magistratibus in primis curæ esse debeat, ut pueri optime instituantur, nec enim alia re meliores homines euadere possunt, quàm recta educatione, quæ, ut ait Seneca, mores facit. Etsi maiorum in rebus alijs prudentiam intueamur, licebit certe in tutorib. datis, & adolescentū minorū curatoribus id uidere, ad eos nempe instituēdos, & defendendos, qui se ob ætatis imbecillitatē, se tueri nequeunt. Est enim adolescentia maxime feruida, & uitijs indulgens, nisi prudentum authoritate cohibeatur. Hinc Horatius de adolescente loquens,

Cereus in uitium flecti, monitoribus asper, &c.

Secundo in eo Curatoris, uel tutoris munus uersatur, ut pupilli bona defendat, ac conseruet.

Si enim Tutores pupillos bonis spolient potius quàm defendant, ij reuera non tutores sunt, sed potius raptores, & eo nomine indigni iudicātur. Hinc *Alber. de Ros. in Dict. in v. Tutor.* dicit, quod Tutor dicitur quasi tuitor, sed hodie communiter magis dici possunt tollitores, quàm Tutores, quia communiter pupillorum bona tollunt, ac furantur. At ut obseruat. *Gutierez. in tract. de tutelis. c. 1. nu. 12. & Montanus. c. 4.* Qui animo depredandi pupillarium bonorum administrationem suscipiunt, diuinā ultionem, & iram pertimescant, iuxta illud *Exodi. c. 22.* uiduæ, & pupillo non nocebitis. Vnde dicimus dari tutorē Tertio loco opus esse ut eiusdem pupilli negotia utiliter agat, & meliorem conditionem faciat. Et licet Tutores plura possint, tanquam legitimi pupillorum, eorumquè bonorum defensores, eis tamen non licet pro ipsis pupillis septennio maioribus agere, sed illorum tantum personam (ut dicunt) integrare, & contractus in eorum persona fundare, aliàs actus nullus redditur. Nec ex officio tutelæ ad procurādam pupillorum utilitatem cum damno proprio astringuntur, quando ex huiusmodi tutelæ munere nullam mercedem percipiunt. Id uero quod dicitur Officiales cum propria iactura teneri aliorum damnis obsistere, in illis tantum procedit, qui mercede ad id conducuntur, ut sunt Iudices, & Prætores, & alij, quibus stipendium pro munere suo obeundo decernitur. *Nau. c. 25. nu. 66. & seq. Spinus in spec. testam. gloss. 29. Borgnin. de Tut. & Cur. num. 238. Rebellus. l. 17. q. 1. Reg. l. 20. nu. 56. Bellon. cons. 24. Ripa obser. 48. Beia p. 4. respons. casu. 25. Grat. l. 2. Discept. For. c. 243. & dixi supra tract. 7. c. 18. q. 82. & in Comēt. de hum. uita stat. p. 2. c. 26.*

SECVNDVM SVPPOSITVM.

SEcundo Suppono religionē tàm virorū, q̄ mulierum nihil aliud esse: quàm statum quendam ad christianam perfectionem tendentem, idque per

tria

tria uota, castitatis, obedientiæ, & paupertatis. Nec dubium, quin religionis ingressus sit melioris uitæ susceptio, ita ut qui de hoc ambigit, male de fide sentire uideatur, quippe qui Christi authoritate plurimum deroget, qui de religiosa uita amplectenda consilium dedit. Si tamen aliquod sit speciale impedimentum, puta corporis infirmitas, uel alia onera, uel consideretur modus, hanc, uel illam religionem ingrediendi, tunc ab ijs consilium requirendū, de quibus speratur, quod profuturi, non impedituri sint. Atque illi sapientes consulendi sunt, qui non humanas tantum scientias, sed uirtutes practice didicerunt, sapientia enim sine uirtute insipiens, & inanis est. ut ait, *D. Thomas. 22. q. 189. art. 10. & Azor. p. 1. inst. mor. l. 12. c. 1. Platus de bono status religiosi. l. 1. c. 2. & l. 3. c. 36. Fab. Iustin. super Tob. cap. 4. uers. 19. doc. 2.*

I. Q. RESOLVTIO, & Documenta.

HIs suppositis, dico hunc Curatorem Antoninum, pessime suas partes, & officium expleuisse, & iuris prudentiæ, quam profitetur, præcepta non obseruasse, quæ sunt, Honeste viuere, alterum non lædere, & ius suum unicuique tribuere, cum tàm prauum consilium dedit puellæ, cuius tanquam pater curam gerere debebat, & à religionis ingressu meliori bono retraxit, per quem à mūdi laqueis, carnis illecebris, & Dæmonis magna ex parte insidijs eximeretur, atque in sacrum illud monasteriū munitum diuinis officiis, spiritualibus exercitiis, disciplinis, ieiuniis, obseruantiis, constitutionibus, silentio, solitudine, orationibus, uitæ communione, sancta charitate, atque omnium spiritualium diuitiarum abundantia asciscetetur. Si quidem moniales intra sacra claustra receptæ dicere possunt, Hæc est generatio quærentium Dominum; cum ut ait, Doctor quidam, Si qua in hoc mūdo Paradisi imago exprimi potest, ea nusquam aptius, quàm in monasterio, ubi regularis obseruantia custoditur, referri solent. Vnde *D. Bern. in l. de uera religione*, illud Euangelicum, Bonum est nos hic esse, de religioso statu exponit, quia homo ibi uiuit purius, cadit rarius, surgit uelocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius, moritur confidentius, præmiatur copiosius. Sapienter quoque. S. Vuulstanus in Anglia Episcopus, cuidam sæpius eadem peccata confitenti respondit, Opportunitas, ut uideo, latrones facit, ideo consulo ut monachus fias, & sic uitiorum importunitate carebis. ut per *Sur. in eius uita tom. 1.* Vbi tamen animaduertendum est, hunc tàm præclarum religionis statum non precibus, ui, aut metu, sed cum maxima animi libertate assumēdum esse, cum nemo diligat, quod non eligit, & uoluntatis coactio in hoc infelicem finem sortiatur. Ideo *Conc. Trid. sess. 25. de regul.* sub anathematis pœna coercet cogentes virginem monasterium ingredi, quæ pœna de puellis, non de pueris masculis, & effectu subsecuto, intelligitur. ut per *Azor. p. 1. l. 13. c. 18. q. 2. & Barbosam multos allegantem. de Episcopo. p. 3. Alleg. 104. Filluc. tract. 14. cap. 6. quæst. 5.*

II. Q. RESOLVTIO.

VNde secundæ quæstioni satisfaciendo dico quod idem Antoninus præter lethalem noxam, quam admisit, huius virginis volūtatem à religionis ingressu, & à veli accipiendi, votique emittendi proposito deflexit, excommunicationis vinculo se irretiuit, à qua tamen cum nemini sit reseruata, cuilibet approbato confessario absoluere licebit. *Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 18. Suarez. tom. 5. d. 23. sect. 3. num. 10. Bonac. de cens. disp. 2. q. 6. p. 3. prop. 2.*

Addo tamen Antoninum tàm à peccato, quàm à censura excusari potuisse, si in illo monasterio, in quod puella ingredi decreuerat, regula non seruabatur, nam sicut qui alium ad religionem inducit vbi regularis obseruantia uiget, laudabiliter facit, ex *D. Thom. 22. q. 189. art. 2.* sic qui dissuadet illius religionis ingressum, ubi ob substantialia ibi collapsa, pro libito viuitur, non peccat, sed iuste, & bene agit. Imo parentes, & tutores à graui culpa non excusantur, qui filios, uel filias, pupillos, uel pupillas, religiosis monasterijs offerunt, ubi cum perniciosa libertate, & licētia degitur, & promissa secūdū regulas, & constitutiones non obseruantur. *Nau. c. 12. n. 46. & 51. Reginal. l. 18. n. 380. Sanchez. l. 4. de precep. c. 16. n. 14.* Quare etsi in religione cōplectēda in uniuersum quidē errari non possit, in hoc tamen, uel illo ordine amplectendo rūm nos errare contingit, tùm Dæmon multas nobis tenebras offundere potest, sæpe enim perfectionis desiderio flagrantes eò flectit, ubi perfectio minime uigeat, nec Deo, sed sibi seruiatur, & ad Tarrara descendant. Sæpe etiam præpostero quodam feruore, inflāmat, ui plus oneris suscipiant, quàm corporis uires ferre queant, ac eorum desideria euanescant. Vnde ne in instituti delectu ullus error contingat, duo sunt uidenda, primum ut sit ipsum perfectum, deinde ut perfecte, & exacte seruetur: nam licet aliqua familia sanctissimas habeat Cōstitutiones, ac Decreta, si deinde eis non pareant, uel pauci pareant, id quidē parum prodest, imo multum obest; nec debet ullus sibi confidere, ut se multitudini resistere posse speret, & cæteris errantibus rectam uiam tenere, uel etiam post ingressum, & uotiuam professionem emissam, si & ipse sic perdite viuat, iustam excusationem

affecte, quod in eo statu, quem talem inuenit, sit professus. *Velatas in instit.uita spiritualis.l.4.c.15. Platus de bono stat.relig.l.3.cap.36.*

III. Q. RESOLVTIO

TErtiam quæstionem resoluendo dico. d. Antoninum, qui impia fraude, & iniquo consilio, puellam Margaritam à proposito, & ingressu religionis auertit, non solum teneri fraudem tollere, sed etiam omne damnum, quod inde patitur religio, restituere, his consideratis, quæ in hoc negotio considerari, ac perpendi debent; habita. f. ratione commodi, quo religionem priuauit, existentis tantum in spe, & pendentis ab ipsius puellæ mutabili voluntate: & ponderatis sumptibus, qui in ea alenda facti fuissent, &c. *Vasquez. de restit. c.8.dub.2. num.38. Mol.tract.4.d.51. Azor.p.3.l.5.c.2. Bonac. d.2.q.1.p.1.nu.4. Carbo.quæst.9. Reginal.l.10.n.306.* vbi ex cōi sententia aduertit, non peccare eum qui alium ob legitimam causam à perfectiori statu, & ab ingressu religionis retrahit, ut quia ille sit ineptus, uel mutabilis ingenij, ita ut probabiliter perseueraturus nō sit; aut quod plus damni, quàm commodi, ex ipsius ingressu captura sit religio; aut quia parentes in extrema necessitate constitutos habeat, & huiusmodi. Etsi, ut subdit, generatim religionis ingressum dissuadere, magna impietas est.

Quò ad puellam tenetur Antoninus palinodiam canere, consilium reuocare, & veritatem manifestare, & contrarijs suasionib. ipsam puellā ad bōnā frugem reducere, cui lapis offensionis, & petra scandali extitit. Sicut etiam Prædicator, aut Lector, seu Confessarius si aliquid falsum docuerit, ex qua perniciosa doctrina aliquod spirituale damnum in audientium animis sit illatum, non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia se retractare tenetur. Attamen si quis alium ad furandum, uel ad occidendum, & huiusmodi, suo consilio, uel suasione induceret, promissa ei pœnæ, si ad eam vmquam condemnaretur, indemnitate, ad talem promissionem adimplendam non tenetetur, quandoquidem ex communi enuntiato, Contra bonos mores nulla est obligatio *l. si à reo. §. fin. ff. de fideiuss. c. nō est obligatorium. de reg. iur. in 6. Nald. in v. inducere. num. 4. & alij communiter.* Aliàs malum cōsilium in mali consultoris caput recidet, iuxta illud Prouerbiū; Malum consilium consultori pessimum. Sacra quidem res est consilium, atq; ut est libenter accipiendum, cum res postulat, ita est religiose, citraq; fraudem dandum, si quis egeat, alioqui non defuturum est diuinum numen, quod pœnas ab eo repetat, qui rem sacram, ac diuinam perfidia violauerit. *Aul. Gell. lib.4. noct. att. cap.5. & Manut. in Adagijs.*

IV. Q. RESOLVTIO, & Documenta.

AD 4.q. dico, quod si bona tūc fide, & probabili alicuius Doctoris sententia fultus, quem merito censuit doctrina, & consciētia preditum Antoninus hoc asseruit, tàm à peccato, quàm à restituendi obligatione, & etiam ab irregularitate liber esse poterit, cū. f. Eugenio interrogāti consuluit, falsos testes apud Iudicem crimina cum probabili vitæ, vel rerum suarum periculo intētantes, tuta conscientia occidi posse; quod quidam DD. non pœnitendi concesserunt, inter quos est *Bannes 22.q.64. art.7.* & probabilem opinionem sentit *Pet. Nau. l. 2.c.3.nu.361.* eo quod falsum deponentes videantur ipsum Eugenium alieno gladio nempe Iudicis interimere; ad effectum autem in foro conscientiæ non peccandi, sufficit eius Doctoris opinionem sequi, qui satis peritus, ac probus existimatur. ut per *Lazar. p.1. can.99. q.13. num.44. Beia. p.1. casu.10. Molfes. tract.8. cap.9. nu.8.85.* Verum hæc sententia, etsi fortasse speculatiue ꝓbabilis videri queat, non tamen in praxi est admittenda, ob multa incōmoda, quæ ex ea sequi possent, facile enim homines sibi persuaderēt, se per calumniā accusari, & nō nisi accusatoris, vel testium morte, effugium superesse, sicquè multæ cædes patrarentur, & reipub. status perturbaretur. Vnde vt inuadentis occisio licita sit, hęc præcipue requiruntur. Primo vt inuasio sit vera aggressio, & per vim facta, quia ius naturale solum in ipso congressu vim vi repellere concedit, proinde, vt dixi, si Iudex per iniquum processum, vel falsi testes per calumniam, innocentem vita priuate contendant, fas non erit illos occidere. Secundo vt defensio sit moderata, hoc est in nullo excedat id quod ad euitandum damnum necessariū est, adeo, vt fiat animo duntaxat, conseruandi se, & sua, & necessitate tali vt aliter se tueri nequeat, quod in nostro casu locum non habet, cum aliò se conferendo euadere possit, &c. vt per *Lessiū. l.2.c.9. dub.8.n.47. Bonac. de contr. d.2.q. ult. sect.1.p.9. Mol. fes. tr.11.c 19.n.109. Beiā p.2. casu.1. Incip. Petrus,*

Confessarij ergo munus erit, hunc. I. C. admonere, vt in posterum opiniones illas non sequatur, quas *Socinus Iunior volum.1. conf.128. num.48.* saturninas vocat; i. nō receptas, & approbatas. Et in his, quæ diuinum ius concernunt, se consulentes ad Theologos remittat, ne cum animæ propriæ, & aliorum discrimine, in alienam messem falcem mittat; qui postmodum libratis rationum ponderibus tutiori, ac cōmuniori Doctorum sententiæ adhærere debent, iuxta per nos tradita supra. *tr.5.c.9.q.60.*

Sicuti etiam tanquam à christiana veritate aliena improbanda est illa sententia, quæ tenet, pro recuperando honore, licere alium occidere, si quidē

hoc

hoc non esset ipsum honorem defendere, sed vindictam sumere. *Sayrus. in cl. reg. l. 7. cap. 10. dub. 8. Melfes. tract. 11. cap. 19. nu 79. Filliuc. tract. 29. c. 3. nu. 52.* & communior est sententia, & in praxi receptior contra *Bonac. de cens. disp. 2. quaest. ult. p. 10.*

Prudentiæ quoque Confessarij actus erit interrogare, qua intentione Antoninus verba illa falsa, & impia protulerit. s. Faciliusin sæculo, quàm in religione posse quempiam animæ salutem consequi, & peccata carnis ut leuia non puniri à Deo, si enim ex errore intellectus hæc dixerit, hæreticus censendus esset, & pro absolutionis beneficio ad hæreticæ prauitatis Inquisitores mittendus. *Castrens. l. 2. de Iusta haeret. punit. cap. 25. Simancas in Cathol. instit. tit. 9.* per ea quæ scripsimus supra in *art. p. praecepti. Decal.*

QVAESTIO VI.

An per praescriptionem verum trāsferatur dominiū, & an pendente ipsius praescriptionis, uel usucapionis iudicio, possit quis religionem ingredi, &c. An incidat excommunicationem latam contra detinentes res alterius, qui eas suo confessario, ut restitueret, tradidit, nec tamen restituit.

HEnricus cum suus pater Stephanus vineam quandam simul cum domo rustica à Luca emisset, & per quadraginta annos illa bona possedisset, ab hæredibus d. Lucæ conuenitur in iudicio, vt pretium fundi illius à patre suo defuncto empti soluat, cum solutionem factam esse non appareat; ipse tamen se legitima præscriptione tuetur: atque interim pendente lite religionem ingreditur. Item antequam ad religiosum statum conuolet, centum aureos ex illicito cōtractu acquisitos, Petronio suo Confessario, Andreæ cui debentur restituendos tradidit, quos tamen non restituit, sed in proprios vsus insumpsit; cum autem lata sit excōmunicatio contra detinentes res Andreæ iam defuncti. Quæritur an tuta conscientia, religionem ingredi potuerit, & quid ei quò ad vtramque quæstionem Confessarius consulere debeat?

SVPPOSITA, & praeuia inspectiones.

REspond. Suppono, multas esse causas, quæ à restitutionis obligatione excusare possunt, nam etsi certum sit, eum qui domino rationabiliter inuito, atque adeo iniuste alienam rem detinet, siue quia iniquè abstulit, siue quia solutionis tempus in cōtractu præstitutum aduenit, debere statim restituere, si quidem nullo temporis momento in peccato hærere licet; attamen communiter omnes Doctores agnoscunt, nonnullas sub esse posse causas, ob quas quis à peccato eximatur, hanc restitutionis obligationem non exequendo; quæ si ad tempus durent, excusabunt à restituendo tùm statim, tùm tantisper donec durauerint, si autem perpetuæ sint, simpliciter à restitutione facienda excusare poterunt, & ad has præcipuas ex communi placito reducuntur.

PRIMA CAVSA à restitutione excusans.

PRima est impotentia, non solum simpliciter, quando quis nihil omnino in bonis habet, sed etiam secundū quid cum non potest restituere quin in extremam, uel grauem necessitatem incidat, aut saltem graue damnum rerum suarum patiatur; uel quia statim restituendo, iuxta sui status honestē parti decentiam, uiuere non posset: nam magna difficultas æquiparatur impossibilitati, ut pluribus probat. *Farinac. p. 1. fragment. crim. nu. 140. & Comit. l. 4. respons. mor. q. 31. Neui; in Syl. nupt. l. 1. nu. 120.* Et *D. Anton. 2. p. tit. 2. c. 8.* docet potentiam, quæ restituendi necessitatem affert, eam esse quæ dicitur facti, iuris, & commoditatis, ita ut incommoditas iuris impotentiam gignat. Atque hoc fundamentū maximam clauem in hac ampla restitutionis materia uocant DD. ut *Gutierez. l. 1. canon. 99. c. 40.* In casu tn̄ in quo debitor cū iactura status restituere non tenetur, debebit, vt dixi, superfluos sumptus resecare, & uanas expensas relinquere, ut æs alienū restituere ualeat, & de hoc Confessarij, & Concionatores nobiles admonere obligantur. Nam

Qui plus expendit, quàm sua bursa rependit,
Non admiretur, si paupertate grauetur.

Etsi Confessarius videre uoluerit, an impossibilitas, quam pœnitēs in confessione allegat legitima fuerit, interrogare debet, an illo anno in ludo, luxu, uel alijs vanitatibus effuderit, etsi hoc affirmat, non credendum est imporentem fuisse, proinde ad restitutionem astringendus erit. *Rodriq. in summa p. 1. c. 45. num. 5. Lazar. in can. 99. sect. 4. q. 4. num. 9. Cranet. consil. 202.*

SECVNDA CAVSA.

SEcunda est voluntaria, & libera creditoris remissio, & condonatio, modo fiat à domino, qui donare possit, absit vis, vel metus, & fraus, uel eiusdē ignorantia, exceptis tamen casibus à iure expressis in quibus remissio ipsa prohibetur, ut Primo in quotidianis distributionibus. *Conc. Trid. sess. 29. de ref. cap. 12.*

Secundo quando Episcopus visitans aliquid ultra sumptus necessarios ad victum exegerit. *exigit de cens.*

de cens. Tertio cū Iudex delegatus munus aliquod præter esculentum, uel poculentum à partibus reciperet. *cap. statutum*. §. *insuper de rescr. in 6.* Quarto quando Inquisitores officij prætextu pecunias extorserint. *Clem. nolētes.tit. de haret. in 6. Faustus de restit. in genere. disp. 4. q. 235. Filliuc. tr. 32. c. 5. q. 9.* Idē est in cōtractu spōsionis super creatione Summi Pont. uel Cardinalium, per Const. Gregor. XIIII. Incip. *Cogit nos.* Nec ad tollendam restitutionis obligationem actualis oblatio necessaria est cum rei præsentia homines ad auaritiam irritare soleat, & solum interuenire debeat in casu posito à *Nald. in v. debitor. num.* 8.

Vnde etiam illa generalis regula annotanda est, quod si causa impellens ad condonandum vera est, quamuis aliquid aliud disponentem latuerit, quā si sciret, nedum non ita disponeret, sed etiam vellet, ut nulla esset huiusmodi collatio, adhuc tamen ualida est, sufficit enim quod causæ mouentes ad dandum, uel condonandum sint ueræ, puta paupertas, quamuis aliæ circunstantiæ eum latentes v.g. accipientis improbitas, & infidelitas, si innotuissent, eū à conferendo retraxissent. Idem *in v. Dare. num. 9.*

TERTIA CAVSA.

Tertia cessio bonorum, modo debitor nil omnino abscondat præter ea, quæ simpliciter sunt sibi ad uictum necessaria, & illa bona iuste sint acquisita, si tamen cedens ad pinguiorem fortunam peruenerit, communis est sententia ad restituēdum obligari, nisi cum magno debitoris dedecore, quibusdam externis actibus cessio sit facta. Qua in re locorum consuetudo attendenda est. ut per *Rol. à Valle. volum. 2. consf. 7. & Con. l. 2. var. resol. c. 1. Menoch. lib. 4. consil. 373. Vrsill. in addit. ad Afflict. decis. 379. Carbo. de restit. q. 83.*

QVARTA CAVSA.

Qvarta causa non statim restituendi est probabilis ignorantia iuris, uel facti, quod res sit aliena. Dubius autem in consciētia tutus non esset, nisi debitam diligentiam adhiberet, ut de veritate constaret; post illam uero factam, quamdiu dubitat, ab ea restitutione excusatur, cum melior sit conditio possidentis, &c. ut ex communi ait, *Sanchez. l. 1. de præcept. c. 10. nu. 44. Bonac. d. 1. quæst. 2. p. 4.*

QVINTA CAVSA.

Qvinta, quando restitutio sine detrimento rerum superioris ordinis fieri non potest, ut si restitutio famæ, uitæ, uel animæ penitentis, damnū allatura esset, si quidem regulariter ex charitatis ordine anima corpori, & fama temporalibus rebus anteferenda est.

SEXTA CAVSA.

Sexta interitus rei sine culpa, & mora eius, qui illam apud se habebat, & determinate illam, eandem numero restituere debebat; nam ex moræ principio ipsi domino tunc perit, &c. *cap. fin. tit. de iniur. & damno dato, Salas. de communi testans de empt. & vend. dub. 50. Bonac. d. 3. q. 2. punct. 8. Faustus d. 6. quæst. 60.*

SEPTIMA CAVSA.

Septima est compensatio debitorum, ut si Petro v.g. ex uno contractu centum debeo, & ipse ex alio mihi totidem debet, nam per compensationem horum debitorum restituendi tollitur obligatio, etiam si altero nolente fiat, modo requisitę conditiones interueniant. De quibus per DD. scribentes. in *22. in 22. q. 62. art. 8. & Sayr. in cl. reg. l. 10. tr. c. 7. Bonac. d. 1. q. ult. p. 2. & alios.* & p nos, *tr. 7. c. 31. q. 125.* Imo compensationem in foro interno ualidam esse nonnulli tenent, etiamsi alij anteriores essent creditores; quia non tenetur quis ita alienis rebus consulere, ut propriarum iacturam faciat. *Comit. lib. 3. responsi q. 39. & Fernand. in Summa. p. 4. cap. 5. §. 13.* Huc etiam pertinet solutio debiti facta creditori creditoris; nam quando quod debetur non est idem numero, sed specie, & valore reddendum, tunc seclusa omni fraude, & damno primi creditoris, soluēs sic debitum, in foro cōscientiæ tàm à peccato, quàm à restitutione liber est, ut ex communi tradit. *Reginus. casu. 49. Pet. Nau. l. 4. de restit. rerum ablat. c. 2. num. 26. Nald. 5. debitor. num. 15. Sayrus. in cl. reg. l. 10. tract. 5. c. 7. num. 6. Bonac. de cont. d. 1. q. 4. pun. 3.*

VIII. CAVSA.

Octaua est compositio à Summo Pontifice, vel ab Episcopo pręsertim cum facile S. Pontifex adiri nequit, impetrata, quando ignoratur cui facienda sit restitutio, siue restituendi obligatio ex iniusta acceptione, siue ex re accepta, siue ex cōtractu orta sit: cum enim incertorum restitutio Christi pauperibus, iure positiuo ita disponēte, facienda sit, sequitur, S. Pontificem, qui omni iuri humano præest, concedere posse, vt debitor per compositionem incerta retineat, & ab eorum restitutione eximatur. Qua facultate ex vsu, & praxi alicubi Episcopi potiuntur, maxime si cum ijs, qui propriæ sunt diœcesis ipsa cōpositio faciēda sit, & Papa, vt dixi, facile adiri nequeat, vt optime ex *D. Ant. & Sylu.* resoluit *Rebell. p. 1. de oblig. l. 2. q. 12. sect. 3. & Barth. à Fausto d. 4.*

Rod.4.q 184. contra *Mol.tom.3.d.748. & nonnullos alios*. Hæc tamen compositio aliquando debitori non suffragatur, vt patet in Episcopo, vel Parocho sine legitima facultate non residẽtibus, qui nulla lege illis opitulãte, fructus eo tempore perceptos restituere tenentur. ex *Conc. Trident. sess.23.cap.1.* Idem est in contractu sponsionum super creatione Papæ, vel Cardinalium, & in alijs casibus, superius à nobis telatis. *Nald v. compositio.nu.3.* vbi verius cõtra *Molinã* resoluit, facta huiusmodi compositione, & vero postmodũ apparẽte dño, nil ei in foro cõscientiæ restituendum; nisi res in propria specie extaret.

IX. CAVSA.

NOna causa est pſcriptio, i. acquisitio dominij per continuam possessionem temporis à lege diffiniti. Est enim ius quoddam, ex tempore congruens authoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus inferẽs, & finem litibus imponens. Quæ descriptio per suum genus traditur, cum dicitur, ius, est enim dominij acquisitio hac particula designata, cui loco differentiæ quædam causæ adduntur, causa efficiens primaria est legum authoritas; secundaria tempus; motiua hominum negligentia in rebus suis curandis: finalis, vt litibus finis imponatur. Differt autem ab vsucapione, quod vsucapio rei mobilis acquisitionem significat, & triennio cõpletur, præscriptio vero decem annorum inter præsentem, & viginti inter absentes spatio perficitur; atque hæc contra laicos, & priuatas personas: nam præscriptio contra ecclesiam quamlibet, 40. annorum, at contra Romanam centum curriculo absoluitur. Quam quidem in integrum restitutionem, certum est Episcopum concedere posse. Sed hoc discrimen hodie confunditur, & passim Iurisprudentes hos terminos vniuoce sumunt. *Authentica quas actiones. C. de sacro sanctis ecclesijs.* Imo semper ecclesia contra præscriptiones in integrum restitutionẽ habet. *Decius.cons.282.Paulus Fuschus. in singul.in v.ecclesia. Lessius.l.2.c.6.dub.18. Raud. de Analog c.33.num.143. Tuschus in v.restitutio in integrum concl.284. Molfes.tract.12.c.3. num.308. Oddus de restit.in integrum.p.2.q.90. art.7. Marc. Anton.l.1.resol.54. Gennen. in Pract.eccl.q.123.*

CONDITIONES AD IVSTAM præscriptionem requisita.

AD legitimam porro præscriptionem quatuor potissimum conditiones requiruntur. Primo possessio, qua quis nomine suo rem possidet. Secundus titulus probabiliter præsumptus. i. qui bona fide validus putetur, vt donationis, testamenti, vel acquisitionis ab intestato, emptionis, permutationis, &c. Tertio bona fides. i. credulitas, qua quis prudenter persuadet rem esse suam, vel saltem nescit alienam. Vnde nec hæres complere potest præscriptionem mala fide à defuncto inchoatam, cum nulla præscriptio cum mala fide, & peccato perficiatur, quidquid aliqui Iuristæ sentiant, diuinæ legi reluctantes, contra quos versiculus ille vsurpari potest,

Gens inimica Deo forense nauigat æquor.

De quibus etiam *D. Bernardus in l. de consid.* cum Eugenio Papa conquerens, dicebat, in foro perstrepunt leges, sed Iustiniani, non Domini, atq; sic contra eos tenet *Surdus* cum communiori, & receptiori sententia *cons.28.l.1. Ala. de adu.p.2.q.18. & sequ. Grilenzonius cons.52.* vbi per hoc resoluit hæredes Prælati defuncti teneri ad dandum stipẽdia famulis ob computationem ab eius œconomo factam, nec in hoc habere locum præscriptionem, quæ non currit habenti malam fidem. Nihilominus mala fides in dubio non præsumitur, etiamsi possessor vllũ titulum non ostẽdat. *Fernand.Vasq de communi te- stans.l.2.Illust.cont.c.79.n.15.* Quarto exigit certi temporis, vt dixi, continuata possessio. Quibus conditionibus vestita præscriptio in vtroque foro ius parit, etiamsi ea peracta mala fides superueniat, hoc est scientia rem illam esse alienam, sicut etiam DD. asserunt per triennium bona fide beneficium possidentem, facere illud suum, si absque vi, & simonia sit obtentum. *Lessius.l.2.cap.6.dub.2. Sayrus.l.9.cl. reg.cap.12. & lib.10. cap.5. Rebellus. lib.10.cap. 20. Azor.p.3.l.1.c.18.q.16.& seq. Bonac.d.1.q.ult. p.2. Emmanuel Sà in v.præscriptio. & v. beneficium. nu.14. Reginal.l.37.tract.3.nu.258. Io. Bapt. Costa in tract.de Restr.tract.casu 30. in 8.cap. Mascard.de Probat.volum.1.concl.259. Riccius in praxi var.resol.resol.110. Regins.in resp.cas.conf.casu. 38. & alij communiter.*

DECIMA CAVSA à restitutione excusans.

DEcima causa excusans à restitutionis obligatione, ut multi volunt, est religionis ingressus; nam siue quis ex delicto, siue ex contractu debitor sit, nec habeat vnde soluat, cedẽdo bonis ei integrum est, ad religionem conuolare, nec per hoc creditoribus iniuriam facere censetur. vt multos huius sententiæ refert. *Sayrus.l.c.§. octaua causa* Sed hanc causam non excusare verior, communior, & receptior in praxi sententia est; nam religionis ingressus ab obligatione naturalium præceptorum, ex quibus vnum est de restituendo, liberare non potest, proinde qui religionem ingreditur, si potest, quod debet soluere tenetur. Quandoquidem iustitiæ obligatio consilio præferenda est; religionis autem ingressus consilio tantum innititur, & restitutio ex

Z 3 iustitiæ

iustitiæ obligatione descendit. Vnde merito antequam quis ad religiosos ordines admittatur, interrogari solet, an ære alieno sit oneratus. Præsertim cum per Sixti V. & Clementis VIII. Decreta, graues pœnæ illis infligantur, qui certis debitis grauatos ad religionem recipiunt; licet professio ex solo information s defectu, & iuridicæ Inquisitionis omissione, de vita, & moribus, ac aliis requisitis iuxta formam dictarum constitutionum, non sit irrita. *Val. l.c. Mol. tom. 3. d. 768. Reginal. l. 10. n. 2. Sáchez. l. 4. de precept. c. 19. nu. 6. Bonac. l.c. propos. 1. Roder. tom. 3. qq. regul. q. 10. art. 9. Miranda in Man. Prælat. regul. tom. 1. q. 17. art. 7. Beia. 4. p. respon. casu 18.* contra aliquos præsertim. *Barbosam de Episcopo. p. 3. Alleg. 104. num. 20.*

R E S O L V T I O.

HIs sic præhabitis, resolutorie dico, Henricum tuta conscientia religionem ingredi potuisse, cum ære alieno onustus dici non potuerit, si quidem quadraginta annorum spatio, rerum à patre suo emptarum qui vir bonus, & integræ fidei semper est habitus, legitimus dominus est factus; & 40. annorum termino, omnia vsucapiuntur, & præscribuntur, quæ aliàs acquisitionem effugiunt; cum etiam in dubio bona fides præsumatur, *l. omnes. C. de præscript. 30. vel 40. annorum Bart. in l. quamuis ff. de præscript. Oinot. in § 1. inst. de usucap. & longi t. sp præscript. Menoch. de arbit. iud. l. 2. cent. 3. casu. 225. Tusch. in v. præscriptio concl. 626.*

Et licet debiti solutio, & satisfactio non præsumatur, cum sit quid facti, & à reo illam alleganti probari debeat, per coniecturas tamen, & præsumptiones arguitur, quarum prima, & potissima est, quę à temporis diuturnitate ducitur, quando creditor per multos annos petere creditum distulit: si quidē tunc temporis cursu, & pręscriptione, debitor soluisse præsumitur, atque ita ab ipso creditore liberatum fuisse; & qui tempore liberatur, similis est illi, qui re ipsa satisfecit. vt late prosequitur. *Mascard. uolum. 3. de Probat. concl. 1318. Menoch. lib. 2. de præsumpt. præsumpt. 135. Simon de Pratis. cons. 68. Felicius alios allegans. alleg. 44. Lessius. l. 2. c. 6. dub. 6. & 9. Sayr. l. c. l. 9. c. 12. nu. 12. & 25. Tuschus. tom. 6. concl. 568. Bonac. quæst. ult. d. 1. p. 2. §. 2. num. 17.*

Ad 2. quæstionem dico, quod quando res ex iniusto titulo acquisita prudenti, ac fideli confessario per eum restituenda, cui debetur, cōsignari possit, (cum pœnitentię sacramenti ministri ad hoc aptiores videantur) si tamen confessarius debitæ fidelitatis, & proprii muneris oblitus, vel alius abiecto Dei timore, ei cui restitutio facienda erat, huiusmodi rem non tradidit, quidquid aliqui senserint, pœnitens debitor non liberatur, vt ait *D. Anton. 2. p. tit. 2. c. 4. §. 1.* vbi subdit, Pœnitens non confidat de Prædicatoribus, & Cōfessariis, & Quæstuariis, qui quærunt pecuniam, & non animarum salutem: nam iuxta Catonis præceptum, Cui des videto, & ex Pythagorica parœmia, Ne cuiuis dextram inieceris, Quandoquidem aliquorum hominum ea sit improbitas, & versutia, vt non modo sermo, sed & frons, vultus, & oculi persæpe mētiantur, & propter fucatam multorum amicitiam vix fratri, vel coniuncto homini fides interdum non sit habenda. Vnde etiam dicit *Roder. p. 1. Summa. c. 79. num. 17.* Quod quādo quis in excommunicationem incidit quia non respondit intra terminum assignatum, & adit confessarium, traditque illi quod habet alienū de illo quod quæritur, & ob quod est excommunicatus; si talis Confessarius negligit dare domino, quod à pœnitente acceperit, si illud iniuste detinebat, iterum tenetur illud restituere, quod si cum potest, facere non vult, excommunicatione etiam irretitur, &c. De qua re videatur etiam *Lazarius de monit. sect. 4. q. 5. & 6. & Fillinc. tract. 32. c. 5. n. 135.* Atque hinc clarescit, quid Henrico confessarius consulere debeat.

Cap. IIII.

QVÆSTIO VII.

Vtrum filius, qui moribundo patri se quadam eius debita soluturum promisit, teneatur de bonis incertis, super quibus cum Episcopo composuit, soluere. Et num Confessarius regularis possit ea sibi, & suo conuentui applicare, &c. An ob osculum, & tactus impudicos, à fœmina ante inita sponsalia admissos, ipsa sponsalia dissolui possint, præsertim per religionis ingressum.

LVdouicus cum religioni D. Francisci se dedicare statuisset, apud Simonem regularem virum suum Confessarium, generalem confessionem fecit, in qua inter alia fatetur, se aliàs quadringentos aureos incertos habuisse; fuerunt enim apud se depositi, sed nunc nullus inuenitur dominus: super quos compositionem ab Episcopo obtinuit. Refert etiam se moribundo suo patri nihil in bonis habenti, trecentos aureos quos Bartholomæo mercatori debebat, solutuum promisisse, & cum ab eodē confessario super hoc consilium peteret, respondit cum nil de paterna hæreditate ei sit relictum, ad nihil d. Bartholomęo teneri, & libere de illis 400. aureis, nō nisi tū in pios vsus disponere posse, quos cū in pauperum vsum dispensandos d. Simoni dedisset, pro se, & suæ religionis vsibus retinuit. Tandem cum Hortēsiam viduam se in vxorem ducturum cum iuramento promisisset, & postmodum oscula, &

impudicos

impudicos tactus à quodam procaci adolescēte ante inita sponsalia admisisse intellexisset, ab his resiliuit. Nunc Ludouicus religionem ingressus alteri confessario ibidem confitetur, & prædicta narrat, quæritur, quid consulere ei debeat, præsertim quod in ea diæcesi incertorum restitutio, & sponsalium propria authoritate solutio Episcopo reseruata est.

PRIMVM SVPPOSITVM.

RESpond. Suppono breuiter, restitutionem domino rei regulariter faciendam esse, eo vero defuncto, hæredibus, qui defuncti personam repræsentant, rem dandam esse; qui in triplici sunt differentia, alij necessarij, quos testator nisi ex legitima causa exhæredare nequit, vt sunt filij. Alij qui ab intestato succedunt, vt sunt fratres, & consanguinei. Alij extranei, qui extrinsecus ad hæreditatem vocantur. Quibus omnibus ex communi sententia, res restituenda est. Si vero facta debita diligentia, nullus horum hæres appareret, si quod restituēdum est, maioris esset ponderis, & momenti, etiam propria authoritate in pios vsus, & Christi pauperes, ex interpretatiua domini vita functi voluntate erogandum esset. Quod si postea aliquis hæres appareat, ille postea à restitutione ei facienda liber erit, &c. *Arrag. & alij. 22. q. 62. art. 5. Carbo. q. 76. Sayr. in cl. reg. l. 10. tract. 5. cap. 2. num. 21. & alij communiter.* Imo secundum probabilem etiam multorum sententiam, res incertæ ab ipsomet debitore præsertim paupere retineri possent; semper tamen quod dominus rei incertæ, vel inuentæ appareret, addunt, si res extet, in conscienria restituere teneri. *Filliuc. tract. 32. cap. 5. num. 99. Azor. p. 3. l. 4. c. 26.* contra *Bonac. de cont. d. 1. quæst. 3. puncto. 4.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo animaduertendum est, vt aliàs annotauimus, Iustam promissionem acceptam, sub mortalis peccati reatu obligare, quando promissor ex debito iustitiæ se obstringere velle intendit, siquidem promissi transgressione humanæ societatis ius, & pietatis lex violatur: cum studiose agendum sit, vt quæ ore promittuntur, opere compleantur. *c. 1. & 2. ext. de pactis. & Cicero l. 3. off.* Pacta, inquit, semper, & promissa seruanda sunt, quæ nec vi, nec dolo malo facta sunt. Illa seruanda non sunt, quæ non sunt ipsis vtilia, quibus illa promiseris. Quò fit, vt omnes nationes, & gentes, fidei violatorem veluti scelestum hominem execrentur; vox autem publica vox est naturæ, vt proinde cōstet, promissionem etiam simplicem, quæ est fidei datio, sub lethali reatu obligare; quā quidem nil est quod homines magis deceat quam in promissis constantia. Vnde est illud tritum omnium sermone dictum, quod iniquissimū auctorem habuit, Quod scripsi scripsi. Vt proptérea non sine causa Aristoteles Alexandrum Magnum admonuerit, vt inita pacta, ac conuentiones seruaret, aliàs male sibi in rebus suis succederet. *Bald. in l. 1. ff. de pactis, & in c. 1. ext. eodem tit.* estquè communis opinio contra *Caiet. & Armillam in summa in v. perfidia, & Garziam de contract. c. 3. nu. 15. & alios* asserentes, promissorem honestatis, fidelitarisquè obligationem solum sub veniali culpa contrahere. vide *Sanchez. l. 1. de matr. d. 5. num. 17. & Bonac. d. 3. q. 11. p. 2. & quæ supra dixi tract. 9. cap. 10. q. 22.* Quæ assertio adeo vera est, vt fornicarius post habitam copulam in foro conscientiæ teneatur promissum pretium exoluere, etsi enim illa promissio ab extrinseco vitietur, nempe à causa ob quam fit, iure tamen naturæ valida est, cum emanet pro re, quæ pretio æstimabilis est. Dupliciter enim illicita promissio dicitur. Primo si fit de re ex se mala, aut vetita, vt si quis dicat, occidam talem, vel faciam tibi corporis mei copiam, si aureos mihi decem largitus fueris. Secundo si de bona quidem, sed in malæ compensationem, vt aureos decem promitto tibi, si talem de medio sustuleris, aut te mihi prostitueris. Prima nunquam implenda est, cum absque culpa pstari nō possit, secundā oportet ante scelestū opus perpetratum reuocare, cuius gratia factum est. *cap. in malis. 22. q. 4.* Post illud autem admissum, contraria de causa, nascitur eius implēdæ obligatio, hoc est quia vna ex parte promissor vltrò in obligationē dandi post perfectum opus consensit. *Chauas. de prud lib. 4. c. 1. §. 3. Salon, & Arrag. d. 22. q. 62. art. 5. Regius casu 8.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio iure merito nonnullos Episcopos incertorum bonorum restitutionem sibi reseruare; quæ quidem non de actu ipso, quo quis incerta tenet, intelligitur, cum plerumquè incerta apud aliquem sine culpa remaneant, vt inuenta, & deposita; & propterea id reseruari non potest; nec illa reseruatione prohiberi, quin incerta retinens absque Episcopi, vel Confessarii consilio restituat; cum vt vidimus, restitutio sit actus commutatiuæ iustitiæ, quæ ius suum cuique tribuendum statuit. Vt omittā etiam, quod si eorum consilium expectandum esset, ea detinenti in peccato morandi occasio daretur, si quidem restitutio statim, si fieri potest, facienda est. Dicendum ergo hanc reseruationē confessarios potius, quàm pœnitentes respicere, cum per illā spūalib. Iudicib. interdicatur, ne illas res incertas absque iudicio Episcopi distribuant, ob casus difficultatem, cum quilibet confessarius non sit aptus ad discernendum, quæ bona dicantur incerta, & quando, ac

do,ac cui restituenda sint. Et quia cum hæc bona in commodum,& vtilitatem dominorum qui ignoti sunt, restitui debeant, rationem bonorum spiritualium induunt, quorum Episcopus est distributor;id quod maxime in hoc casu procedere videtur, quandoquidem Episcopus curam pauperum, pupillorum,& viduarum gerere tenetur.*c.diuina.dist.* 87.*c.Episcopus.dist*.88. Item talis reseruatio intelligi debet, vt confessarius absque suo consilio non eos absoluat, qui huiusmodi bona diù detinentes nondum restituerunt, cum hoc ad quoddam spirituale animarum regimen Episcopo cōueniens pertinere videatur. *Sayrus.l.*10.*clauis regia.tract.*2.*c.* 2.*nu.*15.*&* 19.*Molina.tom.*3.*d.*746.*Barthol. à Fanslo.de restitut. d.*4.*quæst.*180.*& seq.*

IV. SVPPOSITVM.

QVarto Confessarium, sicut & Theologos, & Aduocatos,ob prauum, & iniustum consiliū datum,charitatem, & iustitiam violare, vt proinde ad damni inde secuti restitutionem obligētur; cum ad eos ex officio pertineat, rectè consulere. Idem *Sayr l.* 10.*tract.*2.*c.*8.*num.* 1. *Azor.p.*3.*l.*4.*c.*11.*q.* 6.*Rebell.l.*1.*de cont.q.*10. *num.* 12. *Bonac d.* 1.*q.*2.*p.* 8. *num.* 2c. Tria vero bono Consiliario necessaria esse apud omnes exploratum est. Primo rerum cognitionem,duplicem illam scientiam complectentem,quæ speculatiua,& practica dicitur; scientia enim sine experientia parum in rebus agendis, & persuadēdis valet. Hinc *Tullius l.*1.*de orat.*de Phormione Peripatetico refert,quod cum aliquot horas de Imperatoris officio,& re militari coram Annibale Imperat. disseruisset, interrogatus,quid de illius oratione sentiret, libere dixit, se multos deliros senes vidisse, sed qui magis, quàm Phormio deliraret,neminem vidisse,quod ea quę ipse non esset expertus, vellet alios edocere. Secundo beneuolentiam, seu charitatem, quæ ad voluntatem benefaciendi,ac iuuādi cupidam refertur; sic enim admonet.*D.Ambros.l.* 2 *de off.cap.*12.cum ait, Aduertendum, quod in requirendis consiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus,facilitatis gratia.quis enim in cœno fontem requirat, quis de turbida aqua potū petat?&c. Hinc *Zāchus de sacro milite.l.*3.*c.*1. Caueat, inquit Eques,ne ducatur à Duce superbo,à nauta temerario, à sapiente sine conscientia, à Iudice sine experientia,à medico ignaro; namà primo tempus non consideratur, à secundo nauis mergitur, à tertio quæstio,& lis amittitur, à quarto bona aufeuntur, à quinto vita adimitur. Tertio libertatem loquendi habere debet; nam sicut post conceptum saluberiter fœtum, ac post vterum ferendi laborem,restat tantum vt partus feliciter in lucem edatur; sic bonus consiliarius post rem mature examinatam, post accensam illius ad cōmoda tàm priuata,quàm publica voluntatem, nihil aliud reliquum habet, quàm vt omni trepidatione, ac periculi suspicione fugata,aperte, ac fideliter animi sui sensum in publicum emittat. *Gabr.Card.Palaot.de sacri Consist. cons.membro.*4. *Io.Chocb.in Polit.l.*3.*c.*13.

RESOLVTIO.

HIs sic præiactis, dico Primo,supposita iusta compositione, quam Ludouicus cum Apostolica Sede fecit iustam esse, soluit enim aliquam debiti partem,quam Papa, vel Episcopus piis operibus applicuit,& post modum reliqua sibi retinendi facultatem dedit, consilium à Confessario cito datum,haud rectum fuisse, nec rationi cōsentaneū; siquidem cum trecētorum aureorum debitum à patre contractum ipse Ludouicus de bonis quasi castrensibus se soluturum promiserit, non poterit absque perfidiæ mortalis,& perniciosæ peccato, à promissione resilire; cum negari non possit, gratuitam promissionem externam,& acceptatam,qua se liberè ad illam astrinxit,ex iustitia obligationem etiam inter patrem,& filium inducere. *Sanchez. lib.*4.*de matr.disp.*9.*num.*16. Quippe cum nulla res tàm inimica consiliis sit,quàm celeritas,ea non sunt præcipitanda, neq; statim ad primos animi impetus respondēdum, quod in magna discrimina sæpe conii cere solet. Scite sapiens *Prouerb.*20. Sicut aqua profunda,sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud. Quo pronuntiato significatur,bonum consilium non facile inueniri,nisi diù,& attente cogitando; illi enim qui statim ad interrogata respondent,facile decipiuntur,&c. *vt dixi supra tr.* 5.*cap.*7.*quæst.*45. Proinde cum rem suam agendo sibi,& suo ordini contra sacras sanctiones, & Episcopi præceptum illa bona incerta applicauerit,dicendum est, grauiter peccasse, & Ludouico religionē ingresso restituere teneri, cum vt supra diximus, explorati sit iuris, aliquando etiam Episcopum cū suis subditis præsertim pauperibus, in quorum albū & ipse Ludouicus recensendus est, compositionem facere posse; non tamen in cāsum reseruatum incidisse cēsendū est,cum vt sæpius aduerti,regulares ab Ordinariorum edictis sint exēpti. *Cou. in pract.*99. *cap.*11.*num.*4.*Vgol.de off. Episcopi.p.*3.*cap.*39. §.6. *DD.in Clem.*1.§.*quibus.tit. de priuileg.*

Non credo tamen Simonem confessarium peccasse,si circumscripta prohibitione Episcopi, & remoto scandalo,summam pecuniæ,quæ liberè in pauperes distribuenda data esset(vt quia incertis personis deberetur) in proprios, vel pauperis monasterij vsus recepisset,aliqua etiam portione alijs pauperibus erogata: siquidem nomine pauperum intelli-

guntur

guntur omnes inopia laborantes, ecclesiæ, Zenodochia, monasteria, & alia ornamentis, ædificijs, luminaribus, & huiusmodi indigentia. Item non solũ pauperes mendicantes comprehẽduntur, sed etiam alij, qui ijs, quæ sunt ad decentiam necessaria, indigent. Et deniq; pauperum nomine omnia pia opera censentur. Hinc executor alicuius testamenti datus ad distribuendum in pias causas, tuta conscientia potest pro supplemento congruæ dotis erogare, vt. s. puella decẽter, & iuxta suam conditionem nubere valeat. *Nau. c. 17. nu. 93. Pet. Nau. l. 4. de restit. c. 2. dub. 7. nu. 40. & 50. Azor. p. 3. l. 4. c. 26. q. 3. Vasquez. de restit c. 5. §. 4. dub. 1. Reginal. l. 10. num. 196. Graffius. l. 1. Decis c. 26. n. 20. Sayrus. l. 10. cl. reg. tr. 5. c. 2. nu. 10. & nu. 21. Anchar. cons. 85. Bertach. in tract. de Episcopo. l. 4. c. 4. q. 31. Marc. Anton. Genuensis in Man. Past. c. 71. Zerola in praxi. pænit. cap. 25. q. 37. Barth. à Fausto. l. 4. q. 177. Mantica. de coniect. ult. uol. l. 8. tit. 5.*

Quod attinet ad illam quæstionem, qua inquirebatur, an Ludouicus non obstante iuramento, & Episcopi reseruatione, ob ante oscula, & impudicos tactus à sponsa admissos, tuta conscientia in religionem ingredi potuerit, dico affirmatiuam sentẽtiam veriorem esse; si quidem sufficientes causæ ad sponsalia dissoluenda, cum post ipsa accidunt, ad id satis sunt, si ipsa sponsalia præcedant, dum probabiliter ignoratæ fuerint. vt tenet *Glossa, & Ant. de Butrio. in c. quemadmodum. ext. de iureiurando.* vbi quod ibi sancitur, ob præcedentes causas sponsalia non dirimi, intelligunt, si eæ ignoratæ non fuerint, cum enim nil sit sit volitum, quin prius præcognitum fuerit, ignorans approbate non cẽsetur. Eademquè videtur esse ratio de fornicatione, & osculis, ac tactib. impudicis, quos in se volens mulier admisit; vt propterea Bald *in c. sua. ext. de Procur.* amissionem dotis veluti ob adulterium extendat, si vxor lasciuiose, ac turpiter se osculari sit passa, aut amatorias manus ad mammas admoueri; cui multi subscribunt, existimãtes ea ad adulterium certissima esse præludia, potissimum apud Italos, & Hispanos. Atq; huc illa Nasonis carmina spectare,

Oscula si dederis, fiam manifestus amator,
Et dicam mea sunt, injiciamquè manus.

vt dixi supra tract. 6. c. 13. quæst. 63. Tholos. in synt. iu. l. 9. c. 23. arg. Sanchez. l. 1. de matr. disp. 62. & seq. Idquè multo magis locum habet, cũ Ludouicus ad religiosũ statum conuolauit, crebriori enim calculo receptum est, ei qui sponsalia iurauit, integrum esse, matrimonio minime cõtracto, religionem ingredi. nã *c. commissum. ext. de spons.* tantũ dicit, tutius esse prius cõtrahere, ac proinde solũ consiliũ importat. vt per eundem. *Sanchez. ibi, & Gutierez. c. 25. Fillius tract. 10. cap. 8. num. 281.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrum heres vniuersalis institutus, qui inuẽtarium non confecit, & debita defuncti, & legata pia soluere teneatur. Et quo ordine æs alienum, & legata persoluenda sint, &c.

Mauritius ex hac vita migraturus, condidit testamentum, in quo vniuersalem heredem Alexandrum consobrinum suum instituit, qui hæreditatem sine beneficio legis, & inuentarij adiuit: in qua cum tot bona non reperisset, vt æri alieno, tùm ex titulo oneroso cõtracto, puta emptionis cuiusdam domus, & 200. aureorum mutuo accepto rum; tùm ex titulo gratioso, vt cuidam legato pauperi monasterio facto, satisfacere posset, per multos annos vtrumque debitum soluere neglexit, eo quod nesciret, quodnam prius extinguendum sit: & cum in præteritis confessionibus, quibus debet, peritos consulendo, satisfacere promiserit, nunquam tamẽ id præstitit. Quæritur quomodo Confessarius cum hoc pœnitente gerere se debeat?

SVPPOSITA, ET PRÆVIÆ inspectiones.

PRIMVM SVPPOSITVM.

Respond. Suppono Primo, restitutionis laqueũ ita late patere, vt pauci sint, qui in eum non incidant, & ne qui inciderint, ex eo se explicent, nihil non agere animarũ venatorẽ Diabolũ. Qui restitutioni obnoxios varijs rationibus decipere consueuit. Quippe tantisper dum homo in eo statu est, vt cum impijs illis apud *Esaiam. c. 28.* dicere queat, Fœdus percussimus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum. Atq; cum captiuum Diabolus ad ipsius voluntatem tenet, tandiù velut pace quadam fruitur, vt qui nullis ab eo tentationibus vrgeatur, quia ab ipso quasi iure possidetur. At simulatque in ipso huiusmodi mutatio dextræ excelsi efficitur, vt flagitiosa vita abiecta, ex legis diuinæ præscripto viuere, atque opera pœnitentiæ consentanea efficere incipiat, & rectæ conscientiæ satisfacere, protinus ipse communis hostis in furias ruit, & quæque impedimenta objicit, &c. Quod maxime in articulo mortis ad anteuertendam salutis viam efficere solet; proinde confessarius antequam eum absoluat, prouidere debebit vt per se, atsi nõ potest, per hæredem restitutio fiat, & ne repentino linguæ, vel rationis vsu ægrotus destitutus, restitutionem hæredi mandare nequeat, facultatem à pœnitente obtinere poterit, vt id vice sua suppleat. *Nau. in v. restituere. nu 24. Fillius. tract. 32. cap. 4. quæst. 11.*

Persæ dicebant duo esse peccata, inter homines turpia,

turpia, quorum primum est debitorem esse, alterum mentiri. Coniunxerunt autem hęc duo, eo quod raro vnum sine altero fit, qui enim ære alieno obstricti sunt, in dies se satisfacturos pollicentur, nec tamen quod semel, & iterum promissum est, soluunt; & aliquando restituere volunt, cum aliquo morbo laborant, sed si vita functi fuerint, non vero si superuixerint, quasi velint cum Deo pacem inire, si è vita excesserint, non autem si è morbo euadant, timẽtes ne si restituant, pauperes fiant. Vnde etiam debitores, & homines obærati congruo vocabulo vespertilliones appellantur, eo quod ne in iudicium pertrahantur, & æs alienum soluere cogantur, ad modum vespertillionum lumen fugiunt, & in medijs noctis tenebris, & per amica silentia lunæ volitant. *Alciat. emb. 62.* Sed licet restitutio nonnullam molestiam stomacho inferat, durus enim ille lapis quo Lazarus quatriduanus premebatur. *Ioan. c. 11.* duritiem illam innuit, qua alienum detinens opprimitur; attamen totis viribus conandum est, vt aliena res restituatur, nec superstitum filiorum paupertas, non status diminutio, non pudor, vel verecundia, non humanæ, vel mundanæ rationes retinere debent. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentũ patiatur. *Matth. c. 16.* Olim in pecunia testudinis imprimebatur signum, si quidem hoc animal si manũ mordet, ita illi dentibus insigitur, vt nõ nisi per de truncationem ab ea diuelli possit, etsi caput amputetur, dentibus adhuc illi adhæret: ita pecunia auarorum mentibus ita adhærescere conspicitur, vt ab eis nequaquam separari queat, adeo vt ab eis semel possessa minime restituatur; attamen diuinæ gratiæ præsidio, quæ semper præsto est, nil volenti difficile. Multi se excusant, quod parum à quolibet particulari surripuerint, vt tabernarij, & lanij, aromatarij, & huiusmodi; sed in proprium caput falluntur, cum enim notabilis quantitas mortalẽ culpam constituens conflata est, sub eodem reatu restituere tenentur. Quod si lęsæ personæ ignorantur, vel eis facile restitui non possit, eadem illa paulatim congesta quantitas in Christi pauperes eroganda est. Alias timendum est, ne illis accidat, quod Herinacio cõtingit, qui acub. suis se pomis onerat, & licet in qualibet vice non nisi vnum infixum gerat, cum tamen illis onustus sit, canes insequuntur, & cum in latibulum ingredi nequeat, capitur, & discerpitur. Alij debita non restituunt, existimantes, vt supra dixi, ad illa soluenda non teneri nisi Iudicis sententia condemnentur: cui errori apud multos plebeios ansam præbuit, quod sæpe videant multa debita, quæ in foro conscientiæ non debeãtur, Iudicis condemnatione solui, eo quod forum contentiosum aliquando falsis præsumptionibus innitatur, & secundum allegata, & probata procedat.

Nonnulli putant se satisfecisse, si restituendi onus hæredibus imponunt, cum ipsi in vita hoc commode præstare possint, qui proinde iuxta communem sententiam in malo, ac misero statu hinc descendunt; nec ideo sunt à confessario absoluendi: si quidem talis animi affectus est deprauatus, cum quilibet sub mortali si potest, dum viuit restituere teneatur, &c. Addo etiam multos esse, qui in eo errore versantur, vt existiment, propriæ conscientiæ satisfacere, & partes suas adimplere, si cum debeāt magnam pecuniæ quãtitatem restituere, etiamsi commode possint, simul illam soluere nolunt, sed tãtum per partes. f. vnam partem hoc mense, aliam alio. Nec liberum est confessario, debitori sibi confitenti potestatem facere paulatim restituendi, quando nihil obstat, quo minus integrum debitum statim soluat. vt ex communi ait, *Molina tr. 2. de iust. & iure. d. 756. & Barth. à Fausto. d. 4. q. 202.* Quod si totum restituere sibi durum videtur, audiant restituentes illam Gabriæ, vt est in fabulis, admonitionem, matrem. f. puero nauseanti, qui bouis intestina comederat dicentem, Ne time fili, non enim ex tuis, sed ex alienis vomis. Et vulpes, quæ gracilis angustum intrarat cellæ foramen, furtiuo postmodum inflata cibo, exinaniri eam oportuit, si exitum inuenire, & liberati voluit. *Chauas. de prud. l. 4. c. 1. §. 8. Carbo. de pacificat. cap. 44.* Vrgendum est ergo à confessario, vt debitor si potest, totum suo tempore soluat, si non potest, saltem paulatim, & per partes se debito liberet, nisi & peccati velit esse reus, & male audire, & ad damnum resarciendum teneri, quod iniqua procrastinatio creditori attulerit. Facile enim poterit, si superfluos sumptus amputauerit, si vestibus, ac cibis, & huiusmodi alijs nimis pretiosis sibi interdixerit, vt verbo dicam, si parsimoniã coluerit, nam teste Marco Tullio, quod aliàs aduertimus, magnũ vectigal est parsimonia. Lacedæmonij cum Smyrnæis egentibus commeatum misissent, atque illi beneficium extollere cœpissent. Nihil magnum est, dixerunt illi, hæc enim collegimus vnius diei prandio nobis, & iumentis nostris detracto.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo annotandum pro confessariorum praxi, quando ad restituendum obligatus omnib. est soluendo, non opus esse, ordinem seruare, sed indistinctè restitutio omnibus facienda est, si tamen facultates non suppetunt, hic ordo, & hæc ratio institui potest; vt debita certa incertis præferẽda sint. Et inter certa, prius restituenda, quæ in propria extant specie, quomodocunque accepta sint, quia quamdiù res permanet, dominium penes verum dominum manet. Quò fit vt ex cõmuniori, & veriori sententia, debitor qui omnibus creditoribus satis-

facere

facere nequit, creditorē qui sibi rē credita pecunia adhuc extantem vēdidit, præferre tenentur, cum in hoc casu venditor duplicem actionem. s. ad rem ipsā, & ad personā habeat. *ex Nau. c. 17. n. 49. & alij.*

Quandoquidem debitum est duplex, alterum reale, & alterum personale: reale est, cum creditor in rem ipsam actionem habet, quam iure suo repetere potest, vt si quis in iudicio equum sibi sublatū peteret, suum esse probando; quod dicitur esse ius in re, in ea realem actionem tribuens. Personale vero est, cum quis solum cōtra personam agere potest, quæ aliquid debet, vt si quis pretium frumenti iam consumpti, ab eo cui vendidit repetere vellet, quia cum res vendita non appareat, contra personā agit, in quàm ius ad rem habere dicitur. Et in habētibus personalem actionem semper ij præferuntur, q fauorabilius à iure fouetur, vt ecclesia, pia, causa, dos, fiscus, & hmōi. *Melfes. cōs.* 134. vt isra dicemus.

At licet firma stet regula, rem extantem domino suo restituendam esse, quando de ipsius iure liquido constat, nonnullas tamē exceptiones patitur, quarum prima est in casu legitimæ præscriptionis, quæ, vt supra adduximus, tàm in externo, q̄ in interno foro locum habet. Secundo quando res aliena inuito, vel ignorante domino, consecratur, nam ei restituenda non est, nec desecrāda; sed sic illi de suo interesse, ut aiunt, satisfaciendum est. Tertio excipitur in depositis apud montem pietatis, cuius statuta speciatim cauere solent, rē pignori subiectā domino suo non esse restituendam, nisi prius illi pretium soluat, quod fur eam deponens à monte percepit. *Abb. in c. quod clericis. de foro compet. Frāc. Crem. sing.* 81. *Addit. ad Dec. in l. in omnibus. ff. de reg. iur. Nald. v. restituere. nu.* 3. Quarto fallit quando habens rem alienam in specie extantem eius dominum præuidet in alterius damnum abusurum, cum vnicuique mandauerit Deus de proximo suo. *Eccl. c.* 17. vt ex cōmuni tradit *Sayr. in cl. reg. l.* 10. *tr.* 5. *cap.* 1. *& Bonac. de cont. d.* 1. *quæst. ult p.* 1.

III. SVPPOSITVM.

Tertio obligatio onerosa præferenda est liberæ obligationi, licet hæc facta prius fuerit. Quare obligatio ex mutuo obligationi ex legato, donatione, & promissione anteponenda est; & ratio manifesta est, quia legata, ac promissa aliàs non debita, ijs præiudicare non debent, quibus debitoris bona ex iustitia obligata sunt. Et prius debita certa soluenda sunt, quàm legata ad pias causas relicta, si quidem illa sunt de præcepto, hæc de consilio, & oblatio ex alienis facienda non est; quare si post satisfacta debita iustitiæ, aliquid supererit, id in legatorum huiusmodi adimpletionem insumendum est, &c. *Sayrus l. c. tr.* 1 *t. c.* 7. *nu.* 6.

IV. SVPPOSITVM.

Quarto si debita sint diuersa numero, cæteris paribus illud prius soluendum est, quod est antiquius, qn̄ quidem iuxta regulam, Qui prior est tempore potior est in iure. Hinc si aduocatus à duobus stipendium sumpsit, quorum alter alteri litem mouit, ei qui illius patrociniū prius conduxit, operam suam præstare debet. Et clericus pluribus Episcopis subiectus, puta vni ratione domicilij, alteri ratione beneficij, si contraria mandata ab eis acciperet, ei cui primo subiectus fuit obtemperare debet, & sic in similib. in praxi idem asserendum foret. *Bosrius in cap.* 3. *de temp. ord. lib.* 6. *Roland. à Valle. vol.* 2. *cons.* 44. *nu.* 24. *Salon.* 22. *q.* 63. *art.* 4. *Ala de Aduoc. Christ. p.* 2. *quæst.* 71. At iuxta probabiliorem scribentium sentētiam, Dos quæ dicitur mulieris proprium patrimonium, cæteris creditoribus, & post eius constitutionem, expressam hypothecam habentibus, & anterioribus præfertur: siquidem dotatas esse fœminas ad sobolem procreandam, replendamquè liberis ciuitatem maxime necessarium est. *Pet. Nau. l.* 4. *c.* 6. *nu.* 23. *Molina. Disp.* 536. *Grat. in Discept. Forens. c.* 143. *num.* 49. *Nald. in v. Dos. nu.* 3. *& v. uxor. nu.* 13. *Sà in v. Dos. n.* 15. *Tusch. v. Dos. cōcl* 743. Non tn̄ hoc priuilegiū ad extraneos hæredes transit cum sit personale, sed bene filijs, & alijs descendentibus ipsius vxoris cōpetit. Quod si cætera patia non sint, hæc antiquitas seruanda in creditoribus non videtur; vt si qui posterior est, esset omnino pauper, etsi postponeretur, maximum detrimentum pateretur. Sicut etiam ex probabili multorum sentētia, qui in debiti exactione sua diligentia prior fuit, siue in iudicio, siue extra iudicium, licet posterior esse debuisset, nihil peccat, si quod sibi debebatur retineat: nemini enim facit, iniuriam, dum per suam industriam, & diligentiam suum requirit, ac retinet, iuxta illud, Quia vigilaui, meliorem meam conditionem feci. Quod intelligendum est, modo alij non sint magis priuilegiati, qui præferendi sunt, &c. Quamuis nonnulli. vt *Pet. Nau. l.* 4. *de restit. c. ult. in fine. Lazar. de monit. sect.* 3. *quæst.* 7. *& Nald. in v. creditor. num.* 2. *& alij.* hanc etiam exceptionem non admittere videātur: fere tamen communiter ab omnib. admittitur, qui regulam illam, Qui prior est tempore, & illud Dictum; Quia vigilaui, &c. intelligunt, modo reliqua sint patia, nempe quod creditor alius non sit magis priuilegiatus, aut habeat ius ad rem illam ratione pignoris, aut hypothecæ, tunc enim regulatiter minus priuilegio fulto prius petere, aut accipere non licet, alijs non solutis, ac in sicco manētibus, quoniam sic iustitiam violaret, quæ præscribit vt illis prius quàm sibi satisfaciat. *Val. tom.* 3. *d.* 5. *q.* 6. *p.* 10. *Io. Bapt. Costa in tract. de portione rata. q.* 74. *Lazar. in eau.*

canon.& pract.99 p.1.sect.3. q.7. Qua ratione aliquibus placet, creditorem anteriorem cui omnia bona patris hypotecæ obnoxia sunt, non posse reuocare bona donata filio titulo patrimonij pro sacris ordinib. suscipiẽdis. vt p *Ricciũ in praxi.resol.* 123. Si autem in aliqua Prouincia, vel loco statuta, vel municipales leges circa restituendi ordinẽ vigeant, seruandæ sunt. Vnde Confessarij qui ad leges ciuiles cognoscẽdas non sunt adeo obligati, admonentur, vt cum casus de restitutione secundum humana iura facienda inciderit, Iuris peritos, & causidicos consulant. Ideo prudentiæ virtutem aiunt sapientes vnicuique maxime confessario esse necessariam; cũ namque illa dicatur rerum agendarum ratio, illius auxilio homines iuuantur, non tantum vt munera, quæ sibi incumbunt, caute expleant, sed etiam vt salubria à peritis in arte documenta suscipiant; ordo autem à lege communi, vel municipali præscriptus, ita necessarius est, vt si quis eum non seruauerit propriæ conscientiæ non satisfaciat.

Propterea Cõfessarius in ferendo iudicio præceps esse non debet, sed circa peccatũ in cõfessione auditũ, hęc sex aĩaduertere debet. Primo quę sit illius criminis species, & grauitas. Secundo an sit annexa cẽsura, quę & cui reseruata. Tertio an sit aliqua restitutionis obligatio. Quarto an aliqua alia obligatio ex illo flagitio orta sit. Quinto an aliq̃ de ea re extẽt Pontificiæ, Episcopales, vel vrbis municipales sanctiones. Sexto remedia quæ pro personarum conditione adhibenda sunt. vt aliàs de hoc animaduertimus. In praxi tamen multi restitutionis ordinem peruertendo, ob probabilem ignorantiam à culpa, & restituẽdi obligatione excusantur. Sicut in simili excusari solent illi, qui bona hæredibus alicuius restituenda, in alia opera pia, inuincibili ignorantia ducti, insumpserunt. vt per *Mol.com.3.d.*741. *& Bonac.de cont.d.*1.*q.*4.*pun.*1.*Carbonem.de restit.q.*92. *Sayrus.l.*10.*cl.reg.tract.*2.*c.*7.*nu.*3. *Reginal.l.*10. *nu.*240. *Fillinc.tract.*32.*cap.*4.*num.* 128.

V. SVPPOSITVM.

QVinto, Bona incerta, vt supra insinauimus secundum confessarij ipsius consilium restituenda sunt, vt contingit in propolis, vel vt dicunt reuenditoribus, qui vendendo paulatim plures in pondere, & mensura defraudant, dicentes illud esse lucrum mercis; qua in re cautus esse debet confessarius, cum videamus has fraudes quotidianas esse, & illos pene nunquam emendari, quæ quidem cõfessarius si debitorem viderit magna paupertate premi, dispensare poterit, vt tanquam pauperi partem sibi retineat: si autem ipsi videatur hac occasione liberius aliena rapturum, non expediet, hanc misericordiam facere, ne licentius peccandi occasio offeratur, si quidem

In peiora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebris effrana fauet, &c.

Verum cum pœnitentis indigentia liquet, pluries resoluimus, hac spiritualis patris authoritate opus non esse.

SEXTVM SVPPOSITVM.

SExto Hæredem, qui vel ex culpa sua inuentarium, vt dicunt, non confecit, in foro conscientiæ non teneri soluere debita, vel legata defuncti, si illa hæreditatis vires excedant, & exhauriant, quando quidem lex ciuilis, & forum contentiosum præsumptioni innititur, & plus in hæreditate fuisse præsumit, & quod hæres, ex quo Indicem non confecit, bona defraudauerit; vnde cum de cõtrario in animæ iudicio constat, iuris dispositio locũ non habet. *Abb. in c.quia plerique.ext. de immunit. eccles.*10.*Medina, C.de rebus rest.q.*23.*Con. in cap.*1. *de testam.Iason.in rubrica ff.de acquir. hæredit. Pet. Nau.l.*3.*de restit.c.*4.*2.p.dub.*4.*nu.*137.*Sayrus.l.*3. *cl.reg.c.*7.*nu.*8.*Sanchez.de precept.l.*4.*c.*15.*nu.*37. *Salas.de vsuris dub.*43.*Bonac. d.*3.*q.vlt. p.vlt.prop.*1.*Menochius.l.*1.*consi.*37.*Grilenzonius cons.*66. *Graffius.l.*2.*decis.c.*10.*n.*36.*Tholos. in synt.iu.l.*46. *c.*3.*nu.*18. Vt diximus supra *tract.*9.*c.*9 *q.*27.*& c.* 11.*q.*31. & est communis opinio, & communiter recepta cõtra nonnullos præsertim *Molinam de iust. & iur.d.*217.

RESOLVTIO
casus, ac quæstionum.

HIs sic animaduersis, dico Alexandrum expẽdere debere hereditatis vires, an tot, & tantæ facultates suppetant, quæ & æri alieno extinguendo, & pijs legatis soluendis sufficiant, nam si vtrique debito satisfieri potest, detracta falcidia, (non tamen quò ad legatum pium relictum monasterio) quatenus in bonis est, de ipsa hęreditate persoluendum est, etiamsi inuẽtarium non confecerit, illud quod supra admonuimus, obseruãdo, vt prius, & potius debitum certum, quàm pium legatũ pendatur. *Sayr.l.c.nu.*4. *Reg.l* 10.*nu.*239.*Sanchez.l.*4. *de precept.c.*15.*num.*37. vbi *nu.seq.* Hæc verba subdit, Præferenda autem sunt hæc vota legatis etiam pijs, præterquam necessarijs funeris expensis, quæ etiam ante omnia iustitiæ debita extrahuntur, quia cætera legata sunt omnino voluntaria, sed votorum executio est debita. At omnia iustitiæ debita præferenda sunt votis, &c. Estque communis sententia in praxi recepta vt per *Faustũ de restit.q.*265.*&c.*

Atque hic ipse Alexander hæres de admissa negligentia, quę grauiter eius animam fauciauit, acriter à confessario arguẽdus est, qui tamdiù quod

debebat

debebat soluere distulit, nec quæ pro suæ exoneratione conscientiæ facere oportebat, à peritis quæsiuit, vnde qui aliàs pollicitus fuit, se restituturum, & non restituit, non est absolutionis beneficio donandus, quoniam cõfessarius cum sit medicus, omnem diligentiam adhibere debet, vt pœnitens sanetur, & ne iterum cadat curare, quod nulla meliori ratione fieri potest, quàm absolutionem negando. Et si ex præteritis licet de futuris iudicium facere, vt ille fatetur, qui dixit,

Præteriti ratio scire futura facit.

Sicut antea non restituit, ita nec postea, si absolutionem consecutus fuerit, restituet. Eueniet enim illi, quod scriptum est in *Iob cap.* 15. Erit quasi oliua proijciens florem suum, antequam fructus prodeat nam statim; ac à conspectu confessarij pœnitens recesserit, bonum desiderium abijciet, vt illud non exequatur. Quare præstat illud sapientis consilium sequi. *Prou. c.* 2. Ne dicas amico tuo vade, & reuertere, cras tibi dabo, cum statim possis dare. Posset tamen tàm efficacia suæ bonæ voluntatis signa ostendere, vt attentis circũstantijs, si cum primum potest, satisfacere sponderet, absolui posset. *Pet. Nau. l.* 4. *c.* 4. *dub.* 13 *nu.* 77. *Salon* 22. *q.* 62. *art.* 8. *Graff. l.* 2. *decis. c.* 132. *n.* 43. *Sayrus. l.* 10. *clreg. c.* 2. *dub* 8. *tr.* 3. *Gutierez. l.* 1. *can. qq. c.* 40. *n.* 9. *DD. in c. scribã. ext. de præsumpt. Carbo. q.* 90. *Lud. de Pôte. tom.* 4. *tr.* 5. *c.* 8. *Zerula ĩ praxi pœnit. c.* 22. *q.* 11.

ADMONITIONES, & DOCVMENTA pro Confessarijs.

ANimaduertere debebit confessarius, an Alexander cum soluere posset, legatum pium vltra tempus ab Episcopo præscriptum soluere distulerit, quod in multis locis casus reseruatus esse solet, tunc enim sine eius, vel Vicarij, seu Pœnitentiarij facultate absolui non posset. Generaliter autẽ in hac materia piorum legatorum ille dicitur non posse soluere, qui tantum habet ad victum necessaria: qui vero tãtum necessaria ad statum, sed superflua ad victum tenet, excusandus non videtur; si enim necessitas ecclesiæ, vel pauperum, quibus pium legatum est relictum sit extrema, maxime si testator in suffragium, vel redemptionem animæ suæ legauerit, ob cuius legati solutionis dilationem anima ipsa accerrimo Purgatorij igne torquetur, debitor nisi extrema uel quasi egestate, cui nulla vi obsisti possit, prematur, nulla excusatione tegi potest, & sic in casum incidisse censebitur. Si tamen sine magno incommodo satisfacere non valet, Episcopus tẽpus ad soluendum congruum assignare poterit.

Vbi notandũ, qđ Cõfessarius in foro pœnitentiæ, imo, & Episcopus in foro externo, in his q̃ sũt facti, puta quod tanto ære alieno pœnitens grauetur, vel tot temporales prouentus habeat, vel tantam familiam sibi inseruiẽtem, &c. potest, & debet ei credere, sed in his quæ iuris sunt, puta an prædicti reditus moderate, & debita ratione expendantur, & quantum temporis ad æs alienum soluendum decernendum sit, necessario non est ei præstanda fides, sed Episcopus, & Confessarius considerata pœnitentis conditione, arctiorem, vel longiorem terminum ex munere suo illi præscribent, intra quem de integro, vel pro parte creditoribus, vel pijs legatis satisfacere teneatur: atque de similibus quæ ad ius spectant, sic prudẽter statuendũ est. *Nau c.* 17. *nu.* 117. *Zecchius in Summa mor. de legatis. c.* 61. *nu.* 15. *ĩ fine. & de cas res. casu.* 6. *Nald ĩ v. cõfessio. n.* 36. Porro ad dignoscendũ quoque quãdo nam quis casu reseruato pij legati dilatã solutionẽ affectus dicatur, notandum, legatum pium, vel ad pias causas tunc dici, quando aliquid relinquitur pro honore Dei, vel sanctorum, pro redemptione, vel salute animæ, pro miserabilium personarum subsidio, vt sunt viduæ, pauperes, pupilli, peregrini, hospitales domus, monasteria, quod legatur pro missis celebrandis, pro puellis non coniunctis in matrimonio collocandis. Item pro consanguineis pauperibus, si pietatis intuitu relinquatur. Si vero legat quis diuiti, quamuis dicat se pietatis titulo, & Dei amore hoc facere, non dicitur pium legatum constitutre, nec priuilegijs, quæ pijs causis conceduntur, illud gaudet. *Syl in v. legatum.* 4. *n.* 1. *Zecchius. l. c. Vasquez. de testam. c.* 8. *§.* 5. *dub.* 1. *nu.* 97. *Mantica de coniect. ult. volunt. l.* 6. *tit.* 3. *Tuschus. tom.* 8. *concl.* 118. *Bonac. de cont. d* 3. *q. ult. p* 5. *Molfes. tract.* 13 *c.* 5. *num.* 151. *Cæsar Barz. decis.* 81. *Ala de aduoc. p.* 2. *q.* 6. *Gutierez. de iuramento p.* 1. *c* 69. *nu.* 7. *Nouarius in collect. super prag. Neap collect.* 124.

Hęc postmodũ legata pia iure cõstitutũ est, multis pariter prærogatiuis potiri, vt quod duo testes ad illorum validitatem sufficiunt, debentur etiam ex testamento ex defectu solemnitatis inualido, ex illis nec Trebellianica, nec Falcidia detrahitur; & legatum factum ad conscientiæ expurgationem, vel animæ redemptionem, natiuitate filij ignoranter præteriti, reuocatum non censetur, &c. Item si testator eleemosynam erogari pro anima sua generaliter, & absolute mandet, quantitatem aliquam non exprimendo, huiusmodi legatum valet, & illa incerta quantitas à testamenti executoribus declaranda erit, &c.

Addo ex legum sanctionibus semper summam esse rationem, quæ pro religione, & piis causis facit: Etenim quæ in ecclesiam, vel in pauperes, seu etiam in aliquam aliam piam causam erogantur, vix sine graui diuinæ vltionis animaduersione rescindere, aut reuocare licet. Vnde cum diues quidam grauiter ægrotans, mortis imminentis metu, triginta ar-

genti libras certa piæ voluntatis pollicitatione vouisset, deinde pristinæ valetudini restitutus, pœnitere vellet, & pecuniam in pauperes ex suo largiri recusaret, non mansit inulta auata hęc ac flagitiosa pœnitentia, sed diues iste ex morbo conualescẽs, ad ipsam templi portam mortuus concidit: *Annæus Rober.l.1.rerum iud.c.1.* An vero legata pia si hæreditas pro omnibus alijs legatis soluendis non sufficiat diminutionem patiantur, videndus est, *Riccius in decis. cur.* Neap.decis.22. vbi ex communi praxi resoluit, si hæreditas pro omnibus legatis non sit soluendo, legata etiam pia pro rata diminui, cum legata vltra hæreditarias vires non debeantur.

QVÆSTIO IX.

An in flagranti crimine deprehensus, ecclesiastica sepultura donari debeat. An offensus pacem facere teneatur. Quomodo occisor restituere debeat, Num exul à casibus reseruatis à quolibet cõfessario absolui possit. Vtrum stuprator eam puellam dotare cogendus sit, si qua alio postea cognita fuerit.

MArtinus coniugatus mercator cum coniugales leges oblitus, & abiecto Dei timore, cũ quadam amasia fœmina rem turpem habere soleret, & quadam vice ad eam ad perpetrandum delictum accederet, inuenit ibi Petronium artificẽ, coniugem, & quatuor ex ea paruulos filios habentem, turpiter pariter cum eadem fœmina iacentem, & ira percitus (fœdus enim amor qui furor est, socium non patitur) ipsum Petronium in flagranti crimine deprehensum occidit, ob quod homicidium Martinus in exiliũ pulsus fuit, obnixe nũc ab ea muliere pacem in scriptis postulat, & omnem ex occisione mariti iniuriam illatam remitti, paratus pro secutis damnis omnem satisfactionẽ exhibere. Item quãdã Euphemiam puellã deflorauit, quæ postea ab alijs cognita fuit. Quæritur Primo an Petronius sic misere mortuus ecclesiasticæ sepulturæ tradi debeat. Secundo an eius relicta vxor in foro consciẽtiæ pacem in scriptis facere teneatur. Tertio an damnorum restitutio non tãtum necessarijs hæredibus, sed etiam creditoribus facienda sit, &c. Quarto an Martinus exul factus possit à quocunque cõfessario à casibus reseruatis in diæcesi vbi degit absolui. Quinto an obligandus sit ad d. Euphemiam puellã dotandam, etiamsi passa sit turpiter ab alijs coniugatis cognosci, & cum illa peperit, partum illum tanquam suum agnoscere cogendus quoque sit.

SVPPOSITA, PRAENOTIONES, & præuiæ inspectiones.

PRIMA SVPPOSITIO.

REspond. Antequam ad propositarum quæstionum resolutionem descendam, Præmitto Primo, quod sicut madidam ebrietatem eam vocamus, quę ex nimia crapula, & immoderata potione contrahitur, quæ quidem cum rationem oppresserit, homo brutis similis redditur, sic è contra siccã eam appellare solemus ebrietatem, quæ non ex vino immodice hausto nascitur, sed ex turbidis animi motibus, qui omnem rationis vsum, atque iudicium homini eripiunt; nam ebrietas, vt aliàs diximus, nõ solum in potione vini, sed in omnibus rebus ostenditur, quibus & in cõtractibus, & in seculi negotijs, damnis, ac lucris, amore, concupiscentia, & odio mens inebriatur, ac fluctuat, & statum suum tenere non potest. Si quidem inter multa, & grauia damna, quæ nobis sæuissimus hostis peccatum infert, illud non minimum esse videtur, quod mentis nostræ oculos prauis affectibus à concupiscentia excæcatis obnubilat, & offusis tenebris excæca t, non secus ac ijs cõtingere solet, quos venenatus serpens momordit, à densissimis, & frigidis humoribus sursum ex vi veneni ascendentibus, ipsorumque oculos crassa caligine suffundẽtibus; cum non solum in nobis dum prauis affectibus consentimus, gratiam quæ lucerna est Domini, sed etiam ipsum quodammodo rationis lumen extinguat. Quo quidem sensu dixit Psaltes regius *Psal.* 103. Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Hinc *Climachus de humilit. gradu* 26. Oẽs Dęmones, inquit, primum intellectum nostrum obnubilare contendunt, atque ita demum ea quæ sibi sunt amica suggerunt; nisi enim mentis nostræ claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterunt.

II. SVPPOSITIO.

SEcundo Suppono, in peccato mortali quatuor offensiones considerari posse, Prima offensio fit contra Deum, Secunda contra Ecclesiam, quia qui libet lethaliter delinquendo, Dei, & S.Romanæ Ecclesiæ præcepta transgreditur, & per cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionẽ vtrique satisfit. vt per *Gloss. in c. peccati. de reg. iu. in* 6. Tertia offensio contra rempublicam. Quarta cõtra proximum committitur. Si quidem ex delicto duæ oriuntur actiones, vna ad publicam vindictam, quando respub. læsa est, cui per legitimas pœnas, quas reus subit, satisfactio exhibetur, cum reipub. interfit delicta puniri. Quò vero ad proximi offensionem per rei ablatę, & damni illati restitutionem, prodita est compensatio, *c. peccatum. de reg. iu. in* 6. Nec enim solius charitatis, sed etiam iustitiæ leges violatæ sunt, vt proinde restitutionis etiam obligatio nascatur; quamuis quò ad Deum, vt ille dixit, parum referat, vtrum quis ex defectu iustitiæ, aut defectu charitatis in gehennam descendat.

Et hæ quatuor satisfactiones in omni delicto concurrere

currere possunt, nec vna per aliam tollitur. Vnde etiam remissa actione iniuriarum offensus actione damni illati adhuc agere potest, & ita illa abolita, ista vigere censetur; & ratio est aperta quia ex *Arist. in 5. Ethicorum. cap. 5.* Omnis inæqualitas ad æqualitatem reducenda est. Et hæc restitutio pecunijs, & alijs externis bonis facienda est, etiamsi occisor, vel mutilator per legem talionis pœnas dedisset, quandoquidem hæc poena à Iudice infligitur, non vt damnum parti læsæ compẽsetur, sed vt iniuria reipub. & legibus illata vindicetur, alijsquè terror incutiatur. Et quamuis vt *in officiorum libris* tradit Cicero, parui, & angusti animi esse videatur, diuitias amare, atq; proinde nobiles, & magni animi viri, honore, & fama recuperatis, huiusmodi dãna condonare, & nullam bonorum externorum rationem habere soleant, vt per DD. in *c. 1. ext. de donat.* attamen quia sæpe contingit, ut inferioris notæ homines, si quid detrimenti per iniuriam in his bonis acceperint, hæc, prout ratio postulat, requirant, restitutionis obligationem callere confessarius debet. *Graffius. l. 2. Decis. Aur. c. 67. Carbone de restit. 45. & de pacificat. q. 43. & seq. Couar. l. 2. var. resol. c. 10. Arrag. 22. q. 62. art. 2. & communis.*

III. SVPPOSITIO.

TErtio Suppono, ex iniuria tria oriri solere, nẽpe in corde rancorem, iram, & indignationem; in opere, siue in effectu, signa rancoris; & in foro externo actionem contra iniuria afficientem. Primum secundum omnes homo statim remittere tenetur, iuxta illud. *Matth. c. 5.* Nisi remiseritis de cordibus vestris. *c. fin. de pœnit. d. 5.* Quod intelligitur si rancor in voluntate hæreat, quia in sensu sicut necamor ad libitum expelli potest. Secundum vero idest, signa rancoris proxima, per quæ vniuersalia dilectionis signa tolluntur, ad quæ homo iure tenetur, etiam præbere debet, vt est ab obuiam se offerente non diuertere, salutatis duobus, tertium etiã salutare, toruo vultu non aspicere, in necessitatis articulo alloqui. Sed signa remota exhibere non cogitur. *Bonac. de charit. disp. 3 q. 4. pun. 3. & de cont. disp. 2. quæst. 5. pun. 2.* v. g. conuersari, cum eo loqui, simul comedere, offensorem in suam familiaritatem admittere, commodare, vel mutuo dare, donare, vel alia beneuolentiæ signa ostendere, maxime qñ ex iusta, & rationabili causa hoc fieret; nã vt ait, *Syl. in v. charitas. Graff. l. 2. c. 72. Carb. de pacif. c. 24.* Aliquando licet iuste ab his abstinere. Primo ad temeritatem reprimendam, cum hoc ad inimici correctionem conduceret, Secundo quãdo id opus esset ad retinendam auctoritatem, & propriam grauitatem, vt si superior nollet inferiorem alloqui, à quo esset iniuria affectus, quando illi exploratum est animum nulla maleuolẽtia suffusum habere. Sicut è contra communiter morales Scriptores dicunt à lethali culpa, & petendi veniam obligatione excusari Superiorem, qui in subditi correctione aliquo modo excessit. *Less. l. 2. de iust. c. 11. dub. 27. Arrag. 22. quæst. 62. artic. 3. Faustus de restit. disput. 21.* Tertio ad maius malum euitãdum, quod inde proficisci possit: vt si quis à suo inimico salutatus non modo non resalutaret, sed potius in conuicia prorũperet, & ira atque furore accenderetur. Neque religiosi ad ista officia præstanda sunt sub mortali peccato obligati, vt male *Discipulus serm. 130.* existimauit, quia etiam ipsorum respectu hæc obligatio quæ æque omnes respicit, sub consilio cadit. At in animi præparatione, & in tempore necessitatis, particularia etiam dilectionis signa inimico exhibenda sunt; quod dupliciter incidere potest, vno modo per se quantum est ex natura ipsius charitatis. s. cum ipse inimicus ope nostra, & beneficio, vel quò ad corpus, vel quò ad animam uere indiget. Alio modo per accidens, ratione videlicet scandali, aut ipsius inimici, aut aliorum, si quo casu ob concurrentes circũstãtias, tale scandalũ secuturum videatur. Hinc signa quæ aliàs particularia essent, inter eos non sunt neganda, qui in aliquo collegio, monasterio, vel congregatione degunt, vt est loqui cum omnibus, salutare, &c. tùm quia in his locis hæc signa non adhibere, manifesta esset scandali occasio: tùm quia sunt veluti communia, & in his locis debita. Idem dicendum est si Episcopus, & Prætor, vel vrbis Gubernator, ob aliquam dissensionem particularia quædam amoris argumenta inter se non exhiberent, puta si se non salutarent, ac solita obseruantia non colerent, ex hoc enim inferiores male agendi, & inimicitias fouendi occasionem, & ansam arripetent; si quidem teste Alphonso Aragonum Rege, Veluti ad solis motũ, ita populares semper vertuntur, atque conformantur ad Principum mores: nam quod à Principibus vulgus fieri conspicit, imitari solet, cum eorum facta mandata videantur. Attamen in his, & similibus casib. cum peccatum per accidens ratione scandali oriatur, confessarius cum pœnitentes audit diligenter circunstantias considerare debet, antequam quemquam grauioris culpæ, & offensæ condemnet. *Val. tom. 3. d. 3. q. 3. puncto. 2. & est communis teste Carbone, & Bonac. l. c.*

IV. SVPPOSITIO.

QVarto Supponendum, ius vita functos sepeliendi antiquum esse, & à quadam naturæ lege prouenire, quæ omnium mortalium mentes occupauit. vt tradit, *Arist. in 1. rhet.* Imo, & Bruta animalia rationis expertia, sepulturæ officium nos docere à nonnullis traditur, & inter cætera Delphi-

no mortuo alios circunstare, & custodire, ne pisces illum deuorēt, & in profundum deferre, & ibi sepelire. Vnde sepultura priuari inter atroces iniurias reputatum esse, passim tùm alij scriptores, tùm etiā poetæ testantur. vt per *Maioragium in Comment. ad Arist. d.c. Ripā de Actis in art. mort. c. 39. Bellar. tom. 2. l. 2. de Purg. c. 19. & Tholos. in syntag. in. l. 32. cap. 39. Banes. 22. q. 32. art. 2. & ibi. Val. tom. 3. d. 3. q. 9. p. 2.* Vbi etiam aiunt, nolle humare cadauera cum sine incōmodo tuo possis, nec alius adsit, qui id præstet, mortali peccato nō carere. Ita vt sepultura prætextu debiti, aut vllius obligationis, impediri nequeat; & ante æs alienū funeris expensæ deducēdæ sint. *Molina tom. 1. tr. 2. disp. 235. Sà in v. sepultura.* Mortui autē sepeliendi sunt in sepulchro quod viui sibi construi curarūt, vel in maiorum suorum sepulchro, si aliam ecclesiasticam sepulturam non elegerunt: vel in propria parochia, nisi ex consuetudine in alio loco sint sepeliendi. *c. 1. & licet. de sepult. in 6. Gen. in praxi* Neap. *c. 62. Menoch. cons. 398. num. 37. Riccius tit. de sepult. resol. 563. Gratianus in Discept. Forens. c. 210. Marius Ant. l. 1. var. res. c. 112. resol. 59. Molfes. tr. 13. c. 8. Tusch. v. sepeliri. concl. 189.*

Porro multi sunt, vt alibi tradidimus, qui ecclesiastica sepultura carere, & priuari debent. Primo Iudæi, & cæteri infideles, inter quos etiam christianorum infantes continentur, qui absque baptismo, & salutari aqua hinc discedunt. Imo aliqui extendunt etiam ad mulierem prægnantem, mortuā antequam puer in aliquo membro baptizari potuerit. Secundo Hæretici, & Apostatæ, nam eadem est ratio, cum sponte à catholica ecclesia recesserint. Tertio omnes maiori excommunicatione irretiti, & in scriptis publice denuntiati; nam cui viuenti ecclesiæ ingressus non permittitur, nec etiam mortuo sepultura conceditur. Quarto vsurarius manifestus si non pœnituerit, & restituendi vsuras cautionem non præstiterit; & monachus, qui cum peculio sine Abbatis licētia mortuus est. Quinto mortui in torneamentis, & in duellis, si in ipso conflictu decesserint. Sexto qui in lethali crimine ultimum diem clauserunt, nec pœnitentiæ signum dederunt. Septimo qui mortem sibi consciuerunt, nec furore, aut insania id eos fecisse constet. Octauo qui semel in anno sacramentali confessione animam suam non expiarunt, nec in Paschate sacram synaxim sumpserunt, nisi de consilio Sacerdotis distulisset, vt per *Sebastianum Medices in tract. de sepult. quæst. 11. Praxim* Neap. *d. c. 76. V gol. de offic. Episcopi p. 1. c. 17. Gutierez. l. 2. can. 99. c. 3. num. 14. Nau. cons. 4. & 6. tit de sepult. Graffius eodem tit. cons. 1. Molfes. tract. 13. cap. 8.* His sic præmissis, ad casus, & quæstionum resolutionem celeri calamo deueniendum est.

CASVS, ET QVAESTIONVM resolutio.

I. Q. RESOLVTIO.

1 AD 1. q. dico Petronium, etiamsi cum illa amasia in flagranti crimine sit occisus, ecclesiastica sepultura priuandum non esse; non enim præsumendum est in lethali peccato decessisse; quia si in Pascha te peccata sua fuisse confessum, & S. Eucharistiam sumpsisse aliquo modo constet, & christiano more aliàs uixisse probetur, licet absque confessione necatus inuētus fuerit, attamen saltem sanctissimo Iesu nomine inuocato obijsse præsumitur; si quidem in dubio semper fit interpretatio, quæ delictū excludit. vt ait *Nau. cons. 6. de sepult. & Graff. cons. 1. eodem tit. & Gutierez. l. 2. qq. canon. cap. 3. Genuensis in praxi* Neap. *d. c. 76. & Molfes. tract. 13. c. 9.* Vbi tradunt, quod si aliquis mortuus in puteo reperiatur, vel laqueo suspensus, ecclesiastica sepultura interdici nō debet; quoniam licet se ipsum occidens non sit in ecclesia humandus, nisi indicijs liqueret, furore, aut mentis alienatione se ipsum occidisse; nihilominus ubi nō apparet, se ipsum interfecisse, uel præcipitasse, id nec præsumendum est, ut delictum excludatur, potuit enim ab alio in puteū proijci, uel suspendi. Quod si uehemēs præsumptio in contrarium militaret, aliud determinandū esset.

Porro pro illo qui in se ipsum uiolentas manus intulit, & mortem sibi consciuit, licet in sacro sepeliendus non sit, priuatim tamen pro eo rogari potest, fieri enim potuit, ut in ultimo uitæ spiritu commissi peccati eum pœnituerit. Quod ut ualde singulare à Cōfessario annotandum est. Et ueluti quotidianum, & raro decisum memorabile dicit, *Gutierez. l. c. nu. 6. ex Con. l. 2. var. resol. c. 1. & Nau. cap. i. de pœnit. d. 7.*

II. Q. RESOLVTIO.

2 AD 2. q. breuiter dico uxorē Petronij Martino deprecāti pacem publica tabularum testificatione, aut manu tabellionis confectam sibi dari, quò ab exilio, ubi manēdo, res suæ male se habent, & grauem iacturam sua familia patitur, teneri eam exhibere, quando de excessu ueniam postulat, & de omnib. damnis illatis satisfacere paratus est. Ad quod christianum officium præstandum hæc inducere deberent. Primo quod ipse Martinus casu quodam fortuito, & euentu deliquisse uidetur, cum amoris furore percitus, Petronium in Amasiæ suæ thalamo inuentum, ex subito mentis impetu interemit. Recte enim Marcus Cato iratum ab insano nulla alia re differre dicebat, quàm temporis mora, sciens iram esse breuem insaniam, amorem uero longam.

ram. Et Chilo scite docebat uincendã esse irã, quod is affectus sit cæteris potentior, quam superare fortius est, quàm hostem armatum deijcere, nec minus exitij mortalibus ab ira; quàm ab hoste inferatur. Epictetus etiam, & post eum *Gellius l. 9. noct. att. c. 1.* *& D. August. l. 9. de Ciuit. Dei c. 4.* referunt, visiones animi, quæ phantasiæ dicuntur, quibus hominis mens prima statim specie impellitur, non voluntatis esse, sed vi quadam se hominib. inferre: est enim impetus perturbatus animi motus, rationi non obtemperans, cum quis inconsideratè in aliquid fertur subito commotus, veluti ebrietate, iracundiæ calore, amoris, uel libidinis furore. Vinum namque, & mulieres, seu fornicatio cor exæcant, & vno eodemque modo, uina, uenusque nocent, & pari ratione mentem funestant. *Esdræ. c. 4. & Eccles. c. 19. Thol. los. in syntag. iu. l. 30. c. 3. Tiraq. de tēp pœnis causa. 4. Farinac. eo tit. q. 98. & dixi sup. tr. 7. c. 3. q. 56.*

Secundo quod charitatis præceptum in necessitate obligare censetur, sed cum offensor ex animo, candida voluntate, & iusta causa subsistente, ueniam, & pacem petit, necessitatis articulus à recte sentientibus iudicatur, ut proinde non tantum communia amoris signa, sed etiam specialia indicia tanquam amico prodenda sint, atque in scriptis pacem dare teneatur; alias amor Dei, & proximi ubi, & quando opus est, non exhiberetur; imo ex ipsa negatione directe scandalum actiuum præberetur. Tertio quod Petronius qui perijt, primus fuit, qui prudens, & sciens ad Petronij amasiam (quam suis sumptibus alebat) accedens offensionis causam dedit. Et damnũ quod quis sua culpa sentit, sibi quodammodo imputare debet. Quarto Martinus qui pacem petit, nec nefarius, nec facinorosus est, nec tempub. perturbare solet, imo ciuitati, ac cæteræ multitudini in qua versatur, & fuit, & futurus est ut his, ac ꝑspicuus, simulque familiam habet, uxorẽ, filios, & filias, quæ eius necessaria opera, ac præsidio egent. Atque hanc quæstionem sic resoluere uidentur. *Corradus in resp. cas. cons. 9. 197. Comitulus. l. 4. q. 32. Berarduc. in Summa corona de sacrificio Missæ. num. 36. Philiarc. de offic. Sacerd. p. 1. l. 4. c. 1.* Et ita intelligenda sunt quæ tradidimus. *supra tract. 6. c. 26. quæst. 113.*

III. Q. RESOLVTIO.

3 AD 3. quæstionem respondendo dico tàm implicatam, atque arduam esse restitutionem, quam facere homicida debet, ut aliqui non infimæ classis Doctores, hoc consilij homicidæ dederint, ut in aliquo iusto bello uitam pro reipub. utilitate profundat, ut hac ratione iustitiæ, quam hominem necando læserat, aliquo modo satisfaciat. Vel ut si citra notabile alterius partis damnum fieri possit, ipsam restitutionem condonet. Verum licet admodum difficilis hæc restitutio sit, non est tamen necesse ut homicidas ad has angustias redigamus. Vt igitur breuem, ac facilem uiam aperiamus, qua occisor ab hac obligatione se extricare queat; dico Martinum homicidam, qui Petronium iniuste aggressus est, teneri restituere omne damnum, quod occisi familia patitur, & lucrum cessans, quod d. i. ex morte illi obuenire non potuit, si quidem iniusta sua actione talis damni, & iusti lucri cessationis efficax causa extitit, ut aperte diffinitur in c. si rixati. & in c. si culpa. ext. de iniur. & damno dato. Cuius ea ratio affertur, quia naturali iure unusquisque ea damna in conscientia compensare tenetur, quæ contra iustitiam intulit. Verum tamen est non esse ab co restituendum omne illud lucrum, quod occisus consecutus fuisset, sed quantum illius lucri spes ualebat, & quantum moraliter loquendo, si uiueret, habita ratione ætatis, & qualitatis personæ, ac in pedimẽtorum, arbitrio boni uiri lucratus fuisset, quandoquidem poterat occisus mutare uitam, in carcerem conijci, ægrotare, aut alias breui tempore mori, ideo cum lucrum in spe minus æstimetur, quàm lucrum in re, minor satisfactio in hac parte requiritur. Nam sicut qui pedibus segetes in herba conculcat, non tantum restituere obligatur, quantum ex illis colligeretur, ita in casu nostro non tantum illi reddi debet, qui damnum patitur, quantum suo labore, & industria lucrari posset, maxime cum multis modis à lucro impediri posset, & detrahendæ etiam sint expensæ, quas occisus in acquirendo probabiliter fecisset, cum lucrum illud dicatur, quod deductis sumptibus superest. Vnde si v. g. spes lucri. 50. æstimatur, & illud quod occisus consumpturus erat, 20. æstimationem habet, homicida solum. 30. restituere tenetur, &c.

Non tamen quidquid *Nau. c. 15. num. 24.* sentiat; pro expensis funeris aliquid restituendum est, cum occisus eas aliquando facturus fuisset, si quidẽ

Debilis, & fortis, ueniunt ad limina mortis,
Contra uim mortis non est medicamen in hortis.

Nõ tñ Martinus, nec alius in extremam necessitatẽ ut restituat, se conijcere debet; uerùm cum demortui hæredes, ut supponitur, pauperes, & egeni essẽt, & extrema inopia laborarent, restitutus ad grauem, ut multi uolũt, indigentiam se redigere debeiret. Hæc autem actiua restitutio ad occisoris hæredes transit, si forte ante eam factam decesserit; nam hæreditas cum hoc onere ad hæredes transit: & homicidæ bona huic restitutioni obligata erant, & clarum est obligationem hanc realem esse, quæ ad hæredes transmittitur; sicut, enim filius in lucrosis, sic in onerosis succedere debet. Cæterũ ad huiusmodi compensationẽ pater pro filio nõ tenetur, nisi ipse filius bona castrensia, uel quasi castrẽsia reliquis-

set, nam par non est ut pater alterius pœnam luat, *Carbo. de pacif. c.* 44. *Bonac. de cont. d.* 2. *q. ult. sect.* 2. *p.* 1. *Barth.* 1. *S. Fausto. d.* 25. *q.* 28. ubi de communi testantur.

Porro restitutio facienda est hæredibus necessarijs occisi, qui hæreditate in totum sine causa priuari non possunt, quales sunt filii, parentes, & uxor; non uero aliis non necessariis, qui licet in hæreditate ab intestato succedant, nihilominus ab ea excludi possunt, ut fratres, & alii. Ex quo conficitur creditoribus, & aliis qui beneficium ab occiso sperabant, nil ex iustitiæ legibus restituendum esse; quod ex multorum sententia procedit, etiamsi homicida animum haberet creditoribus nocendi, si quidem restituendi obligatio non ex prauo animo, sed ex externa iniusta actione exoritur. Item homicidam uel eius hæredes ex eorundem placito non teneri iis damnum resarcire, quibus homicidium imputatur, nam illa actio homicidii non est causa per se, & directe illorum damnorum, sed occasio per accidēs. Quod verum uidetur, non solum quādo occisor tale damnum non præuidit, sed etiam quando illud prius animaduertit, aut etiam intendit, nam animus, & intentio externam iniustam actionem non constituit, nisi aliàs ex natura, & circunstantiis talis sit; qui tamen concedunt, homicidam teneri ea dā, na compensare, quæ imputatus hæredibus occisi resarcire coactus fuit. Quamuis contraria sententia sua etiam probabilitate non careat, cum multi graues DD. eam teneant. vt per *Bonac. d.* 2. *q. ult. sect.* 2, *p. ult. Barth. à S. Fausto. d.* 25. *q.* 18. *Corrad. q.* 128. *Farinac. p.* 2. *de homicid. quæst.* 109.

Tandem Confessarius Martino occisori impōnere ex cōsilio, & æquitate naturali debebit, ut pro anima Petronii occisi, aliquas preces apud Deum fundat, & aliqua sacra celebrari faciat, & grauem pœnitentiam pro indignitate, & enormitate criminis iniunget. ut per *Catechis. Rom. super* 5. *præceptū.* Nam olim ex Draconis lege homicida arcebatur ab aquę lustralis expiationibus, libationibus, sacris, & foro, & ut ait, *Ethnicus ille. Vltimus autem Aerumna cumulus, quod nudum, nemo cibo, nemo hospitio, tectoque iuuabat.*

Carbo. de rest. q. 15. *Barbosa de Episcopo. p.* 3. *Alleg.* 51. Item quando prudentia id fieri posse dictabit, admonebit de contracta perpetua inhabilitate ad sacros ordines, atque ecclesiastica beneficia, in qua nullus præter Papam dispensare possit, ne quidem Episcopus, si homicidium uoluntarium sit (ut hoc in casu est suppositū) etiamsi occultum sit, cuius *in sess.* 24. *cap.* 6. *de refor.* expresse à priuilegio fit exceptio. Quod vero circa homicidium non ex proposito, sed casu commissum, integrum sit Episcopo dispensationem imperriri, & qua ratione debeat, habetur. *sess.* 14. *de refor. c.* 7. idem *Barbos. l. c. p.* 2. *Alleg.* 39.

IV. Q. RESOLVTIO.

4 QVartæ quæstioni casus propositi satisfaciēdo, dico Martinum dum in exilio manet, a casibus reseruatis absolui non posse, si non sit publice proscriptus, & ut dicunt, à Principe, uel Iudice diffidatus, ita ut impune occidi queat; nec enim hic in articulo, uel periculo mortis constitutus dr. ut resoluit. *Vgol. de offic. Episcopi. p.* 1. *c.* 15. §. 8. *Galetus v. absoluere. Nald. v. absolutio à cens. nu.* 5. & tradidimus. *sup. tr.* 5. *c.* 4. *q.* 27. *& tr.* 7. *c.* 20. *q.* 92. Posse uero ex publica causa Superiorem proposito præmio, concedere facultatem huiusmodi perditos homines occidendi, & unicuique integrum esse etiam in foro conscientiæ, uel per insidias occidere, & communi luce priuare, nec ullam subesse restituendi obligationem concois est scribentium sententia, modo hę conditiones obseruentur. Prima est vt talis ex traditionem dicti Principis, nisi Domino regionis expresse, uel tacite consentiente, non occidatur. *Syl. v. homicidium.* 1. *q.* 3. *Clarus.* §. *homicidiū vers. alterius Graff. lib.* 2. *Decis. aur. cap.* 62. *nu.* 57. Secundo vt nō sit pater eius, qui interficit, nam nec in foro externo committitur filio, ut in patrem mortis sententiam exequatur, nisi ipse pater sit patriæ proditor. *Clar. l. c. Tiraq. de temp pœnis. causa.* 20. *Marta de iurisd. p.* 4. *cent.* 1. *casu.* 67. Tertio ut non interficiatur ex odio, uel aliquo prauo affectu, sed ex zelo iustitiæ; nam aliàs, & ipse bannitus posset contra offendentem se defendere. *Farinac. p.* 2. *q.* 125. *num.* 115. Quarta additur causa, ut sententia illa per quam proscribitur, sit iusta. Ad quam hæc necessaria sunt. Primo ut causa propter quam fertur grauis sit, publicam pacem, & utilitatem concernens. Secundo ut in eo iuris ordo seruetur. Tertio ut alia uia nō possit exul interimi, cum enim tales malefactores si ita occidantur, ut plurimum in statu perditionis decedant, omne aliud remedium prius tentandum est. *Reginal. l.* 21. *c.* 18. Quippe ut Olympiodorus dixit, Rota pro nostra hac uita accipitur, ob ipsas reuolutiones, ac motus, iuxta illud, *Psal.* 77. Vos tonitrui tui in rota; vnde antequam huius uitæ rota nos secum præcipites in lacum deuoluat, propriam, & alienam curate salutem debemus. Alexander Magnus matri urgenti, ut insontē quendam occideret, & spe impetrandi quæ uellet, diceret, eum se per nouem menses in utero gessisse, respondit, Aliam parens posce mercedem, hominis enim salus beneficio nullo compensatur. Cupressus symbolum mortis est habita, hæc enim arbor excisa nō renascitur: sicut ex iam mortuo nihil est hic amplius sperandum. Aleæ Indouitam similem esse Socrates dicebat, cum enim abijt, tesseram denuo iacere non licet, neque eam aliter ponere.

V. Q.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. quæstionem respondendo dico quod licet. *Riccius. in 3. p. Decis. cur. Neapol. Decis. 317. & in praxi. c. 1. & 2. de adult. resol. 75.* sentiat, Martinū non teneri ad dotandā Euphemiam puellam, si postea ab alio se cognosci passa sit, eo quod quælibet dispositio siue legis, siue hominis, intelligatur rebus sic stantibus. *l. fin. C. qui satisd. cog. Tiraq. in l. si unquam. num. 166. C. de reuocan. donat.* nam etsi stuprator virginem defloratam, uel dotare, uel in uxorem ducere cogi debeat. *c. 1. & 2. ext. de adult.* hoc uerum erit rebus in eodem statu manentibus, aliàs si commutētur, maxime in deterius, prout in casu nostro, ad dotem constituendam adigi non debet. Nihilominus cum textus. *ind c. 1.* ad tempus virginitatis, & ad eum, qui originalis causa corruptæ integritatis rationem habuerit, uerius, & in praxi tutius dicendum uidetur, eum ab ea dotanda non excusari. Huc enim cōfert illud philosophicum axioma: Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati. Et ut ait, *Peraldus. tom. 2. in Summa uirt. ac uit. cap. 6.* Qui illicite aliquam deflorat, aliquando est occasio mille fornicationum, quas ipsa postea committet: sicut qui primo uineæ clausuram disrumpit, causa est illius dāni illati ab his qui postmodum in illam ingrediuntur. Secus esset censendum, si corruptor promisisset se puellam in uxorem ducturum; uel si promissio non ualeret, ut puta, quia coniugatus esset, & se illā dotaturum spopondisset, & post stuprum inuenisset eam usuram sui corporis alteri fecisse, tunc enim nec illam sibi in matrimonio coniungere, nec quicquam restituere teneretur, iuxta illud legale proloquium,

Frangenti fidem fides, frangatur eidem.

In dubio autem an mulier fuerit ab alio cognita, deflorator promissis stare tenetur, nisi culpa eius fœminæ sit ualde de ea re infamata, & res sit ualde uerisimilis. *Mol. tom. 3. de iust. disp. 106. Faustus de rest. q. 18.* Vnde cum stuprum annexā habeat restituēdi obligationē, Martinus meo iudicio ad d. puellā dotandā tenebitur, uel ad oē dānum resarciēdū.

Porro dos per Martinum stupratorem danda iuxta qualitatem patris; & parrimonij, uel ut aliæ fortasse sorores habuerunt, non est condecens, sed maior, & auctior requiritur, ita ut si pater pro ea in matrimonio collocanda, si uitiata non fuisset, trecentum expendisset, & illam maritare nequit, nisi det mille, utique ad mille, uel saltem ad octocentum stuprator tenebitur, & omnes expensas factas compensare, ut pensatis circunstantijs boni uiri arbitrio, læsa iustitia ad æqualitatem reducatur, & honestū coniugiū ab ea ineatur. ut ex cōi tradit. *Riccius. l. c. & Faustus. q. 6.* Videantur q̄ circa hanc materiam scripsimus supra *tr. 7. c. 24. quæst. 105.*

Sexta Dubitationis resolutio.

CIrca vero illud punctum, an Martinus stuprator, & corruptor, filium, & partum natum ex uitiata puella Euphemia, suum agnoscere debeat, & illum alere, mihi illud solū resoluēdum uidetur, qđ his uerbis tradit. *Ant. Thesaur. in Decis. Pedam. Decis. 3.* Si uir confiteatur se cum illa rem habuisse, sed partū non esse suum, quia etiam cum alijs uiris concubuit, tunc staretur iuramento mulieris, quod partus esset illius uiri, cuius ipsa esse dicit, nisi uir clare probaret, quod alij habuissēt rem cum ea, ita quod uerisimiliter posset esse aliorum filius. ut tenet *Alexan. l. 5. cons. 157.* Quādo uero eueniret casus, quod fateretur, uel alio modo probaretur, plures cum muliere rem habuisse, & à quouis istorum uerisimiliter potuisset partum concipere, uiris negantibus partū agnoscere, tunc staretur iuramento matris, dicentis esse filium talis, præsertim alijs coniecturis concurrentibus, ut quia illum referret, quem mater nominat, ut uoluit. *Alciat. l. 9. Parergon. c. 12.* Solet enim filius similis esse patri, ut late prosequitur. *Tiraq. l. 7. connub. num. 37. & Menoch. l. 2. de arbit. iud. casu 89. num. 97.* Proinde de æquitate canonica tali partui alimenta præstare teneretur hæc ille.

Ad hanc etiam filiationem uenandam, quæ difficilis est probationis, dicerem etiam ego attendendum esse conceptionis tempus, Conueniunt enim Philosophi fœtui masculo die quadragesimo post susceptum semen, fœminæ uero die octuagesimo animam infundi, & motu quodam intra uiscera eā infusam esse ostendi. *Gloss. in c. quod uero, & c. Moyses. 32. q. 2. Alciat. in l. qđ dicimus ff de uerb. signific. Nau. c. 15. nu. 14. Henriq. l. 14. de irreg. c. 15. num. 6. Vivald. de irreg. ex homicid. uolunt. num. 230.* Addo doctrinam *Mascardi uol. 2. de probat. concl. 788. nu. 29.* vbi ait, quod filius non præsumitur esse illius qui non in domo propria retinet mulierem, sed extra, licet ad illam habeat accessum, & ad ipsius libitum stet, etiam si mulier illa suum esse assereret, quia lex non præsumit nisi de eo qui natus est ex matrimonio, nam sicut potest esse ex eo ita etiam ex alio. videat ēt. *Menoch. l. 6. præsumpt. 53. Tusch. v. filiatio. concl. 344 Giouagnon. l. 1. responso 6. Viual. in cand. aur. p. 3. c. 21.*

QVAESTIO X.

Vtrum mandans fieri incendium, & arbores succidi, tàm ipse, quàm mādatarius in casum reseruatum incidant, & restituere teneantur, & quid de stupro à mādatario commisso. An uxor mandātis ob emanatum monitorium maritum denūtiare teneatur, & dotem suam ob soluendum debitum mariti alienare possit. An facultas cōcessa ad absoluendum unum non nominatū, ualeat etiā ad absoluendū aliū.

CVm in quadam ciuitate incendiarij, & qui damni, iniuriaue causa alienas arbores frugiferas

fecis dolose inciderint, Episcopali reseruatione afficiatur, Lucius domum rusticam Bernardi, cum quo inimicitiam gerebat, per Baptistam famulum suũ, noctu immisso igne, concremauit, uineæ suæ uites succidit, & eius filiæ Annæ hero inscio stuprum intulit, quæritur, an cum uterque tàm dominus mandans, quàm famulus mandatarius, hæc omnia facinora, esse casus reseruatos ignorauerint, illis ligentur, & non solum damnum in rebus illatum, sed etiã honoris iacturam, ob stuprum, uterq; restituere teneatur; & cum excõmunicatio ad hæc flagitia propalanda, ab Episcopo fit lata, an Eugenia dicti Lucij uxor, eorum conscia, denuntiare obligetur: & num ad restituendum pro marito in causam dotis se obligare possit, casu quo maritus soluendo non sit. Et cũ Eugenius Parochus pro Lucio pœnitente in genere, & suppresso nomine, absoluẽdi facultatem ab Episcopo obtinuerit, an eadem etiam erga Baptista absoluendum uti possit, & quænam in his antractibus sint Confessarij partes?

PRIMVM SVPPOSITVM.

RESpond. Supponendum est incendiarium illum dici, qui dolo, & malo animo in alienis tectis ædificijsue, tàm urbanis, quàm rusticis ignem immittit. *l. qui ædes ff. de incẽd. c. cum deuotissimam, 12. q. 2.* Quod quidem crimen pessima, & horenda malitia uocatur, maxime si nocturno tempore committatur, adeo ut incendiarius etiam occultissimus dolosus, si aliqua ex parte detegatur, ex aliquorum mẽte, ob sceleris enormitatem ecclesiæ immunitate non gaudeat. ut per *Polydorũ Ripam in tract. de noct. temp. c. 27.* Et de iure ciuili dolosi incendiarij mortis electio Iudicis arbitrio relinquitur. *Menoch. l. 2. de arbit. iud. casu 390.* De iure canonico huiusmodi facinorosi excommunicationis pœna percelluntur. ut per *gloss. in d. c. pessimam. & in c. tua ext. de sent. excom.* In foro pœnitentiali præter restituendi obligationem, graui pęna arbitrio seueri Confessarii coerceri debent, & ob id à locorum Ordinariis hic casus reseruari solet. *Suar. tom. 4 d. 29. sect. 3. n. 9. Io. Chapeuilla de casi. reser. c. 5. quæst. 2. Graff. l. 2. cap. 23.*

Vbi notandum uariis ex causis incendium contingere solere, aliquando casu fortuito, qui humana prudentia præuideri non potest, Imo regulariter incendium inter casus fortuitos connumeratur, ut si ex celesti fulmine ignis sit immissus, uel si è domo uicini scintilla euolauit, atque ita incendium in alterius domo excitauit; in quo casu nemo inhabitantium, uel alius quiuis tenetur, cũ ut I. C. loquuntur, Dãna fato euenientia præstare quis non teneatur. *l. quæ fortuitos,* ubi scribentes. *C. de pignorat. act.* Hinc conductor propter incendium, damni æstimationi obnoxius non fit, nisi de illius culpa constet. *Riccius in collect. p. 4. collect. 797. & Barbosa de Episcopo p. 3. Alleg. 51. nu. 74.*

Secundo incendium inhabitantium culpa ortum habet, ut propterea in praxi probato incendio contra inhabitantes, fit etiam probata intentio, nisi ipsi ex aduerso probent, absque sua, uel suorum culpa, ipsum incendium secutum esse. Ideo prudentes Iudices statim eo exorto, domum incolentes prehendi iubent, & eos de ipsius incendii auctore interrogare solent, ubi idque ueritas competitur, quoniam ad sibi consulendum tempus non habent. *Menoch. l. c. Tusch. v. incendium. concl. 61.* In quo casu si solum ex quadam negligentia, uel leui culpa, conflagrationi causam quis dedit, nec peccasse mortaliter, nec ad damni illati restitutionem in foro animæ teneri dicendum est, nam quamuis in foro ciuili externo, quis de negligẽtia, & leui culpa teneatur. ex *l. 3. ff. ad l. Aquiliam.* attamen in animæ iudicio, ratione inaduertentiæ, & uenialis culpæ, à restitutionis nexu excusatur; nam si hoc esset, in humanis actionibus multa orientur incommoda, & pauci mortalium reperirentur, qui passim ad restituendum obligati non essent. Et quia lex ciuilis de qua supra, ob negligentiam, & leuem noxam, præsumptioni innititur, quam illa culpa præsefert, ideo illa cõmunis theorica succedit, quod lex ciuilis super præsumptione se fundans, in foro conscientiæ non ligat, cum ibi mera ueritas contrarium excludens attendatur. *c. is qui. ext. de spons. Innocent. & Abbas. in cap. quia plerique. ext. de immunit. ecclesiæ. Carbo. de restit. q. 71. & alij magis communiter.*

Ad tollendam autem hanc leuem culpam caute-la dari solet, ut inhabitantes probent, se peruigiles, & in domo diligentes fuisse, & noctis tempore famulos admonere consueuisse, ut ignem diligenter custodiant, &c.

Tertio incendium dolo malo, & dedita opera cõtingit, ut qui ex odio, uel uindicta, domos alienas arbores, uel segetes, apposito igne incendit. ut per *Bart. in l. 1. ff. de off. Præf. vig.* & talis dolosus incendiarius, ut supra dixi, ultra enorme flagitiũ, quo se inficit, damnum emendare, & in foro externo criminaliter puniri debet, & casus reseruatione in pœnitentiali iudicio afficitur; nam si tantum lata eius culpa incendium sit secutum, quidquid sit de peccato, & restituendi obligatione, à casu reseruato dolũ requirente excusabitur, cum uel lata culpa nõ sit dolus, licet dolo aliquando æquiparetur, & in materia pęnali, ut est casus reseruatio, extensio fieri non debet. *c. odia. de reg. iu. in 6. Graffius. l. c. num. 22.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo Supponendum est, arborum incisores graui etiam scelere se obstringere. Vnde & de iure ciuili criminalis pęna coercentur qui arbores potissimum

simum frugiferas, & maxime uites ceciderint, eadē est quæ lattonum qui furcis suspēduntur, uel bestijs obijciuntur. *l. capitalium, §. famosos ff. de pœnis. Tholos. l. 37. syntag. iu. c. 6.* Videtur homicidæ, dum hominibus ea subtrahunt, quibus uitam sustentare poterant, quare subtrahendo, occidere censentur: Bona enim sunt hominis uita, & secūdus eius sanguis, ut ait, *Felyn. in c. cum oporteat. ext. de accusat.* A' qua sententia non est alienus Menandri Senarius,

Vita victu indigens, non recte vita dicitur.

Hinc ille apud Martialem, cui Astrologus mortem inter paucos menses prædixerat, cum quidquid in agris, & in domo haberet, consumpsisset, fecit ne Astrologus esset mentitus, cum omnia absumpserit, quibus uitam sustentabat. *Tiraq. de nobilit. c. 31. nu. 368.* Vnde etiam in foro conscientiæ perditi isti homines, qui tàm immane delictum admiserunt, ad omne damnum tenentur, quod earum arborum dominus, ex incisione passus est, & ad fructuum restitutionem, quos uerisimiliter quotannis (deductis tamen expensis, & laboribus) boni uiri arbitrio percipisset; & in casum reseruatū ab Episcopo inciderūt. Arboris autem nomen generale est, quod uites etiā continet. *l. uite n. ff. arb. furt. caes. Tusch. v. arbor. con. cl. 479.* modo frugiferæ sint, sic enim in casu habetur. Si quidem frugiferæ arbores dicuntur, quæ fructus siue naturales, siue industriales ferunt, naturales inquam, qui sponte à natura producuntur, nec in eis hominis desudat industria, ut poma, & ligna de cædua sylua. Fructus uero industriales sunt ulnum, & oleum, quos uites, & oliuæ producunt; & dicuntur industriales, quia citra hominis operam, & industriam natura eos non proferret; idque ad differentiam Cupressi dicitur, de qua est illud emblema, apud *Alciat. emb. 199.*

Pulchra coma est, pulchro digestaque ordine frondes,
Sed fructus nullos haec coma pulchra gerit.

Quod sane epigramma in eos torquetur, qui quamquam pulchrum nescio quid præseferant, nullos tamen ex se fructus educunt, & nil aliud circumferūt, quàm quod prouerbio dici solet,

In eburnea, uel aurea uagina gladium plumbeum.

RESOLVTIO CASVS, & quæstionum.

I. Q. RESOLVTIO.

His sic præcognitis, facile casus, & quæstionū resolutio colligitur, dicendo Primo, Lucium mandantem, & Baptistam mandatarium, in casum Episcopo reseruatum incidisse; nam licet casus reseruatio sit stricti iuris, & pœnalis, & sic sub incēdiarijs mandantes, nisi de his specialis fiat mētio, comprehendi non uideantur, attamen quia ex textu in *c. si quis, 23. q. 8.* etiam iubentes, & consuleures includuntur, fit ut ad illos etiam extendatur. Sicut à simili excommunicatio. *c. si quis suadente Diabolo. 17. q. 4.* mandantem non complectitur, nihilominus ex *c. mulieres, §. 1. de sent. excom.* illum cōtinet. Atqui idem de arborum, uel uitium incisione dicendum est, ut. s. ex ui. *l. furtim. ff. arb. furt. caes.* pœna incidētium ad iubentem extendatur, quia casus omissus dispositioni iuris communis relinquitur: ut proinde tàm casus reseruationi, quàm restituendi insolidum obligationi subijciatur. Nec Baptista famulus, qui domum incendit, & uites succidit, excusatur, eo qd' Lucius mandans, & imperans in eum ius habebat, nam in iniustis præceptis Deo magis quàm hominibus obediendum est. *c. Iulianus 11. q. 3.* A' quibus nexibus sane non eximuntur, quod casus reseruationem, & damna resarciendi onus ignorauerint, cum satis sit eos id egisse, quod per se malum est, & diuina, naturaliquè lege prohibitum, ut aliàs sæpe admonuimus. Lucius tamen ab obligatione damnum restituendi, ob stuprum à famulo suo Bernardi filiæ illatum, immunis erit; cum illud delictum sit per accidens, à iubente incendium, & arborum incisionem non intentum, nec uerisimiliter illud euenturum cogitare potuerit. *Beia p. 2. respons. casu 1.* Incip. *Marcus* arg. quæ supra tradidimus hoc *tract. cap. 1. quæst. 2.*

II. Q. RESOLVTIO.

Secundo dico, quod cum monitoria, in causis criminalibus non concedantur, cum infamiæ notam, & irregularitatis periculum secum afferant, nec excommunicatio pro præterito peccato furti, quo bona rapuerūt, uel aliquo alio modo damnum dederunt, feratur; sed pro peccato in quo perseuerant ea restituere nolentes, cum id iure naturæ simpliciter teneantur, & sic contra iniustos detentores, & conscios decernatur, ut. s. illi restituere, & ij reuelare debeant. ut per *Lazar. de monit. sect. 1. q. 10. Barbosam. p. 3. de Episcopo Alleg. 96. num. 46. Bonac. de cens. d. 2. q. 6. num. 2.* hinc conficitur, ut sicut Lucius, & Baptista qui per incendium, & arborum incisionem Bernardo damnum intulerūt se ipsos prodere non tenentur, ita nec ipsorum uxores; censentur enim unum, & idem cum maritis, cum sint duo in carne una, ut ex communi supra citati DD. tradunt. Et ut ait, *Filliuc. tract. 14. cap. 2. quæst. 7.* Quando testimonium ferendum est contra personā ualde coniunctam, à præcepto sub excommunicatione lato excusatur: quia illud est ualde difficile, & non sine aliqua infamia, & proprio damno, & si ad instantiam partis sit latum, pars ipsa non solet habere intentionem obligandi personas ualde coniunctas.

iunctas. Ita pater non obligatur, inquit, ad reuelandum filium, uel è contra, nec maritus uxorem, nec è contrario, neque frater fratrem. Excipitur in causa fidei, læsæ Maiestatis, & huiusmodi.

III. Q. RESOLVTIO.

TErtio illud mihi probabilius resoluẽdum videtur, uxorẽ Lucij non posse in causam dotis pro marito se obligare, & ipsam suam dotem alienare, ut coniugem ab ære alieno liberet: maritus enim quouis modo doti præiudicium afferre nequit, etiamsi consentiente uxore illam distrahat; & semper aduersus alienationem factam restitutionem in integrum habet; & coacte potius quàm sponte consentire uidetur: uel si iuramenti religionem adhibeat. Quandoquidem maritus est custos, & conseruator dotis, non autem est dissipator, etiamsi aliqua bona viri extent, super quibus mulieri sit cõsultum; & solum est dominus, quando dotem æstimatam, recepit, & in bonis viri vxori cautum est. Licet enim dos absolute pia causa non sit, nisi alia accedant, secundum *Calcan. cons. 31. & Tiraq. de pia causa in Præfat.* attamen est multum fauorabilis, cum publicam causam concernat, vt per DD. *in l. 1. ff. solut. matr.* Propterea ut maritus quoq; è carceribus eximatur, uxor indotata remanere non debet; nec, ut aiunt, unum altare denudandũ est, ut alterum operiatur. *Cranetta. cons. 328. Surdus. Decis. 86. & 164. Tuschus in v. Dos. concl. 794. Seraph. Decis. 1430. Molfes. tract. 12. cap. 16. num. 46. Mancinus. de Iuramento effectu. 202.*

At integrum erit uxori occulte, & sine scandalo, de bonis mariti æs alienum ab eo contractum soluere, etiam contra expressam eius uoluntatem, est enim socia diuinæ, atque humanæ domus. *Gen. c. 1. & l. 1 ff. de crim. expil. hæredit.* Et hoc faciendo utiliter eius negotium gerit, & ad seruandam animam suã adiuuat: modo caueat, ut maritus, uel hæredes intelligant, se illi non debere, recepta schedula remissionis ab eo, cui soluit, aut alio modo consulendo, ne iterum creditori soluatur. *Lazar. de monit. sect. 3. q. 8. nu. 42. Dec. & Cagnol. in l. inuito. ff. de reg. iur.*

IV. Q. RESOLVTIO.

QVarto dicimus, Baptistam ui prædictæ facultatis ab Episcopo concessæ, à peccato reseruato incendij, & incisionis arborum absolui nõ posse, cum illa licentia pro Lucio tantum, & unica persona impetrata sit & ex regula, limitata causa limitatum producat effectum, Sicuti etiam in re simili aliqui sentiunt, facultatẽ concessam ad absoluendũ unũ, non tñ expressum, nec nominatũ, eo nõ egẽre, pro alio absoluendo non ualere, quando intentio concedentis, & petentis tàm principalis ad unum singulariter est determinata, cum actus agentium ultra eorum intentionem non operentur. *l. non omnis. ff. de rebus cred.* ut resoluit quò ad hanc. 2. partem. *Beia. p. 3. respons. casu. 10.* Cuius tamen dictum non placet, & in praxi id non seruatur, si quidem error circa personam dispensantis, uel concedentis, intentionem non mutat, modo de persona, in genere, uel de corpore delicti ante cõcessam facultatem commissi constet. arg. *Sanchez. lib. 8. de matr. disp. 21. nu. 37. Salas. de legibus. d. 20. sect. 16. num. 123. & Bonac. de leg. d. 1. q. 1. p. 4.*

CONFESSARII PARTES.

POrro quò ad praxim, antequam Parochus, uel Confessarius tàm herum, quàm seruum incẽdiarios, & arborum incisores absoluat, quamprimũ restituendi, si possunt, insolidum promissionem exiget. Secundo iuramentum iniunget, se in futurum huiusmodi crimina non commissuros, cum hoc à iure præcipiatur. *cap. pessimam. 23. q. 8.* Tertio grauem pro delictorum qualitate pœnitentiam imponet, quam tamen iuxta contritionem, & ex pœnitentiũ qualitate moderari poterit. *c. mensuram.* vbi *Turrecrem. & Nau. de pœnit. dist. 1. Conc. Trid. ses. 14 c. 8. Comit. l. 1. respons. q. 35.* Sacramentorum frequentiam suadebit, & spiritualib. remedijs ad Deũ paulatim trahere studebit. Confessarius namque à munere suo animas excolendi desistere non debet, etiamsi tunc proficere non uideatur, nec optatis exitùs respondeat: hamus semper pendere debet, quia ut ait. *D. Prosper l. 2. de uocat. gen. c. 8.* Multorum uocatio, uel correctio iusto, sed occulto Dei iudicio differtur. Et ut ait, *D. Aug. de Past. cap. 7. & c. 6. ad Gal.* Qui non libenter audiebant, quæ eis dicebantur, postea cogitantes quæ iuste audierunt, ipsi se grauius arguẽt, & quamuis perturbatiores à medico abscedere uideantur, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt. Vnusquisque mercedem accipiet secundũ laborem, ait *Apostolus ad Cor. 3.* non secundum fructum, quia ille totus à Deo pendet. teste. *D. Bernardo. l. 4. de consid. c. 1.* ut etiam prosequitur. *Roder. p. 3. de exerc. perfect. tract. 2. cap. 18.*

Si hoc delictum Lucij, Bernardo notũ sit eos inter se cõciliare conabitur, necessaria. n. & non differẽda est fraterna reconciliatio. *Matth. c. 5.* Et iniurias remittendas esse Pythagoricum etiam illud ostẽdit, Ollę ab igne remotę nullum uestigium in cinere relinquendum, i. iræ memoriam aboleto, cum iræ aquæ, amicitiæ uero æri inscribendæ sint. Videantur quæ supra adduximus. *tract. 6. cap. 19. q. 87. & seq. 25. q. 115. & tract. 7. c. 34. q. 133.*

QVÆ-

QVAESTIO XI.

An Alchimista, & Astrologus suadens alicui ad discendam, & exercendam artem Chimicam, ut uiā ad ditescendū peccet mortaliter, & damna restituere teneatur. Vtrum consilium dans ut quis magnam olei copiam emat, præuidens anno sequenti futuram inopiam, si cōtra accidat, damnum etiam datum resarcire obligetur. Num odio efficiens, ut aliquis famulus à suo hero dimittatur, si postea alium dominum, qui ei tantum det pro mercede non inueniat, charitatem, & iustitiam violet.

SImon medicus in naturali philosophia,& astrologia satis uersatus, Alberto nobili ciui,diù ob grauem prolem, & familiam alendam, cum inopia colluctāti, suasit,ut si inculpate,& cito ditescere vellet, chimicam artem (quam accepto pretio se eam doctorum promi ferat)adhiberet, & exerceret; quod cum fecisset, aurum, & argentum ex ea confectum in leuem auram,ac inanem fumum,cum magno rerum suarum dispendio uersum est. Secundo Philiberto artifici consilium dedit, vt magnam olei copiam sibi compararet, quò postea carius vēdens res suas augeret; astrologica enim peritia dixit se præuidisse oliuarum sterilitatem futuram;& tamen cōtra accidit, & ob hoc ipse Philibertus iacturam in rebus suis passus est. Tertio Vincētij quondam eius famuli odio actus,& impulsus,effecit, ut Stephanus illius nunc herus, eundem è domo sua dimittat, qui sane in præsentiarum alium dominum inuenire non potest,uel alicui se adiungere,qui tantum mercedis ei soluat,quantum dimittens ei dare solebat. Quæritur an Simon in his tribus casibus lethaliter deliquerit, & damnorum restitutioni se obnoxium reddiderit?

I. Q. RESOLVTIO.

REspond. Etsi aliqui non defuerint,qui asserere videntur, alchimicam artem licitam esse, eo quod verum aurum, & argentum ex ea conficiatur,ac proinde in ciuilibus, ac politicis commercijs, eo homines tuta conscientia uti posse, ut sensit *Oldradus.cons.68.& Abbas. in cap. 2. ext. de sortileg.* & nonnulli alij(quos ut oues gregis caprum sequuntur)hęc tamen sententia,communi scribentium calculo merito explosa est,qui illicitam, inutilē,& reipublicæ perniciosam esse fatentur; nam à communiter accidentibus, quod in moralibus argumētum sufficiens est,talis ars à Dæmonibus fit,& illi qui illam exercent, cum ad inopiam rediguntur, ad duo incommoda se conuertere solent, aut ad Dæmones ipsos inuocādos,aut ad falsam, & adulterinam monetam cudendam. Et illud hanc artem mendacij,ac falsitatis conuincit,quod nemo sit repertus, qui illā alios uere docere potuerit, ut propterea, ut ait D. *Anton. 3.p.tit.8.c.4.* De his qui tali exercitio uacāt, illud Apostoli *in 2.ad Timoth.3.* locum habeat, Sēper addiscētes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes. Vt merito *Ioannes 22.in extrauag. spondent.tit. de crimine falsi* grauissimas pęnas illis infligat,qui alchimicum aurum, uel argentum, aut monetam ex illis confectam tanquam ueram uendunt, dant in solutum, & similia, cum hæ transformationes sophisticæ sint,non ueræ. Et certe Marcus Bragadinus,qui diù huic artificio operam nauauit, cum ob sua maleficia in crucē adigendus esset, confessus est nunquam à se in uita factum fuisse aurum, nec se credere illius faciendæ ullā inter homines artem extare; ita ut cum Demetrio Phalareo dici possit, Quod frequenter certis consumptis, incertorum gratia,quæ se capturos sperabant, non cæperūt;quæ vero habebant, abiecerunt,&c.

Atque sic tenet *Ang. & alij in v. Alchimia Cassan.in Catalogo gloriæ mundi.p.11.consil.40. Pegna in Comment.ad Emericum.p.3.Comment.26. Valēt. in 22.disp.6.q.13.puncto 2. Mart. Delrius in Disq. mag.l.1.c.5.q.4.Graffius.l.1.Decis.aur.c.28.nu.27. Comit.l.3. respons. quæst.33. & alij communiter.*

Vnde dico Simonem qui hucusque in alchimicū opus incubuit, à confessario in pœnitētiali foro absolui non posse,nisi illud deserat,ut ait, *Graff.l.c.* Et præter accepti ab Alberto pretij restitutionem, ad resarcienda eidem illata damna teneri, cum malū, & fraudulentum consilium de re illicita, & damnata præbuerit. *ex gloss.in cap.nullus.de reg.iur.in 6.& Decio, ac Cagnol.in l.consilij.ff.de reg iur.* Vt propterea in eum quadret ille senarius prouerbialis, Malū consilium consultori pessimum, in eos iactari solitus, in quorum caput recidit, quod alijs perperam consuluerunt.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dico tàm à peccato quàm à restituendi damnum obligatione hunc medicum excusari posse, quando Philiberto suasit ut magnum olei copiam emeret, cum futuram eius sterilitatem, ex astrorum inspectione cognouit, nam ut ait, *Caietanus*, ab oībus approbatus *in Sūma. v. Astrorū obseruatio.* De astrorum iudicijs circa corporales effectus, puta sanitatis, uel infirmitatis, fertilitatis, uel sterilitatis, pluuiæ, uel siccitatis,nulla est quæstio, quia hæc absque peccato fiunt, quoniam effectus quæruntur, & reducuntur in suas causas naturales. Idemque tenet. *D. Anton. in 2.p.tit.12.cap.1.§.3. Delrius.l.c.l.4.c 3.q.1. Pet.Nau.de restit. l.2.cap.2. nu. 113.* Vbi tractat an astrologus restituere teneatur quod pro tali prædictione accepit, & non teneri concludit.

concludit. Sic Iosephus, ut habetur. *Gen c.41.* præuidens futuram maximam caritatem, omne Ægypti frumentum currenti pretio comparauit. Et Thales Mylesius apud *Arist.l.1.Polit.c.7.* per Astrologiam sciens euenturam oliuarum sterilitatem, ingentem olei copiam emit. Cum tamen de futuris contingẽtibus non sit determinata veritas, nec ex causis naturalibus futura certo euentura scire possimus, iuxta illud, Nescis quid serus, uesper vehat, nam omnia à Dei beneplacito pendent, si res uotis non respondit, & pro sterilitate oliuarum fertilitas successit, suæ leuitati hoc damnũ quod inde Philibertus passus est, ascribere debet; si quidem qui cito credit leuis est corde. *Ecclesf.c.19.* Quod his uerbis admonuit Verrinus,

Qui cito crediderit, falletur sæpe, leuisquè
Est cordis, raro fallitur ipse senex.

arg. *Lopez. p.1.c.124. Lessius.l.2.c.12.num.133. Faustus.de empt.d.6.q.120. Bonac.de cont. d.1.q.2. p.3. nu 11.* Vbi resoluunt, eum non teneri ad restitutionem, etsi grauiter contra charitatem peccauerit, qui non est causa efficax damni, sed solum occasio, vt si v.g. Petrus literas scripsit, in quib. continebatur, hic Bononiæ magnam adesse tritici inopiam, easq; literas curauit in Sicilia proijci, ex quo factum est vt Ioannes inuentas literas legerit, illisquè fidem præstiterit, & propterea magna spe lucri adductus ingentem tritici copiam Bononiam transtulerit, & inde magnam iacturam subierit, eo quod re uera hæc vrbs frumenti penuria non laborabat; cum suæ credulitati detrimẽtum illud imputare debeat, &c.

III. Q. RESOLVTIO.

3. q. Sic resoluendam asserimus, Simonem medicum qui erga Vincentium male affectus effecit, vt eius herus illum dimitteret, licet grauiter contra charitatis leges peccauerit, ad vllam tamen restitutionem non teneri, si alium non inueniat, qui ei tantum stipendij soluat, quantum dimittens; nisi causa extitisset, ut herus contra iustitiæ præscriptum, ante lapsum temporis conuenti, eum à se abdicaret, nam ut ait *Nau.* cõmuniter receptus *in cap.17.num.70.* Sola intentio nocendi, aut malum iniustum inferendi, restituendi necessitatem non parit, quamuis in foro conscientiæ peccatum inducat, nisi adijciatur ei aliquod opus exterius iniurium, & iustitiæ legib. contrarium; ut lictor mala intentione iuste damnatum suspendens, & miles in bello iusto hostem occidens, uel prauo animo vrbẽ diripiens, licet peccent, non tamen quidquam restituere tenentur, quia licet charitatis, uel aliarum uirtutum regulas transgrediantur, non tamen iustitiæ specialis præcepta violãt, quorum transgressio sola est iniuria ad restituendum obligans. Atque ibi hanc dubitationem resoluit *Nau.& Graffi.l.2. Decis.aur.c.127.nu.27.*

DOCVMENTA, & admonitiones.

Atque hinc colligi potest quantum in restitutionis materia, ut proprium munus rite obire possit Confessarius, uersatus esse debeat. Quippe quinque, ut Doctores admonẽt, scientiæ sunt ab hominẽ discẽdæ. Quarum prima est Dei cognitio, quæ inter omnes principatum tenet, idque non obscure ipse significat dicens. *Hier.cap.9.* In hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me, ut propter hoc *Aristoteles.l.1.Metaph.* minimam eius notitiã reliquis omnibus prætulerit. Huic uero proxime succedit sui ipsius cognitio, quam tanti Antiquitas fecit, ut cuidam cõsulenti quo itinere ad beatitudinem perueniret, Delphici oraculi uox fuerit, Si te ipsum cognoueris. Imo inter alia documenta, quæ B. Catharina Senensis à Domino habuit, primum illud extiterit, ut se ipsam cognosceret. Dixit enim, si noscis filia quis ego sim, & quæ tu sis, beata eris. *Lud.Granat. Conc.1.in festo B.Cathar.Senens.* Tertia est notitia rerum ad salutem pertinentium, quas. s. ut salui simus credere nos oportet, facere, aut fugere, ut puta, ut quisque sciat, 12 fidei christianæ articulos, decem Decalogi, & alia quinque sacro sanctæ ecclesiæ præcepta, &c. *Nau.cons.10.tit. de pœnit. & remiss.* Quarta est solida quatuor nouissimorum consideratio, de quibus *Ecclesf.cap.7.* Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Et *Deut.c.32.* Gẽs absque prudentia est, atque consilio, utinam saperent, ac intelligerent, ac nouissima prouiderent. Quinta est sciẽtia proprij, priuatiquè muneris, quilibet enim scire debet, quæ ad officium, & statũ suũ pertinent. teste *D.Thoma.12.q.76.art.1.& 2.* Qua in re multoties à mortalibus peccari solet, ut per *Arras.de usu sacram.cap.6.* & per nos *in Comment. de hum.vita.Stat p.1.c.1.*

Inter ea porro quæ ministri sacramenti pœnitentiæ notitiam effugere non debent, ea sunt quæ circa restitutionis præscripta versantur, si quidem non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *cap. peccatum.* vbi *Con. de reg. iur. in 6.* Et recte sane, cum recta ratio postulet, ut peccatum non nisi dispostito remittatur, dispositus autem non est, qui, cum possit auaritiæ affectu obcæcatus, uero domino quod ipsius est non reddit. Nec, ut alibi dixi, ille absolutionis beneficio dignus est, qui cum in articulo, uel periculo mortis existat, habeatquè vnde restituat, satisfacere non vult, sed illud hæredib. in testamento mãdat. Circa quæ plurimum caueant confessarij præsertim apud magnates, apud quos hoc malum plurimum viget, ut pater filio, filius patri, frater fratri, &c. restitutionem committat, & hac via nunquam quod debetur restituitur; & ideo tàm mandans quàm mandatarius, clausis oculis ad inferos descendunt: quod non accideret, si ipsi confessa-

rij fideliter munus suum exequerentur. Idem dicendum de his est, qui dum viuunt dubitant, an quæ possident, sua uel aliena sint, neq; id discernere uolunt; sed hoc examen hæredibus suis relinquunt, ijs enim sicut præcedentibus, cũ in statu peccati mortalis sint, sacramẽtalis absolutio deneganda est; idque multo magis, quia filij, uel hęredes id discernere nequibunt, quibus gestorum rationes, negotiationes, & litium inuolucra non ita innotescunt, ut ait *Salon. 22. q. 62. art. 8. cont. 3. §. sequitur tertio.* Quin etiam cum frequentissime in praxi accidat, ut debitores qui ad æs alienum conflandum prompti fuerunt, ad illud dissoluendum impotentes efficiantur, atque ideo uel illi siue sui hæredes christiano, ac solido consilio indigeant, ut probe doceantur, quem ordinem erga suos creditores in foro animæ obseruare debeant: propterea Confessarius quem tàm propriæ, quàm alienæ conscientiæ studiosum esse oportet, non prius respõdere debebit, quàm accurate in Theologorum moralium scripta, de hoc argumento tractantia incubuerit, & inter alios, quæ tradidit *Sayrus. in claui regia. l. 10. c. 7. Lessius. l. 2. cap. 15. dub. 1. Reginal. l. 10. cap. 17. Lazar. de monet. sect. 3. quæst. 7.*

QVAESTIO XII.

An peccet, & restituere debeat aromatarius, qui merces, pondus, & mensuras decurtat, & minuit, falsam monetam expendit; & an in casum reseruatũ incidat. Nùm Episcopus eum in foro etiam externo punire valeat. Et quid dicendum de medico, qui ob munera eum corrigere omittit. An contra creditorem ui statuti se tueri possit, si non petijt creditum intra quadriennium. Testamentum conditum Venetijs cum duobus testibus, an ualeat; & an legatum relictum concubinæ ei debeatur?

CVm in quadam vrbe extet casus ab Episcopo reseruatus, quò ad eos, qui stateras, mẽsuras, moneta suẽ adulterauerint, Syluester aromatarius, fabarum farinam in cera, & puluerem in pipere miscere solitus est, & alias suæ officinæ merces, mensuras, & pondus, diminuendo, uendere; corruptas sæpe, ac uetustas medicinas, pro sanandis, ac curandis infirmis dedit, ac falsam demum monetam, quam ab emptoribus nõ aduertẽdo accepit, scienter postmodum expendit. Quæritur an mortaliter peccauerit, in casum reseruatum tàm ipse quàm eius famuli inciderint; & an & quomodo restituere teneantur, & nùm Episcopus in foro etiam exteriori, in eũ animaduertere possit. Et quid dicẽdum de Andrea protomedico, qui contra iuramentum acceptis muneribus, non plena, & integra fide, eius officinam, & aromatariam visitat, & non permittenda in ea dissimulat. Insuper cum in eadem ciuitate vigeat statutum mercatorum, ut quilibet habens schedulã manu debitoris conscriptam, tanquam creditor, quod sibi debetur, intra quatuor annos à die confectionis petere debeat, aliàs illud scriptum nullius ualoris sit, & pręsumatur esse solutum; an ipse Syluester cõtra Petrum creditorem se tueri possit?

Tandem cum Venetias pro suæ artis mercibus emendis se transtulisset, lethali morbo correptus testamentum condidit, in quo Margaritæ coniugatæ fęminæ, quam absente, & in bello degente eius marito, amasiam, & cõcubinam habuerat, 300. aureos legati titulo reliquit; vndę eo defuncto pariter quæritur an testamentũ cum duobus testibus, & tabellione conscriptum ualeat, & eius hæredes huiusmodi legatum soluere teneantur. Et quid in praxi eis consulere debeat Confessarius?

SVPPOSITA, & prænotiones.

PRIMVM SVPPOSITVM.

REspond. Suppono breuiter tria esse, in quibus merces in humanis contractibus deficere cõtingit. Primo substantiam, ut cum vino admiscetur aqua, orichalcum auro, piperi puluis, &c. De qua re conqueritur. *Isaias c. 1.* Argentum tuum versum est in scoriam, uinum tuum mixtum est aqua. Secundo quantitatem, ut quando debitum pondus, numerus, & mẽsura, non seruatur, iuxta illud *Deut. c. 25.* Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus. Tertio qualitatem, ut cum aliqua res prætextu alicuius virtutis ad aliquem effectum uẽditur, sed reuera illa caret; ut etiam cum lanius unã carnem pro alia vendit, dolo, ac fraude fratrem circumueniens. Contra quos fraudulentos homines, extat illud *Prouerb. cap. 3.* Ne æmuleris hominem iniustum, nec imiteris vias eius; quia abominatio Domini est omnis illusor. Et Carul.

Nec facta impia fallaciam hominum Calicolis placent.

Propterea virium in rei substantia, quantitate, & qualitate, lethalem culpam (si in re notabili contingat) secum inuoluit, iniustam venditionem reddit, & ita ad restituendum obligatio oritur, si scienter fiat, & post scientiam, si ignoranter factum sit. Doctrina est certissima, ac communissima, ac proinde nulla probatione eget, ut per *D. Thomam, & ibi scribentes. 22. q. 77. art. 2.* In his autem non solum aromatarios, sed etiam alios artifices delinquere solere testati sumus *in Comment. de hum. vitæ stat. p. 2. cap. 13.*

Quamuis nonnulli artifices, ut speciatim aurifices, ab eiusdẽ iniustitiæ labe excusari possint, si v. g.

ad auri, uel argenti pondus eas mixturas alterius metalli tendant, quas auro, uel argento pro anulis, uel uasis conglutinandis immiscere solent, ita enim se habet communis consuetudo ubiq; terrarum, in quam omnes emptores quasi quodam iure gentium consenserunt. *Rader. p. 2. cap. 81. Lopez. l. 1. de cont. c. 39. Cordub. de cas. consc. q. 80. Faustus. de empt. & uendit. quaest. 91.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo Supponendum, ut sit probata, ac legitima, monetã tria continere debere, nempe publicam materiam, formam, & legitimum pondus, ut per *Decianum tract. crim. tom. 2. l. 7. c. 23. num. 9. Menoch p. 1. cons. 49. Mascard. de probat. uol. 2. concl. 1065. Farinac. in praxi crim. p. 5. quaest. 115.* Vnde moneta tribus modis adulterari, seu corrumpi dicitur, uidelicet circa substantiam, vt quando unum metallum pro alio permiscetur; circa pondus, cum minus pro maiori ponitur; circa formam, ut cũ quis priuata authoritate monetam cudit, uel eam tondet, etiamsi ad iusti ponderis æqualitatem reducat. *Nau. c. 17 num. 168.* Idem *Menoch. de arbit. iud. casu 316. nu. 36.* Huc referuntur falsam monetam expendentes, qui eadem pœna puniuntur, quia illam adulterantes, uel radentes, dũmodo probabili ignorantia non excusentur, quæ quidem iuramento allegantis probabitur, nisi iustæ præsumptiones, uel coniecturæ ex aduerso illam elidant. *Decian. d. cap. 25. num. 8. Farinac. l. c. num. 59. Seraph. de Priuileg. iuram. priuileg. 4. nu. 136.* Et uerius dicendum est, sub casus reseruatione eam expendentes non uenire, cum de adulterantibus monetas, non de scienter expendentibus loquatur; & à diuersis non debeat illatio fieri. *Menoch. de casu 316. num. 51. Barbosa. p. 3. Allegat. 51. num. 55.* vnde

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic summatim suppositis dico Primo, Syluestrum aromatarium fabam cera, & puluere piper miscentem uetustas, ac corruptas medicinas præbendo, & sic emptores defraudantem, lethali noxa animam suam implicasse, ut his uerbis ostẽdit. *D. Anton. 3. p. tit. 8. c. 4. §. 6.* Aromatariorũ ministerium quò ad medicinalia humanæ vitæ deseruit, & est necessarium eius conseruationi, quò ad essentiã; quò uero ad alia est utile & ad bene esse. Dicitur autẽ multas sophisticationes in ea fieri, & fraudes, & in conficiẽdis medicinis, aliquando ponunt aromatã multum uetusta, unde modicam uirtutem habent; uel si non habent illa quę exiguntur, aliquando alia non ita conferẽtia loco illorum ponunt, quæ infirmo parum prosunt, uel forte nocent, quod cum fieret, esset graue peccatũ, hæc ille. Ideo quidã non inepte diceb..., quod inter exercitia, quæ de se licita sunt, præter alia quinque ualde periculosa uidẽtur, scilicet officium medici, iudicis, militis, confessarij, & aromatarij, ut refert *Bustus p. 2. serm. 32.* Et cum Syluester non tantum charitatem, sed etiam iustitiam uiolauerit, dubium non est, ad omnia secuta damna resarcienda teneri. Et quod attinet ad mensuræ, ac ponderis diminutionem, (in qua difficilior restitutionis ratio esse solet) id quod per iniuriam singularibus ciuibus minutatim factam, acquisitum est, ipsis singularibus ciuibus, non autem pauperib. restituendum est, quia tunc dominus in rem restituendam ius habet, nec in pauperes, cum ille non sit omnino ignotus, dominium translatum est. Quod si coniiciat, eosdem ementes, uel ementium hæredes perseuerare, ueniendo ad emendum, tunc Syluester defraudator tantumdem restituere potest, pondus, uel mensuram augendo, uel tantidem in pretio decrescendo, ita ut ad æqualitatem quatenus fieri potest, perueniat. ut tradunt *Reginal. lib. 10. nu. 205. Molina de restit. d. 745. Bonac. d. 1. q. 3 p. 4. num. 11.* & aduertimus *in d. Comment. c. 13.* Et quod de Syluestro domino dictum est, de famulis etiam censendum, si & ipsi in dolo, uel culpa fuerunt, secus si bona fide Domini iussu id fecerint, licet ipse dominus pro damnis ab ijs illatis ad restitutionem teneatur, tùm quia qui per alium facit, per se ipsum facere dicitur *reg. Qui per alium. de reg. iur. in 6.* tùm quia, quæ ab his fiunt, qui nostræ custodiæ commissi sũt, & nostra sunt instrumenta, nobis scientibus, & non impedientibus, per nos ipsos fieri censentur, teste communi apud *Bonac. de contract. Disp. 1. q. 3. puncto 8. Syluest. v. dominium. q. 6. Nald. v. familia. num. 1.* Sicut in simili dicit *Azor. p. 3. l. 13. c. 18. q. 3.* Reum super mandante interrogari, & torqueri posse, quãdo constat reum ipsum ex alterius mãdato crimen commisisse, pura quia est famulus, uel subditus, & quando apparet illum non sua causa, quia nil ad eũ pertinebat, sed ad alterius instantiam delictum cõmisisse. *arg. l. velle non creditur. ubi Dec. & Cagnol. ff. de reg. iur. Alciat. reg. 3. præsumpt. 40. Menoch. de præsumpt. l. 5. præsumpt. 27.*

At à mortali peccato, restituendi obligatione, nec non à casus reseruati incursu tàm dominus, quàm famuli immunes esse possent, si quò ad suarũ merciũ pretium, iniuria illi fieret, uel propter emptorum monopolium, uel quia iniquus Vrbis Gubernator, hoc eum grauamine premit, si ut se indemnẽ seruaret, minoris iuxta pretium taxatum uenderet, sed tamen mensuram, uel pondus decurtando, ita ut quantitas quam ille tradit, illud pretium ualeat, quod recipit & hoc in foro conscientiæ, quamuis in mundi tribunalibus, possit reipublicæ Magistratus in eos agere, qui in mensuris publicam fidem uiolant.

lant.ut ait *Sotus.l.6.de iust.& iur.q.3.art.2. Graffius in decis.aur.l.2.c.116.num.12.& de cas.reser.l.2.c.4.nu.23.Corrad.in respons.cas.consc.q.51. Beia p.1.casu.64.Lopez.in Instruct.consc.c.192.*

II. Q. RESOLVTIO.

SEcundo ex præludijs supra positis dico, Syluestrum qui falsam monetam bona fide acceptã, scienter expendit,etsi à mortifera culpa,& restituẽdi obligatione non excusetur, quia eius error alteri nocere non debet. ut scripsimus supra *tract.7.c.37.q.143.* Imo eadem pœna qua eam adulterantes etiam in foro exteriori puniatur, casus tamen reseruari censuram non subit,quę tantum de adulterantibus monetam, non autem de expendentibus loquitur. *Menoch.l.c.nu.51.Graffius.de cas.reser. l.2.c.4.Gambar.sup.tit. Qui Ilateras,*&c.*Io.à Chapeuilla casu 16.quæst.2. Barbosa de Episcopo Alleg.51. num.64.& alij communiter.*

III. Q. RESOLVTIO.

TErtio resoluendum est, de iure cõmuni Episcopum posse etiam in foro externo punire Syluestrum aromatarium,farinam fabarum,& puluerem in pipere,& ut dicunt,quid pro quo in pharmacis conficiendis immiscentem, quia in his, quæ animæ salutem,& commune bonum concernunt,in laicos iurisdictionem habet. Vnde & publicæ pietatis ratione statutum est,ut eodem pretio,merces,& res victui necessariæ, peregrinis, & hospitibus uendantur,quo publice incolis vendi solent,idque munus,& huius solicitudinis curã, Episcopis, ecclesiasticisquè Iudicibus ipso iure committitur. *l.1.C.de Episc.aud. c.1.de empt.& uendit.* Nam etsi.*ex l.1.§.cura carnis.ff.de officio Præfecti Vrbis.* hoc officium ad sæculares etiam pertineat;ob pietatis tamen causam eisdem ecclesiasticis Iudicibus delegatur. Imo consuetudinem,utcunque sit, legitimo tempore inductam,non valere,coërtionem, iusque istud secu-ares ob hanc causam puniendi, ab Episcopis, uel eorum Vicarijs tollendi,quasi ea sit in reipub. perniciem,frequentissimo omnium calculo annotatur. *in d.c.1.& à Boerio Decis.69.n.21.Con.l.3.uar.resol.c.14.num.5. Bellett. in Disq. cler.tit.de fauore cler. reali.§.5. num.64. Barbosa de Episcopo de Alleg. 51. num.52.Rom sing.526.* Ideo namque in primis in manus noui Antistitis consecratus baculus authoritatis.s.ac disciplinæ insigne,humanæ imbecillitatis sustentaculum tradi solet, ut sit in coercendis uitijs pie sæuiens,& iudicium in seculares sine ira tenens. *Durand.in rat.diuin.l.3.c.15.Tuschus in v.Episcopus.concl.234.*

IV. Q. RESOLVTIO.

QVarta dubitatio sic expedienda videtur, grauiter peccasse Protomedicum,qui contra proprium iuramentum,munera à Syluestro aromatario accepit,& illis corruptus, mala, & minus efficacia medicamenta, permisit. Si quidem diuinam in humanum genus benignitatem,ac beneficentiã, cum studiosus quisque medicus hominesiuuando quatenus humana fert imbecillitas,imitari contendat, nulla sane ratione, plenius exprimere videtur, quàm morbis tuto profligaris, pristinam sanitatem restituendo, idque contrarijs remedijs; quæ cum in tria genera artis medicæ professores deduxerint, licet inter ipsa maximi sit momenti diæta, & chirurgia, primas tamen tenere optimo iure pharmacia videtur, vtpote quæ morbos etiam grauissimos,ac desperatos, propria virtute cito depellat, dummodo tamen medicamentum sit recens, succosum, legitimum, ac rite paratum; cum vetustum, à tineis corrosum,obsoletum,falsum, ac fucatum, pro salubritate morbum,& pro uita mortem potius afferat. Propterea si medicus ab vrbis collegio electus permittit,ut aromatarius nõ synceris pharmacis, ueteribus,ac corruptis vtatur, quæ vim suam amiserunt, quæ præsertim plurimi constant, & per os sumi debẽt,nec ipse recẽtiora, meliora, ac legitima deligit, æterno adiudicandus incendio reus efficitur, iuxta omnium mentem, nec non illata damna restituere tenetur,nisi ementibus pro ægroto,talem aromatarium selecta medicamenta, & idonea antidora non habere denuntiauerit.ut per scribentes *in c. tua nos. ext. de homicidio. Codronch. de christiana, ac tuta med.ratione.lib.1.cap.9.*

Periurij quoque crimen hic Protomedicus non effugit, cum munera contra proprium iuramẽtum, à Syluestro aromatario acceepit, ac ob hoc quæ officij sui partes erãt,erga eum neglexit,nam ut loquitur *D. Ambros. in epist. ad Corinth.1.* libertatem arguendi amittit, qui ab eo accipit, qui ideo dat, ne corrigatur. Et ut dixit Demosthenes *in libro de falsa legatione*, Legislator seuere uetuit accipere munera,existimans, vt mihi videtur,eum qui semel acceperit, & largitionibus sit corruptus, non iam constantem manere Iudicem publicorum commodorum. Huc enim et spectat illud diuini vatis. *Psal.25.* In quorum manibus iniquitates sunt,dextra eorum repleta est muneribus.

Ab hoc tamen delicto excusari posset, si v.g. natalitiis diebus, munera dari consueta, nec modum excedentia, ex amicitia, & liberaliter data, accepisset,nec à recto,ob ea,deflexisset, & officinam,& illa pharmaca,quæ sibi suspecta erant,explorare,ac inspicere, ne ægris officerẽt,nõ omisisset;præsertim si illud iuramentum ab aliis medicis nõ seruaretur,

quandoquidem ut monet. *D. Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. §. 6. Azor. l. 1 t. p. 1. l. 8. q. 8. Sanchez l. 3. de præceptis. cap. 14. & Codronch. l. c. lib. 1. cap. 39.* Cum quis decreta alicuius communitatis, uel collegij se seruaturum iurat, si qua per contrariam consuetudinem iustam, ac præscriptam abrogata sunt, ad ea teneri non videtur. ut etiam scriptum reliquimus *tract. 7. cap. 9. quæst. 46.*

V. Q. RESOLVTIO.

QVinta quæstio sic resoluitur, Syluestrum prædictum, urbis statutum ad excludendum creditorem allegare non posse, si quidem debitor in mala fide existens, præscribere non potest, nec laicorum statuta, quæ peccata nutriunt, in animæ iudicio valent, vt notant DD. & in specie *Bartolus in l. omnes populi num. 24. ff. de iustitia, & iure Abb. & Butrius in cap. fin. ext. de præscript.* Et prædicta lex municipalis præsumit, scriptum fuisse solutum, quæ præsumptio veritati repugnans in foro cōscientiæ non attenditur. Qua in re cauti debent esse aduocati, ne sub prætextu legalis scientiæ, perniciose erretur in foro conscientiæ. *Tusch. in v. Forus cōcl. 447. & v peccatū, concl. 193. Ala de aduoc. christ. p. 1. q. 50. & 92. Regius casu 38. Carbo. de restit. q. 89. Graffiis l. 4. Decis. aur. c. 8. num. 19. Nau. c. 17. num. 85. Menoch. l. 3. de præsumpt. præsumpt. 135.*

VI. Q. RESOLVTIO.

SExtæ demum q. sic respondendum videtur, testamentum à Syluestro Venetijs, cum duobus testibus, & notario conditum, ex lege municipali, & consuetudine ibi pro lege recepta, valere, & seruandam esse. vt per *Ias. de communi testantem in l. cunctos populos. nu. 33. C. de Summa Trinit. & fide cath. & Felyn. communem itidem sententiam adducentem in c. sicut. nu. 9. ext. de probat. Bursat. consi. 206. nu. 3.* Et quamuis ipse Syluester esset Bononiensis, nihilominus, & forēses Venetijs ex statutorum, vel vsus forma testari possūt, tùm qa sicut in cōtractib. loci solēnitas inspicitur; ita & de testamentis statuendū est. *Burs. l. c. Rota Rom. collecta à Farinac. decis. 396.*

Quò vero ad legatum Margaritæ concubinæ relictum dico illud non valere, si quidem supponitur illam turpem, ac inhonestam fœminam fuisse matrimonio coniunctam; & explorati iuris est, neminē concubinæ, vel amasiæ legare posse, quando concubinatus inter illas personas intercedit, quæ inter se matrimonium contrahere non possent, puta quia alter, vel ambo sunt coniugati. *Bald. lib. 1. consi. 267. Tusch. in v. concubina conclus. 568. Gionagnon. lib. 1. respons. 47.*

Atque ex his quid in praxi tàm Syluestro, quàm Andreæ Protomedico Confessarius consulere debeat, colligere poterit, vt scilicet quæ iustitiæ, & proprii muneris sunt, in pósterum obseruare studeant; cum teste eodem D. Ambrosio, Regula iustitiæ manifesta sit, quod à recto, & vero, non deceat bonum virum declinare, nec damno quemquam afficere, neque aliquid dolo rei suæ annectere. Et fixum illud eis esse debere, Deo in primis seruiendum, propriam conscientiam non fallendam, & munus vnicuique assignatum, fideliter exequēdum. vt ex professo locuti sumus *in Comment. de hum. vita stat. p. 1. cap. 1. & seq.*

QVÆSTIO XIII.

Hospitalarij quomodo mortaliter peccent, si ex eorum negligentia, aliquod damnum hospitali inferatur; an restituere teneantur; & an alienando eiusdem bona sine euidenti in excōmunicationem incidant. Vtrum Prælatus legatum, vel hæreditatem ecclesiæ delatam repudiare possit? Nunquid Hospitalarius qui ex Hospitalis pecunia in ludo lucratus est, emolumentum illud restituere teneatur?

INnocentius laicus cuiusdā hospitalis domus, vel Zenodochii. Rector, ex incuria, & negligētia, male eius bona administrauit, nam v. g. redditus in eos vsus in quos destinati sunt, non insumpsit, ædificia quædam reficere omisit, ob quod conciderunt, & castanetum sine euidenti vtilitate alienauit, ita vt ob eius culpam, ipsi hospitali multa damna sint illata. Queritur an Innocentius lethaliter deliquerit, ad restitutionem teneatur, & an in aliquam censuram inciderit? Quid itidem dicendum de Prelato, & Præfecto ecclesiastico, qui eidem Hospitali delatam hęreditatem, sed nondum acceptatam repudiauit? Et quid tandem statuendum est de lucro opulento, quod ex Hospitalis pecunia ludendo consecutus est, an. s. illud simul cum capitali restituere teneatur?

Respond. Pro clariori huius casus resolutione hęc fundamenta, & pręuię inspectiones annotandę videntur.

PRIMVM SVPPOSITVM, & prima inspectio.

ET Primo supponendum, fuisse à piis hominibus tùm Ethnicis, tùm Christianis, loca quędam extructa, redditus, ac census cōstitutos, ad pauperum miseriam subleuandam, veluti omnibus hominibus, sibi ipsis cognatis, existentibus, & ab vno parente natis, ac sicut membris natura ipsa si cōpatientibus. Quemadmodum etiam ferunt, animalia rationis expertia, quodammodo sibi ipsis opem ferre, etsi

re, etsi ita loqui fas est, aliarum ferarum commiserati. Prout ferunt, quandam marinam auiculam, ita infirmam, ac imbecillam, vt sibi nidum construere non possit, ex aliarum auium velut pietate, & misericordia, in alienis nidis parere. Proinde cum humanę naturę plurima insit miseria, & vt dicebat Phocion, Nec ex templo ara, nec ex humana conditione misericordia tollenda sit, Et Gregorius Nazianzenus nullam aliam virtutē inter externas esse asserebat, quę Dei beneuolentiam perinde, ac misericordia concilier, plura nomina loca pia sortita sūt, plures modi distribuendarum eleemosynarum sunt inuenti, & plures appellationes eorum enatę, qui illorum curam suscipiunt. vt per *Tholosanum in syntag. Iu. l. 15. cap. 28.*

Xenodochia igitur, vel hospitales domos, quę & nosocomia, & orphanotrophia dicuntur, i. pietatis, & misericordię loca, ad excipiendos, curandos, & etiam alendos infirmos, & egenos extructa, certi iuris est, esse sacra, & religiosa, si Episcopi authoritate sint erecta, & omnibus illis priuilegiis gaudere, quibus ecclesia fruitur. Vnde Episcopi cum in omnibus visitandi ius habeant, curare maxime debent, vt hospitalitatis opus diligenter, ac fideliter administretur, ac proinde ea visitandi ius sartū tectū conseruet. *Clem. quia contingit. tit. de relig. dom. Conc. Trid. sess. 22. de refor. c. 9. & sess. 25. c. 8. Roder. tom. 2. qq. regul. q. 84. art. 2. Azor. p. 2. l. 3. c. 3. q. 4. & c. 40. q. 12. Zerula in praxi Episcopali p. 1. v. hospitale. Vgol. de offic. Episcopi. p. 1. cap. 24. Tusch. v. Hospitalia. concl. 163. Marta. de iurisd. p. 2. cap. 18.*

Quinimo hospitalia, & quæcunque alia pia loca, siue cum Episcopi authoritate, siue sine illa instituta sint, ab ipso Ordinario visitari possunt; licet enim absque eius assensu extructa sint, & formam ecclesię seu altare non habeant, attamen videre ei licet, an omnia recte procedant, & ex testatoris mente executioni mandētur. Ex quibus aliquibus difficilis videtur illa communis, decisio, quæ refertur Ibi hæc verba, Si in fundatione hospitalis sit dictum, quod Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, nō poterit illud visitare. Nisi intelligamus de hospitalibus domibus, & cōfraternitatibus, quæ à laicis tanquam mere laicales reguntur, & in quib. piæ dispositiones non adsunt, vel de loco pio hospitalitatis priuatim instituto, & intra ipsiusmet instituentis ædes incluso, &c. *Barbosa de Episcopo. p. 3. Alleg. 75. num. 9. Grassus. de effect. cler. effect. 1. num. 610.*

Enimuero Episcopi authoritate Hospitale fundatum præsumitur, si locus ab antiquo in formam ecclesiæ sit constructus, vbi sacerdotes celebrare cōsueuerunt, campanæ adsunt, & tantū temporis præterijt, cuius memoria non extat. *Menoch. l. 6. de præsumpt. præsumpt. 79. Mascard. de probat. vol. 2. v. ecclesia. concl. 583. Communis decisio Tusch. v. Hospitale. concl. 158. Vgol. & Barbosa l. c. Mar. Anton. lib. 1. var. resol. resol. 14.*

II. SVPPOSITVM.

PORro ministri qui eliguntur, quò Hospitalium curam gerant, quales esse debeant, & quid facere eos oportet, breuiter dicendum est, Primo eos eligendos esse qui possint, velint, ac sciant ipsa Hospitalia regere, bona, ac iura vtiliter gubernare, & eorum prouentus in personarum miserabilium vsum fideliter dispensare, & quos in alios vsus prædicta bona conuertere verisimilis præsumptio nō existat. Secundo ad instar tutorum, ac curatorum iuramentū præstare, ac de ipsorū bonis inuentariū cōficere, ac Ordinarijs locorū, vt dixi, administrationis rōnē reddere tenentur, nisi, vt aliqui volūt, aliud expresse in eorū institutione cautum sit. *d. Clem. 2. §. ut autē. tit. de relig. dom. & Conc. Trid. d. sess. 22. de reform. cap. 9. Menoch. cōs. 863. Tusch. v. Administrator. concl. 203. & DD. supracitati, ac Mar. Anton. lib. 1. resol. 112. casu 45.* Vbi etiam resoluit, Fabricerios, vel Præfectos fabricæ ecclesiasticæ ad reddēdam rationem posse ab Episcopo compelli. Ar si post administrationem ditati reperiantur, etiamsi rationem reddere parati sint, de bonis ecclesiæ aucti præsumūtur. *Genuens. in pract. eccles. q. 523. Menoch. cons. 8c. n. 2.* Vt vero in officio suo contineantur, & suas partes fideliter expleant, eorum munus vltra triennium durare non debet. Item merces est illis assignanda, cum nemo gratis seruire cogatur, & honos alat artes; ob id enim Aristophanes colligebat, non esse consentaneum, Athenis vllos esse bonos medicos, cū medicis vlla essent constituta præmia. *Vgol. l. c. §. 1. num. 5.* Addo etiam Hospitalium gubernationem, vxorem, & filios habenti committi non debere, cum contra eum verisimilis præsumptio militet, ad thesaurizandum filijs, ipsorum piorum locorum bona in alios vsus conuersuros, nisi Rectoris futuri probitas, & integritas hanc præsumptionem eliderer. *Turrecrem. & alij in c. de Syracusana. dist. 28. Mar. Ant. Gen. in praxi Neap. cap. 108.*

III. SVPPOSITVM, & 3. inspectio.

TErtio ad memoriam reuoco, quod alibi in articulis de cōtractibus deduximus, culpam aliam esse theologicam, vt est peccatum mortale, & veniale, quæ est deniatio à diuina lege, & iuridicā; quæ est omissio diligentiæ, quam quis adhibere tenetur, cuius triplex est genus, nempe lata, quam homines communiter vitare solent, leuis, quam diligentes, & leuissima, quam diligentissimi.

Et diuersimode iuxta contractus naturam culpā

esse præstandam apud omnes in confesso est; si enim alterius gratia tantum celebratur, vt in commodato ille leuissimã præstabit, si vtriusque, vt in locatione, leuis tantum venit; si in commodum non recipientis, sed conferentis, vt depositum, de dolo, & lata culpa tenebitur. *Decius, & Cagnol. in l. contractus ff. de reg. iur.* Multis tamen Theologis, & Iuristis placet, vt in foro conscientiæ, quando indirecte damnum infertur, nemo nisi de lata culpa teneatur, nisi aliud sit conuetum, aut res esset huiusmodi, quæ exactam diligentiam requireret, & per negligentiã læsa esset: quamquam in his multum prudentia potest, & æquitatis ratio quid agendum sit, decernere. *Abb. in c. 1. de Constit. Innocent. in c. quia plerique de immunit. ecclef. Pet. Nau. l. 2. de restit. Carbo q. 71. c. 1. nu. 57. Lessius l. 2. c. 7. dub. 6. Sa in v. culpa. Possev. de off. Curati c. 15. num. 50. Graffius l. 4. Decis. aur. c. 8. num. 6. Clar. in praxi crim. q. 62. nu. 5. Gambarup. casu* 5. *Barbos. de Episcopo p. 3. Alleg.* 51. *n.* 75.

IV. SVPPOSITVM.

Tertio loco præmitto, aliquem duobus modis dãni causam dici posse, Primo, vt aiũt, positiue, vt qui mandat, cõsulit, laudat, vel alio modo directe sua actione ad inferendum damnum concurrit. Secundo negatiue, quando non impedit, seu tacet, aut aliquam actionem omittit, quam præstare ex iustitia, & officio tenetur, ut in illis tribus verbis continetur, Mutus, non obstans, non manifestans. Si quidem actus humanus, vel moralis est actus uoluntarius, vel eius omissio; cum voluntarium in omissione sine actu esse possit, vt docet *D. Thomas.* 1. 2. *q.* 6. *art.* 3. Vt autem omissio voluntaria sit, & ad culpam imputetur, tres conditiones requiruntur, nempe vt possit quis facere, & teneatur, & non agat, seu omittat. Et vt notat *Archid. in c. scuslos* 27. *q.* 1.

Non tantum peccat qui facit quod non debet, sed etiã qui non facit, quod debet; si quidem & negligentia nihil aliud est quàm priuatio diligentiæ, at priuatio, & negatio idem sunt, vt ait *Bart. l.* 1. *cons.* 102. *& Socinus cons.* 2. *l.* 1. Vbi propterea resoluit, tutorem, curatorem, & rei alienæ administratorem, si permittant, debitorem non soluendo, vel impotentes effici, quia non exigant prout tenebantur, negligentes dici, & ad omne quod interest, de suo teneri. *Tusch. v. negligens concl.* 32. *& seq.* vt etiã diximus supra *tract.* 6. *c.* 30. *q.* 129. Quo loci habes, hoc negligentiæ vitium esse pettam scandali, & lapidem offensionis, in quem mortalium pleriq; impingunt, dum quæ ad eorum officium spectant, ex desidia quadam facere prætermittunt. Cum tñ illa sit delictum, nec præsumatur, probari ab eo debet qui eam obijcit. *Mascard. de probat. conclus.* 2088. *Menoch. cons.* 1205.

CASVS, ET QVAESTIONVM resolutio.

I. & II. Q. DECISIO.

His fundamentis præmissis, ad casus, & quæstionum resolutionem deueniẽdo, dico Primæ, & Secundæ q. respondendo, Innocentium illius Hospitalis Rectorem, fauore piæ causæ difficile à lethali culpa excusari posse, si ex crassa præsertim negligentia, eius bona male administrauit, & in destinatos vsus non insumpsit, ędificia concidere permisit, & castanetum sine solemnitate, & euidenti vtilitate, imo cum damno alienauit, maxime si merces ei constituta erat, nec gratis illi inseruiebat. vt colligitur *ex Angelo in v. culpa. q.* 5. *Sylu.* eodem loco *q.* 4. *Bonac. de cont. disp.* 9. *q.* 1. *puncto* 6. *& Sayro l.* 10. *cl. reg. tract.* 2. *c.* 13. *nu.* 8. Vbi facta distinctione inter eum qui sine stipendio, & non in suam, sed in aliorum vtilitatem officium accepit, & eum qui cũ mercede, & in vtriusque vtilitatem munus subijt, docent Iudices, & alios officiales, qui nec se ipsos locauerunt, aut officium assumpserunt, vel quæsierũt, nec operam suam sub aliqua mercede promiserint, sed alij eos eligunt, eisque hoc officium imponunt, aut etiam ipsi ex sua mera liberalitate, & pietate assumunt, dicentes se facturos, quod poterunt, docent inquam, non teneri nisi ex dolo, & culpa lata, quæ mortale peccatum constituat. E contra vero Reges, Principes, Iudices, Episcopos, Curatos, Medicos, Aduocatos, Tabelliones, Nautas, Architectos, Tutores, Curatores, Administratores, & similes, qui stipendium accipiunt, & se ipsos ad huiusmodi officia obeunda locant, ad restitutionem ex leui culpa, quæ venialem noxam supponit, obligati. Idem sentire videtur *Comitulus in respons. cas. conscl. l.* 1. *q.* 83. vbi resoluit, Prælatum, vel beneficij ecclesiastici Curatorem, cum eius culpa leui nõ acquisiuit ecclesiæ, quod acquirere poterat, aut in suis bonis amisit, quod custodiendum, aut excolendum erat, damnum resarcire teneri; quomodo enim conuenit, vt Prælato in gerenda ecclesiæ procuratione minus diligentem esse liceat, quàm tutori, in vnius pupilli re agenda, præsertim cum Prælatorum, atq; eorum, quorum fidei ecclesiastica bona commendantur, tutela sit sacra, & sacrum ab his Christi curetur patrimonium; ciuilium autem tutorum tutela profana sit, profani patrimonij administrationẽ habẽs? Nec non Prælati, cũ non vnius pupilli, sed quã plurimorum pupillorum, & pupillarum, tot viduarum, tot virginum, ope, & dote egentium, tot denique calamitosorum procuret bona, atq; dispenset? hæc ille. Cõsentit *Nau. c.* 25. *nu.* 67. *& Fillius tr.* 28. *c.* 10. *nu.* 161. *Menoch. cons.* 863. *nu.* 11. *Tusch. v. administrator concl.* 209. *nu.* 5. Vbi ait, administrator

non

non solum tenetur de dolo, sed de lata culpa, imo de negligentia, si non adhibuit tantam diligentiam in rebus administratis, quātam in suis, & debet hoc probari, quia non præsumitur negligentia, neque culpa, nisi probetur. *Euerardus. in top. leg. in loco à pupillo ad ecclesiam, vel piam causam.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dico, quod cum Hospitale Episcopi authoritate erectum, opus pium dicatur, & ecclesiæ appellatione veniat, ipsiusque priuilegijs gaudeat, ex communi resolutione sequitur, bona ad idem Xenodochium pertinentia, sine rerum ecclesiasticarum solemnitatibus alienari non posse. *Mascard. de probat. in v. Hospitale. concl.* 869. *n.* 9. *Tusch. v. Hospitale. concl.* 163. *nu.* 9. *Marius Anton. de communi attestans. l.* 1. *uar. resol. resol.* 14. Nihilominus dicendum est, Innocentium laicum quidquid sit de peccato, si mala fide, & crassa ignorantia alienauit, nequaquam in excommunicationem incidisse, nā *Extrauag.* 1. *Pauli Papæ.* 2. quò ad hanc pœnam tātum ecclesiasticas personas afficit. vt tenet *Sayrus. l.* 3 *de cens. c.* 32. *nu.* 22. Si vero teneamus, quod probabilius est, omnes tàm seculares, quàm ecclesiasticos ligare. vt per *Suar. tom.* 5. *disp.* 23. *sect.* 7. necessario fatendum erit, in illam incurrisse, nisi ignorantia iuris excusetur, cum tamen nemini reseruetur, à quolibet approbato cōfessario absolui poterit. Qua nihilominus in re vsus, & recepta locorum consuetudo seruanda est. *Marc. Anton. Gen. in praxi Neap. c.* 75. *Vgol. de off. Episcopi p.* 1. *c.* 13. §. 7. Quod autem *Menochius. cons* 635. *nu.* 5. cum alijs ibi relatis ait, Hospitalium Administratores posse sine solemnitate, eorum bona alienare, intelligi debet de Hospitalibus sine Episcopi authoritate erectis, vel de bonis eisdem (vt aiunt) nondum incorporatis, per ea quæ tradit *Ricc. in praxi alien. rerum eccles. Decis.* 40. *Bonac. de cont. disp.* 398. *pun.* 4. *num.* 21. *& Nald. v. Hospitale. num.* 7.

Ex qua etiam decisione colligitur, Hospitalia, vtpote pia, ac religiosa loca, restitutionis in integrū priuilegio gaudere, ex ea ratione quod & ecclesiæ, cui comparantur, hoc beneficium competit. Est enim restitutio in integrum beneficium, siue remedium, quo ecclesia, loca pia, & ecclesiasticæ personæ, in pristinum ius, seu statum restituuntur, ita vt contractus validi cum ipsis celebrati rescindantur, si eis oblæsionem expediat, vel vt æquetur pretium, si in eo læsæ sunt, modo læsio notabilis sit. *Menoch. de arbit. Iud. l.* 2. *casu.* 75. *Riccius in praxi fin. eccles. Decis.* 39. *Marc. Ant. Genuens. in pract. eccles. q.* 417. *&* 430. *Felyn. cons.* 34. *Oddus in tract. de restit. integ. p.* 1. *q.* 3. *Enerard. in loco ab ecclesia ad piam causam.* *Bonac. de contr. d.* 3. *quæst.* 1. *p. ult. num.* 21.

Quò etiam fit, vt sicut contra ecclesiam regulariter nisi spatio 40. annorum non præscribitur, *c. de quarta.* vbi *Felyn. ext. de prascript.* ita quoq; ad prę scriptionem rerum pertinentium ad Hospitalia, & Confraternitates, quæ Episcopi authoritate institutę sunt, tempus 40. annorum necessario requiratur. *Tiraq. de priuileg. causa pia priuileg.* 139. *Molina de iustitia tract.* 2. *d.* 72. *Barbosa. p.* 3. *de Episcopo. Alleg* 75. *n.* 53. At, vt alias diximus, ecclesiæ, vt multi graues viri senserunt, aduersus præscriptionē semper restitutio in integrum competit. *Lessius l.* 2. *c.* 6. *dub* 18. *Fusch in v. ecclesia. num.* 2.

Aduertere vero debent Episcopi, vt coram se ab Hospitalium, & aliorum piorum administrationib. tàm laicis, quàm ecclesiasticis, rationes quotannis reddantur, ex determinatione *Conc. sess.* 22. *de refor. c.* 9. Et licet quò ad hoc appellatio admitti possit, non tamen ob id executio impeditur, aut suspenditur. *Zerula. v. Hospitale. Marta. p.* 2. *de iurisd. cap.* 18. *Barbosa. Alleg.* 75. *num.* 62. vbi *ex Riccio* addit etiam pluries in anno posse ab eis rationes exigere, quando ei constiterit, dolose redditas, vel quando redditio absoluta non fuit.

Pariter vigilare eos oportet, ne ecclesiarum, & locorum piorum bona, quæ patrimonium Christi dicuntur, sine causa, & solemnitate à iure requisita alienentur, iuxta *Extrauag. Ambitiosæ. tit. de rebus ecclesiæ non alien.* cum verior, & in praxi receptior videatur sententia, alienationem rerum ecclesiasticarum non solum acquisitarum, sed etiam acquirāndarum prohiberi. vt per *Quar. in v. alienatio. num.* 23. *Mol. tract.* 2. *d.* 468. *nu* 11. *Barbosam. de Episcopo. p.* 3. *Alleg.* 95. *num.* 54. An autem hoc excommunicationem trahat vide supra. *tract.* 9 *cap.* 21. *q.* 67. & infra. *in resolut. q.* Si quidem per illicitam rerum ecclesiasticarum alienationem, iratus Deus animas percutit. Et qui hæc bona male dispergit, à summo numine maledictione percellitur. *Duard. in Bulla Cœna Domini. l.* 2. *can.* 15. *q.* 19. *num.* 48. Valde enim iniquum, & ingens sacrilegium est, vt quæcunque, vel pro remedio peccatorum, vel salute, aut requie animarum suarum, vnusquisque ecclesiæ, vel locis pijs reliquerit, ab his quib. hæc maxime seruari cōuenit, id est christianis, ac Deum timētibus, in aliud transferri, vel conuerti permittatur. *c.* 6. *ext. de rebus eccles. non alien. c. indigne.* 12. *q.* 2. *Marc. Anton. Gen. in Man. Past. c.* 76. Quo in loco diuinæ indignationis contra ecclesiasticarum rerum occupatores plura exempla refert, inter alia, illud in medium adducit, quod cū Vigor Episcopus Bertulfum Comitem admonuisset, vt cuiusdam ecclesiæ agrū, quem occupauerat, restitueret, aliàs Deum rogasset, vt suam hæreditatem defenderet, superbia tumidus, sanctis admonitionibus, & cōsilijs non acquieuit, sed con-

censo

scenso equo ad agrum, vt eum excoleret, perrexit, & repente descendens corruit, & fractis ceruicibus miserabiliter expirauit. Fęliciter ergo sapit, qui periculo alieno sapit.

Et obiter hic addo, iura maxime pijs causis fauere, inter quæ illud priuilegium annumeratur, quod licet aliàs relictum tali tempore, non nisi in fine dicti temporis peti possit, relictum tamen tali modo ad pias causas, initio mēsis, vel anni, postulari valet. In dubijs enim semper pro his iudicandum, in quibus diuini tantum iuris, & naturalis, habetur consideratio. vt ex communi resoluit, *Tiraqu. de priuileg. pia causa priuileg.* 22. & 173. Quod dictum tanquam ad multas pias quæstiones in praxi contingentes decidendas, ab Episcopis annotandum est.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. respondendo dicimus, ex nuper adductis, Prælatum Hospitali, quò ad hæreditatem repudiandam, præiudicare non potuisse; nam cum ante eius acceptationem, ecclesia, vel ille locus pius, ius ad eam rem acquirat, consequens profectò est, vt quamuis repudiatio illa comparatione rei legatæ, vel relictæ, alienatio non sit, respectu tamen iuris ad eam rem, alienationis nomine veniat: quod quidem ius ecclesia testatoris morte acquisierat, & quod ipse Prelatus illa repudiatione ab ecclesia abdicat; ac proinde ea repudiatio inualida sit, atque si is sit Episcopus, vel Abbas, & ius illud ad rem immobilē erat, sit periurus, ab ecclesia sit interdictus, & excommunicatione innodatus. Hæc enim alienationis prohibitio non eò directa est, vt ecclesiæ facultates non minuantur, quo casu eorum sententia procedere posset, qui tenent, Prælatum hæreditatem, vel legatum in ecclesiæ detrimentum recusare posse, sed vt augeantur, euidensque sit eius vtilitas; & tunc largo modo alienatio intelligitur, vt huiusmodi repudiationem comprehendat, *l. magis puto. §. fundum, ff. de rebus eorum.* Et hanc opinionē præcipue Prælati amplecti debent, qui ecclesiæ acquirere tenentur, & non acquirēdo, ad id quod eius interest, obligantur. *cap. quicunque.* vbi *gloss.* 12. q. 4. *Clem. quia contingit. tit. de relig. dom. Quar. l. c. Molina. de contract. disp.* 468. *nu.* 11. *Surdus. vol. 4. conf.* 501. *Menoch. conf.* 39. *num.* 26. *Barbosa de Episcopo. Alleg.* 95. *nu.* 54. *Marc. Anton. Genuens. in pract. eccles. q.* 150. *Cherubinus. in Compendio Bullarij Const.* 1. *Scholio.* 2. Nihilominus vt etiā supra innuimus, verior, & receptior in praxi illa videtur esse sententia, quæ tenet, quod etsi Prælatus absque causa hæreditatem, vel legatum repudians peccet, & proprijs bonis damnum illud resarcire teneatur, quia ex officio, & lege iustitiæ bene administrare iure astringitur; bonæ autem administrationi ea repudiatio aduersatur, minime tamen illam excommunicationem, & alias pœnas contrahet, quæ in bona ecclesiæ sine solemnitate alienantes infliguntur, quia ea alienatio non est. sic *Tabien. in v. alienatio. q.* 10. *Sanchez. l.* 6. *de matr. disput.* 4. *q.* 14. & *seq. Riccius in praxi alienat. Decis.* 96. vt etiam resoluimus supra *tract.* 9. *c.* 21. *quæst.* 67.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. q. dico Innocentium lucri ex ludo comparati restitutioni obnoxium non esse: nam cum pecuniæ ex sui natura fructiferæ non sint, sed id ex negotiantis industria habeāt, hinc fit, vt quidquid ex illis Hospitalis administrator acquisiuit, suæ industriæ referendum sit. Vnde & vsurarius, & latro, quamuis quę vsura, & furto iniquè acceperūt, restituere debeant: non tamen ea, quæ lucrati sunt, pecunijs his ad vsuram acceptis, aut furtiuis licitæ negotiationi expositis. Imo q. de huiusmodi lucro per furis, vel vsurarij industriam acquisito, quidquā accipere vellet, lethalem culpam contraheret, & vsuram committeret, nisi forte id pro aliquo lucro cessante, vel damno resarciendo, ex furto, vel usura sibi illato, id exigeret. vt colligitur. *ex c. plerique,* & *c. fin.* 14. *q.* 3. & tradit *Sotus,* & *alii in 4. sent. dist.* 15. *q.* 2. Adde quod restitutio, ut pro multarum quæstionum resolutione sæpe diximus, est actus iustitiæ specialis, commutatiuæ, quo alteri quod suum est redditur, & ideo ubi nulla iniustitia interuenit, nulla etiam restitutio subesse potest (neque enim relarcire quis tenetur, nisi damnum sit illatum) sed Innocentius Xenodochij administrator, nullam ei, vt in casu supponitur, iacturam intulit, ergo nullam restituendi obligationē subit. *Beia. p.* 1. *responſ. caſ. conſc. caſu* 42. *Regius caſu.* 5. *Fauſtus. de reſt. diſp.* 4. *q.* 33.

QVÆSTIO XIV.

An valide cōferatur beneficium clerico aliquibus vitiis affecto, quæ si Episcopus cognouisset, ei beneficium non contulisset: An familiaris Episcopi munera accipiens pro gratia ab eo obtinēda, simoniam committat, & in censuram aliquam incidat. Num qui diuinum officium sine attentione recitat, mortaliter peccet, obligationi sua satisfaciat, & ad fructuum perceptorum restitutionem teneatur?

GVlielmus Episcopus Fabricio, qui ei per duorum annorum spatium inseruiuit, quoddam simplex beneficium contulit, quod tamen non contulisset, si eum alea ludere solere, & cum improba muliere turpem consuetudinem habere, ut postea compertum est, ante cognouisset. Secundo cum in eiusdem Episcopi aula uitā degeret, quædam mu-

nera

neta à Bernardo accepit, ut pro obtinenda quadam matrimoniali dispensatione intercederet. Tertio dũ horas canonicas recitauit, multoties ex proposito mente vagatus est. Quæritur Primo an illa collatio valeat, & ipsius beneficij fructus suos fecerit. Secundo an simoniam munera pro gratia obtinenda accipiendo commiserit, & in aliquam censuram inciderit. Tertio nùm cum diuinum officium absque attentione sæpe recitauerit, lethaliter peccauerit, & ad fructuum restitutionem teneatur?

I. Q. RESOLVTIO.

Respond. Primam quæstionem sic expediendo dico, validã esse collationem beneficij, quod Gulielmus Fabricio clerico aliàs idoneo sed aliqbus vitijs affecto contulit, quæ si cognouisset, eum tali beneficio non donasset; causa enim finalis huiusmodj collationis est idonea qualitas clerici, subsistente autem causa finali, valida est dispositio *Felyn. in c. nonne. ext. de præsumpt. Beia p. 4. respons casu 23.* Neque habitualis voluntas beneficium non conferendi, si vitia clerici ei innotuissent, obstare videtur, cum dispositionem conditionalem non constituat; si quidem causa finalis, & motiua hic subsistit; alioqui omnes fere humani contractus vitiarentur, nec vllus absolutus, sed omnes conditionales forent, cum accidat quædam ignorari, quibus cognitis, contractus celebratus non fuisset. *Azor. p. 3. l. 4. c. 22. Molina tract. 2. d. 209. Reginal. l. 25. num. 66. Rebellus. l. 18. q. 17. Bonac. de cont. d. 3. q. 1. p. 2. §. 2. n. 13.*

Nec dicendum est Gulielmum Episcopum Fabricio beneficium conferentem, qui per duos annos illi inseruiuit, simoniam cõmisisse, modo antea nulla pactio interuenerit, & pro mercede debita ei non detur, sed solum quia fideliter, & strenue in suo famulatu se gesserit. vt sensit. *D. Thom. 22. q. 100. art. 5. in respons. ad 1. Tabien. v. simonia. nu. 14. Vgol. de simonia, tab. 1. c. 56. §. 2. & alii communiter.*

Et si vero aleatores infames, & turpem vitã agere dicantur, ita vt collatio illis facta ipso iure nulla sit, hoc tamen de publicis lusoribus intelligendum est, aliàs si occulti sunt, solum modo irritanda venit. *Mascard. de probat. uol. 2. concl. 996. Molina de iust. tract. 2. d. 159. Garzias de benef. p. 7. cap. 8. num. 40. Reginal. lib. 30. num. 199.* Sicut etiam dicimus collationem criminoso factam, non esse ipso iure irritã, nisi illud crimen censuram, vel aliquam irregularitatem annexam habeat, ab eo tamen qui potestatẽ habet, infringendam esse. *Nau. cap. 27. num. 25. Less. l. 2. de iust. cap. 34. dub. 23. & ex communi tradit Molfes. tract. 6. c. 7. num. 51. & c. 8.* Vbi exclamant, hoc parum ab Episcopis curati, & animaduerti, & quando circa prædicta aliqua informatio instituitur, non debito modo, ad vitæ integritatem perscrutandam, sed potius, vt aiunt, pro forma fieri. Notãt insuper accusatos de aliquo crimine, interim ad aliquod officium ab Episcopis promouendos non esse, nisi per calumniam, vel aliã iniquitatem sint in ius delati, & apud graues ẽt & probos viros non essent diffamati; notæ enim sunt vbiq; præsertim in curijs falsæ insimulationes, quę aduersus bonos multoties confinguntur. Quæ omnia vt in praxi frequentia obseruanda sunt.

II. Q. RESOLVTIO.

Ad 2. q. dico Fabricium simoniacam labẽ cõtraxisse, & in excõicatione incidisse à Gregorio XIII. latam in Constit. Incip. *Ab ipso Pontificatus nostri*, &c. modo hæc actio in Ciuitate, vel Prouincia, Romanæ ditioni subiecta sit commissa, ex Bulla Clementis VIII. Incip. *Pro commissa nobis*, Nec has pœnas effugiet (nisi ignorantia excusetur) etiamsi effectus non sit secutus, vt quia Episcopus vel noluit, vel dispẽsare non potuit, cum ad eas subeundas simplex pactum, vel promissio, seu receptio sufficiat, & sic receptum non danti, sed Christi pauperibus restituendum est. *ex Nau. in Cõmens. de datis, & promissis. notab. 23. Bonac. de legibus. d. 10. q. 2. puncto 8. §. incidens.* Et sane in istos improbos aulicos, qui officium suum venale habent, & neminem ad herum admittunt, nisi sacrilegè perunguntur manus, seueres tàm ab ecclesiasticis, quàm secularibus Iudicibùs animaduertẽdum esset: & talibus rependi deberet, quod Vettronio Thourino familiari Alexandri Seueri contigisse legimus; cum enim conuictum quod suum suffragium ijs vendidisset, qui à se aliquid petebant, ad palum alligari iussit, supposito igne ex humida materia conflagranti, vt nimirum crimini supplicium responderet, Precone clamante, Fumo punitur, qui fumos vendidit. *Io. Choch. in Aphor. Polit. l. 5. c. 4. Virg. Bocc. de censibus. p. 2. num. 6.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. q. respondendo, sic eam absoluimus, Fabricium ex communiori, & probabiliori sententia, cum officium sine attentione ex proposito recitauit, non solum mortaliter peccasse, sed obligationi suę non satisfecisse, nec beneficij fructus acquisiuisse, vt proinde restitutioni obnoxius sit, sic enim horas canonicas persoluendo, perinde est, ac si eas non recitasset; cum idem sit aliquid non facere, & quò ad substantiam nõ recte facere; nec orare humano more dicatur, nisi interiorẽ attẽtionẽ habeat *arg. l. quoties. ff. qui satisdare cogantur.* Nec valet dicere, diuinum officium nomine ecclesiæ persolui, quæ recitantis defectum supplet: hoc namque verũ est modo ab ecclesia ipsa defectus suppleri valeat, cum efficere non possit, vt id quod oratio non est, re-

ipsa

ipsa naturā orationis induat, quidquid aliqui perperam dixerint. Et sane hæc pœna oculos aperiet quos culpa claudit; quamuis enim generosus animus, teste Seneca, rectius ducatur quā trahatur, attamen quia nō desunt homines seruili ingenio, qui non ratione, nō honestate corrigūtur, ijs pœnæ adhibendæ sunt. Atque hanc resolutionem afferunt inter alios. *Nau. c. 13. de oratione. num. 17. Sayrus de censf. l. 3. c. 4. num. 23. Suar. tom. 2. de relig. l. 4. c. 30. num. 4. Garzias de benef. p. 3. cap. 1. num. 186. & c. 2. num. 515. Filliuc. tr. 23. ca. 10. q. 8. Molfes. tr. 5. c. 5. nu. 15. Bonac. de hor. can. d. 1. q. 5. p. 2. nu. 17. & alii.* Verumtā vix credendum est, aliquem esse tàm propriæ salutis immemorem, vt diuinū opus peragens, sponte ac voluntarie distrahatur, quis enim hoc de homine spirituali, ac Deo sacrato credat, cum optime sciat ipsum Deum esse cordis scrutatorem, & eius numen grauiter offendi, ac seuere puniri? At quia vt notauit *Laur. Iustin. de discip. monast. c. 17. & Clim. de obed. gradu* 4. Maligni spiritus obseruant, vt diuersimode psallentium corda ab attentione diuinæ laudis rapiant, idcirco summo studio, diuina tamen accedente gratia, opus est vt tot nocēdi modis occurratur. Et primum præsidium erit, vt clericus vias obstruat per quas distractiones mentem inuadunt, qualis est mortificatio curiositatis sciendi, & mundanas narrationes audiendi. Secundum est quò ad fieri potest, à negotijs, & solicitudine rerum temporalium abdicatio. Tertium, optima sensuum exteriorum custodia; per hos namque noxia quæq; in mentem irrumpunt, quæ ipsam distrahunt, ac inquinant. Et quamuis in manu nostra non sit, malarum, aut inanium cogitationum impugnatione carere; nostri tamen arbitrij est, diuina præeunte ope, eas respuere, ex *Cassiano collat. 1. c. 17.* Ad satisfaciendum vero ex communi sentētia sufficiet ad verba attendere, ne quis erret, sed distincte omnia proferat, aut ad id quod petitur, aut ad Deum qui oratur. videantur à nobis tradita *sup. tract. 4. c. 5. q. 40.* & infra *tract. 14. de art. circa beneficiatos.*

QVÆSTIO XIIII.

An exponens infantem in Hospitali, dubitans an sit proprius partus, peccet mortaliter, & in casum reseruatum incidat. Num talem filium dubium in domo sua alens, & pro filio tractans, in hæreditate instituere teneatur. An Administrator Hospitalis qui est monachus factas expensas condonare valeat. An sic expositus possit ingredi collegium, cuius statuta nobilitatem, & legitimum torum ingressuri exigunt. Vtrum legatum alicui, si alteri ex filiabus talis amici nupserit, ei debeatur, si cum vna nubere tentauerit, &c. Thesaurus in dotali domo inuentus mariti ne sit, an vxoris?

COrnelius honestæ familiæ vir, cum aliquoties cum Laura vidua rem habuisset, tandem illā iam in vtero gerentem in vxorem duxit, dubius tamen an ex se grauida esset, cum valde probabiliter præsumeret, alteri etiam sui copiam fecisse; cum autem illa peperisset, ea stāte dubitatione timens aliquod scandalum, ac sibi ipsi, vxori, ac vtriusque familiæ famæ detrimentum consecuturum, partum in vrbis Zenodochio ad pueros illegitimos alendos instituto exposuit. Qui cum ibi per tres annos permansisset, & ipse Cornelius postmodum apud se recepisset, & rem totumque negotium Eusebio monacho eiusdē hospitalis domus Administratori narrasset, ab eo expensarum in ipso infante educando factarum condonationem iure amicitiæ obtinuit. Grandis effectus, in quoddā collegium quod in ingressuro nobilitatem, & legitimi tori conditionem requirit, studendi causa coaptatus est, & cum quoddam legatum sit ei relictum, si vnam ex filiabus Anastasiæ in vxorem duceret, & ipse multoties tentauerit, vt Elisabetham natu minorem, eiusdem Anastasiæ filiam sibi in matrimonio adiungeret, & semper mater eam concedere renuerit, ipsum legatum sibi deberi prætendit, & si Liuiam extraneam duxerit: In cuius dotali domo cum thesaurum inuenerit, totum sibi adiudicare vult. Ex qua facti serie hæ dubitationes oriuntur, Primo an cum in vrbe illa sit casus reseruatus, si quis in dicto Zenodochio infantem aliquem exposuerit, cum habeat vnde eū alat, neque eiusdem loci dāna resarcierit, ipse Cornelius lethaliter peccauerit, & in casum reseruatum inciderit. Secūdo an dictū puerū nomine Carolum tanquam legitimum filium agnoscere, habere, & tractare teneatur, ita vt in testamento simul cum filia Catharina ab vxore Laura suscepta, in paternis bonis succedere debeat. Tertio nunquid illa condonatio sumptuum à regulari Hospitalis Moderatore facta valeat. Quarto vtrum ille in collegium ingressus sustineri possit, cum eius institutor, ignobiles, & illegitimos ab eo arceat, & excludat. Quinto an tuta conscientia illud legatum obtinere, & possidere valeat, & quæ nam sint confessarij in proposito casu, & annexis ei dubitationibus partes?

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE cognitiones.

REspond. Suppono Primo recta quidem, & optima rōne Ordinariū hūc casum de exponentibus infantes reseruasse, quia ad ipsum spectat solicitum esse, vt Hospitalium redditus in illos vsus expendantur, & cōuertantur, ad quos pia fidelium largitione sunt destinati, iuxta formam *Clem. Quia contingit. tit. de relig. domibus.* Quare cum prædicti Xenodochij munus sit, incertos infantes, expositos habere, nam fornicarij, & adulteri ne delictum ab eis commissum prodatur, secrete, & inculpate prolē

in eo

in eo deponere solent, & cum in eodem tenues sint census, abususquè irrepserit, ibi infantes indifferenter exponere ex quo fit: vt pius locus oneri succumbat, & miserrime infantes cum male nutriantur, perire cogantur; hinc ad hoc absurdum, auertendum quod est in omni dispositione vitandum, iure merito Episcopus hũc casum ab aliorum inferiorum iurisdictione subtraxit. Porro quam graue sit hoc crimen præsertim si partus ante ecclesiæ, vel Hospitalis ianuas, vel alicuius priuatæ domus fores sit, cum probabili mortis periculo derelictus, patet ex *cap. 1. ext. de infant. expositis.* Vbi habentur hæc verba, Si à patre, siue ab alio sciente, ipsoue ratum habente, relegato pietatis officio, infans expositus extitit, hoc ipso à potestate patria fuit liberatus. Nam ob crudelitatem, qua in hac re parentes in filios vtuntur, filiationis ius amittunt, vt per illum textum resoluunt *Paleot. de nothis, & spurijs. cap. 63. Surdus de alim. tit. 4 qu. 18. num. 51. Menoch. de arbit. ind. casu 396. Azor. p. 2. l. 2. c. 26. q. 1. & 2. Barbos. de Episcopo, p. 3. Alleg. 51. casu. 10. Sylvester, & Tabienna. in v. expositus. Steph. Grat. in Discept. Forens. cap. 267.* vbi *num. 34.* Subdit, quod licet pater filium exponens, patriam potestatem amittat, non per hoc ab onere dotandi eximitur, quia illam tantum ad vtilia, non quò ad onerosa perdere dicitur. Feris etiam peiores proprios partus exponentes iudicandi sunt, quæ cũ vsu rationis careant, prolem suam haud negligunt, nec abijciunt, vt merito etiam I. C. *in l. necare. ff. de lib. agnoscen.* dixerit, Necare videtur, non tantum is qui partum præfocat, sed & is qui abijcit, & qui alimoniam denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet, Et *Azor. in Sũma. tit. de infant. expos.* iure existimet, expositos nominari filios sanguinolentos, quia pœna sanguinis istud facinus luendum est; licet verius Iudicis arbitrio puniendum esse asserat. *Menoch. d. casu. 396. Graffius. l. 2. de cas. reser. c. 22. num. 15.*

II. SVPPOSITVM.

Secundo Premitto, filiationis probationem non modo difficilem, sed etiam pene impossibilem in iure tàm ciuili, quàm canonico credi, si quidem filiorum procreatio in certum hominis sensum cadere non potest, cum testificari nemo possit talem ab illo genitum, aut conceptum fuisse; quare rectè cecinit Homerus de Telemacho loquens;

Ex illo natum mater me dicit, at ipse
Nescio, nam certum quis possit ferre parentem?

Vnde si quæstio etiam in externo foro versaretur, cuius sit partus, quando primo marito vita functo, statim mulier secundo nubat, & nono mense pariat, Iudex qui in domo secundi natum esse videbit, eidemquè assimilari, secundi filium faeile diiudicabit, iuxta doctrinam *Bart. in l. Gallus. ff. de lib. & posthum.* Sed si D. Hieronymi locus adduceretur: ibi à Iasone post D. August. & Quint. relatus. vbi Hippocratem commemorat, qui adulterij damnatam mulierem liberauit, quæ ob similem picturam in cubiculo repertam, partum patri dissimilem pepererat, quęstio valde dubia efficietur. Itemquè obscurior fiet, si Iudici demonstretur, quosdam existimasse, matri credi oportere, alios mulieris consuetudinem spectandam, nonnullos respondisse, conceptionis signa inspicienda, &c. *Card. Palaot. de nothis, & spur. cap. 21. Menoch. de arbit. ind. casu 89. & de præsumpt. l. 6. præsump. 53. Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 787. Scala de cons. sapien. lib. 2. cap. 27.* Atque ideo plerique Doctores in eam deuenerunt sententiam, vt duplicem esse modum probãdi filiationem asseruerint, verum. s. & præsumptum, verus inquam modus probandi est, quò ad matrem, quæ semper est certa, licet postquam filius adoleuit, id difficile dignosci possit ex eo quod pueri multas mutationes faciunt, & hæc certitudo per obstetrices, & alias personas probari potest, quæ natiuitati interesse potuerunt, *l. 1. §. de inspiciendo ff. de ventre inspiciendo.* Præsumptiua vero probatio est respectu patris quæ non nisi per coniecturas fieri potest; quis enim de vxore sua (multo minus de concubina, vel alia fœmina non coniuge) tantum sibi audeat polliceri, vt eam nullos alios viros interim expertam re ipsa valeat assecuerare? Hinc *Paulus* I. C. *in l. qa semper. ff. de in ius vocãdo* retulit, matrem semper licet. vulgo cõceperit, certam esse, patrem vero tunc tantum, cum nuptiæ intercesserint. Et vbi cõtracto matrimonio, filius vicinis sciẽtibus domi natus est, nequit, is amplius à parentibus vt alienus recusari *l. filium,* vbi *Bart. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris. l. miles. §. defuncto ff. de adult.* Ex quibus legibus, omnes illam positionem desumunt, Filium ex coniugata natum, quæ adulterium commisit, etiamsi in loco suspecto, extra domum mariti peperisset, in dubio, nisi aliud probetur, ex marito, non autem ex adultero genitum præsumi. *Viuald. 3. p. Cand. aurei. cap. 21. Giouagnon. lib. 1. respons. 6.*

III. SVPPOSITVM.

Tertio Præmitto, ex communi voce Sanctorũ Patrum, Sacrorum Canonum, & spiritualis vitæ magistris, religiosos à suscipiendis, tractandisquè negotijs, tũm secularibus, tũm alienis à propria professione arceri, iuxta illud celeberrimum Apostoli effatum. *2. ad Tim. 2* Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt placeat, cui se probauit. *cap. 1 ext. ne clerici, vel monachi, &c.*

Comparatur spiritualis miles cum milite armatæ militiæ, atque vt hic Duci placeat, à quo in albũ cohortis

cohortis relatus est, tùm vt pugnæ, ac victoriæ diligenter intendat, quæ finis est militiæ, nullis actionib. à militia alienis se implicat: sic christianus miles, vt illi probetur, qui eum in hanc militiam adscripsit, nullis negotijs huius sæculi se immiscere debet, quæ eum à fine æternæ vitæ consequendæ retardare solent. B. *Antiochus. Hom.* 14. agens de importunis monachi exercitationibus, & distracta vita; Omnes quidem, inquit, hanc vitam vitare debemus, præ cæteris autem nos, qui quadantenus mundo huic vale diximus, & Angelicam vitam vltroneam suscepimus exercendam. Sane quies libera, & expers negotij secularis multo est clarior splendore isto nominis, qui paratur obeundis mundi negotijs, vel teste eum primis Apostolo, *Nemo*, &c. *D. Bernardus. serm.* 7. *in Psal.* 90. explicans ea verba: Cadent à latere tuo mille, dolet incumbere finistro lateri fratres aliquos ex illis, qui in religionis habitu, & proposito degunt perfectionis, & tamen secularia negotia repetunt, quibus renunciasse debuerant. Idem S. Pater occupatus Pôtificis iussu in negotijs ad bonũ ecclesiæ. *epist.* 249. ad Priorem Portarum scribens, seite se chimeræ similem dicit, quæ à Poetis tribus bestijs constare fingebatur, ipse vero sibi partim esse monachus videbatur, quia habitum gerebat; partim clericus, quia clericorum quædam exercebat ministeria; partim laicus, quia inter laicos secularia negotia tractabat. Si hæc dicebat de se per imperium Papæ implicato, negotiis à monastica, vt ipse dicebat, professione alienis, quid esset de iis dicturus, qui sponte in secularia negotia prorsus se immergunt? vt fuse prosequitur *Nigron. in Ascet. de negot. secul. à relig. vitan.*

Nihilominus ex dispositione *Clem. quia contingit. de relig. dom.* Hospitalium regimen secundum fundatoris mentem clericis, & laicis committi potest. Imo *Bald. l.* 5. *consil.* 160. cum Superiorum licentia ait monachum præfici posse administrationi Hospitalis à laico erecti, si hoc in fundatione disposuit, & eum sequitur *Tusch. v. Hospitalia. concl.* 168. *& v. religiosus. concl.* 148. An autem Hospitalarij, & Zenodochiorum Rectores à Iudicio laicorum excepti sint, tradit *Decianus in tract. crim. tom.* 1. *l.* 4. *cap.* 8. *num.* 37. vbi resoluit quod cum coniugati esse possint, & omnia alia exercere, quæ laici valent, secularibus Iudicibus subsunt, licet aliud sit circa ea, quæ eorum officium concernunt.

IV. SVPPOSITVM.

QVarto Præmitto, inter alia pietatis opera non postremum locum illis dandum, qui scholasticis impenditur, vt literarum studia tueri possint. Et certe scholarum, ac pauperum studiosorum in facultatum, & Christi patrimonij dispẽsatione præcipuam esse rationem habendam, facile videt, qui præstantissimos ponderat fructus, qui ab his in vniuersam christianam rempublicam importantur. Nã quis nescit scholas esse fontes illos augustos, & sacros, ex quibus ecclesia, respublica, & tota hominũ societas irrigatur? Quis ignorat scholas esse horrea, seu promptuaria, ex quibus omnia ecclesiæ, & reipublicæ necessaria sunt depromẽda. *Fuschus de visit. eccles. l.* 2. *ca.* 29. *Tusch. v. studentes. concl.* 707. *& nos in Comment. de hum. vita stat. p.* 2. *cap.* 10.

Hinc quia Adrianus Imperator Academijs omnium artium atque linguarum clarissimos professores, & florentes bibliothecas dedit, Romanum Imperium in optimam formam instituisse celebratur, & nullus post Augustum tàm vtilis reipub. Imperator extitisse prædicatur. Carolus Magnus tot bellorum, & administrandarum Prouinciarum mole oneratus, id habuit antiquissimum, vt eũ relatas de hostibus victorias templa, extruxisset, vbi Deo gratiæ agerentur, (victorias enim oratione potius, quàm armis, quod idem testatus est, erat consecutus) scholas illico templis adiungebat, quib. Sacerdotes præficiebat. Et intelligens veram religionem in Gallia vere periisse, quod literarum studia intercidissent, aliquot Academias, & Collegia erexit; nam, vt diximus, illæ respublicæ semper diutissime floruerunt, quæ optimorum studiorum diligentem curam habuerunt. Cuius rei gratia etiam multi Cardinales, & ecclesiastici Principes, collegia, domosquè instituerunt, vt Branda Castillioneus, & D. Carolus Borromæus Papiæ. Stephanus Nardinus, & Dominicus Capranicus Romæ, Pileus Pratus Patauij, Aegidius Catillus Bononiæ, &c. *Possev. in Biblioth. select. l.* 1. *cap.* 8. *Tympius in Speculo Boni Magist. Signo.* 75. *& in spec. cler. signo.* 182. *Platus de Dignit. Card. cap.* 15. In quorum quidem collegiorum erectione Institutor, & fundator illas conditiones, honestas tamen, quas vult, apponere potest, cum in re sua quilibet sit moderator, & arbiter. Vnde collegiales qui ingrediuntur, & contra fundatoris statuta, & conditiones, in collegio degunt, lethaliter peccant, & ad expensarum restitutionem tenentur, quas ex eius bonis fecerunt, vt per *Roder. in Summa p.* 1. *cap.* 45. *& Fernand p.* 4. *cap.* 5. *S.* 5. vt etiam tetigimus *in d. Comment. de statibus. p.* 2. *c.* 11.

RESOLVTIO CASVS, ac quæstionum.

HIs sic pro fundamentis, ac vtilibus, & necessarijs præcognitionibus præmissis, non difficile erit ad propositum casum, & ei annexas dubitationes, responsiones accommodare.

I. Q. RESOLVTIO.

AD primam quidē.q. qua quærebatur, an Cornelius infantem ex fœmina susceptum, quā ante matrimonium cōtractum cognouerat, probabiliter tamen credens alios ad copulam admisisse, & sic verisimiliter dubitans an partus sit suus, peccauerit mortaliter, & in casum reseruatum inciderit, dico tàm à lethali peccato, quàm à casu reseruato, & restitutionis expensarum in puero educando factarum obligatione excusari; quia casus de parentibus propriam prolem exponentibus loquitur, non de his, qui parentes se esse certo non sciunt, sed varie dubitant; si quidem vt sæpius à nobis dictum est, Non solum in iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum materia, ad veritatem indagandam, & assequendā sufficienti posita diligentia, valet illa regula, Melior est conditio possidentis. *c. in pari. tit. de reg. iur. in 6. cap. cum par. ff. de reg. iur.* Atque idem est iudicium fori interni, & externi, quando exterius forum falsa præsumptione non nititur; sed quādo in iudicio exteriori, dubia est obligatio, in fauorem possidentis libertatem iudicatur, reus enim in dubio absoluendus est. *reg. cum sunt. eodem tit. de reg. iur. in 6.* Ergo etiam in conscientiæ tribunali, cum de obligatione dubitatur, in fauorem possidentis libertatem inclinandum est. *Sanchez lib. 1. de pracept. cap. 10. num. 11. Bonac. de cont. d. 1. q. 2. p. 2. §. incidens.* Vbi *num. 12.* cum communi præsertim *ex Sayro. lib. 1. cl. reg. cap. 13. num. 19. & Azor. p. 1. l. 2. cap. 19. quæst. 17.* resoluit, eum qui dubitat, an sit legitimus, posse cū alijs fratribus hæreditatem dirimere, si prius ad venandam veritatem debitum adhibuit studium, cū possessio illi faueat; & quando iura sunt obscura, reo potius, quàm actori deferēdum sit. *Azor. tamen l. c. qu. 8.* tradit, Cum certo constaret v.g. Ioannem esse filium illegitimum, & Antonius, & Paulus dubitāt, vter eorum sit pater, vtrumque compelli ad Ioannē alendum, & sustentandum, ita vt si vterque id præstare commode possit, inter vtrumque sit alimentorum onus diuidendum; si alter vero aut non possit, quia sit egestate oppressus, aut nolit, tunc alter in totum debet ei alimenta præbere.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. pariter ex dictis resolutio deducitur, si Cornelius Carolum puerum filium suum non agnoscit, nō teneri eum in hæreditate instituere, aliàs si certis argumentis, illum suum reputat, cū per subsequens matrimonium sit legitimis natalib. restitutus, in omnibus paternis bonis succedere poterit. *Abbas in c. tanta. ext. qui filij sint legitimi. Bellet. in Disq. cler. de disciplina cler. §. 3. nu. 20. Pereg. de fideicom. art. 24. Campan. in Diuers. Iur. can. Rub. 11. cap. 13. num. 127. Giouagnon. l. 1. resp. 60. num. 23.* Vbi ex veriori, & magis in praxi recepta sententia tenet, sic legitimatos ad feuda admitti. Et in tantū filius sic legitimatus hæres institui debet, vt si hoc non fiat, testamētum ex capite præteritionis sit nullum. vt ex communi scribit *Alex. lib. 1. consil. 139. & Tusch. v. legitimatus. concl. 231.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dicimus, quod si Cornelius norit puerum ipsum ex se genitum esse, sed illum ad hospitale demandauit, vt peccatum suum celaret, & fœminæ honorem tueretur, cum omnes impēsas in eo alendo factas, si possit, ex communi sententia restituere teneatur, illa condonatio ab Eusebio Administratore facta non valebit; quādoquidem Administratores etiam libera administrationem habentes, debitores liberare non possunt, quia liberatio est donatio, & donare est dilapidare, neque eis integrum est, debitum liquidum remittere, neque ad soluendum tempus prorogare. *Abbas. cons. 10. & 39. Alex. in l. tale pactum. C. de pactis. Menoch. cons. 39. num. 31. Tusch. in v. Administratores. concl. 201. num. 25. & 42.* Vbi extendunt in Tutoribus, Curatoribus, & alijs, qui regulariter donare nequeunt, neque clara pupillorum iura remittere, quia istud in eorum administratione non venit, licet quando debitum non est liquidum, bona fide trāsigere possint, cum damnosas lites declinare intersit. Alias si læsos se comperterint, in integrum restitutio datur, quæ etiam illis, & ecclesijs, hospitalibus, & huiusmodi competet, si locatio bonorū à Curatoribus, & Administratoribus facta, eis damnum attulisset. *Bonac. de cont. d. 3. quæst. 7. puncto vltimo.*

Et prædicta assertio multo magis procedit in Eusebio monacho, qui mundo mortuus esse debet, nec se negotijs secularibus implicare, idest in his, quæ ad seculum, vitamque præsentem pertinent, & à secularibus laicis ordinarie tractantur, cuiusmodi est hæc aliena rerum temporalium Hospitalis procuratio. Et sicut cum non sit dominij capax, donare nequit, ita nec Xenodochij bona perdere, ad quorum administrationem admissus est, iure verò an iniuria, aliorum sit iudicium. Et vt suprà innuimus, ex *Baldo. l. 5. cons. 160.* Etsi religiosi regimini, & administrationi, alicuius collegij erecti à laico si hoc in fundatione disposuit, præfici possint, an hoc tamen expediat, & è re sit, sapientes iudicabunt. Scio quidem extare sanctionem Concilij Tarraconēsis, quæ refertur in *c. monachi. 16. q. 1.* in hæc verba, Monachi à monasterio foras egredientes, ne aliquod ministerium ecclesiasticum præsumant agere, prohibemus, nisi forte cum Abbatis imperio; similiter, vt nullus eorum. i. monachorum forensis negotij susceptor,

sceptor, vel executor existat, nisi quod monasterij exposcit vtilitas, Abbate sibi nihilominus imperante. Nec obstat quod ibidem eadem tractare permittantur monachi, necessitate vrgẽte, & Episcopo iubente, (qui tunc erat Superior,) vel Abbate, quia id in casu necessitatis tantum erat legis relaxatio; qui sane casus raro admodum contingere solet, cùm tot in vrbibus pij, & idonei seculares existant.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. Sic respondendum existimo, quod licet valeat statutum collegij, vt in illud ignobiles, & illegitimi non admittantur, pro nobilibus enim magna est præsumptio, vt indigna suo genere non perpetrent; nam vt ait Seneca. *epist.* 37. Habet hoc proprium generosus animus, quod concitatur ad honesta, neminem excelsi ingenij virum humilia delectant, & sordida. *Menoch. cons.* 422. *&* 466. vt dixi *in Comment. de stat. p.* 2. *c.* 16. Et licet parentum nobilitas ad illegitimos non transeat, cum nec de progenitorum agnatione, & familia dicantur. *Tiraq. de nobilit. cap.* 15. Et collegij institutor in limine fundationis quascunque cõditiones apponere possit, etiamsi contra ius esse videantur, nisi sint natura impossibiles, aut aliàs à iure improbatæ. *Barbos. de Episcopo p.* 1. *tit.* 2. *Gloss.* 17. *nu.* 26. Nihilominus cũ Doctores magis communiter resoluãt, filios etiam expositos, de quorum parentibus non apparet, nisi aliud constet, legitimos esse censendos, & quò ad successiones, & pfanas dignitates, & alia idoneos, & capaces, præsertim si, vt DD. loquuntur, filius sit in possessione legitimæ filiationis, ex tractatu, & educatione. *Menoch. lib.* 6. *cons.* 638. *& de præsumpt. l.* 6. *q.* 54. *num.* 20. *Mascard. de probat. volum.* 2. *concl.* 798. *& seq. Gratian. in Discept. Forens. c.* 135. *n.* 34. *& c.* 267. *num.* 14. *Campan. in diuers. iur. can. Rub.* 11. *c.* 13. *num.* 157. *Roder. in qq regul. p.* 1. *q.* 13. *art.* 1. *Marta. noto.* 26. Propterea Caroli in illud collegiũ ingressus sustineri in vtroq; foro poterit, nec quidquam restituere tenebitur per illa principia, quę supra in suppositis attulimus.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. q. breuiter respondendo dico, legatum Cornelio deberi, & tuta cõscientia illud retinere posse, si ab Anastasia vidua petierit, vt Elisabetham filiam minorem, in quam ipse maxime erat propensus, sibi sponsam concederet, & ipsa renueret, etiãsi Virginiam natu maiorem sibi libẽter offerret; siquidem conditio apposita Cornelium non obligat, vt cum hac, vel illa determinate contrahat, sed disiunctiue, cum vna, vel alia; & in alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri. *cap. in alternatiuis. de regul. iur. in* 6.

Et quia si electio ad matrem spectaret, ita vt Cornelius ad ducendam vxorem secundum arbitrium, & consensum Anastasiæ cogendus esset; talis conditio legato apposita iniusta foret, & pro non adiecta haberetur. *l. si filia sua ff. de condit. & demõstrat. Sanchez. l.* 1. *de matrim. disput.* 34. *num.* 20. *& seqq.* Et omnes moralium rerum Scriptores vnanimi cõsensu affirmant, conditionem matrimonij libertati aduersantem, à iure reijci.

Ac pariter asserunt, quod quando conditio adiuncta legato ex facto eius cui legatum relinquitur, & ex facto etiam alterius dependet, tunc si illius causa, vel defectu, non adimpleatur, legatum ipsum non amittit, quia in hoc casu alterius culpa legatario officere non debet. *arg. l. non debet. ff. de reg. iu.* Et si vero in vsu, & consuetudine positum sit, filias natu grandiores prius in matrimonio collocari, vt patet ex *Genes. c.* 29. *& Tiraq. in præfatione de iure Primog. num.* 139. ex coniunctione nihilominus disiunctiua, quam testator posuit, vt vnam ex filiabus Anastasiæ duceret, non determinãdo seniorem, vel minorem, sed vnam ex illis, colligitur, Cornelium: minorem postulando, legantis intentioni satisfecisse, & ideo cum per ipsum non steterit, quin cum ipsa contraheret, à legati lucro arceri non debere. *arg. reg. cum non stat. de reg. iur. in* 6. vt resoluit *Beja. p.* 4. *respons. casu* 19.

VI. Q. RESOLVTIO.

AD 6. q. seu ad id quod vltimo loco quæritur, resoluendum, illud dicendum videtur, Cornelium maritum qui in fundo, vel domo dotali thesaurum inuenit, cum vxore Laura eum diuidere debere, quia licet dotalis ager, vel domus, constante matrimonio, sit viri quò ad vsumfructum, simpliciter tamen ipso durante coniugio, ad vxorem pertinet, cum dos sit proprium mulieris patrimonium. *l.* 3. *§. licet. ff. de min. Tusch. v. dos. concl.* 736. *Mantica. de tac. & ambig. tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 20. *num.* 9.

Atque adeo qui in fundo dotali thesaurum inuenit, quò ad portionem illam, quæ domino fundi debetur, quamuis constante matrimonio quò ad vsumfructum ad maritum spectet, eo tamen dissoluto, aut facto diuortio, integre vxori cedit, vt habetur in *l. diuortio. §. si fundum ff. solut. matrim. Molina. tract.* 2. *de iustitia. disp.* 56. *Vasq. de restitut. cap.* 5. *§.* 4. *dub.* 2. *Faustus. disp.* 34. *quæst.* 9. *Bonac. disp.* 1. *q.* 3. *puncto* 6. *num.* 9. Quę positio de thesauro proprie dicto intelligitur, quatenus. s. est vetus depositio pecunię, cuius memoria non extat, vt iam dominum non habeat; nam si quis lucri causa vel metus, vel custodiæ, sub terra pecuniam condiderit, proprie thesaurus non est, ac proinde inuentoris non effici-

efficitur, sed domini, qui illum deposuit, vel eius hęredum. Idem dicendum est, si quis aut in muro domus, vel in eius penetralibus pecuniam, aut quid uis aliud reperisset, quod antiquus possessor per obliuionem ibi reliquisset. vt dicitur in *l. à tutore. ff. de rei vind.* Nau. c. 17. *num.* 175. *Angelus. in v. emptio, num.* 24. *Arrag. & Salon.* 22. *q.* 66. *art.* 5. *Ioannes de Platea. in l.* 1. *C. de thesaur. l.* 10. vbi Leo Imper. recte thesaurum inuenire, Dei beneficium appellat. *Angel. Aret. in §. thesaurus in fine. Inst. de rerum diuis. Alciat. l.* 7. *Parerg. iur. c.* 1. *Cagnol. l.* 2. *num.* 171. *C. de rescind. vendit. Bursat. lib.* 2. *cons.* 209. *Gabriel. cons.* 169. Vbi resoluunt quod si mercenarius reficiens domum à se emptam, in parietis foramine, vel solo repperit pecuniam in sacculo, vel vase repositam, venditori eam restituere debet, cum non sit thesaurus, sed pecunia ibi custodiæ causa reposita. Quod annotandum est, sæpissime enim in praxi hoc contingit. contra *Menoch. lib.* 6. *consil.* 649.

Atque hæc de restitutionis materia sufficiant; alia enim ad illam spectantia spatsim pluribus in locis, & in varijs argumentis obiter tetigimus. Illud tantum huc adijcere libet, quod cum in restitutionis morali materia, admodum sit difficile quid certum sit asserere: ideo satis erit scire, & tradere, quæ morali certitudine, & vniuersalibus principijs scire, ac tradi solent, vt proinde ignorantia inuincibilis, probabili tamen opinione suffulta, hominem in conscientia tutum reddat, vt ait *Sayr. l.* 10. *cl. reg. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 8.

Atqui eius laqueus, vt aliàs aduerti, ita latè patet vt pauci sint, qui in eum non incidant, & ne qui inciderunt, ex eo se explicent, nihil non agit venator Diabolus, qui restitutioni obnoxios diuersis rationibus decipere consueuit, ideo confessarius omnem adhibebit diligentiam, quò ex illis se extricet, proponendo vt initio huius tractatus diximus, neminem salutem consequi posse, nisi alienum integre, si potest, restituat. *cap. peccatum. de reg. iur. in 6 Carbo. de restit. q.* 5. & 91. *Tusch. in v. restituere. concl.* 301. *Caiet. Arrag. & Salon.* 22. *quæst.* 62. *art.* 8. *Filliuc. tract.* 32. *cap.* 4. *quæst.* 11. & *seq.*

Finis Tractatus Decimi.

ARTICVLI, QVAESTIONES, ET CASVS, qui super materiam censurarum, nempe excommunicationis, suspensionis, & interdicti formari possunt, Cap. I.

QVAESTIO I.

An qui residuum quid legati pij vltra biennium ad soluendum distulit, & causa illud ad monasteriũ monialium deferendi, Abbatissam, & nouitiam sine facultate allocutus est, incidat in excommunicationem latam ab Episcopo contra differẽtem piorum legatorum solutionem vltra biennium, & accedentes ad monasteria monialium, &c.

THadæus cuiusdam ciuitatis Episcopus, in synodalibus constitutionibus, excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam, & sibi reseruatam tulit contra eos, qui vltra biennium piorũ legatorum solutionem differunt. Item in eos qui ad monialium monasteria sine licentia accedunt, & illas alloquuntur: Iosephus residuum cuiusdam legati centum aureorum monasterio cuidam sanctimonialium soluendi ad tres annos distulit, at de hac obligatione, & pœna, à confessario suo admonitus, ipsum quatuor aureorum residuum ad Præfectam monasterij exempti paulo post detulit, atq; ibi tàm ipsam Abbatissam, quàm quandam suam neptem nouitiam, seu nõ professam, sine Superioris facultate allocutus est. Quæritur an in duplicem excommunicationem inciderit, & cum nunc Episcopus mortem obierit, an illæ excommunicationes desinant esse reseruatæ, ita vt quilibet confessarius ab ipsis absoluere queat.

SVPPOSITA.

REspond. Pro clatiori huius casus, & aliorum ad materiam excommunicationis spectantium explicatione, quia inter moralis theologię documenta, censurarum cognitio non modo confessario, sed & pœnitẽti valde necessaria est, Supponendum est Primo, cẽsuram si nominis vim spectemus, sumi pro quouis de re aliqua iudicio, præsertim quo ea, quæ in ipsa laudanda, vel reprobanda sunt, notantur. Quia olim apud Romanos Censores constituti fuerunt, vt populi vitia corrigerent: vnde à cẽsendo dicti sunt, quod veritatis, ac disciplinæ magistri hominum vitam, moresquè examinarent, & de his inquirerẽt, vt debitis pęnis plecterent, vt ex *Ciceronis oratione pro Cluentio* liquet. Quorum officia, numerum, tempus, &c. ponit idem. *l. 3. de legibus. & Gellius. l. 4. Noct. Act. c. 20.* Quò spectat illud Plinij in *Panegyrico* cum ait, Vita Principis censura est, eaquè perpetua, ad eam dirigimur, ad hãc conuertimur, &c. Nomen hoc sicut & officium, & censoriam dignitatem, qua imprimis insignis ille Cato functus est, à Romana tanquam à matre acceptum, Venetorum respublica vsque in hodiernum cõseruat diem. Verum quidquid sit de nominis origine, certum est, censuram quatenus ad nostrum institutum spectat, à DD. accipi pro pœna, vel animaduersione, quæ per se, ac directe pœnæ spiritualis rationẽ habet, & quæ propter aliquod crimẽ imponi solet. Si quidem non omnes virtutis amore, sed quam plurimi formidine pœnæ in officio continentur, nam

Districtus ensis cui super impia
Ceruice pendet, non siculæ dapes
Dulcem elaborabunt somnum.

Igitur. s. mater ecclesia, vt sacram politiam ab improbitate tueatur, ab his rebus remedium sumere cogitur, à quibus maxime abhorret, ab ecclesiasticis s. pœnis, & censuris, excommunicatione, suspensione, & interdicto. Medici officium est, vt dicebat Asclepiades, & à Cornelio Celso sępius repetitum est, vt cito, tuto, & iucunde curet, attamen quandoque ad vim morbi grauioris retundendam, profligandamque, austeriori medicamine vti cogitur; nam mordaciore pharmaco interdum opus est, quando lenia medicamenta non prosunt. Atque hic locum habet ille Hippocratis aphorismus, Extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt. Vnde diffinitur censura, vt sit spiritualis pœna, ab ecclesiastica potestate in foro externo, sub certa verborum forma, inflicta, priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium, per ordinem ad salutẽ. Cuius censuræ appellatione, excommunicatio, suspensio, & interdictum continentur, *c. quærenti. ext. de verb. signif.* Si quidem excommunicatio sacramentorum vsu, & fidelium consortio, atque ecclesiæ suffragijs priuat. Interdictum prohibet ne diuinis dum ipsa fiunt, interesse, aut in locis interdictis eadem facere possimus. Suspensio etiam impedit ne quis ecclesiastica mi nia ex officio exercere valeat. *Sayr. l. 1. cap. 1. de cens. Suarez. tom. 5. d. 1. sect. 1. Coninch. de cens. d. 13. dub. 2.* Dictum est spiritualis pœna,

na, quia hac anima quæ spiritus est, in primis punitur, eademque spiritualium rerum vsu potissimum prohibetur, ad distinctionem nimitum pœnarum corporis, vt ieiunij, verberũ, carceris, exilij, &c. quæ licet ab ecclesia inferantur, ecclesiasticæ tamen censuræ, cum spirituales non sint, minime dicũtur. Diximus inflicta ab ecclesiastica potestate, &c. vt efficiens causa censuræ ostendatur, nam nisi ab ecclesiastico viro, in foro externo potestatem haberi, infligi non potest. Hinc pœna quæ à confessario in pœnitentiali foro iniungitur, licet spiritualis sit, censuræ tamen ratione caret, quò fit vt prohibitio, seu suspensio à celebrando, proprie suspensio non sit, vt propterea transgrediens pœnitens irregularis non reddatur, cum ab habente iurisdictionem in contétioso iudicio lata non sit. Hæc porro potestas residet in Papa, vniuersali, vel Prouinciali concilio, Episcopo, eius Vicario, & Prælatis religionum, vt Generalibus, Prouincialibus, Abbatibus, Prioribus, & particularium domum Rectoribus, & si ex vsu, & praxi hoc ius quò ad regulares, solis Generalibus, ac Prouincialibus competat.

Positum est sub certa verborũ forma, ad innuendam causam formalem, censura namque per signa exteriora, siue verbis, siue scriptura, & ad aliquam particularem, vt ad excommunicationem, suspensionem, vel interdictum determinari debet. Et quãuis ordinarie censuræ in scriptis sint ferendæ, cũ tamen hoc ad rei substantiam non spectet, si absque scriptura proferantur validæ sunt. Id quod inter regulares maxime seruatur, in quibus huiusmodi iuris ordo attendi non solet. Dicitur priuans hominem, &c. ad demonstrandum subiectum censuræ debere esse hominem baptizatum, & ecclesiæ subditum, vt per hoc excludantur animę separatæ, infideles, & bruta ratione carentia. *Nouar. collect. 43. Duard. in Cœna Domini. l. 1. c. 1. q. 3.*

Additum est per ordinem ad salutem, vt Censuræ finis manifestetur, siquidem ecclesia per censuras non animæ perniciem afferre, sed resipiscentiam à peccatis, & contumaciam inducere intendit. *cap. cum medicinalis. de sent. excommun. lib. 6. cap. 1. de except. l. 6. Baron. tom. 4. Anno Christi. 390.*

I I. SVPPOSITVM.

HInc Secundo obseruandum est, certissima fide tenendum, penes ecclesiam esse potestatem ferendi censuras, & præsertim excommunicationis gladio feriendi. Constat hæc veritas *Matth. cap. 18.* Si peccauerit in te frater tuus, &c. Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus. Et *Apost. 1. ad Corinth. 5.* Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, &c. cum huiusmodi nec cibum sumere. Et ibidem, Iam iudicaui ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus saluus sit. *c. audi. 11. q. 3. Sot. in 4. d. 22 quæst. 1. art. 1. Vgol. de cens. tab. 1. cap. 15.* Vnde qui negaret ecclesiam habere potestatem cẽsuras ferendi, uel illis obtemperare per contemptũ nollet, præter lethale peccatum, in hæreticorum album referendus esset, proinde qui illum talem esse sciret, ad uiolatæ religionis Iudices deferre teneretur, cum male de Prælatorum potestate, & ecclesiasticis censuris sentire uideatur. *Marc. Anton. Gen. in praxi Cur. Neap. cap. 8. Lazar. de monit. quæst. 12. nu. 44. Simancas in Cathol. Instit. tit. 27.*

Addo per annum in excommunicatione insordescentẽ de heresi suspectum reddi. ut per *Conc. Trident. sess. 25. de refor. cap. 3. & Simancam in Cathol. Instit. tit. 207. num. 4.* Vnde hic actus operatur ut clericus ecclesiasticis beneficijs priuandus sit. *Gonzales. reg. 8. Cancell. gloss. 15. num. 103. Gratian. in Discept. Forens. cap. 119. nu. 2. Riccius in praxi priuat. benef. resolut. 305.* Vbi resoluunt, quod si quis ob ciuile tantum debitum, ob non factam solutionẽ alicuius rei excõmunicatus esset, huiusmodi priuatio propter insordescentiam locum non habebit.

I I I. SVPPOSITVM.

TErtio censuram præsertim excommunicationem sine graui, & vrgenti causa ferendã non esse, quia experientia docet, si non sobrie, & cũ magna circumspectione, sed temere, & ex leuibus causis incutiatur, magis cõtemni, quàm formidari, perniciem potius parere quàm salutem, iuxta. *Concil. Trid. Patres. c. 3. sess. 25. de refor.* Est namque excõmunicatio vltimum canonicum remedium, & pœnarum omnium, quæ in ecclesia sunt, grauissima. *cap. corripiantur. 24. q. 3. Sayrus. de cens. lib. 1. cap. 9. Marc. Anton. Genuens. in Man. Past. cap. 64. Pet. Ribald. de christ. Princ. l. 2. c. 34. Daur. in Flor. exempl. tom. 1. cap. 1. tit. 63. exemplo 9. Tympius in spec. Boni Magist. signo. 29.*

I V. SVPPOSITVM.

QVarto valere Episcopi statutum, quo excommunicationis censura percellit accedentes ad monasteria monialium excẽpta, regularibus subdita, intra tamen suam diœcesim existẽtia. Siquidem Episcopi tãquam Sedis Apostolicæ Delegati monasterijs sanctimonialium exemptis consulere possunt, & earum clausuræ cũram habere. Atq; ita in praxi vbique seruatur, & talem consuetudinẽ obseruandam esse Sacra Congregatio Concilij Trid. censuisse fertur. Sicut etiam monialib. exemptis, & regularibus Prælatis subditis, per Episcopum loci extraordinarius confessarius, vt eadem congrega-

tio censuit, assignandus est. *Iason. cons.* 83. *Rolandus à Valle. vol.* 3. *cons.* 33. *Steph Grat. in Forens. Discep. c.* 393. *Marc. Anton. Gen. in praxi Cur. Arch. Neap. c.* 33. *August. Barbos. in annot. ad Conc. Trid. sess.* 25. *de regul. c.* 5. *& de Episcopo. p.* 3. *Alleg.* 102. *num.* 74. *Salas. de legibus. sect.* 6. *num.* 84. *Nald. in v. monialis*, & dixi infra *tract.* 15. *in art. de Episcopo.*

V. SVPPOSITVM.

QVinto, censuram excommunicationis, suspẽsionis, & interdicti Primo, aliam esse à iure, aliam ab homine; censura à iure illa dicitur, quæ fertur à legislatore, cum intentione condendi legẽ, seu statutum generale, perpetuum, hac censuræ pœna transgressoribus iniuncta. Censura ab homine dicitur, quæ à Superiore aliquid præcipiente fertur, non animo statutum, vel legem perpetuam condẽdi, sed intentione præceptum temporale, & transiẽs ferendi. Inter quas illud discrimen cõmuniter scribentes constituunt, qđ censura ab homine illo mortuo expirat: censura vero à iure adhuc extincto conditore viget, & durat, & ab his solum ferri potest, qui facultate leges condendi pollent; qualem vt supra innuimus, habet summus Pontifex, Episcopi, & Episcopali iurisdictione fungentes, ut Prælati religionũ, &c. *Sayrus. l.* 1. *de cẽs. c.* 6. *n.* 13. *Suarez. tom.* 5. *d.* 2. *sect.* 3. *& d.* 28. *sect.* 1. *Roder. tom.* 2. *reg.* 99. *q.* 69. *art.* 1. *Miranda in Man. Prælat. regul. tom.* 2. *q.* 35. *art.* 8. *Reginal. lib.* 9. *cap.* 7. *sect.* 6. *Bonac. q.* 1. *p.* 1. *prop.* 2. *Coninch. d.* 13. *dub.* 4.

Secundo Censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alia est latæ sententiæ, alia ferendæ. Prima est, quæ absque alia Iudicis sententia incurritur; Secunda vero quæ solummodo est comminatoria, ut cum Iudex ait, Præcipimus sub pœna excommunicationis, &c. quæ licet sub mortali reatus pœna obliget, non tamen contrahitur, nisi à Iudice declaretur, qualis v. g. est suspensio lata contra Sacerdotes secundas nuptias benedicentes. *cap.* 1. *de secund. nupt.* Riccius *in praxi uar. resol. resol.* 382.

Tertio alia est generalis, alia particularis ab homine lata. Prima est cum Episcopus v. g. excommunicat omnes qui in Paschate sacrosanctam Eucharistiam non sumpserint. Secunda est, cum sic pronuntiat, Excommunicamus, & excommunicatum declaramus Antonium, eo quod ecclesiæ præcepto de cõmunione in Paschate faciẽda non satisfecerit.

Quarto alia est reseruata, quam author canonis, uel homo censuræ lator apertis verbis sibi reseruat. Secunda est quando nullam de reseruatione mentionẽ facit. A qua quilibet confessarius absoluere potest, imo Ordinarius post Decretũ Clem. 8. quũ ad casus illũ sibi reseruare nequit, ut p *Com. l.* 6. *respons. mor. q.* 12. *Mar. Ant. l.* 1. *uar. resol. casu.* 37.

VI. SVPPOSITVM.

SExto Præmittendũ est, multas esse causas, quæ à cẽsuris incurrẽdis excusant. Primo Defectus vsus rationis, ut patet In pueris monialium monasteria ingredientibus, ut dixi in *Comment. de cas. reser. p.* 2. *c.* 5. *sect.* 1. Item ignorantia, bona fides, obliuio, & inaduertentia. Imo etiam in foro exteriori ignorantia præsumitur, nisi scientia probetur. *cap. præsumitur. de reg. iur. in* 6. Quæ etiam per iuramentum probari potest, quia quæ in animo consistunt, aliter probari nequeunt. Secundo ex facto cum quo necessario coniuncta est ignorantia, ut si infans erat, aut furiosus. Tertio probatur à uerosimili, ut in absente. *Molfes. tract.* 8. *cap* 9. *num.* 35. *Tusch. v. ignorantia. concl.* 23. *& seq. Menoch. cons.* 402. *num.* 75. *& cons* 422. *num.* 140. *Bonac. de legibus disp.* 2. *q.* 8. *pun.* 3. *num.* 12. Secundo rei exiguitas excusat, ut si contra fures, uel alloquentes moniales excommunicatio lata sit, qui paruum furtum cõmisit, vel modicum colloquium cum eis miscuit, censura non ligatur. Tertio impossibilitas, ut si debitor qui soluẽdo non est, excommunicetur. Quarto uis, & metus cadens in constantem uirum. Quinto actus non secutus; nam censuræ sicut & irregularitas, & casus reseruatus non incurruntur, nisi sequatur effectus, hinc lex prohibens monialibus scribere, scribentem non comprehendit, cuius litteræ ad ipsas sacras virgines non peruenerunt. *Nau. consil.* 60. *de sent. ex. comm. & not.* 8. *nu.* 29. *de Iudæis. Nald. in v. effectus, & v. excommunicatio. num.* 16. *Thes. decis.* 243. *Riccius. p.* 1. *decis.* 70. *Nouar. collect.* 114. *Barbosa de Episcopo. p.* 3. *Alleg.* 93 *num.* 7. vbi resoluit cogentem uirginem monasterium ingredi, ingressu nõ secuto, in nullam excommunicationem incidere. *Graffius. l.* 4. *Decis. cap.* 7. *Sayrus. l.* 1. *c.* 9. *&* 18. *Coninch. d.* 13. *dub.* 13. *Zerula in praxi pœnit. cap.* 8. *quæst.* 5.

RESOLVTIO CASVS, ac quæstionis.

HIs præcognitionibus obseruatis dico Iosephum, qui quatuor aureos de centum aureorum legato residuos, ultra biennium distulit, & sine licentia, ad monasterium ad reliquum debitum soluendum accessit, & tàm cum Abbatissa, quàm cum sua nepte locutus est, tàm in primo casu, q̃ in secundo ab excõicatione excusari posse, tùm ex paruitate materiæ, in ordine ad excõicationem, nam ut infra dicemus, quantitas quæ sufficit ad constituendam mortalem culpam furti, non satis est, ut per illã excommunicatio incurratur, tùm ex bona fide, & ex ignorantia, seu obliuione pœnæ appositæ, si quidem ubi mortalis culpa, & præsumptio non adest, excommunicatio non incurritur. ut

omnes

omnes DD. tradunt sequentes. *Palud. in 4. d. 18. quæst. 1. art. 2. & Card. in Clem. 1. q. 38. de priuileg. Mar. Anton. l. 1. var. resol. resol. 73. Riccius itidem in praxi. var. resol. resol. 19.* Vt omittam etiam in secũdo casu immunem ab hac censura reddi, quod monialium appellatione, super quas edictum cadit, nõ comprehendi nouitias, constituti iuris est, ita ut qui cum illis sine licentia loquitur, excommunicatione non innodetur, cum ante emissam professionẽ nulla proprie monialis dicatur. *cap. religioso. §. quamuis. de sent. excommunicationis. lib. 6. Graffius. cons. 22. num. 24. tit. de sent. excommunicationis.* Si autẽ daremus ab hoc duplici excommunicationis vinculo non eximi, dicendum foret, defuncto Episcopo, Iosephum ipsum adhuc ligatum manere, cum synodales constitutiones, in quibus hæ excommunicationes continentur non ab homine, sed à iure dicantur, ac proinde extincto Episcopo illas non expirare. *arg. c. à nobis. el. 1. ext. de sent. excommun. Sà in v. casus. Zerula in praxi Episcopali. in v. casus.*

CONFESSARII PARTES.

Confessarij porro partes erunt, negligentiam, quam Iosephus in integrè pio legato adimplendo cõmisit coarguere, cũ ex iuris regula nihil factũ dicatur, donec aliquid superest agẽdum. Cuius peccati grauitas ex eo ostenditur, quod non solum qui oblationes. i. ea quæ sunt relicta ecclesijs negãt, sed qui difficulter, & imperfecte reddunt, & tradere demorantur, tanquam egentium necatores à sacris canonibus iudicantur, nec Dei iudicium credentes habendi sunt. In signum enim futuræ resurrectionis mortuis pietatis opera impendimus, & pro separatarum animarum redemptione, apud Deum preces fundimus. *Arch. & Turr. Crem. in c. qui oblationes 1. & 2. 13. q. 2.* Et certũ est ex piorum legatorum dilatione, defunctos notabile detrimentum pati, non quidem ut pro huiusmodi retardatione puniantur, sed quia eis, qui ultricibus Purgatorij flammis cruciantur, remedium subtrahitur, dum suffragia differuntur, & constat, nisi tempus à testatore appositum sit, legatum statim eo defuncto, cum primum fieri potest, in foro interiori soluẽdum esse. *Graffius. l. 1. Decis. cap. 26. num. 16. Bellar. tom. 1. cont. fidei de Purgat. l. 2. c. 16. Carbo. de restit. q. 5. Sot in 4. d. 45. quæst. 2. art. 3. Mol. tract. 2. d. ultima. Pet. Nau. lib. 3. cap. 4. num. 166. Nald. in v. legatum. num. 17.*

Insuper quò ad secundum casum, illi significandum, boni uiri officio defuisse, cum contra Episcopi legem, & edictum, ad illud monasterium etiam ab eius iurisdictione exemptum, sine licentia accessit, si quidem obedientiæ uirturem uiolauit. At, ut aliàs aduertimus, uel antiquis temporibus sancitum est, atque usu receptum, ut absque Superioris facultate, ad sanctimonialium monasteria accessus non pateret, ut sic à publicis, & mundanis conspectibus separatæ, omnino seruire Deo ualeant liberius, & lasciniendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora, in omni sanctimonia diligentius custodire. ut ait Bonifacius VIII. in *cap. 1. de stat. regul. lib. 6.* Et quia procliuis est cursus ad uoluptatem, & imitatrix est natura vitiorum, merito Alexander III. in *cap. monasteria. de vita, & honest. cler.* statuit, ut accedens ad monasteria monialium, & monitus non desistens, si clericus est, deponatur, si laicus, excommunicetur. Et sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium negotijs regularium præposita statuit, ac declarauit, regulares contra formam Decreti, quo huiusmodi accessus prohibetur, monasteria adeuntes, ultra pœnas priuationis officiorum, & uocis actiuæ, & passiuæ, incurrere etiam peccati mortalis reatũ. ut per *Graffium. p. 2. consil. 2. de regul. Nald. in v. monialis. num. 17. Campan. Rub. 12. c. 16. num. 43. Barbosam in Spec. Mon. c. 9.* & animaduertimus in *Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 5. & in Comment. de stat. hum. vit. p. 1. c. 23. & 24.* Et alibi etiam rpo loci opportunitate tradidimus.

Porro dare facultatem religioso accedẽdi ad monasteria monialium, seu colloquendi, quæcunque moniales, & monasteria sint, ad sacram Card. Cõg. spectat; Quò ad alios uerò in monasterijs Apostolicæ Sedi, uel Ordinarij iurisdictioni subiectis, ad ipsummet Episcopũ pertinet. Quò ad moniales tñ regularibus subditas, ita demum Episcopo huiusmodi licentiæ concessio competit, si consuetudo loci legitime præscripta fuerit, ut talis facultas, uel à solo Episcopo, uel ab Episcopo, & Superioribus regularibus coniunctim obtineatur. ut per *Azor. p. 1. l. 13. c. 8. q. 7. Mirandam tract. de Mon. q. 2. art. 2. Piasecium in praxi Episcopali. p. 2. cap. 3. num. 54. Barbosam de Episcopo. p. 2. Alleg. 102. num. 76.*

Cap. II.

QVAESTIO II.

An medicus qui non medendi, sed alia non necessaria causa, septa monasterij monialiũ ingressus est, p. m. & in excommunicationem inciderit, & dato quod sic, an confessiones bona fide in excommunicatione facta valida sint; & nũm possit in tali dubio sacris interesse; & an medicus possit in iudicio expensas repetere, quas in infirmo munito curando fecit.

Leonardus medicus cum ab Episcopo ad medendum sacra cuiusdam monialium monasterij septa facultas data sit, necessitate non cogẽte, & alia de causa quàm sanandi, & curandi, ingressus est,

est, nempe ut (sic à Præfecta inuitatus) cuidam spirituali repræsentationi, quæ ibi tempore carnis priuij animi recreandi gratia recitabatur, interesset. Et quamuis an hoc sibi liceret, & excõmunicationis censura afficeretur, tunc temporis dubitabat, huius tamen rei oblitus, duas confessiones fecit. Nunc rectius, ac subtilius se examinans, hoc eidem confessario refert, qui valde dubitat, an in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam inciderit, alium subinde adit doctiorem confessarium, & super his consilium petit, quæritur, quid ab eo respondendum sit? Primo an sic monasterium ingrediendo, lethalem culpam, & excommunicationem contraxerit. Secundo an duæ illæ bona fide factæ confessiones validæ sint. Tertio an interim, quod de excommunicatione certior factus non est, nec ei veritas patefacta, possit sacris interesse, & cũ hominib. uersari, & sanare. Et Quarto speciatim an expẽsas, factas in quodam viro ægroto auato curando (& si ille inuitus esset) in iudicio repetere ualeat?

PRIMVM SVPPOSITVM.

RESpond. Suppono Primo excommunicationis pœnam grauissimam semper iudicatam fuisse, & eius vsum non solum apud christianæ fidei cultores fuisse, sed & apud Ethnicos quandam huius imaginem extitisse. *Plato. u. in 9.* de legibus sic loquitur, Si quis de vi parentibus illata damnatus fuerit, primum quidem, ex vrbe egrediatur, in exiliumquè perpetuum proficiscatur, ac sacris omnib. arceatur, &c. Et ibi Marsilius Ficinus notat, præfigurari excerationes à nostris factas, profanos à communione ecclesiæ propellentibus. Apud Athonienses antiquitus fuisse publicas quasdam detestationes veluti in eos, qui viam erranti non monstrasset. auctor est Cicero *l. 3. officiorum.* In Oreste figuram quandam nostræ excommunicationis depinxit etiam Euripides his verbis:

Sancitum est porro Argis hisce neque nos tectis,
Nec igne recipiendos, neque alloqui quemquam debere matricidas.

Germ. de sacr. Imm. l. 1. cap. 12. Lopez. in Schol. ad Diax. cap. 117. Tiraq. de retr. §. 1. gloss. 9. num. 277. Alex. ab Alex. lib. 3. dierum Gen. cap. 5. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 4.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo, excommunicationem, quæ dicitur ab extra, & communio, eo quod excõmunicatus extra hominum communionem, & societatem fiat, diffiniri, vt sit ecclesiastica censura, propter quam homo christianus ab ecclesiæ communione, quoad sacramentorum, suffragiorũq; communium fructũ, & ab externo fidelium contubernio, ab eo, qui iurisdictionem habet, separatur, adhibita certa verborũ forma, ut is qui excommunicatur, resipiscar. In qua descriptione quatuor vniuersales causæ reperiũtur. Primo causa efficiens, ut. s. ille qui excommunicat, ordinaria, uel delegata authoritate fungatur. Secundo materialis, quia in christianum hominem nõ nisi pro mortali peccato, & contumacia ferri potest; intelligendo de excommunicatione, quæ à Iudice ob præteritam culpam fertur, secus de ea, qua aliquid futurum, siue à iure, uel ab homine prohibetur; non enim est opus ut id ex sui natura mortalis culpa sit, ut cum Papa prohibet ne quis, exceptis casibus à iure concessis, monialium monasteria ingrediatur, tunc enim lethalis noxa ex inobedientia rãtum cõstatur, &c. Ad hanc materialem causam spectat ut absoluendus absoluenti sit subditus, quãuis etiam absens, & inuitus, sublata cõtumacia, ob quã censura lata est, absolui possit. *Bonac. d. 1. qu. 3. p. 4.* Tertio formalis, si quidem Primo competens admonitio præmittenda est. Secundo ex ritu in scriptis proferenda. Tertio quædam verborum solemnitas de congruitate seruanda est. *cap. sacro. c. de cetero. ext. de sent. excom. c. 1. eodem tit. l. 6.* Tuschus *in v. excomm. concl. 446. & seq. Duardus in Bulla Cænæ Domini. lib. 1. cap. 1. quæst. 4. num. 7. & sequ.*

Quarto causa finalis, in ea dignoscitur, ut. s. proximus resipiscat, & corrigatur, quandoquidem hoc ecclesia in suis censuris ferendis intendit, ut delinquentis contumacia comprimatur, unde statim ac cõtumacia sublata est, absolutio tribuitur. Aegram aliquando corporis partem acrioribus medicamentis castigamus, ne omnino pereat; interdum etiam curimus ne uitium, & morbus serpant; Ita & proximum seuerioribus verbis reprehendere licet, aliquando etiam, ut eius spiritus saluus fiat, carnem exscindere. Quinimo si hic gladius ipsi qui eo feritur, non prodest, alijs proficit, nam dum vnus ecclesiastica disciplina coercetur, & pro peccato publice arguitur, cæteris metus incutitur. Hinc *Plato in 9. de legibus,* Quos insanabiles, inquit, legislator esse senserit, vltimo supplicio afficiet, non ignorans, satius fore ijs, qui insanabiles sunt, mori quàm viuere, ac si vita priuantur, dupliciter prodesse, nam horum exemplo cæteri à peccato deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipsa mundatur. *Simãcas in cath. instit. tit. 27. num. 3. & tit. 46. num. 9. Sayrus. l. 1. de cens. cap. 1. num. 14. Duard. in Bulla Cænæ Domini. lib. 1. cap. 1. quæst. 5.*

Quàm seueram autem Theodosius Imperator, metuens ecclesiæ censuram pœnitentiam egerit, & eius finem, & effectum patefecerit, lector pulchram historiam videat apud *Theodoretum. lib. 5. cap. 17.* & apud *Baronium tom. 4. Anno Christi* 390. Sic Arcadius Imp. cum Eudoxia vxore ab Innocentio I. excom-

excommunicatus esset, ad saluberrima pœnitentiæ arma confugit, & usque adeo demisse ad Summum Pontificem scripsit, ut à pia eius manu, absolutionis beneficium meruerit. *Tympius in Spec. boni Magist. signo. 29.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio præmittendum est, excommunicationē duplicem esse, uidelicet maiorem, & minorem. Maior est, qua homo aliquibus communibus bonis priuatur, nempe consortio fidelium, sacramētorum tàm actiua, quàm passiua participatione, & communibus ecclesiæ suffragijs. Tria sunt namque fidelium bona, à quibus per ecclesiæ potestatē christianus abdicari potest. Primum est exterior conuersatio, quæ in mutuo colloquio (cū homo sit animal ciuile, & politicum) consistit. Secundū est sacramentorum participatio, si quidem fideles communem eorum vsum, & fructum habent. Tertiū est suffragia ecclesię, & orationes, nam ipsa S. mater ecclesia, pro omni Christi grege communes fundit preces, & sacrificia pie offert. Cum ergo fidelis aliquis ipse inobediens est, ut confundatur, & resipiscat, hanc pœnam in ipsum infligit. *Nau. cap. 27. num. 1. Tol. lib. 1. cap. 4. Suar. tom. 5. d. 7. sect. 1. Vasquez. tom. 4. in 3. p. D. Thoma. de excommunic. dub. 1. Val. d. 7. q. 17. p. 1. Miranda. tom. 2. q. 35. art. 1. Bonac. de cens. q. 1. p. 1.*

Minor excommunicatio est, quæ tantum à passiua sacramentorum participatione separat, i. facit ut ea perstrictus sacramēta recipere non possit, & passiua etiam electione priuat. *c. si celebrat. ext. de cler. excom. minist.* Vbi habetur, minore excommunicatione innodatum recipiendo sacramenta grauiter, & sic lethaliter delinqre, sed ministrādo simpliciter venialiter peccare, ut ibi omnes communiter exponunt: Si quidem more Canonum is grauiter delinquere dicitur, qui lethali crimine se obstringet, veniali vero culpa se aspergens, simpliciter peccare dicitur, si tamen nihil aliud addatur. *Nald. & Galetus, in v. peccatum. num. 13.*

Hæc vero excommunicatio ex communi sententia, tantum incurritur, cum quis agit, vel cōuersatur cum excommunicato, qui nominatim denuntiatus sit, vel publicus clerici percussor. Et licet, ut supra diximus, excommunicatio maior siue sit à iure, siue ab homine, non nisi propter peccatum mortale contrahatur, minori tamē quis etiam pro ueniali culpa innodatur. Hinc qui in peccato mortali cōstitutus est, non est subinde maiori, vel minori excommunicatione innodatus, si quidem excommunicatio extra sacramentalem absolutionē, & sine contritione vel attritione tollitur; Sed ad mortalis culpæ remissionem alterutra desideratur. Nec excommunicatio est aliquod culpæ malum, sed solum pœna pro ipsa culpa inflicta, quę semper supponitur, nec ecclesia hominem gratia Dei priuat, sed solū ob peccatū mortale eius gratiæ per anathema expertem fuisse demonstrat.

IV. SVPPOSITVM.

QVarto excommunicatio maior (vt supra q. 1. in quinto supposito significauimus.) Generalis est, & particularis. Item à iure, vel ab homine. Reseruata, & non reseruata, qđ ex canonis, uel statuti verbis colligitur. Rursus in iustam, & iniustam diuiditur, ad eius namque iustitiam tria requiruntur. Primo ut iusta, & rationabilis causa ad eā ferendā interueniat. Secundo ut debito modo feratur. Tertio ut animo recto à potestate pollente proferatur. Et quia malum est ex defectu circunstantiarū, hinc fit ut quolibet horum deficiente, excommunicatio iniusta sit, &c.

Insuper alia est iniusta, & valida, alia inualida, & nulla, iniusta ualida est, quando v. g. in Iudice debita intentio deest, vtpote quia ex odio, ira, &c. procedit, aut non seruatur forma trina monitione præcedente, seu cum in scriptis non profertur, uel iusta non subest causa, quia. s. aut nulla est, aut non æqua, & legitima, sed solum præsumpta, ut cum uere innocens secundum allegata, & probata nocens iudicatur, quam tamen Theologi contra Canonistas nullam, & inualidam esse asserunt, ut per *Sayr. l. 1. c. 17. & in cl. reg. l. 3. c. 7. nu. 7. Reginal. l. 1. n. 106.* Iniusta inualida est, quæ nullam obligationem parit nisi ob populi scandalum, uel offensionem, qua per scientiam sublata, nil iuris inducit. Et hæc trib. potissimum modis contingere potest, Primo ex parte illius, qui sententiam fert, ut cum non est suus, & legitimus Iudex, uel ligare non intendit. Secundo ex parte causæ, propter quam fertur, ut cum intolerabilem errorem continet, prout si quis impediatur facere, quod est licitum, & ex virtute, ut repetere pecuniam sibi iuste debitam; uel ex aduerso aliquid illicitum admittere, ut debitum uxori putatiuæ reddere; aut quod aliquid impossibile non fecerit, si quidem excommunicatio in non facientes, uel non soluentes lata, ab his non incurritur, qui illud quod præcipitur, præstare non potuerunt, uel quando soluere non tenentur, uel non debere soluere iustis rationibus prętendunt: nam iniuste excommunicatus excommunicationis mandatum seruare non obligatur, neque alios vitare, neq; ipsum alij deuitare, quibus constiterit sententiam esse iniustam, nisi uel ratio scandali, uel alia extrinseca occurrens causa, iuxta charitatis legem exegerit. *Bonac. de legibus. disp. 1. q. 1. puncto 7. §. 3.* Talis etiam erit excommunicatio pro ueniali culpa, uel re leui lata, si hæc in sententia explicetur, si uero hoc non exprimatur,

tunc

tunc in foro conscientiæ ob intolerabilem errorem nulla erit, in foro uero externo abstinendum, donec constiterit causam insufficientem esse. *Suar. d.* 18. *sect.* 3. *num.* 6. *Filliuc. tract.* 12. *c.* 1. *quæst.* 8. *nu.* 28. Tertio ratione modi excommunicatio inualida est, ut eum post legitimã appellationem quis illa percellitur. *cap. per tuas. ext. de sent. excomm.* Vel quando participantes cum excommunicatis ea participatione, quæ minorem solum excommunicationẽ inducit, maiore anathemate feriuntur, non nominando eos expresse, neque canonica admonitione præmissa, &c. *cap. statuimus. de sent. excom. l.* 6. *Sayr. l. c. nu.* 6. *Reginal. nu.* 107. *& alij communiter.*

V. SVPPOSITVM.

QVinto obseruandũ est, dubium differre à scrupulo, opinione, & scientia, si quidem dubiũ est quando intellectus non magis in vnam partem, quàm in aliam inclinat, sed in vtramque propẽdet. Scrupulus est assensus ex leuibus, & uanis coniecturis ortus. Opinio est consensus vnius partis cum alterius formidine. Scientia est certa saltem moraliter cognitio. Triplex est enim certitudo nempe naturalis, ut illius rei, cuius species in sensu percipitur & intellectu comprehenditur, cum nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Secunda est super naturalis, quæ per Dei reuelationem habetur, quomodo D. Paulus, & D. Franciscus se in gratia Dei constitutos esse certo nouerunt. Tertia est moralis quæ per probabilia signa, & coniecturas hauritur. *Alex. de Ales. in* 3. *p. Sũma in tract. de gratia D. Ant.* 1. *p. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10.

VI. SVPPOSITVM.

SExto Pœnitenti non licere practice contra dubiam conscientiam agere, nam qui dubio est animo si quippiam faciat, se se peccandi periculo exponit, & contra amicitiæ legem agit, qui id agit, de quo ambigit, an sit amico gratum. Quò fit ut qui dubitat, an excommunicationem contraxerit, ea dubitatione durante, ante quam præmissa debita diligentia certior sit factus, se excommunicatum iudicare debet, cum in dubijs quæstionibus extra iustitiæ materiam, necessario tutiorem partem amplecti teneamur. *Sayrus. l.* 1. *cl. reg. c.* 13. *num.* 23. *Salas.* 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *d.* 1. *sect.* 5. *Sanchez. l.* 1. *de præcep. c.* 10. *num.* 51. *& seq. Molfes. tract.* 8. *c.* 9. *nu.* 62. *Nald. in v. dubium. Tusch. in v. peccatum. concl.* 193. *Bonac. de legibus. d.* 2. *q.* 3. *puncto* 7. *nu.* 15. *& de cens. d.* 2. *q.* 2. *punct.* 6. §. 2. *num.* 39. *Filliuc. tract.* 13. *c.* 6. *num.* 130. & dixi supra *tract.* 5. *cap.* 10. *quæst.* 64.

I. Q. RESOLVTIO.

HIs præcognitis dico Primo, Leonardũ à mortali culpa non excusari, cum mala fide sine necessitate medendi, sed tantum ut spirituali illi exercitationi interesset, monasterij septa ingressus est. Imo præter peccatum mortale, in excommunicationem etiam summo Pontifici reseruatam incidisse, nam probabiliter dubitans an quò ad hoc ingredi posset, in mala fide censetur, & eius temerarius ausus merito puniri debet. Nec ab hac culpa, & pœna, Abbatissa quæ eum inuitauit, & introduxit, immunis iudicanda est. Sicut nec eam effugeret, si pueros nõdum doli capaces clausuram ingredi permisisset, ut alias dixi, contra *Bonac. de legibus. d.* 1. *q.* 1. *pun.* 6. *nu.* 7. Sed cum in dictis Bullis apponatur uerbum præsumant, consequitur, quod si ad monialem non spectet ex officio impedire, uel huiusmodi ingressum admittere, etiamsi cum possit, non obster, ab excommunicatione libera erit: secus si inuitaret, uel positiue cooperaretur ad ingressum. Quæ verò ex officio impedire tenetur, à censura etiam excusatur, si ex aliqua inaduertentia, aut perturbatione, uel negligentia, à suo munere deficeret, tunc enim ex præsumptione agere non dicitur. *cap. periculoso. tit. de stat. regul. l.* 6. *Conc. Trid. sess.* 25 *de regul. c.* 5. *Pius* V. *in Cõstit. Incip. Decori. & in alia. Incip. Regularium. Et Gregor. XIII. in sua pariter Constitut. quæ Incipit. Vbi gratia. Codronchius. lib.* 1. *de christiana, ac tuta med. ratione. c.* 40. *Nald. in v. monialis. num.* 16. *& in v. clausura. num.* 4. *Vgol. de off. Episcopi. p.* 1. *c.* 21. §. 3 *Comit. in resp. cas. consc. l.* 6. *q.* 22. *Suar. de cens. d.* 22. *sect.* 6. *Roder. tom.* 1. *qq. regul. q.* 47. *art.* 11. *Miranda. de Monial. quæst.* 2. *art.* 20.

At licet consultius sit, ut medicus, uel chirurgus in casibus necessarijs, & cum debita licẽtia monialium clausuram ingrediens, statim confecto negotio egredi debeat, à culpa tamen mortali, & excommunicationis censura immunis cẽsebitur, si aliquãtulum ibi moretur, & quadam curiositate diuertat, ut. s. monasterium uideat, aut ut cum monialibus infirmis loquatur, &c. Nam cum huiusmodi præcepta moralia sint, moraliter intelligenda, & interpretanda sunt, & non secundum regulas metaphysicas, iuxta quas res in puncto indiuisibili consistunt. *Sãchez. l.* 6. *de praecep. cap.* 10. *num.* 69. *Zerula in praxi Episcopali. v. monialis. ad* 8. *q. Molfes. tract.* 7. *cap.* 20. *num.* 42. *Roder. & Miranda l. c.* Resoluit etiam *Nau. cons.* 34. *de sent. excomm.* monasterium ex licentia concessa ingredientem, licet postea sacrilegium (qđ Deus semper auertat) cum aliqua sacrata virgine committat, iure communi, non esse excommunicatum, &c. Et decidit *Cherub. in Scholys ad Constit. Gregor.* 13. *Incip. Vbi gratia* ingredientem monasteria sine licentia, etiamsi vigore facultatis id non

faciat,

faciat, excommunicatione ligari, sicquè de stylo curiæ, & pœnitentiariæ, quæ pro lege habentur, obseruari. ut etiam tenet *Beia p. 1. casu* 30. *Filliuc. tr.* 15. *c.* 5. *q.* 7. Et certum est, stylum curiæ ius facere, & ad causarum decisionem allegari posse. *Abb. in c. ex literis, ext. de Constitut. Euerard. in loco à styl. Cur.* & dixi supra *tr.* 7. *c.* 21. *q.* 97. & communis est, quidquid aliqui senserint. ut *Roder. in qq. regul. p.* 1. *q.* 47. *art.* 1. *& Sayrus l.* 3. *decens. cap.* 31. *num.* 11.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico, quod si Leonardus ignorabat se esse excommunicatum, & cum hac ignorantia à peccatis absoluatur, absolutio tenet, nec factas confessiones reficere, uel reiterare tenetur, licet postea impedimenti excommunicationis meminerit; nam tunc ab ipsa cẽsura tantum absolutionem petere sufficeret. Idem censendum, si sciebat quidem, uel dubitabat se esse excommunicationis vinculo innodatum, nesciebat tamen cum huiusmodi impedimento confiteri, culpam mortalem efficere; licet enim excommunicatus sit sacramentorum incapax, multa tamen facta tenent, quæ fieri prohibentur. Nihilominus cum uincibili, imo crassa siue iuris, siue facti ignorantia laborasse, nec debitum conscientiæ examen præmisisse medicus iste arguatur, tutius, ac satius esset, duas pteritas cõfessiones instaurare. *Caiet. in v. absolutio ab excõicatione, Nau. in cap fratres. num.* 38. *& seq. de pœnit. d.* 5. *Pet. Sot. de excõmunicatione. lect.* 4. *Viualdus. de absolut. num.* 77. *Graffius l.* 1. *decis. c.* 18. *Vgol. de cens. tab.* 2. *cap.* 7. *§.* 2. *Suarez. tom.* 4. *d.* 22. *sect.* 7. *Zerula in praxi pœnit. cap.* 21. *quæst.* 5.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dubitationem dico, cum excõmunicatus tàm à sacramentis, quàm ab officijs diuinis, & fidelium communione iure excludatur, ut in excommunicationis diffinitione patet, sacris interesse non posset, nec cum alijs versari, antequam ab ipsa excommunicatione absoluatur, nisi eius existimatio, honor, vel fama periclitetur, & iacturam faciat. Siquidem licet excommunicatos vitare nõ teneamur, nisi sint nominatim denuntiati, uel notorij, seu publici clerici percussores, ut post Concilium Constantiense cautum est: ipse tamen excommunicatus alios vitare tenetur, cum in hac parte ei non faueatur, nisi, ut dixi, lædendæ propriæ famæ periculum immineret; Siquidem lex naturalis de tuenda fama omni humana lege potior est. *Nau. communiter receptus. cap.* 27. *num.* 239. *Victoria de excommunicatione. num.* 13. *Lazarius. in ean. qq. sect.* 4. *q.* 18. *Henriq. l.* 3. *de pœnit. cap.* 15. *Sayr. l.* 2. *de excommun. cap.* 3. *num.* 26. *& seq. Reginal. de prud. confess. cap.* 22. *num.* 20.

IV. Q. RESOLVTIO.

NIhilominus ẽi integrum erit, expensas quas in auaro illo licet inuito curãdo fecit, etiam in iudicio petere, maxime cum denuntiatus non sit, & hic necessitatis, uel saltem utilitatis causa uel setur, iuxta illud. *Hæc anathema quidem faciunt ne possit obesse, Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* vt infra dicemus *gloss. in cap. cum desideres. ext. de sent. excom. c. quoniam multos.* 11. *q.* 3. *Couar. in reg. peccatum. p.* 2. *num.* 8. *de reg. iur. in* 6. *Bonac. de cens. disp.* 2. *q.* 2. *puncto* 6. *§.* 2. *num.* 15. Supponimus enim quod etsi regulariter inuito beneficium non detur. *l. inuito. ff. de reg. iu.* Hæc tamen regula intelligitur, quando solum de interesse, ut aiunt, & utilitate eius cui conferendum est beneficium agitur; secus si de alterius priuato, uel publico commodo agendum sit, tunc namque etiam inuito benefaciendum est. *l. beneficium. ff. de mun. & honor.* vbi etiam nolentes honoribus, & dignitatibus aliquando augentur, & medicus, ut in casu nostro, curationis beneficium infirmo etiam nolenti, si potest, impendere tenetur, & sumptus postmodum factos priuatim, uel publice in iudicio repetere poterit. *Decius, & Cagnol. in l. inuito. ff. de reg. iur.* *Tusch. in v. inuito. concl.* 52. *& in v. soluere. concl.* 352. vbi examinat illam põsitionẽ quandonam possit quis pro tertio soluere, & meliorem eius conditionem facere. Ex qua *Lazarius in ean. qq. sect.* 3. 8. *num.* 42. *post Nau. in c.* 17. *nu.* 116. *& Gab. in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. resoluit, posse vxorem occulte, & sine scandalo de bonis mariti ipsius, æs alienũ soluere, etiam contra expressam eius uoluntatem, quia est socia, & adiutrix: dummodo prouideat, ut maritus, uel hæredes intelligant, se illi non debere, recepta ab eo, cui soluit, uel ab alio, remissionis, uel solutionis schedula.

CONFESSARII munus.

QVò ad absolutionis praxim, ad confessoris officium spectabit, absoluendi ab excommunicatione facultatem à Romana Sede petere, uel si casus occultus sit, i. non sit notorius, uel publicus, etiamsi aliquæ moniales de illo monasterio id sciãt, poterit hãc facultatem ab Episcopo impetrare, qui etiam illam, ut multi uolunt, concedere potest, quãdo excommunicatio publica est, & ipse excommunicatus impeditus est quo minus Apostolicam Sedem adire possit. *Pereg. de duello. q.* 37. *nu.* 6. *Bonac. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. ut diximus supra *tract.* 5. *c.* 5. *q.* 32.

Illum postmodum admonere par erit, ubicunq;

ver.

versabitur, se integrum, probumquè uirum, ut & Hippocrates tradit, præstare debere, quod assequetur, si eorum mandatis, qui christianam rempub. moderantur, pareró, & sacrorum Canonum, Pôtificiarumquè Constitutionum, sanctiones, ac Episcoporum decreta seruare non recusabit; meminerìtq; obedientiam esse fœlicitatis matrem: & teste D. Bernardo, totius perfectionis summam in eo consistere, si voluntas nostra Dei, ac maiorum nostrorum subiecta sit uoluntati. Nec aliqui ex Patribus dicere ueriti sunt, Dei matrem non tàm in eo fuisse felicẽ, quod uerbum in ipsa caro factum sit, quàm quod ipsa Dei voluntatem fecerit; nullumquè esse maius, quàm inobedientiæ malum. Superiorum est, ciuiũ saluti consulere, idquè bonis, æquis, ac iustis legib. conantur, populi verò est, his obtemperare, si felix esse velit. Solon percunctatus qua ratione ciuitas salua esse possit? respondit, Si ciues suis Magistratib. obtemperarent, Magistratus autem legibus. Et sicut Parochus (cui in multis medicus comparatur) ad subditorum domos nisi pro his rebus, quas officij sui ratio exigit, accedere non solet: ita Medicus sacras, uel profanas domos ingredi non debet, nisi ut quæ sui muneris sunt, expleat, & peracto negotio pro quo illuc accessit, illico discedere eum par est. Et sicut illum non solum sancta sacramenta, atque alias spirituales medicinas plebi suæ ministrare oportet, sed etiam cum Dei sit minister, curare, ut suo ipsius exemplo, ac morum disciplina eò facilius alios in via Domini instituat: Sic medicus cũ in curando corpore sit Dei minister, ad id delectus, ut hoc Dei opificium conseruet, ac quasi fugiens retineat, debet se talem in uitæ suæ actionibus præbere, ut à Dei timore, ac eius, Superiorumquè ab eodem constitutorũ præceptis, pendere dignoscatur, eaquè omnia auersari, quæ in arte sua exercenda Deo displicere possunt. vide in *Comment. de hum. vita stat. p. 2. cap.* 8. & sup. *tract. 6. c. 6. q.* 24. *& seq. & Codronchium. l. 1. de christiana, ac tuta medendi rat. c.* 40. *Feder. de Senis cons.* 191. *Tusch. v. obedientia. concl.* 1. *&* 2. *Iustin. in Tob. c.* 3. *vers.* 6. *doc.* 3. *& cap.* 5. *vers.* 2. *in docum.*

Cap. III.

QVAESTIO III.

An spectatur duelli, ex industria, excommunicatione afficiatur: an sacris interesse possit: an etsi in Iubileo prescripta non præstiterit, illius vi confessus, sit absolutus, & dispensatus super matrimoniali impedimento, licet confessor Doctor non esset, &c.

LVcas, cum Andreas, & Ioannes socij, in duello dimicarent, cui causam dedit de præcedẽtia in uia contentio, de industria spectator fuit, cum autem à quodam religioso viro de contracta censura scrupulus iniectus fuerit, ut magis rei veritas innotesceret, Cathedralis ecclesiæ Pœnitentiarium consuluit, qui eum in excommunicationem incidisse palam, & apertò ore, iuxta Clementis VIII. Constitutionem respondit, etiamsi effectus non fit secutus, ut quia duellum, uel singulare certamen commissuri, ad destinatum locum accesserunt, at pugnaruri impediti fuerunt, ne monomachiam inirent. Hoc non obstante, à diuinis officijs nòn abstinuit, nec humana commercia cauit, testamentum corpóre incolumis condidit, tandem ad se reuersus, & errata sua agnoscens, Iubilæi tempore peccata sua, & censuras animo ipsum Iubilæũ consequendi confessus est approbato confessario, à quò etiam ui Apostolicarum literarum, matrimonialem dispensationem obtinuit, etsi ille Confessarius gradu Doctoratus in Theologia, uel in Iure Canonico non esset insignitus; licet etiam ipse Lucas cætera, ut ieiuniũ, & ecclesiarum visitationem non præstiterit. Nunc hæc à Confessario quæruntur, Primo an Lucas duelli spectator in excommunicatiouem inciderit. Secundo an cum diuinis officijs cum alijs in ecclesia interfuit, & humanis actibus communiter prohibitis se immiscuit, lethali noxa se obstrinxerit. Tertio an virtute Iubilęi ab excommunicationis vinculo absolutus, & rite dispensatus cẽseatur? Et quomodo in praxi cum eo se gerere debeat Confessarius?

I. SVPPOSITVM.

REspond. Suppono Primo, In rebus agendis præsertim difficilioribus, expertorum hominum, seniorum, ac prudentum consilium adhiberi dum. ut suadet *Aristoteles in* 6. *Ethicorum. cap.* 14. Imo & Sapiens *Prou. cap.* 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Et *Tobias. cap.* 4. Consilium semper à Sapiente perquire. Nam cum in rebus perpendendis ob maximam illarum varietatem, quò ad omnia nemo sibi sufficiat, indiget homo ab alio peritiori erudiri, cuius postmodum consilium, & pronuntiatum, loco demonstrationis esse debet. ut *D. Bernardus, l. 4. de consid.* prosequitur. Prudentis actus fuit, cum Lucas à Pœnitentiario consilium exquisiuit, cuius doctrinam simul cum probitate coniunctam perspectam habet: sapiens enim quem Tobias consulendũ præcipit, est ille, qui de vltimo hominis fine, & de ad eũ perducentibus, non theorice tantum, sed & practice diiudicat. Insipienter tamen egit, cum eius dicto nõ acquieuit, nec eiusdem sentẽtiam secutus est, in his maxime, quæ ad animæ suæ salutem promouẽdam à sciente, & beneuolo consiliario proferebantur. Quippe ex *Concil. Trident. Decreto sess.* 24. *cap.* 8. In cathedralibus ecclesijs ab Episcopis Pœnitentiarij

rij constituuntur, qui prr oatæ sint fidei, seniores, ac prudentiores, qui singulari doctrina commendati non solum à casibus, & censuris, Episcopis reseruatis absoluant, vota, vel iuramenta commutent, seu super his dispensent, & alia Episcopalia munia in foro conscientiæ, & poenitentiali obeant, verum etiam in dubijs, quæ circa confessiones occurrunt, & in moralibus quæstionibus, quæ animarum salutem concernunt, solidum, ac sincerum consilium præstent. ut per *Zecchiū in tract. de statu, & mun. Episcopali. cap. 6. & de eccles. repub. cap. 24.* & obseruaui *in Comment. de hum. vitæ stat. p. 1. cap. 10.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo annotandum est, maiori excommunicatione obstricto illa prohiberi, quæ in illo versiculo continentur,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Aliàs qui in his cum maiori excommunicatione innodato communicat, in minorem excōmunicationem incidit. Imo aliquando cum excommunicato participans & lethaliter delinquit, maiorique excommunicatione irretitur, quando, sicut dicunt, in crimine criminoso cooperando communicat. *cap. si concubinæ. cap. nuper. ext. de sent. excommun.*

(Per os) intelliguntur colloquia, amicitiæ oscula, munera, literæ, &c. Illo verbo (orare) ecclesiastica sacramenta prohibentur, nec non communia ecclesiæ suffragia, preces, simul in ecclesia fusæ, &c. Verbo (vale) omnes mutuæ salutationes interdicūtur, quæ scripto, signo, vel verbo fieri possunt. (Per communionem) habitatio in eadē domo, mutuum exercitium, & conuersatio intelliguntur. Imo etiam allocutio per nuntium, uel literas prohibita censetur. *gloss. in c. Constitutionem de sent. excom. in 6. Barbosa de Episcopo p. 3. Alleg. 102. num. 81. & seqq.* Vbi tamen cum communi resoluit mittentem literas ad monialem in censuram non incidere, inflictam aduersus alloquentes cum illa; cum monialibus enim locutio inhibetur, cum excommunicatis vero participatio, quod verbum tanquam latius etiam mittētes literas cōplectitur. (Per mēsam) vetatur, ne quis simul cum excommunicato comedat, aut bibat, aut in eodem cubili dormiat. Si tamen in his transgressio fiat, modo contemptus, aut scandalum absit, nō nisi venialis culpa committitur, si tantum in humanis communicetur; huiusmodi enim communicatio leuis materia videtur, secus si in diuinis, ut in sepulturas in sacramētis, & officijs publice celebratis participetur, in quibus communiter DD. lethale peccatum agnoscunt. Enimuero quia utilitas, & necessitas cogit cum excommunicatis, & hæreticis quādoquè agere, breuissime, & seruato decoro fieri debet, imitando quò ad hoc naturalem Aegyptiorum canum prudentiam, qui aquam Nili in qua Crocodili latent, subito erumpere soliti, ut obuiam prædā deuorent, non otiosi bibunt, & longas innectendo moras, sed obiter duntaxat, & discretis uicibus lambunt. *Caiet. in v. excommun. Sot. in 4 d. 21. quæst. 1. art. 4.* Nau. *c. 27. nu. 29. Suarez. de cens. d. 15. Sayr. l. 2. c. 11. num. 20. Vasquez. de excommun. dub. 7. nu. 8. Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. §. 1.*

III. *SVPPOSITVM.*

TErtio Præmittēdum, certos dari casus, in quibus sine culpa cum excommunicato uitā do communicare licet, qui in his versibus continentur,

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

(Vtile) cum quis in propriam utilitatem participat, ut debitum petendo, actionē in iudicio prosequendo, &c. Aut propter ipsius excommunicati commodum, consilium ei præbendo, ad poenitentiam adducendo, aut ad procurādam absolutionem admonendo. In quibus officijs præstandis licet alia quædam verba, ut apud eum magis proficiamus, intermisceantur, nullum tamen inde periculum nascitur, nec minorem excommunicationem incurrimus: cum in omni actione illud attendendum sit, quod principaliter fit, & non quod per consecutionem uenit. *cap. cum voluntate. ext. de sent. excomm.* (Lex) ad matrimonium spectat, si quidem ex cōmuni sententia constat, vxorem licite cum marito excommunicato participare, non solum in petitione, & redditione debiti, sed etiam in alijs domesticis officijs. Atque eadem ratione dicendū est de marito erga vxorem excommunicatam, quæ socia rei humanæ, atque diuinæ domus suscipitur, & ideo vna, & eadem caro maritus, & vxor censentur. (Humile) idest, propter subiectionem, sic enim excusantur filij, serui, ac familiares, qui parētum portio, & Dominorum possessio, & organum à Philosopho dicuntur, ac proinde cum illiis excommunicatis agere possunt, & è conrra cum ipsis subditis communicare licet, &c. (Res ignorata) ignorantia namque siue iuris siue facti à culpa eximit, quandiù durat, ut si quis alterum esse excommunicatum, & denuntiatum ignorat, vel si quis aliquid agat etiam lege diuina prohibitum, sed tamen poenam excommunicationis appositam ignorat. *Sayr. l. 1. de cens. cap. 18. Lazar. de monit. sect. 4. q. 16.* per ea quæ supra *tract. 10. c. 2. quæst. 3.* adduximus. Imo ignorantia etiam crassa in foro conscientiæ ab excommunicatione excusat, quæ sciētiam, dolum, & præsumptionem supponit. *Graffius. cons. 22. num. 11. de sent. excommun. Sanchez. l. 9. de matr. disp. 32. num. 36. Pelleg. de Duello. q. 8. num. 32. arg. Molfes. tract. 7. c. 20. num. 40. Riccius in praxi cont. ing. monast. resol. 72.* (Necesse) Necessitas quoq; ipsius, aut excommunicati,

cati, aut cum eo communicantis, à peccato liberare solet, si quidem vt vulgo dicitur, Necessitas non habet legem, & ferijs caret. *Tusch.v.necessitas.concl. 19. Menoch.de arb.iud.casu.* 180. *Dec.& Cagnol.in l. quapropter.ff.de reg.iur.* Vnde & præceptum factū ab Episcopo de non cōuersando cum muliere inhonesta non comprehendit licitam, & necessariam cōuersationē. Atque huc refertur metus in cōstantem uirum cadens, cum ecclesiastica lex cum mortis, vel alicuius grauis rei iactura obligare non intendat; atque ita communiter tradunt DD. per *cap.quoniā multos.11.q.3.Sayrus.l.2.de censf.cap.13.Bonac.d.2. q.2.p.6.§.2.Reginal.l.32.tract.1.c.15. Riccius.2.p. Decis.cur.Neap.Decis.*110.

IV. SVPPOSITVM.

QVarto annotandum, ut etiam supra animaduerti, *tract.7.cap.21.quaest.97.* Duellum esse singulare certamen ex condicto, seu composito ob salutem animarum imprimis à iure naturali, diuino, & humano prohibitum. Primo namque Duellum committentes tentant Deum, eius iudicium vsurpātes, vt per vnius victoriam alterius iniustitia appareat, &c. Secundo quia vterque monomachiā iniens vitam morti, & vulnerum discrimini contra rectam rationem, & naturalem ęquitatem exponit; & inter astantes, ac pugnantium amicos odia, & altercationes nascuntur, & sic ex vno inconuenienti plura eodem tempore, in animarum, & corporū periculum, ac perniciosum fidelium exemplū, proficiscuntur. Tertio quia Duellum Dæmonis instigatione inuentum fuit, & eo fabricante introductum, vt ex cruenta corporum morte, animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur. *Conc.Trident. sess.25.de reform.cap.19.Gregor.XIII.in Constitut. Incip. Ad tollendum, & Clemens VIII. In Bulla Incip. Illius vices.* Vnde licet Conc. Trident. Decretū solum de solemnibus duellis perfectis intelligatur, quod Gregor. XIII. ad priuata etiam extendit. Clemens tamen VIII. duellorum prohibitionem cum excommunicationis reseruatæ pœna, ad singularia certamina ampliauit, etiamsi effectus, vel accessus ad pugnam non sequatur, ita ut in eius Decreto tàm publicum prohibeatur, vbi. s.dantur patrini, eligitur locus, assignantur arma, scripturæ cōficiuntur: quàm priuatum, vbi illa non interueniūt, cum adiutoribus, fautoribus, spectatoribus de industria, & dedita opera, etiamsi postea qui pugnaturi accessetunt, duellum non perpetrauerint. ut per *Vgol.de offic. Episcopi.p.1.cap.8.§.2.Flor. de prohibit. duelli.c.1.Pereg.in exposit.Constitut.Clem.8.Farinac.consf.9.Tuschum in v. Duellum.concl.805.Sanchez.l.2.de praecept.c.39.Bonac.de censf.d.2.q.6.p.2. Graffiū.consf.5.de homicidio. Filliuc.tr.15.c.13.q.5.*

Quod adeo sacrosanctæ leges detestātur, ut decedentibus in eo, etiamsi pœnitentię signa ostenderint, ecclesiastica sepultura denegetur, ut ex S. Congreg. Cardin. declaratū refert *Gratian.in Discept. Forens. c.* 410. *& Riccius in praxi contra Duellantes.resol.*53. Et huius decisionis ratio fuit, ut viui terrerentur, cum viderent in campis mortuos asinorum sepultura tumulati, & sic à talibus excessibus abstinerent. vt etiam ait *gloss.in c.1.ext.de torneam.* Porro aliàs diximus, duellum differre à rixa, quæ est quædam pugna ex mutua ira concitata, non ex condicto, nec ex composito facta. ut per *D. Thomā 22.q.41.art.1. & Val.tom.3. disp.3.q.17.puncto 1. & Floren.l.c.nu.5.* vt propterea inferant Doctores, ut *Achar.consf.216.& Menoch.l.2.de arbit.iud.casu. 361.num.11.& Gionagnon.l.1.resp.86.* homicidium factum in rixa, ratione præcedentiæ pœna ordinaria puniri non debere, quia ex proposito non sit factum. Et quidquid sit in alijs locis, & vulgus opinetur, Bononiæ attenta veritate, viam prope murum prælationem non significare, nec aliquem posse prętendere se iniuria affectum, quod via iuxta murum ei data non sit, ut per Gubernatoris proclama declaratum esse refert idem *Gionagnon.l.c.*

V. SVPPOSITVM.

QVinto obseruandum, inter Iubileum, & Indulgentiam, discrimen versari, plus enim Iubileum, quàm Indulgentia continere videtur. Illud præter pęnarum remissionem, potestatem absoluendi à peccatis, & censuris reseruatis & commutandi vota, vel super his dispensandi tribuit, quæ Indulgentijs non conceduntur. Diffinitur vero Indulgentia, vt sit remissio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ, extra sacramentum facta, ex thesauri ecclesiastici dispēsatione. Iubileum vero dicitur à Iubilando, nam eo anno quo conceditur, christiana respublica anima, & corpore iubilat, & lætitia perfunditur, si quidem culparum sarcina, & peccatorum pondere exoneratur, iuxta illud *Psal.*37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Iubileus quippe annus in antiquo testamento solemnis erat, in quo serui libertate donabantur, & exules in patriam redibant, debita relaxabantur, in nostro (qui ad illius similitudinem est in Christi ecclesiam translatus, & 25. quoque anno nunc celebrari solet,) spiritualia debita condonantur, fideles Diaboli hostis catenis constricti in pristinam libertatem uindicantur, & peccatorum funibus ligati soluuntur. Quare quando plenæ, & uberes indulgentiæ in ecclesia conceduntur, id in forma Iubilei impertiri solent. Quæ quidem ut ualeant, quattuor conditiones exigunt. Primo causam efficientem, ut concedens authoritate polleat, quam certa fide tenendum

nendum est, penes summum Pontificem, ut Christi Vicarium potissimum residere; in alijs vero ut Episcopis participatiue, ut aiunt, impertiri. Secundo materialem, ut recipiens sit bene dispositus; viator tamen in hoc mundo degens, etsi pro se ipso Indulgẽtias lucrari non possit, nisi in gratia constitutus sit, pro animabus nihilominus in Purgatorio existentibus eas consequitur, si iniunctum opus perficiat, quia satis est, ut illæ animæ indulgẽtiarum capaces sint, ut est communis DD. sententia. In his etiam assequendis, quæ ab Episcopo conceduntur, requiritur ut lucrari volens, sit subditus: animarum enim salus, & fauor contraria aliquando in eodem subiecto operatur, nam extraneus censuras incurrit latẽ per viam statuti ab Episcopo latas, in cuius diæcesi ipse delinquit, sed in gratiosis non participat, puta in Indulgentijs ab eo concessis, & hoc quia vtrumque animarum saluti expedit: Ideo enim nõ subditi indulgentiarum participes non fiunt, quia per ipsarum participationem pœnitentialis satisfactio eneruaretur, censura autem tanquam admissi delicti medicina (vt citius ab eo pœnitẽs liberetur) contrahitur, &c. Tertio indulgentię formalem causam exigũt, ut postquam per Ordinarium recognitæ, & publicatæ fuerint, iuxta *Conc. Trid. Decretũ sess. 21. de reform. cap. 9.* totum id præstetur, quod pro Indulgentia, vel Iubileo consequendo præscribitur. Quarto finalem causam continere debẽt, ut. s. ad Dei honorem, & animarum salutem concedantur, &c. *gloss. in extrauag. vnigenitus. tit. de pœnit. & remiss. Armilla in v. Indulgentia. num. 5. & communiter DD præsertim. Nau. in c. quis aliquando. §. in Leuitico. de pœnit. dist. 1. Zerula in praxi Episc. in v. Indulgentia, & de Indulg. c. 18. Graffius. l. 4. decis. c. 15. Suarez. tom. 4. disp. 49. Benzonius in sex libris de anno Iubilei, & alij.* Porro Hier. Platus. *l. 1. de bono stat. relig. c. 23. Tusch. v. Indulgentia concl. 104. & Tol. lib. 6. c. 21. Bonac. de sacr. d. 6. q. 1. p. 5. Nald. v. Indulgẽtia. Reginal. l. 7. cap. 9. Molfes. tract. 7. c. 26.* conferens Indulgentias cum remissione pœnarum, quam secum fert religiosus status, obseruat ex multis capitibus accidere posse, vt indulgentia suum effectum non consequatur, inter quæ ponit illud, quod in operibus, quæ iniuncta sunt exequendis, multũ negligentia, & in curia peccari possit, &c. *ex Nau. de Iubil. not. 19. & gl. fin. in Clem. de reliq. & ven.*

RESOLVTIO CASVS, & quæstionum.

I. Q. RESOLVTIO.

His sic præiactis (in his enim commentarijs illorum morem sequimur, qui domum vel minimam ædificantes, fundamẽtum aliquod, cui vniuersum firmiter hæreat ædificium, primo loco iacere conantur.) Ad primam quæstionem dico, Lucã qui dedita opera, & de industria, dum duellum cõmittebatur, interfuit, & culpa mortali, & excommunicationis pœna affici, etiamsi postea ab alijs impediti monomachiam non commiserint, ut cum præsentia sua ad spectaculi solemnitatem concurrerit, per Bullam Pij IV. & Clementis VIII. aperte constat. vide *Florentinum l. c. c. 13. Pereg. q. 35. Reginal. lib. 21. cap. 7. num. 77. Vgol. de off. Episcopi. p. 1. c. 8. §. 2. num. 5. Martinum Delrium. l. 4. Disq mag. c. 4. q. 4. sect. 2. Bonac. de cens. d. 2. q. 6. p. 2. Filliuc. tr. 15. c. 5. q. 5.* Ignorantia tamẽ eiusdem Bullæ ab huiusmodi pœna excusari posset, & proculdubio pœnitenti asserenti se illam ignorasse fides præstanda est. *Riccius in praxi contra Duellantes resol. 55.*

II. Q. RESOLVTIO.

Ad 2. quæstionem dico, Lucam rem sacram in excommunicatione audiendo, vel diuinis officijs assistendo, lethali noxa animam suam fauciasse; nam & si sit excommunicatus toleratus, ecclesiasticam censurã in re graui violat, nec per Concilium Constantiense cum fidelibus communicãdi indultus est fauor, quamuis, vt in superiori casu diximus, aliis priuilegium participandi cum excommunicatis toleratis, in sacramentis, & aliis quibuscunque diuinis, & legitimis actibus, concessum sit. Communicare vero in ciuilibus rebus, & humanis actionibus, vt plurimum venialem culpam non excedit, si quidem huiusmodi actio leuis materia censetur, ut ex communi tradit *Bonac. de cens. d. 2. q. 2. p. 3. §. 2. & p. 6. §. 1. Reginal. l. 32. c. 10. num. 55. Angles. de excommunicatione. diff. 8. Coninch. d. 14. dub. 14.* Hinc etiam conficitur, eundem Lucam testamẽtum condendo non peccasse, & illud validum esse, maxime si notorius, & denuntiatus non sit. ex *Claro in §. testamentũ. q. 24. Sayr. de cens. l. 2. c. 9.* Et licet ex multorum sententia, ipsi etiam spectatores ex industria ex Pontificiis Decretis testandi facultate priuentur, & pœna ipso facto afficiat, nihilominus per epicheiam est interpretandum, in foro consciẽtiæ delinquentes ante Iudicis sententiam non ligare, ac propterea si Lucas condito testamẽto, relicto herede decessisset, ipsa bona posse ab ipso herede tuta conscientia retineri, donec à Iudice auferantur. vt per *Pereg. l. c. quæst. 7.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. dico, ipsum Lucam à censura in quam incidit, eo quod monomachiæ ex industria, & data opera spectator fuit, absolutum remanere, modo cum proposito præstãdi cętera ad Iubileum

consequendum requisita, ad confessarium accesserit; quando quidem absolutio sub conditione data non fuit, sed absolute concessa, & consequenter effectum sortita est, & pœnitens absolutionis beneficio donatus, ita ut in pristinam casuum reseruationem non incidat, etiamsi uoluntarie cætera ad obtinendum Iubileum præscripta, puta ieiunia, & ecclesiarum visitationem omiserit. *Nau.in Miscell.de oratione Miscell.19.Graffius l.4.c.15.num.37. Suarez. tom.4.de pœnitentia.d.31.sect.4. Sanchez l.8.de matrim.d.15.num.20. Molfesius tract.7.c.21.num.33. Henriq lib.6.de pœnitentia.c.16.num.5.& alij communiter.* vide supra *tr.7.5.cap.6.quæst 39.*

Aduertendum tamen quod facultas absoluendi à reseruatis commissa Sacerdoti per modum indulgentiæ, vel Iubilei, confitentibus cocessa, intelligitur de confessione legitime facta; nec enim inualida sufficit, per quam reseruatio non desinit, cum Superioris intentioni non satisfiat, *Suar.l.c.num.22, Reginal l.8.num.63.* Item cum in Rituali Romano iussu Pauli V, edito, expresse caueatur, in foro interiori verba illa sufficere, Absoluo te à vinculo excommunicationis, &c. cautio de satisfaciendo parti læsæ exigenda non erit, etiamsi absolutio vi Iubilei, uel priuilegij partis satisfactionem exigentis impendatur. In hoc enim foro pœnitenti asserenti se esse ad satisfaciendum impotentem creditur, *Nald in v. absolutio à cens.num.15.in Addit.*

Quod porro attinet ad illud caput, an Lucas rite ab illo Confessario super matrimoniali impedimento fit dispensatus, qui Doctoratus gradu carebat, dico inualidam esse dispẽsationem, nam dum huiusmodi literæ Doctori in Iure Canonico, aut magistro in Theologia diriguntur, requiritur ut sit Doctor, nec sufficit ut sit licentiatus. At inualida minime foret, si ab eo conferretur, qui Doctoratus lauream cõsecutus est, quamuis Theologiæ, vel Iuris canonici præcepta non calleat, si quidem hæc facultas sub hac conditione non conceditur. Idem dicendum si dispensatio ab eo expediatur, qui communi errore, & titulo colorato uerus Doctor existimatur. ut patet *ex reg.l.Barbarius.ff.de off.Prat.* ut ait *Sanchez. l.8.de matrim.disp.34.Salas.de leg. d.2.sect.17.Bonac.d.1 q.2.p.2.& alij.* qui idem docet de approbatione Confessarij. Excipiuntur tamen Pœnitentiarij, & religiosi, qui priuilegio gaudent, ut & si Doctores non sint, huiusmodi literas exequi possint, *Zerula tit.praxi Episc.p.2.v. Pœnitentiarius Dal. uin. de Episcopi, & Abbatis potest. cap.35. Sanchez. l.c. Reginal.lib.31.num.214. Molfes.tract.4.cap.12. num.63. Et nos in Comment. de hum. vita stat.par.1.c.10.*

Cap. IV.

QVÆSTIO IV.

Capiens clericum per collum, & ei comminans; plumbeam glandem in eum emittens, & venenum præbens, si effectus nõ est secutus, an in excommunicationem incidat; an matrimonium ab excommunicato contractum sit validum, & à quo excommunicatus absolui possit, an sciens aliquem ad sortilegam accessisse denuntiare teneatur.

INnocentius ciuis ob quandam ortam contentionem, & rixam, Iulium suum Parochum contumeliosis verbis impetens, illum per collum apprehendens iratus dixit; Si non esses presbyter te strangularem, &c. Item cum equum emisset, & furto sublatum crederet, ad quandam veneficam accessit, & data pecunia ab ea petijt, ut ad sciendum occultum furtum sortilegia conficeret, cum ab Andrea eius rei conscio ad Parochum hoc esset delarũ temens ne ob inimicitiam quæ inter eum intercedit, hæreticæ prauitatis Inquisitori eum denuntiaret, noctu plumbeam glandem in eum contorsit, quę tamen eius vestes tantum tetigit, & paulo post, ut eum interimeret, venenum per tertiam personã dedit, quod etiam suum effectum non est sortitum, quæ peccata cum in proxime præterito paschate apud Pœnitentiarium per obliuionẽ confiteri prætermiserit, mutato domicilio, & in aliam parochiam translatus, matrimonium cõtraxit, & Doctoratum accepit. Quæritur Primo, an Innocentius in excommunicationẽ inciderit, Secundo posito quod sic, an matrimoniũ contractum valeat, & ille gradus collatus sit validus. Tertio à quonam absolui possit, & quomodo? Quarto an Andreas, & Parochus eum accusare teneantur?

SVPPOSITA, ET PRÆVIÆ notiones.

I. SVPPOSITVM.

RESpond. Suppono Primo tria potissimum esse priuilegia, quibus gaudent clerici. Primũ est personale, cuius virtute violentas manus in clericum inijciens ipso facto excommunicatione regulariter summo Pontifici reseruata innodatur; quod procedit etiamsi clericus prima tonsura, vel minoribus insignitus in habitu, & tonsura non incedat, nec in diuinis seruiat. ut per *Graffiũ. l.2. Decis.aur. cap.99. num.28, & Comit. lib.6. respons. quæst.20.* Imo adeo clericali ordini hoc priuilegium inheret, ut clericus in se ipsum manus violentas inijciens, uel inijci permittens hanc censuram non effugiat,

cum

cum nemo suorum membrorum sit dominus, nec huic publico fauori renuntiari valeat. ut ex communi resoluit *Sayrus.l.3.de censf.cap.26.nu.20. & Riccius in nar.resol.resol.*801. Et ut ait *Bonac.d.2.q.4. p.5.num.* 6. debet eam satisfactionem exhibere, quam Iudex dandam iudicauerit, si res ad illum delata fuerit; illi enim boni communis, & honoris ecclesiastici conseruandi cura incumbit; aliàs satisfacit prout prudens Confessarius, uel alius Superior censuerit per salutares pęnitentias, cum promissione amplius non relabendi, &c. Quod quidem priuilegium ab humano iure descendere hinc constat, quod per Innocentium 2. indultum est. *cap.si quis suadente Diabolo.* 17. *quaest.* 4.

Secundū est priuilegiū rerū, ob cuius fauorē clerici à muneribus, collectis, & vectigalium onere sunt exempti, vnde onera illis imponēs, uel gabellas ab ecclesiasticis exigēs, lethali culpa se inficit, & insuper excōmunicationis in Bulla Cęnæ Domini reseruatę gladio confoditur. Hoc porro priuilegium à diuino iure manare, communis est scribentium consensus. *cap.non minus.ext.de immunit.eccles.cap.quamquā. ext.de censibus.lib.6.Vgol.in Bulla Cœna.cap.18. & ibi Leonard.Duard.Sayrus.lib.3. de censf.cap.22.*

Tertium priuilegium quo clerici decorantur, ac muniuntur, dicitur priuilegium fori, in eo consistēs, vt à sæculari potestate iudicari non possint, cum de iure diuino à profana iurisdictione sint exempti, adeo ut qui in clericorum criminalibus causis iudicandis (nisi ecclesiastici Iudices sint) se immiscent, anathemate in d. Bulla contento feriantur; ut ibi *cap.*8. Eo autem priuilegio gaudere non debet, nisi qui ecclesiasticum beneficium habet, aut clericalē habitum, & tonsuram deferens, alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruit, &c. vt dixi supra *tract. 3.cap.1.quaest.*8. At nouitium alicuius religionis, & si prima clericorum careat tonsura, gaudere non tātum priuilegio canonis, sed etiam fori tradunt. *Azor.p.1.lib.12.cap.3.quaest.2.Roder.tom.3.qq.regul. quaest.51.art.12. Barb.de Epo.p.2.Alleg.12.num.3.*

Et licet iustum sit ut clerici in officio suo contineantur, & virtute præluceant, ab hoc enim ijs prærogatiuis decorantur; utque in terra viuentes conuersationem in cęlis habeant, gemmasquè imitentur, quæ cum in mari generentur, & sint, nihilo secius cęli colorē præseferunt; at etsi suo muneri, & statui non respondeant, illa tamen priuilegia non amittunt, exceptis casibus in iure expressis.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo quia materia canonis *si quis suadente* est sacrilegium, prenotandum est, sacrilegium multiplex esse, sed ad triplicem potissimum speciē reduci. Primo cum personę sacrę iniuria infertur, ut si v.g. clericus, vel prima tonsura initiatus, uel alius religiosus etiam nouitius percutiatur, vel in eum, aliquo modo violentæ manus injiciantur; clericus namque percussor dicitur non solum, qui eum manu lædit, verum etiam qui in illum per contemptū aquam, puluerem, vel sputum proijcit, venenū propinat, vestibus eum apprehēdit, uel quid huiusmodi, odio, & animo iniuriam irrogandi, efficit, *l. Bonac. de censf. d.2.q.4. p.1. Nald.v.clericus.num.*20. Sacrilegium etiam dicitur admitti, cum ecclesiastica persona à sæculari Iudice in ius trahitur, aut etiā persona Deo dicata carnis delictum perpetrat, seu cum ea turpiter se commiscet. Secundo ratione rei sacrilegium committi dicitur, vt cum res sacra de loco sacro aufertur, vel res sacra de loco non sacro, seu res non saera de loco sacro surripitur. Multo magis si sacrosancta eucharistia in peccato mortali sumitur. Tertia sacrilegii species conflatur, cum loco sacro iniuria infertur, ut quando ecclesia voluntaria, & culpabili seminis emissione, vel etiam violenta, & iniusta humani sanguinis effusione violatur, Vel si qui ad locum sacrum tanquam ad asylū cōfugit, vi extrahatur; nam, & Pausanias in *Achaicis* scribit, apud Maiores tantæ obseruantiæ, ac reuerentiæ templa fuisse, vt si quis supplex ad aras Deorum confugisset, eum inde euellere per religionem haud licuisset. Et Romulus fundata vrbe illico templum perfugis ad securitatem præbens, asylum constituit ex quo abripere quemquam nefas erat. *Germ.de imm.sac.l.1.c.15.Scortia.l.2.de miss.c.*13.

Porro ecclesiasticæ immunitatis violator, eo qđ reos ad eam confugientes in casibus à iure nō permissis abstrahit, licet excommunicari debeat, ipso tamen iure excommunicatus non est. *Gen.in praxi Neap.cap.22. Azor.tom.2.l.2.cap.9.quaest.2.Mar. lib.3.resol.15.Graff.p.2.consf.1.de immunit.eccles.*

Nihilominus hunc casum Papæ reseruari ait *Marius Italia.lib.1.de imm.ecclesia.cap.*6. §.2. *& Peregrin.eodem tit.cap.15.num.*18,

De materia sacrilegii vide *Syl.Tab.& Armilla in v.sacrilegium.Alber.in Dict.in v.eodem.Melfes. tract.3.c.8.num.84.& tract.8.c.8. num.200.& tr. 11.c.7.num.17.Reginal.l.19.num.56.& l.22.num. 32.Bellettum in Disq.cler.p.1.§.4. Lessium.l.2.cap. 45.dub.3.Val.tom.3.d.6.q.1.p.1. Graffium.l.2. Decis.cap.48. Rod.in Summa.p.1.cap.149. Azor.p.1. lib.9.cap.27.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio obseruandum, tria requiri ad hoc, ut in excommunicationem *si quis suadente* incidat. Primo, ut sciat eum esse clericum, si enim ipsū laicali habitu indutum verberaret, & laicum esse existimaret, excommunicationem non cōtraheret, cum talis quis præsumatur, qualis est habitus, quē gerit,

getit, & esse talem, ac haberi pro tali in iure paria sunt. *Litem apud Labeonem.* §.*si quis virgines.ff.de iniur.c.in audientia.ext.de sent.excom.c.si vero.il 2. eodem tit.Feder.de Senis.cons.*13.*Tusch.v.habitus, concl.*12.*& v. opinio. concl.*158. Est namque communis positio, ignorantiam tàm iuris quàm facti, à censuratum incursu excusare. *cap.2.de constit.in* 6. *Bonac.de cens.d.*1.*q.*2.*p.*1. Secundo exigitur, ut sit effectus violentus, & iniuriosus, personæ clerici, uel monachi, seu monialis, illatus, etiamsi sit nouitia, quia licet cum effectu religiosa non sit, negari tamẽ non potest, quin nouitius, & nouitia, religionem ingressi, sub protectione, ac velut tutela ecclesiæ sint; si quidem quæ sunt in fieri, uel mox futura, ea pro iam factis censentur, & potentia proxima actui pro ipso actu habetur. vt habet *Arist.l.*2.*Phisicorum*. vt hāc propositionem pluribus illationib. exornat *Tiraq. in l.*16.*connub glos.*2.*num.*3. Atque sic diffinitur in *c.religioso*.§.1.*de sent.excom.l.*6 Requiritur etiam vt res suum effectum sortiatur, nam per solum mandatum, uel consilium, vbi effectus secutus non est, excommunicatio non incurritur. Secundo ut percussio sit notabilis, & deliberato animo facta, nam si percussio ita leuis est, ut mortalem culpam excludat, excommunicationi non subiacet, ut ex communi, ait *Gutierez.l.*1.*can.qq.c.*5.*num.*13.*Sanchez.lib.*2.*de precept.c.*8. *num.*7. *Sayr.l.*1. *de cens.c.*9.*nu.*7. *Reginal.l.*9.*c.*9.*num.*168. Et cum subreptio, & indeliberatio in omni materia à mortali peccato excuset, hinc fit ut qui Iræ calore ebrius, & animi passione permotus, sine consideratione, uel discursu, ex subito mentis impetu, in ecclesiasticam personam manus violentas injicit, hac excommunicatione nō irretiatur. Aristoteles enim dicere solebat, iram animo tenebras perinde offundere, ut fumus aspectum turbare consueuit, ut merito mentis nubem eam dixerit. Quod & Horatius expressit, cum dixit,

Ira furor breuis est, &c.

Et Cato, ut aliàs dixi, aperte fatebatur, Iratum ab insano nulla alia re differre, quàm mora temporis; sentiens, iram breuem esse insaniam. *Suar.tom.*5. *d.*22.*sect.*1,*Sayr.l.c.l.*3.*cap.*27.*num.*24.*Caiet.in v. excommun.c.*16.*Nau c.*27.*num.*85.*Zerula in praxi pœnit.c.*8.*q.*5.*Riccius in praxi fori eccles. de excommunicatione.decis.*460. Illam tamen nō effugeret, qui madida ebrietate correptus, clericum percuteret, quando id expertus est, id à se fieri, nec præcauit; clerici enim percussio est opus externum excōmunicationi subiectum, dummodo uel in se, uel in causa voluntaria sit. Licet secus sit dicendum de eo, qui internam hæresim ebrietatis, uel somni tempore pronuntiat, si quidem externa hæresis censuræ non subijcitur, nisi quando ab interna procedit, non quando ex prauo vsu hoc proficiscitur. *Sanchez.l.*1, *de precept.cap.*8. *nu.*15. Tertio requirit ut percussio suadente Diabolo fiat, hoc est animo offendendi, & iniuria afficiendi si quidem ea iniectio quæ bono animo, & recto fine ob publicum bonum fit, sub illo Canone nō icluditur, ut si Iudex laicus, uel eius satellites, clericum criminosum capiant, ne aufugiat, sed Episcopo præsentent, vel si quis per iocū, aut per ignorantiam, vel correctionis causa clericū percutit, &c. vt per *Abb. communiter receptum. in c.*1.*& cap.si vero.el* 2.*ext. de sent. excommunic. & per Graffium.l.*2.*c.*49. *Reginal.l.*1.*in Append.num.*211. *Tol l.*5.*c.*8. *Angles.q.de excommun.diff.*4.*Tusch.v. percutiens.concl.*274. Atque huc refertur, si quis clericum inuentum cum vxore, matre, sorore, aut filia percutiat. *cap.si vero.el* 1.*ext. de sent.excommun.* Vel si mulier à clerico de turpitudine impetita, qui eam impudice tangit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, in eum manum violentam injiciat. Idem dicendum de puero, vel adolescente, qui verbis, & factis de crimine pessimo sollicitatur. ut per *Sayr.l.*3. *cap.*27.*num.*23.*& seq. & Riccium in praxi Bulla contra sodom.resol.*64.

IV. SVPPOSITVM.

QVarto Præmittēdum, personalem iniuriam, quæ clerico infertur, triplicem esse, prout quædam est percussio leuis, quæ licet mortale peccatum sit, habita tamen ratione aliarum grauiorū nec enormis, nec mediocris est, arbitrio Episcopi, vel Vicarij, vel Pœnitentiarij, seu alterius, cui absolutio cōmissa sit; qualis esse potest, pugni inflictio, vel alapæ percussio sine carnis sugillatione, etiamsi in publico loco hoc contingat, modo absit scandalum, quod nō semper ex publica, sed leui percussione oritur. Atque regulariter huius absolutio ad Episcopum, uel ab eo Delegatum spectat. *Mar. Ant. l.*3.*var.resol.resol.*11.*Marc. Ant.Gen. in praxi Cur. Neap.c.*98. *Lapus alleg.*76. *Card. cons.*42. *Riccius. l.c. Decis.*461.*& in* 2.*p.Cur.Neap.Decis.*194.*& Collect.*824. Alia est percussio enormis, quæ talis ex facti circumstantijs iudicatur, ut si quis iniuste clericū occidat, mutilet, aut membrum abscindat, aut ei notabile vulnus infligat, vnde multum sanguinis ex alia corporis parte quàm narium effundatur.

Tertia est mediocris, quæ inter leuem, & enormem medium locum tenet, qualis est illa, qua dens extrahitur, uel capillorum copia euellitur, aut sugillatio carnis relinquitur, seu multum sanguinis effunditur, idquè, vt dixi, arbitrio Episcopi, uel alterius dijudicandum committitur. In dubio autem iniuria mediocris censenda est potius, quàm leuis, iuxta Extrauagātem *Perlectis*, *Ioan.*22.*apud Nau. c.*27.*num.*91.*& Graff.l.c.num.*51. *Reginal.nu.*241. *Bonac.d.*2.*q.*4.*p.*5. *Riccium Decis.* 461. vt proinde harum duarum absolutio à S.Pontifice, uel à lega-

to

to à latere petenda sit, nisi res occulta, sit, uel adeundi Sedem Apostolicam impedimẽtum subsit, in quibus casibus Episcopo absoluere integrum est. Prælati uero regulares ex Priuilegio suos subditos à leui percussione absoluere possunt. Imo etiam à graui, & enormi, iuxta Pontificia indulta, id eis cõceditur, non obstante Decreto Congreg. Cardin. Incip. *Cum autem. Dubia*. Viuæ namque vocis oraculo declaratum fuit, mẽtem S. Pontificis non fuisse, tollere per illud priuilegia quò ad absolutiones regularium, sed tantum quò ad sæculares personas, ut per *Roder. tom. 1. qq. reg. q. 10. art. 9. & 10. Pereg. in Compend. Priuileg. cler. reg. in v. absolutio quò ad fratres. Molfesium. tract. 7. c. 21. num. 19.*

Vbi etiã pro praxi obseruãdũ est semel excõicatũ sẽper talem præsumi, ac propterea semper vitandũ esse, donec absolutus probetur, quod per vnum testem fide dignum probari potest. *Menoch. de præsumpt. præsumpt. 70. Mascard. v. absolutio. concl. 12. & v. excommunic. concl. 697. Ricc. collect. 1117. & in Decis. Cur. Neap. Decis. 113.* vbi resoluit, Sacerdotẽ qui ob grauem percussionem in alium sacerdotem inflictam obtenta absolutione, sed nondum in actis redacta celebrantem, non fieri irregularem.

I. Q. RESOLVTIO.

His sic tanquam fundamentis iactis, ad primã quæstionem dico, Innocentium, qui Iulium suum Parochum per collum apprehendens dixit, Nisi sacerdos esses, ego te egregie percuterem, & suffocarem, mortale peccatum, & excommunicationem contraxisse. Etenim cum animus inijciendi manus ita peruersus est, ut mortale peccatum constituat, ipsa externa iniectio etiamsi leuiter tantum clericus contingatur, sufficiens esse potest ad eum qui tali animo affectus fuit, huic excommunicationi subijciendum, si ea sic fiat ut secundum moralem existimationem satis sit ad grauem iniuriam, contra honorem, & reuerentiam tali personæ debitam inferendam. *Molina. tom. 4. disp. 50. & 60. Suarez. tom. 5. d. 22. sect. 1.* Idem dicendũ de plumbea glande in eum emissa, etiamsi vestes tantum corpori adhærentes læserit; & de veneno ei exhibito, & illi per alterum propinato, ex quò effectus non est secutus, cum venenum vi sua nil in corpore sit operatũ, sed vomitu illud ex corpore eiecerit; negari enim non potest, hoc fuisse iniectionem manus in clericum. vt per *Capeuillam de cas. reser. c. 6. q. 3. & Beiam p. 1. respõs. casu. 46. Arg. Sayr. l. 3. de cens. c. 20. num. 14. & 21. Bonac. d. 1. q. 4. puncto. 1. num. 12. & seq. Tab. in v. excomm. 5. num. 41. Graffius. d. l. 2. c. 49. nu. 17.* Idem *Reginal. num. 211.* Et dixi in *Comment. de cas. reser. p. 3. cap. 7. sect. 1.*

II. Q. RESOLVTIO.

Ad 2. dico, quod licet Innocentius maiori excõmunicatione ligatus, matrimonium iniẽs grauiter deliquerit, si quidem cum materia grauissima sit, excommunicatio hæc receptione sacramentorum sub mortali priuat; qui si lethali peccato, & maiori excommunicatione affectus, ante ab his absolutionem, coniugium contrahat, duplicem lethalem culpam admittit, alteram quidem quod peccato mortali infectus sacramentum recipiat: alterã quod excommunicatione innodatus ad illud accedat; licet inquam matrimonium sic contrahendo mortaliter peccet, ipsum tamen matrimonium firmum, ac validum est, tanquã contractus à iure gentium deriuans, & à solo partium consensu dependens. *c. significasti. ext. de eo, qui duxit in matr. quam poll. per adult.* ut ex communi sententia tradit *Sayr. l. 2. de cens. c. 9. num. 15. & Sanchez. l. 7. de matrimonio d. 9.* Dico etiam Doctoratus gradum illi excommunicato collatum, etiamsi illũ sic accipiendo peccauerit, ualidũ esse; matrimonij enim speciẽ quandam hæc actio habet, & ob eam rem annulus ei traditur, qui dignitate hac decoratur; matrimonium autem ab excommunicato contractum valere iam diximus; nam hic gradus neque iurisdictionem includit, neq; vllo speciali iure impeditur quò minus collatus valeat, quod maxime certum est de gradibus qui regia authoritate dantur, nam de dignitate Theologiæ, vel iuris canonici quæ Pontificia potestate cõferuntur, magis dubitari posset, quia magis spirituales videntur, nihilominus quia propriæ beneficia, aut ecclesiasticæ dignitates non sunt, & de his non est aliquod ius expressum, non est quod rigorosius rem hanc interpretemur. ut ait *Vgol. de cens. tab. 2. c. 18. §. 1. Suar. tom. 5. de cens. d. 16. sect. 2. num. 4. Gutier. de matrim. cap. 83.*

Porro eum, qui sciens se non esse idoneum, Doctoratus lauream, aut licentiari in Theologia, in iure, aut medicina petit, lethali scelere se obstringere veriori scribentium calculo receptum est. Sicut etiã in eadem nauigat naui, qui non aptum scienter admittit, tùm quia Doctoratus saltem largo modo est dignitas, & dignitates indignis conferri non debẽt, tùm etiam quod se ipsum, & alios ad opem in sua professione adeuntes, ingenti periculo exponit. D. *Ant. 2. p. tit. 5. c. 2. §. 2. Syl. Ang. & Tab. in v. Doctor* Sà ibi. *Menoch. de arbit. iud. l. 2. casu. 192.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. mihi dicendum videtur, quod cum hæ violatæ manus iniectiones leues percussiones censeantur, ab Episcopo, uel ab eo Deputatis absolui poterit, vt constat. ex *cap. peruenit. ext. de sent.*

sent. excommunicationis. Imo ex iure canonico varij casus habentur, in quibus pro absolutione ab excommunicatione in clerici percussorem lata, ad Sedem Apostolicam recurrendum non est, etiamsi illi reseruata sit. Qui casus his versibus continentur apud *Abb. in c. cum illorum. de sent. excom.* Et explicantur à *Sayra. l. c. lib. 3. c. 28. & à Reginal. lib. 1. in Append. cap. 19. sect. 1.*

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Deliciosus, inops, æger, senexque sodalis,
Ianitor, astrictus, dubius, causa, leuis ictus,
Debilis absolui sine summa sede merentur.

Et commune est huius moralis doctrinæ Scriptorū placitum, eum qui per iustum impedimentum Papam, uel alium ipsius priuilegio munitum adire nō potest, quantumuis possit ad eos pro absolutione mittere, ad id tamen non teneri, sed posse per suum Episcopum absolui, si quidem ius illum ad mittendum nō obligat, sed solum ad eundum, si possit, &c. Admonent tamen, si fieri potest, adeūdum esse Legatum à latere, qui à iure communi facultate absoluendi etiam ab enormi percussione pollet, siue excommunicatus de eā sit Prouincia, ad quam mittitur, seu extraneus aliunde veniens, &c. *Nau. c. 27. nu. 90. Henriq. l. 3. de pœnit. cap. 9. Vgol. de cens. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 13. & in Bulla Cœna Domini. cap. fin. §. 4. Sayr. d. c. 28. nu. 38. Rod. p. 1. c. 80. num. 18. Sà in v. absolutio ab excommunicatione. nu. 8. Alex. Pereg. de duello. q. 37. num. 9. Duard. in* Comment. *in Bulla Cœna. l. 3. §. 2. q. 8. num. 21. Graffius. l. 2 Decis. c. 49. num. 58. Aud.* Gambara. *de off. legati. lib. 8. fol. 263. Syl. in v. Delegatus. q. 12.* Reginal. *l. c. num. 26. Bonac. de cens. d. 1. q. 3. p. 2.*

IV. Q. RESOLVTIO.

DE eo vero, quod quarto loco quærebatur, an Iulius Parochus, & Andreas eius Parochianus, denuntiare teneantur Innocentium, qui data pecunia procurauit, ut Hortensia sortilega, & venefica mulier, ad sciendum equi sui furtum, illam superstitiosam diuinationem exerceret, quæ cum cribro, candela, & aqua benedicta fit, ad occulta aliqua scienda, etsi frustra, & delusorie actum sit, nec vllus effectus sit secutus) dico, eos ad illum denuntiandum teneri, cum enim crimina in damnum publicum vergunt, Confessarius ex officio sub mortali tenetur pœnitenti iniungere, ut illa peccata violatæ religionis Censoribus denuntiet, cuius modi sunt hæreses, & de ea vehementer suspecti, Apostasia à fide, rebellio à proprio Principe, proditio ciuitatis, malefici, professores artium magicarum, sortilegia exercentes, siue illa hæreticalia sint, siue non; quia Inquisitores in suis edictis indistincte huiusmodi crimina sibi denuntiari præcipiunt; quando quidem omnia sortilegia ex quadam pestifera societate improborum hominum, ac Dæmonum fiunt, quasi pactis infidelis, ac dolosæ amicitiæ constitutis, qui vani sunt, ac fallaces, illicitæ ac superstitiosæ rei dant operam, ac ipsorum Dæmonum astutia falluntur, ac fallunt, ut ait *Simancas in Institut. tit. 62. & Megalus. p. 1. Instit. confess. l. 1. c. 5. nu. 10.* Mart. *Delrius. in Disq. mag. lib. 10. sect. 4. nu. 9. & alii communiter.*

Quod multo magis procedit in hac diuinationis specie, quæ fit cum candela, & aqua benedicta, ad sciendum furtum, uel aliqua occulta; uel ubi uerba sacra admiscentur, ut Euāgelium, symbolum fidei, oratio Dominica, uel Angelica salutatio, seu aliquis psalmus Dauidicus, aut etiā verba sacræ scripturæ; communis enim est sententia, hæresim manifestam sapere, & ad Inquisitores eius cognitionem spectare. *Pegna. in 2. p. ad Direct. Inq. Comment. 67. & Graff. l. 2. Decis. cap. 5. nu. 13.* Quæ supra firmata resolutio procedit, etiamsi hæretici, uel de hæresi ualde suspecti occulti sint, & eorum delicta probari non possint, sic enim seruatur in sacro Inquisitionis officio, in quo denuntiatores zelo fidei, & timore excommunicationis pro exoneratione conscientiæ non accusant, nec onus probandi assumunt, sed deponunt, ac denuntiant, & Iudex ex officio procedit, & super alia adminicula vigilat; potest enim esse, quod contra prædictas personas aliæ adsint denuntiationes, ex quibus facile ad torturam, & ad alia iuris remedia deueniri possit. ut ait *Marc. Ant. Gen. in praxi Cur. Neap. c. 23. nu. 5. Farinac. de hæres. q. 185. num. 72. & q. 97. nu. 36. Molfes. tract. 7. c. 24. nu. 20.* Non sunt tamen denuntiandæ illæ personæ, siue mulieres, quæ potius ex simplicitate, quàm ex malitia sortilegia, ac maleficia cōficiunt, quamuis hæresim, uel apostasiam saperent, sed prius sunt monendæ, ut ab huiusmodi superstitionibus abstineant, &c. Nec etiam quando per illam denuntiationem quis se ipsum proderet, nisi esset hæreticus falsa dogmata seminans, tunc enim etiam cum vitæ propriæ periculo illum deferre tenetur. ut ibi per citatos DD. sicquè intelligi debet quod ait *Nau. cons. 5. de hæret. & Farinac. de hæres. d. quæst. 97. num. 35.*

Nec qui hæc crimina paterna prouidentia denūtiāt, timere debeant, ne hac de causa maleuoli dicantur, non enim maleuolus dicitur; qui bono zelo alterius crimen indicat. ait D. *August. cap. 1. 5. quæst. 5.* Nam nō mediocre præmium ab ipsius Dei munifica manu consequetur; sicut è contra hoc pium officium omittendo, eius ultricem manum experietur, si quidem vel teste *Horatio. lib. 1. carm. Ode 3.*

Huc omne principium, huc omne refer exitum,
Dij multa neglecti dederunt
Hesperia mala luctuosa.

Vide supra *tract. 7. cap. 6. quæst. 27.* Atque hinc colligi potest quomodo quo ad hanc partem in actu practico

practico se gerere debeat Cōfessarius. Hoc vno addito, quod & Innocētio poenitenti diceoti, etiamsi complex sit delicti, velle iuri suo renuntiando, Hortensiam sortilegam ad S. Officium deferre, credendum esset, cū poenitenti pro se, & contra se fides adhibenda sit, & sic absolutionis beneficium dari posset, cum à casu reseruato superstitionis sit immunis, qui non de cooperante, sed de diuinationem, & superstitionem ipsam faciente loquitur.

CONFESSARII Partes.

QVò ad praxim absoluendi, Confessarius ipse si authoritatem Innocentium ab his censuris liberandi obtinuerit, delicti grauitatem insinuare debebit, nam præterquam quod Saluatorem nostrum crucifigere dicuntur, qui vim, & iniuriam clericis inferre præsumunt. *cap. nulli. 3. q.* 1. iure ciuili capitali pena plectēdi sunt. *cap. Deus eadem quæst.* 1. *Baldus, & Salycet. in l. si quis in hoc genus. C. de Episc. & cler. Io. Bapt. Lentius in obser. Polit. cap.* 158. Idque eo magis quod proprio Parocho, Pastori, patri, & magistro iniuria infertur, cui reuerentiam, beneuolentiam, honorem, & subsidium debet, ut tradidimus *in Comment. de hum. vita stat. p.* 1. *cap.* 15. Et licet aliquando nonnulli Sacerdotes mali sint, non propter hoc tamen contemnendi, vel abijciendi sunt, imo colendi, ob hoc, quod sacris præsint, iuxta illud. *Non tibi, sed religioni.* Vult namque Dominus famulos suos, & ministros, ab alijs non tangi, vel offendi, quamuis Interdum vitijs implicati sint, &c. A' sacris quippe abstinendæ manus, cum vulgo creditum sit, fatum, vel infortunium ei instare, qui sacris rebus, aut Deo dicatis hominibus manus iniecerit, etiamsi parum pijs morib. fuerint vate regio sic etiam attestante. *Psal.* 104. Nolite tangere Christos meos, &c. Et experientia magistra semper patuit, ecclesiasticorum hominum violatores, grauissimas, Deo exigente, pœnas dedisse. Sic Saracenus quidam qui anachoretam occidit, à volucre superne veniēte in sublime raptus, & inde ad terram præcipitatus interijt. Alter terra absortus quod alium Antonium nomine educto gladio impeteret. vt apud *Eniratum in Prato Spir. cap.* 21. Etsi adeo graue facinus etiam Idolorum Sacerdotum violatio Ethnicis visum sit, vt id haud contingere posse vix crediderint, de suis enim dixit in Rud. Plautus

Quis est homo tanta confidentia, qui Sacerdotem violare audeat?

Sortia lib. 2. *demissa c.* 10. *Et Io. Bap. Lētius in obser. Pol. c.* 158. obseruat cum Sacerdoribus, & sacraris Deo contendere, infelix semper à prudentiorib. habitum, ac valde alienum esse ab officio eorum, qui vetam nobilitatem, & ciuilem modestiam profitentur, eos conuicijs proscindere, aut iniuria afficere. Cum autem iste Innocentius nocentissimus fuerit, & enorme sacrilegium perpetrauerit, pro criminis grauitate competens præcedere debet satisfactio. Et communi praxi seruatur, sactilegos clericorum percussores, nisi satisfacta parte non absolui; quando quidem in absoluendo ab excommunicatione iuris forma seruanda est, quæ in hoc potissimū consistit, vt Primo iuret de huiusmodi crimine in posterum non pattando, & de parendo mādatis ecclesiæ. Secundo vt læsæ parti satisfaciat, quod eatenus verum est, vt etiam in foro interiori procedat, & ut alii qui volunt, Confessarius lethali culpa animam pro priam fauciet, nisi erga eum, quem læsit, quod debet præstiterit, petendo veniam, &c. Quod si per ipsum offendentem non stet, quominus hoc impleat, censeri debet, ac si satisfecisset, si quidem ex canonica regula, Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum. *cap. imputari. de reg. iur. in* 6. *Graff. consil.* 1. *diff.* 3. *de sent. excommun. tom.* 2. *Riccius in Decis. Cur. Neap. p.* 1. *Decis.* 86. *Gennens. in praxi Neap. cap.* 39.

Porro cum percutiens clericum in duas pœnas incidat, videlicet in excommunicationem, & in pœnā ordinariam, delicto quod committitur impositā, ideo licet Papa, vel Episcopus pro iniuriæ qualitate excommunicatum à sacrilegio absoluat, nihilominus à Iudice seculari de excessu, & delicto perpetrato puniri poterit, quia absolutio in foro poli ad temporalem pœnam effugiendam non prodest. Sicut etiam in foro ecclesiastico absolutus, in seculari etiam iudicio conueniri potest. vt ex communi tradit *Carol. Graffus de effect. cler. effectu.* 9. *nu.* 150. vbi etiam *nu.* 317. ex communi placito infert, quod etsi violentas manus in clericum inferens sit statim, ac ipso iure excommunicatus, denuntiatio tamen ad hoc requiritur, ut tanquam excommunicatus ab alijs euitetur, nisi manus iniectio sit satis notoria.

Vnde antequam ipse Confessarius ab his excommunicationib. absoluat, Primo, vt dixi, Innocentio excommunicato præcipere debet, ut Iulio Parocho Iniuriam passo satisfaciat, quò ad manifestas iniurias petendo veniam, iuxta *cap. porro. cap parochianos cum similibus. ext. de sent. excommunicationis.* Si tamen Parochus (quod credendum non est) pacificationem renuat, pœnitenti, qui fecit quod in se fuit, ut eius gratiam sibi recōciliaret, absolutio deneganda non erit. Secundo ab eodem iuramentum exiget, ad huiusmodi delictum amplius non committēdum. Verum quò ad pueros est in Superioris arbitrio an ob periurij periculum sit deferendum iuramentum. Nec desunt asserentes iuramentum à quocunque clerici percussore exigendum non esse, sed in atrocioribus tantum criminibus, vt excōmunicatis

nicatis

nicatis, falsarijs, incendiarijs, & in Bulla Cœnæ Domini comprehensis. Et ad terrorem incutiendum si ei expedire videbitur, humeros virgula, recitato aliquo psalmo pœnitentiali, percutiet. *cap. à nobis el 2. ext. de sent. excommunicationis. Henriq. de excõmun. c. 29. num. 4. Auila de censf. p. 2. c. 7. disp. 3. Emanuel Sà in v. absolutio ab excõmunicatione num. 20. Graff. sint. p. 2. consf. 1. diff. 3. de sent. excõmunicationis. Naldus in v. absolutio à censuris. nu. 15. vide supra tract. 5. cap. 6. quæst. 39.* Et communior videtur opinio quidquid sit de peccato, validã esse absolutionẽ ab habente potestatem impensam contra statuti, aut canonis formã v. g. sine iuramento, aut satisfactione requisitis; prohibet enim solum, sed non factum irritat.

Tertio ipsum pœnitentem admonebit, absolutionem solum in foro interiori, seu conscientiæ impendi, saluo iure de illo delicto in contentioso iudicio cognoscendi, atque de eo pœnam, & satisfactionem iniungendi, nihilominus noua absolutione nõ indigere, ut cum cæteris cõicare, & versari queat; aut actus per censuram vetitos exercere, nam reuera absolutus fuit, & per consequens tanquam absolutum se gerere potest, modo alijs ipsum absolutum fuisse constet, ita ut scandali periculum non immineat. Hoc autem etiã in iudicio innotescere potest per attestationem Confessarij asserentis, de pœnitentis assensu, absolutionis beneficium impendisse; quod quidẽ per scripturam, & schedulam, vtilius, & cautius præstare poterit. *Vgol. de censf. tab. 1. c. 24. Bonac. d. 1. q. 3. pun. vlt. Mascardus de probat. tom. 1. concl. 12. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 7.*

Cap. V.

QVAESTIO V.

An qui manum ensi apposuit, dicẽs, si non esses clericus te ad singulare certamen inuitarem, incidat in excommunicationem. Num mandans aliquem clericum perenti, si mandatarius ad tempus operaturũ venenum præbeat, censuram aliquam contrahat. Et an recipiens pecuniam pro maleficio commisso, eam restituere teneatur. Et vtrum mandans aliquem percuti, si mandatarius eum occidat, damna secuta restituere teneatur?

AD aures Matthiæ peruenit, Cornelium clericum in sacris constitutum, de se maginatum esse vnde vna cum socijs illum adiuit, dicens, eum mentitum si de se dixisset, quod sibi relatum fuerat, & manum ensi apposuit, hæc etiam addens verba, si non esses clericus, te ad singulare certamen inuitarem; at cum ipse Cornelius negasset de eo vnquam locutum fuisse, Matthias tunc acquieuit. Sed cum ab vrbe absens altera vice eum obtrectasse, & de fama sua detraxisse audiuisset, vindicandę sibi illatæ iniuriæ desiderio, 30. aureos Michaeli obtulit, vt eũ mutilaret, sed nequaquam interficeret. Is accepta pecunia, ad eum sub amicitiæ specie accessit, & paucis transactis diebus, scribit se venenum mortem ad duos, uel tres menses allaturum, dicto clerico propinasse. Quæritur Primo, an Matthias vna cum socijs in excommunicationem contra duellum committentes latam inciderit, & à quo nam absolui possit. Secundo an etiã censuram vna cum Michaele contraxerit, quæ habetur in *cap. si quis suadente Diabolo. 17. quæst. 4.* Tertio an si Matthias clericalem statũ assumere velit, aliquod canonicum obstet impedimentum. Quarto vtrum cum Cornelius tandem ueneno sit extinctus, & in foro externo ad secularem Iudicem res sit delata, & Matthias ob id in quoddã religiosorum monasterium, ut ad asylum institiæ, manus effugiens se receperit, à Curiæ laicæ satellitibus capi potuerit; an Michael qui fugam arripuit acceptam pecuniam restituere, & cui teneatur? Ac quis nam damni illati familiæ Cornelij restitutioni sit obnoxius? Et quid in hac specie facti consulere debeat Confessarius?

RESPONSIO ad quæstiones.

CVm quæ hic pro præuijs inspectionibus afferri possent, alibi pro subiecta materia à nobis sint adducta, ad casus, & annexarum quæstionum resolutionem protinus deueniendum esse duximus.

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q. dico Matthiam male, & imprudenter egisse, cum delatoribus, & susurronibus tàm facile contra amicitiæ leges fidem adhibuit. Haud facile, & temere Delatoribus credas, dicebat Ammianus, cum immatura credulitas mater sit erroris, nouerca consilij. Et *Seneca lib. 2. de ira. cap. 22.* Ne sint, ait, aures criminantibus faciles, hoc humanæ naturæ vitium, suspectum notumquè nobis sit quod quæ inuiti audimus, libenter credimus, & antequã iudicemus, irascimur. *gloss. in l. Titio fundus. ff. de condit. & demonstrat. cap. si quid ergo dist. 86.* Vt propterea sapiens *Eccles. cap. 15.* admonuerit, Qui cito credit, leuis est corde, & Q. Cicero de *petitione consulatus.* Illud teneto, neruos atq; artus esse sapiẽtiæ non temere credere, nisi improbus, & corde leuis quis esse velit, nam vt Menãder etiam protulit,

Qui calumnijs cito credit,
Aut ipse improbis est moribus,
Aut omnino puerile ingenium habet.

Vt boni Christicolæ munus erat, oblatas criminationes

tiones statim repellere debebat, & potius Platonē imitari, qui cum ei à quodam diceretur, Xenocratē eum verbis insectari, primo se credere id verum esse negauit, & cum ille instaret, iura rerquè, adiecit se existimare Xenocratem illa non dixisse, nisi expediuisset. Aut certe Epicteti consilium eum amplecti par erat, quod tale est: Si quis deferat, ille de re male dixit, responde, Ignorat ille & alia, quæ mihi adsunt mala, alioqui non hæc sola diceret. *Carbon. de concord. frat. cap.* 12.

Nihilominus probabilius mihi videtur, ipsum Matthiam in excommunicationem, & pœnas cōtra duellum committentes; uel ad illud prouocantes non incidisse, tùm quia ex illis uerbis: Nisi esses clericus, te ad singulare certamen inuitarem, non apparet, eum ad illud prouocasse, si quidem protestatio quæ nil aliud est, quam mentis declaratio ex *Craueta cons.* 120. nil ponit in esse, & operatur ut dubij actus consequentes secundum illam intelligantur, iuxta omnes in *c. cum M. ext. de constitut.* tùm quia Cornelius Deo sacratus à pugna, rixa, & duello omnino alienus præsumitur, Arma enim clericorum sunt lachrymæ, & orationes, & clericalis dignitas, & sacrosancti ordinis character profanas manus, & impios actus execratur. *c.* 1. *ext. de cler. pugn. in duello. Roland. à Valle. vol.* 1. *cons.* 4. *num.* 22. *Bald. lib.* 5. *cons.* 432. *Lopez in Scholiis ad praxim cùm Diaz. c.* 101. Nec (quicquid dicat *Pellegrinus de duello. qu.* 26.) illa appositio manus ad ensem est tacita prouocatio ad duellum, nec denotat se velle cum armis sustinere, & probare, Cornelium mentitum fuisse, quod prohibitum est per Clementis Octaui Constitutionem, Incip. *Recte quidem.* cum eiusdem Matthiæ animus mens, & intentio verbis probetur, & cognoscatur, sicut facies in speculo. *Mascard. de probat. vol.* 1. *concl.* 41. *num.* 14. *Tusch v. animus. concl.* 336. Tùm etiam tertio quod cuiuslis legis, & Constitutionis verba cum effectu intrinseco, & extrinseco intelligenda sunt. ut per *Bald. in l. Balsatoram. C. de fideiuss. Nau. cons.* 19. *tit. de sent. excommunicat. Feder. de Senis. cōs.* 10. & eūdē *Tusch. v. verba. cōcl.* 90. *Suarez. tom.* 1. *de relig. l.* 4. *de simonia. cap.* 55. *nu.* 14. *& de cens. disp.* 44. *sect.* 2. *num.* 2. Et quamuis ad incurrendas illius constitutionis pœnas, non requiratur delictum esse consumatum, sed prouocatio ad duellum sufficiat, exigitur tamen ut ipsa inuitatio simpliciter, & de præsenti, non sub conditione, expresse, vel tacite fiat, idque deliberate ex condicto, tempore, & loco determinato. *Floren. de duello. cap.* 6. §. 1. *Sanchez. l.* 2. *de praecept. c.* 39. *num.* 28. *Filliuc. tract.* 15. *cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 112. *Pereg. l. c. quæst.* 18. *Bonac. de cens. disp.* 2 *quæst.* 6 *puncto* 2.

Et cum supponamus eum ab excommunicatione immunem esse, sequitur absolutionis beneficio quo ad eam tollendam opus non esse, quod si reuera in eam censuram incidisset, pro ipsa absolutione ad Apostolicam Sedem recurrendum esset: si tamen casus occultus foret, Episcopi ex facultate sibi per *Concil. Tridentinum* concessa *sess.* 24. *de reform. cap.* 26. absoluere possent; Imo etiamsi casus esset publicus, & manifestus, sed propter iustum impedimentum excommunicatus summum Pōtificem adire nequiret, ut per eundem *Pereg. quæst.* 37. *& seq.* & per à nobis tradita *tract.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 31. *& seq.* & alibi sæpe.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. qua quærebatur, an Matthias mandās Michaeli, ut Cornelium clericum percuteret, uel mutilaret, non tamen occideret, si mandati fines excedens, ei venenum ad tempus operaturum exhibuerit, vna cum ipso Michaele in censuram cōtra violentas manus in clericum inferentes latam inciderit.

I. ASSERTIO.

DIco Primo tàm mandantem, quàm mandatarium graue sacrilegij crimen admisisse, cū personæ sacræ insignis iniuria sit illata, ex DD. in *c. si quis suadente Diabolo.* 17. *quæst.* 40. Sed iniquiori scelere Michaelem mandatarium se contaminasse; certum est enim veneno necare, quocunque alio homicidij genere grauius esse, si quidem insidiæ, & proditio ibi interuenire conspiciuntur. *lib.* 1. *C. de malef. & mathem. gloss. & DD. in* §. *eadem, instit. de publ. iud.* Cum uenena ut plurimum clam, & occulte propinētur, ac proinde difficilius euitari possint. *Menoch. cons.* 180. *num.* 10. & ideo testatur Galenus *de theriaca ad Pisonem*, nil difficilius, quam venenum euitari posse. Vnde etiam venenum dicitur, quod elāculum, & insidiose intra venas eat, & ideo Poetæ etiam venenum pro amore accipiunt. iuxta illud Virgilianum,

Vulnus alit venis, & caeco carpitur igni,
Occultum inspirans ignem, fallitquè veneno.

Et sane homini inter tot pericula nato, ac constituto, satis esse deberet, mortem singulis horis formidare, absque eo quod in ipso cibo, & potu, sine quibus viuere impossibile est, mortis timor misceatur, & quod ad vitam à Deo paratum est, ad necem ab homine traducatur. Homicidas, ait Philo Iudæus, *De Spec. leg. cōtra mœchos, & homic.* Eosquè qui palam aggrediuntur, videre, ac vitare licet, at occultæ insidiæ, & venena, quæ inter mensas, inter amicos, ac sodales præbentur, vix caueri possunt. Nullū sine auctoramento (inquit *Seneca epist.* 69.) malum est, auaritia pecuniam promittit, luxuria multas, ac varias voluptates, ambitio purpuram, & plausum,

& ex

& ex hoc potentiam, mercede te vitia sollicitant; veneficus autem, teste eodem Philone, non voluptate vlla incitatur, sed animo malefico, & praua voluntate, ad tantum scelus accingitur; vt propterea etiam cum quis ad proximum actũ accessit, ut quia venenum propinauit, sed eo affectus adhibitis medicamentis mortem effugit, in foro externo, ordinaria homicidij pœna sit plectendus: quandoquidẽ cum voluntas ad illum deuenit actum, tunc eadem est ausi, quæ & commissi criminis pęna, nam & Seruius in eum Virgilii locum,

Ausi omnes immane nefas, ausoquè potiti,

notat iure Romano non modo effectum puniri, sed & voluntatem quę aliquid attentauit. Cui concinit illud *Senecæ lib. 4. Declam. 7.* Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit, sæpe honorata virtus est, etiã vbi eam fefellit exitus, scelera quoq; quamuis citra exitum subsederint, puniuntur. *Decian. in tract. cri n. tract. 2. cap. 21. Tusch. veneficus, concl. 69. Annęus Robertus. lib. 1. rerum iud c. 6. Lopez in schol. ad Diax. cap. 96. Menoch. lib. 2. de arbit. iud. cent. 4. casu, 360. nu. 21. Farinac. in praxi crim. tom. 2. quæst. 122.*

II. ASSERTIO.

Secundo dico, Matthiam mandantem, & Michaelem mandatarium, in excommunicationẽ incidisse, quæ habetur in *cap. si quis suadente Diabolo. 17. q. 4.* tunc maxime cum venenum in Cornelii corpore agere cępit, nam huiusmodi actio ita est violenta ut compositum sensim dissoluat, licet non nisi post aliquod translactum tempus, mortem afferat; si quidem aliquando præsentaneum venenum præberi solet, quod cito interimit; quod Suetonius in Nerone velocissimum appellat, quo nomine venenũ hoc à Plinio laudatur, quĩ cita mors inde eueniat, teste etiam *Tholos. in syntag. in lib. 36. cap. 18. nu. 15.* Interdum non præsentaneum, sed, ut Doctores loquuntur, moratorium venenum propinatur, eo quod necẽ in plures dies producat: prout fuit illud, quod Attilius Regulus in Senatu dixit à Carthaginensibus eo consilio sibi exhibitum, ut tãtisper uiueret, donec Captiuorum permutatio fieret, quam summe ipsi Carthaginenses optabant, post autem grassante leniter veneno contabesceret, ut refert *Gellius. lib. 6. Noct. Att. cap. 4. & Decian. l. c. cap. 22. num. 12.*

Et quidem quò ad Matthiam quod excommunicationem non effugerit, probatur, quia in *d. cap. si quis*, per manus violentas quæcunque vis siue iniuria clerico illata intelligitur, siue mediate, siue immediate operetur, iuxta *gloss. & DD. ibidem.* Sed Matthias saltem mediate egit, ut uenenũ illud Cornelio clerico preberetur, pecunias offerendo, ut ille deformaretur, proinde d. cendum est homicidium illud esse illi imputãdum. Nec excusari posse quod numquam talis veneni potationem intenderit, imo expresse cauerit, ut nequaquam interficeret; ideo non esse ei ascribendum, venenum eius consilio paratum fuisse, nec ob id excommunicationi subiacere: si quidem præcogitare tenebatur, quodlibet malum ex iussione illa succedere posse, & illum, cui de vendicanda sibi illata iniuria pecunias dedit, mendatum exequi debere eo modo, quo sine sui periculo id exequi posset; & sicut praua inficiebatur conscientia in sumendis pro malo opere perpetrando nummis; ita nullam habiturum in clerico ipso interimendo, quando aliud efficere nequiret. atg. *c. fin. de homicidio. & Abb. in cap. ex literis. ext. de excess. Prælat. Sayrus de cens. & irreg. lib. 7. cap. 2. num. 8.* Atque ita hæc resolutio colligitur ex *Beia in respõs. cas. consc. casu 46. Molina. tract. 3. disp. 54. Suarez. tom. 5 disp. 5. sect. 1. num. 15. Filliuc. tract. 11. cap. 5. quæst. 3. nu. 126. & tract. 15. cap. 1. quæst. 5. num. 20. Bonac. de cens. disp. 2. quæst. 4. puncto 1. nu. 13.* contra *Auilam. 2. par. cap. 5. disp. 3. dub. 12. & alios.*

Argumenta porro, & signa aliquem veneno interiisse in foro externo probantia, sunt praua, ac sæua symptomata, vomitus, stomachi dolor, oculorũ reuolutio, ventriculi cortosio, & exulceratio, & huiusmodi, quæ peritorum medicorum arbitrio iudicanda relinquuntur, ut tradit *Clarus in praxi crim. quæst. 4. in fine. Bursatus. lib. 2. cons. 166. num. 5. Menochius. lib. 5. cons. 480.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. q. quę petebatur an si Matthias in clericorum album ascribi velit, canonicum aliqđ impedimentum obstet, dicimus, non quidem ianuã ei claudere excõmunicationem, vel infamiam, quæ ipso iure contra ad duellum se prouocantes à Clemente Octauo infliguntur, cum, ut supra vidimus, supponamus eum ad illud Cornelium non prouocasse, & per consequens in illas pęnas non incidisse, sed illam d. finitionem illi obsistere, & aduersari, quæ habetur in *d. cap. fin de homicidio. in 6.* Illum. s. qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne ullatenus occidatur, vel mẽbro aliquo mutiletur, irregularem effici, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, uel occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse cogitare debuerit, hæc ibi, & notat *Sayrus. l. c. Vgol. de irreg. c. 18. §. 2. num. 13. Suarez. tom. 5. disp. 45. sect. 2. num. 3. & alii communiter*, & alibi etiam tradidimus.

Neque dubium est, hanc irregularitatem, vel canonicum impedimentum (quod à solo Papa tolli potest) in foro animæ statim, ac Cornelius veneno extinctus est incursam esse, etiamsi delictum ex quo

orta

orta eſſet, omnino occultum foret; Quatuor enim generales traduntur regulæ, & præceptiones ad cognoſcendum quando pœnæ quæ à lege ipſo facto imponuntur, in interno foro, & iudicio, delinquentē ante Iudicis ſententiam ligent.

I. PRAECEPTIO.

QVarum prima eſt, quod quando pœna circa temporalia bona verſatur, quæ ipſius ſontis ſunt, quamuis lex illam ipſo iure, uel ipſo facto infligat, in animæ iudicio, etiamſi lex dicat abſque vlla declaratione, ante Iudicis executionem non debetur, vt eſt communis tàm Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia, vt diximus *tract. 5. cap. 8. quæſt. 55.* & docet etiam *Molina, tract. 1. de iuſt. & iur. diſp. 95.* vbi etiam *diſp. 97. & Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 37.* hanc regulam ad conuentionalem pęnam extendunt, ut ſ. non debeatur, quouſque à creditore petatur.

II. PRAECEPTIO.

SEcunda regula eſt, quod quando lex ſtatuit, ut ipſo iure, vel ipſo facto quis ſit officio, uel beneficio priuatus, neceſſaria ſit Iudicis ſententia, ad hoc vt delinquens dictum beneficium, vel officium relinquere teneatur, ut per *Sotum. lib. 1. de iuſt. & iur. quæſt. 6. ar. 6. & Mol. d. diſp. 96. & alios.* Imo etiamſi Legiſlator addat, abſque alia declaratione, adhuc ex multorum placito, uſu & praxi confirmato, quis ad abdicandum ſe ab officio, uel beneficio in conſcientia non tenetur, niſi ipſius Iudicis ſententia interueniat; conſuetudo enim optima legū interpres, ita docere videtur, & nullum videas, etiam iuſtum, & prudentem, non condemnatum, pęnam luere. *Zerula in praxi Epiſcopali in v. Priuatio ad Sextū, Carbo. lib. 8. de legibus. Diſp. 9. Poſſeu. de officio Curati. cap. 15. num. 29.* contra *Bonac. & alios ab eo relator. de legibus. Diſp. 1. quæſt. 1. puncto 7. num. 15. & Filliuc. tract. 21. cap. vlt. num. 424.*

III. PRAECEPTIO.

TErtia regula eſt, quò ad pęnas, quæ nullum Iudicis actum ad illas exequendas requirūt, vt ſunt pęnæ infamiæ, priuationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitatis, priuationis vocis in collegio, & cætera huiuſmodi, de quibus certa regula conſtitui non poteſt, ſed circumſtantiæ, quæ illis adhærēt, conſiderandæ ſunt. Nemo tamen ſtatim obligatus eſt officium, & voces illas, vt dicunt, actiuas, & paſſiuas renuntiare, quando per hoc delictum ſuū manifeſtari poſſet, ac eius fama periclitari, ſed omni ſolicitudine, & dextra, ſecretaque uia, diſpenſationē procurare tenetur, alioqui à culpa non excuſabitur. *Sayrus. lib. 3. clauis reg. cap. 10. num. 35. Molfeſ. tr. 9. cap. 9. num. 35.*

IV. PRAECEPTIO.

QVarta præceptio, vel regula in ſpiritualibus pęnis conſiſtit, de quibus concors eſt moralium ſcriptorum ſenſus, quando lex excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis ipſo iure, uel facto imponit, confeſtim admiſſo crimine, in conſcientię foro abſque alia declaratione, & Iudicis miniſterio, etiam in delictis occultis incurri, ut eſt praxis, & communis eccleſiæ vſus. *Nau. c. 23. num. 67. D. Thomas.* vbi *Caiet. Arrag. Salon. & alii, in 22. q. 62. art. 3. Mol. d. diſp. 90. Pereg. de duello. quæſt. 7. nu. 14. & alii communiter ſcribentes.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. dum quærebatur, an Matthias qui ob Cornelium veneno extinctum, & poſt ad Iudicem ſecularem rem delatam, ad cuiuſdam monaſterij eccleſiam cōfugit, in ea à ſatellitibus laici Magiſtratus capi potuerit, dico quod cum ille qui veneno aliquem de medio ſuſtulit, proditoriè occidiſſe dicatur, hinc ſequi eum in eccleſia tutum eſſe non poſſe; ac proinde è cōtra ipſi Matthiæ eccleſiaſticam immunitatem ſuffragari, cum ſupponamus eum Cornelium non intercemiſſe, nec ut ullo modo veneno, vel alio medio inſtrumēto interimere ī, iuſſiſſe. *Decian in tract. crim. lib. 6. cap. 23. num 4. Farinac. tom. 2. de homicidio. quæſt. 122. Peregrinus de immunit. eccleſ. cap. 7.* vbi de communi teſtantur. Quinimo etiamſi occiſionē quocunque modo mandaſſet, multorum eſt ſententia, ipſa eccleſiaſtica immunitate non priuari; nam ſicut cenſura in aliquid facientes lata, mandantes uel conſulētes non ligat, niſi in cenſuræ ſentētia exprimatur: ita pęna priuationis eccleſiaſticæ immunitatis contra homicidas, vel membrorum mutilatores inflicta, eos qui mandarunt, uel conſuluerunt, non afficit. *Ambroſ. de immunit. cap. 5. num. 19. Decian. in tract. criminal. lib. 6. cap. 28. num. 7. Bonac. de legibus. diſp. 3. quæſt. 7. §. 4. num. 11.* Si autem re ipſa in eandem cenſuram (quod non eſt) incidiſſet, multorum & fere communior eſt opinio, ab Epiſcopo tolli poſſe. *Genuenſ. in praxi Neap. cap. 22.* idem *Bonac. de legibus. diſp. 3. quæſt. 7. §. 6. n. 8. & nonnulli alii.* At *Marius Italia. lib. 1. de immunit. eccleſ. l. c. §. 2. Filliuc. tract. 15. cap. 6. quæſt. 8. num. 155. & Pereg. de immunit. c. 15. num. 10. & Mar. Anton. lib. 3. var. reſolut. reſol. 15.* tenent eſſe Papæ reſeruatam, & ex vſu à Romana Sede abſolutionem peti ſolere.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5.q. respondendo dico, Michaelem 30. aureos pro Cornelio percutiendo, vel feriendo acceptos tuta conscientia retinere posse, nec ad restituendum teneri, cum ratione laboris, periculi, & pacti onerosi, seclusa delicti complacentia, eos accepisse, & retinere dicatur: si quidem omissis opinionibus, quibus Scribentes inter se digladiantur, hæc generalis regula, & præceptio, ex qua multorū particularium casuum resolutio dependet, in praxi tenenda videtur. Si quid siue contra iustitiam, vel cōtra charitatem, aliamuè virtutem pro quouis delicto receptum est, non est de præcepto restituendū, nisi forte pro aliquo peculiari casu lex aliqua detur, quæ accipientem inhabilem ad rei acceptæ dominium acquirendum efficiat: quia cum nulla sit humana lex, quæ generaliter eos inhabiles reddat, qui pro quouis crimine aliquid recipiunt, in hac parte naturali iuri standum erit, quo quidem spectato, cum dominus pro sua libertate rei suæ dominium in alium transferre potuerit, qui ut transferretur, deliquit, consequens est, illum in quem transfusum est, ad restitutionem non teneri. *Reginal. lib. 10. num. 185. & multi alij, apud PetiNau. l. 4. de restitut. cap. 2. num. 132.*

Et sanè ut acquisita, seu accepta restitutioni obnoxia nō sint, sed licite retineantur, quatuor requirūtur.

Primo ut id quod datur, sit eius qui dat, & alienare possit; cuius defectu à latrone, monacho, & à pupillo acceptum, &c. retineri nequit.

Secundo ut id quod venditur, sit pretio æstimabile, quod certe deest, cum tempus, & usus pecuniæ venditur: hæc enim omnium consensu nec pretium habent, nec p retio æstimari ualent, ex quo illud cōmune axioma prodit, Pecunia pecuniam parere nō potest.

Tertio ut gratis non debeatur, ut sacramentorū, beneficiorum, uel cuiuscunque rei spiritualis collatio, de quibus à Domino dicitur, Gratis accepistis, gratis date. *Matth. cap. 10.*

Quarto ut acceptio uel datio, lege prohibita non sit, si quidem iuxta *l. generaliter. ff. de verb. obligat.* Generaliter nouimus turpes stipulationes nullius esse momenti. Quæ lex, uel in foro externo intelligenda est, uel si in interno etiam iudicio, & consciētiæ foro, locum etiam habere fatendum est, de promissione ante delictum patrandum interpretanda est, ille enim cui pro committendo aliquo crimine aliquid promissum est, ante factum aliquid retinere non potest, sed acceptū restituere tenetur, tùm quia à peccato ille se cohibere debet, ad quod committendum pecunia tanquam medium ad malum finē inducens assumitur: tùm quia sicut promittens spōdere, uel tradere nequit, ita nec alter accipere, uel retinere potest. Post factum vero, & illicito opere patrato, de quo patrando contractus initus erat, promittens pretium soluere tenetur, & accipiens ratione, ut dixi, laboris, periculi, & pacti onerosi, ad restituendum non obligatur, ut ex communi tradit *Bonac. de cont. & restit. disp. 1. quæst. 3. puncto 3. & Barthol. à S. Fausto de cont. pariter, & restitut. disp. 27. quæst. 19. & alij.*

VI. Q. RESOLVTIO.

QVò vero ad illam partem, quæ restitutionem ex capite damni Cornelij hæredibus illati respicit dicendū est, Matthiam tanquā causam principalem, & efficacem, & ut homicidam ad omnia damna resarcienda teneri, quæ eiusdem occisi domus, boni viri arbitrio passa est; nam sicut de irregularitate diximus, reus est homicidij, qui actiones mandauit, quæ mortem fatale inferre poterant. *Bonac. de irregular. cap. 7. quæst. 4. puncto 7. num. 17.* Ar in subsidium, nempe eodem Matthia mandante non soluente, insolidum Michaelem mādatarium, ut secundariā, prout dicūt, causam huius obligationis onus subire explorati iuris est. *Sayrus in cla. reg. lib. 10. tract. 2. c. 12. Salon, & Arragon. 22. quæst. 62. art. 7. Vasquez de restit. §. 9. dub. 1. §. 1. Lessius. lib. 2. cap. 13. dub. 3. Azor. p. 3. lib. 4. cap. 10. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 729. & alii communiter.*

QVÆSTIO VI.

An beneficiario absque culpa, & censura incursu, liceat arbores incidere. An bona aliàs alienari solita, ei distrahere integrū sit. Quid de patrimonio, ad cuius titulum est ordinatus. Nunquid illud in suam legitimam imputandum sit, præsertim si cum iuramento paternis aliis bonis renuntiauit. Exules, vel bannitos, & decoctores recipiens, an in pœnam aliquam inciderit?

GAndulphus Parochus ruralis, absque Pontificio assensu, & Episcopi sui venia, quasdam arbores in ecclesiæ suæ prædijs sitas incidit. Quoddam castanetum aliàs tamen in emphyteusim dari solitum, sine prędicta solemnitate alienauit. Andreā conductorem aliorum bonorum sui beneficij, cuius culpa rustica ædificia ceciderunt, donando liberauit. Insuper patrimonium quod sibi à patre donatum fuerat, quò sacris initiaretur, vendidit, & cum alijs paternis bonis cum iuramento renuntiauerit, nunc defuncto patre, legitimam à Ioanne fratre hærede habere prætendit. Tertio quosdam exules, & quendam decoctorem, noctu ad suam canonicā domum accedentes, & ibi hospitium, pro illa vice petentes recepit, cœnam, & cubile præbuit, quod

cum

cum Vicarius Episcopi intellexisset, ipsum Gandulphum excommunicatum declarauit, & illos bannitos, simulq; debitorem fugitiuum summo mane in ecclesia à Curiæ suæ satellitibus capi fecit, vt secularibus Magistratibus traderet. Quæritur quid iuris in proposito casu statuendum sit, an d. prædicta agendo peccauerit, & in excommunicationis censuram inciderit, & nunquid quod ipse Gādulphus à patre pro ordinationis titulo consecutus est, in suam legitimam cōputare debeat, & quid de ipso Parocho, & bannitis dicendum est?

I. Q. RESOLVTIO.

RESpond. Ad 1. casus propositi dubitationem breuiter respondendo, suppositis quæ supra *tract. 9. cap. 25. quæst. 38.* retulimus, dico quod si illæ cæsæ arbores inutiles erant, quarum sectione fundus non deterior, sed fructuosior redditus est, ut accidere potest, quando arbores opacæ amputatētur, vel extirparentur, quibus ablatis vberiores fructus perciperentur; vel quādo aliæ arbores vetustæ, mortuæ, corruptæ, uel alio modo inutiles inciderentur, & aliæ utiliores earum loco substituerentur, tàm à peccato, quàm à cēsura immunis erit, nec beneficio priuari poterit; tunc enim iuris subintrat regula, qđ res inutiles, & infrugiferę, ac proinde ecclesiæ onerosæ, absq; Apostolico assensu, & Episcopi licentia alienari possunt. *cap. terrulas, cum seq. 12. q. 2. Nau. cons. 6. tit. de rebus eccles. non alien. Riccius in praxi fori eccles. Decis. 136. Tusch. v. arborum incisio. conc. 481. Farinac. in collect. Decis. Rot. Decis. 553. Bonac. de contr. d. 3. q. 8. p. 4. num. 19. Giouagnon. lib. 2. respons. 15. & communiter DD. per Extrauag. Ambitiosa. §. inferiores. tit. de rebus ecclesia non alien.* ubi ex *Baldo in Authen. qui re. C. de sacros. eccles.* concludunt, quod ad hoc ut emphyteuta ob rei, ut aiunt deteriorationem, ab emphyteusi cadat, tria simul concurrere debent, quorum vnum si desit, caducitati locus non sit, Primo, quod res notabiliter deterior sit facta, idquè ut multi volunt, Iudicis arbitrio remittatur *Corbul. tit. de caus. priuat. ob rei deter. num. 27. Menoch. lib. 2. de arbit. iud. casu 78. num. 7.* Secundo quod sit circa proprietatem, & substantiam rei. vnde pœnæ locus non est quando loco v. g. arborum succisarum, aliæ submittuntur. *Roland. à Valle l. 2. cons. 49. num. 20. & lib. 3. cons. 1. nu. 93.* Tertio requiritur vt dolo, lata culpa, uel saltē leui res deterior sit effecta, quò sit, ut emphyteuta non cadat ob incisionem factam pro domo super emphyteutico fundo construenda, cum ex hoc omnis dolus, & culpa subducatur. *Corbul. l. c. num. 29. Menoch. cons. 13. num. 17. Ioseph. Decis. Luc. 8. nu. 9. Giouagnon. l. c. num. 8.*

II. Q. RESOLVTIO.

SEcūdam dubitationem sic pariter absoluimus, dicendo, eundem Parochū tàm à culpa, quàm à censura excusari, regula enim iuris est, res ecclesię cum beneplacito Apostolico, semel impetrato, cōcedi solitas, absq; alio assensu alteri dari posse, quotiescunque casus euenerit, ut in alium transferri debeant, dummodo cum euidenti ipsius ecclesiæ utilitate fiat, & solitum, uel consuetudo, aliunde quam ex partium assertione cōtam Ordinatio ꝓbetur, ut colligitur *ex d. Extrauag. Ambitiosa & cap. 2. ext. de feudis. ut per Mol. de cont. d. 466. Quar. in Summa Bull. v. alienatio. num. 39. & seq. Genuens. in praxi Neap. cap. 75. num. 5. Riccius in praxi fori eccles. decis. 125. Zerula in praxi Episcopali in v. alienatio q. 3.* Sicut etiam eadem ratione DD. communiter inferunt, quod quamuis soli Rectori, uel Prælato, non liceat emphyteutam priuatum per canonem nō solutum, absque Apostolicæ Sedis auctoritate reintegrare, excipitur tamen quando res nondum, ut loquuntur scribentes, ecclesiæ est incorporata, idest non est declaratus, à iure suo cecidisse, neque rem reuersam inter bona ecclesiæ describi fecerit, & res in emphyteusim concedi solita erat, & semel cū solemnitatibus alicui antea concessa: quia licet de nouo inuestire nequeat, inuestituram tamen renouare potest; si quidem quando res semel solemniter alienata fuit, quasi in vim illius primæ alienationis statutum videtur, vt de cætero alienari possit, & propterea ad dominum directum reuertitur, & cum de nouo distrahitur, in hoc antiqua alienatio executioni demādari dicitur. ut per *Ballett. in Disq. cler. p. 1. tit. de bonis cler. §. 5. nu. 18. Genuensis in pract. eccles. q. 12. Roland. vol. 1. cōs. 1. Borell. tit. 33. n. 129.*

In præstando vero assensu in re alienari solita hæc praxis obseruari consueuit, Primo enim libellus Episcopo porrigitur, quo ab ipso assensum dari petitur. Secundo informationem sumi decernit, qua capta, & viso in euidentem ecclesiæ vtilitatem tendere, decretum interponit, & consensum præstat. Idē *Riccius l. c. Decis. 94. Barbosa de Episcopo p. 3. Alleg. 95. num. 35.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dicimus, Gādulphum Parochum gratis non potuisse liberare Andream cōductorem bonorum suæ ecclesiæ, cuius culpa ædificia ceciderunt, etsi liberat, integrum esse successori, liberationem reuocare, cum ea sit donatio, quam in successorum præiudicium facere non potest. *Abbas. l. 1. cons. 45. Tusch. v. Episcopus. concl. 287. Ballett. l. c. num. 3. Menoch. volum. 1. cons. 39.* Vnde etiam in *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 11.* merito diffinitū

 est, ut

est, ut omnes locationes, quæ anticipatis solutionib. fiunt, nullatenus in præiudicium successorum validæ esse intelligantur, quocũque indulto, aut priuilegio non obstante. ut per *Rebellum de obligat. iust. p. 2. l. 19. q. 5. num. 4. Reginal. l. 25. num. 539.* Sic in simili respondit *Barbatia. l. 4. cons.* 17. quod cum Prælatus quidam concessisset emphyteusim rei ecclesiasticæ fratri suo, & is frater nomine laudemij, & recognitionis, summã quandam promisisset, isquè Prælatus confessus fuisset vna cum capitulo, se eam summam recepisse, confessionem illam fictam, & donationẽ ecclesiæ non nocere, nec illi emphyteutæ prodesse, cum Prælatus regulariter ecclesiæ, & successoribus præiudicium, & damnum afferre non possit; atque eum sequitur *Menoch. l. c.* Et cum donare sit perdere, nullaquè maior sit alienatio, quam donatio, fit vt hic Parochus præter contractam culpam, excõmunicatione ligetur. *Anchar. cons.* 102. *Tusch. v. alienatio concl.* 257. *num.* 3.

IV. RESOLVTIO.

Qvarta dubitatio in casu contenta sic expeditur, & explicatur, ipsum Gandulphum tàm à culpa, quàm à censura liberum esse, cum patrimonium, ad cuius titulũ ordinatus est, alienauit: quãuis regulariter illud renũtiari, vel alienari nequeat, & qui id facit lethali culpa animam suã inquinet, cum Decretum *Concilij Trid. sess.* 21. *de refor. c.* 2. temerè violet, in nullam tamen censuram incurrit. Vbi autem beneficium aliquod siue simplex, seu curatũ vt in casu nostro assecutus est, inculpate de ipso patrimonio disponere ei integrũ est, vt ex eadẽ concilij sanctione omnes DD. colligunt, & inter alios *Bellett. l. c.* §. 1. *nu.* 18. Tenetur tñ post patris mortẽ illud in legitimam portionem cõputare, vbi inter ipsum, & fratrem suum fit diuisio; nam etsi pater donare possit filio, quod ad patrimonium hoc satis sit, & donatio valeat, esto aliàs donatio inter patrem & filium non subsistat, in legitimam tamen, & partem suam filius illud conferre debet. ut tenet *Couar. in c. Raynaldus.* §. 2. *n.* 7. *ext. de test am. Vgol. de offi. Epi. p.* 2. *c.* 26. §. 2. *n.* 4. *& Lopez in Scholijs ad Diaz in praxi can. c.* 18. vbi ait, in facti contingẽtia Interrogatũ cũ peritis cõsuluisse, ac obtinuisse cõtra *Barb. p.* 2. *Alleg.* 14. *n.* 70. Quæ resolutio multo magis admittenda est, qđ Gandulphus, vt in facti specie præsupponitur, cæteris paternis bonis cum iuramento renuntiauit. Nam etsi legitima super parentum bonis adeò debeatur, & tantis priuilegijs gaudeat, ut generalis renuntiatio ab illis facta de omnibus parentum bonis, ad legitimam non extendatur, nisi de ea specifica mentio facta sit, nihilominus vbi generalis huiusmodi renuntiatio iusiurandi religione firmata fuerit, filijs ipsis, etiam quò ad legitimam præiudicat, vt excommunlori, & probabiliori sentẽtia, resoluit *Mancinus in tract. de iuramento. p.* 4. *effect.* 168. *Euerard. in topic. legali in loco à vi iuramenti. & Menoch. lib.* 1. *consil.* 71. *num.* 24. Et certe hęc opinio in nostro casu æquior est, in quo considerari non potest ratio iuramentum violandi, quod sine dispendio salutis æternæ, ac etiam patrimonij, cuius sibi debitam partem consecutus est, à sacerdote Dei cultore obseruari potest. Si quidem rectè *Saluianus. l.* 7. *de guber. Dei.* vt in oculum etiã si paruæ sordes incidãt, totum lumen occæcat: sic in ecclesiastico corpore, etiamsi pauci sordida faciant, prope totum ecclesiastici splendoris lumen obscurat.

V. RESOLVTIO.

I. ASSERTIO.

Ad 5. q. quæ tàm Gandulphum Parochum, q̃ Lælium Vicarium Episcopi spectat, dico Primo ipsum Parochum qui bãnitos, & fugitiuum debitorem in domum recepit, à culpa excusari posse, & per consequens à censuræ incursu, si extaret, nam sicut peccatum, & excommunicatio non incurritur, cum excommunicato participando, quãdo aliqua animæ, aut vitæ necessitate premitur, sed ei inculpate succurrere possumus, ita isti exules, & Decoctor, ut supponimus, in noctis tenebris victus maximè, & lecti indigentes erant. *arg. c. quoniam.* 10. *q.* 3. vbi habetur, si quis excommunicatis in sustentationem non superbię, sed humanitatis, aliquid dare voluerit, non prohibemus. *& c. vlt.* 11. *q.* 3. vbi à culpa saltem graui eximuntur, qui ignorãtia, seu timore, seu necessitate negotij cuiusquam max imi, & maxime necessarij, in excommunicatorum conuictu se immiscuerint. Cui diffinitioni adhæret *Nau. consil.* 21. *de sent. excommunicationis, & Beia. p.* 1. *respons. cas. consc. casu* 4. Absoluti enim iuris est multis ex causis aliquem tàm à peccati reatu, quàm à censuræ incursu excusari posse, Prima est dispensatio valide concessa. Secunda est impotentia phisica, aut moralis, ad quam reducitur vis aut metus, seu probabile periculum grauis incommodi. Tertia est inuincibilis ignorantia.

Hinc Steph. Quaranta v. *Bãnitorũ* referẽs edictũ Sixti V. cõtra ecclesiasticas personas regni Neapolitani, Bannitorum receptatores, & fautores, quos excõicationis Apostolicæ Sedi reseruatæ mucrone feritdicit Primo eam censurã euadere, qui per ignorantiam facti aliquos exules receptauerint, licet in foro exteriori scientia præsumatur, quando publicum, & notorium esset eos esse bannitos. Secundo quando huiusmodi receptatio à personis ecclesiasticis esset coacta, & non voluntarie facta, ob violẽtiam, inquit, Bannitorum, adeo ut absque sui periculo

culo eos expellere nō possint, vt in terminis resoluit *Florian. in l. in omnibus. ff. de noxal. & Rolād. à Valle. vol. 1. cons. 45. num. 76. & Tusch. v. Banniti. cōcl. 17. num. 15.* Tertio ea pœna non afficerentur, quandō animo exhibēdi curiæ eos exules in domum recepissent. iuxta tradita per *Nellū in tr. bannit. q. 24.*

Vbi illud aduertendum duximus, quod licet Greg. XIII. in Constitut. Incip. *Tanta* excommunicationis pœnam sibi, & successoribus reseruatā contra Bannitorum in statu ecclesiastico receptores, vel retentores, & auxiliatores tulerit, attamen idē Sixtus V. in Bulla Incip. *Hoc nostri* confirmatis alijs pœnis, excommunicationem sustulit, ut diximus supra, & ēt *tract. 7. cap. 20. q. 92.* Quæ tamen reuocatio illam non comprehendit, quæ in Breui directo Proregi Neapolitano continetur. vt notat *Nald. in Summa v. Bannitus. num. 10.* Proindē dicendum est non nisi in ea particulari ditione, & dominio eam ligare; si quidem non omnes summorum Pontificū epistolæ vim legis habent, & omnes obligant, sed illæ tātum, quæ in corpore iuris sunt insertæ, & in Romana curia iuxta receptum stylum sunt publicatæ; de ratione enim legis est promulgatio, & limitata causa limitatū producit effectum. Et vsus summorū Pontificum, & S. Congreg. Illustrifs. Card. est, cum aliquibus particularibus casibus prouidere, ac consulere volunt, qui in aliqua vrbe, vel diœcesi occurrere solent, dictas epistolas mittere, & pro locorum, personarum, & circunstantiarum varietate, diuersimodè statuere, nec tamē per illas, vniuersales leges condere intendunt. ut per *Alex. Pereg. de immunit. eccles. cap. 11. num. 10. & seqq.*

II. ASSERTIO.

SEcundo dico ex prædictis, Episcopi Vicarium Gandulphum Rectorē excommunicatum declarare non potuisse; cum enim in iure receptatores dicantur, qui in criminis fauorē aliquem recipiunt, & celant, ut conseruatus Iudicis manus euadat, & receptator propriè loquendo sit, vt Grammatici loquuntur, verbum frequentatiuum à pluries, & frequenter recipiendo, & ille sine fraude, & dolo, nec sæpe, sed tantum semel, exules, & decoctorem coactè receperit, non est cur (etiamsi in statu Neapolitano res agatur) in pœnam contra receptatores ipsorum exulum, vel bannitorum latam incidisse dicamus, cum ex illa regula, & positione consolationis plenissima, quam communiter Doctores tradūt, Quotiescunque excommunicatio ab homine, vel à iure fertur, nullū afficiat, qui legem, vel Iudicis præceptū transgrediendo, lethaliter non deliquit. *Nau. cap. 27. num. 9. Sayrus. de cens. l. 1. cap. 9. num. 4. Filliuc. tract. 11. cap. 6. quæst. 2. Bonac. de cens. d. 1. q. 1. p. 3. & alij.* Neque eidem Vicario fas fuit, ipsos exules, & proscriptos, & debitorem, ex loco illo ecclesiastico extrahere, vt seculari Curiæ traderet, si quidem per præfatum Pontificium Edictum hæc facultas ei non conceditur; nec apparet eos hac immunitate priuari, nisi clare cōstet excepta crimina perpetrasse, quę excipiuntur in Constitutione Gregor. XIV. *Incip. Hac perpetua*, & tūc causa cognita per Episcopum, vel Vicarium, laicis Magistratibus exhiberi possunt. vt per eundem *Peregrinum l. c. num. 21.* contra *Mar. Ital. de immunit. eccles. lib. 1. cap. 5. §. 8. num. 4.*

QVAESTIO VII.

Vtrum receptans suspectum de hæresi, vel ei opem ferēs, quò S. Officij cēsuram, vel capturam effugeret, peccauerit mortaliter, & in excommunicationem inciderit. Item an si occulta quorūdā hæreticorum conuenticula adiuit, & eorum conciones audiuit, hæreticorum fautor censendus sit?

MArtinus naturalis philosophiæ professor, cū suis scholasticis legeret, animam ad mentē Aristotelis morti subiectā esse, & opiniones à christiana fide aberrantes, in auditorum suorum mentibus sereret, ab Inquisitore admonitus est, vt ab huius prauæ doctrinæ disseminatione desisteret (præsertim quod incertum admodum sit, Aristotelem ita sensisse, imo potius ex eius scriptis colligatur, animæ immortalitatem confessum esse) eique præcepit, vt quod Pontificijs Decretis cauetur, maxime Constitutione Leonis X. Incip. *Apostolici regiminis*, obseruare studeret, vt. s. Philosophi legentes in vniuersitatibus studiorum generalium, & alibi, falsas opiniones philosophorum, quę à recta fide deuiant, pro viribus excludant, atque refellant; cū autem eius mandato non paruisset, suos satellites misit, vt eum caperent, ac ad ipsum violatæ fidei Censorem ducerent. Raphael eius amicus, & vicinus qui eadem Diabolica doctrina ab eo imbutus, de animæ indeficientia dubitabat, hoc præsentiens, in domum suam eum recepit, & vt extra vrbem fugam arriperet, auxilium dedit. Item in quadam vrbe occulta quorundam hæreticorum conuenticula adiuit, & eorum conciones audiuit. Nunc ipse Raphael ad confessionem accedit, & prædicta narrat, quæritur Primo, an peccauerit mortaliter. Secundo an in aliquam censuram inciderit, & quomodo ei consulere debeat Confessarius. Præsertim cū Martinus post arreptam fugam, ad sacrum Inquisitionis tribunal, tanquam de hæresi valde suspectus, & vt de christiana fide male sentiens, sit ab alijs delatus, & de hoc probroso crimine diffamatus.

I. SVPPOSITVM.

Resp. Supponendum est Primo, Romanū Pontificem pro suprema potestate sibi in vniuersa ecclesia tradita, grauiores criminum causas iudicio suo reseruare, & suis casibus non solum in foro conscientiæ, sed etiam in externo iudicio omnes, & quoscunque fideles obligare. Quorum casuum natura est, vt regulariter excommunicationem annexam habeant, licet aliquando secus eueniat, vt patet in *Extrauag. inter cunctas. tit. de priuileg.* & in Bulla Sixti V. contra male promotos, & promouētes, vt in Constit. Incip. *Sanctum* apud *Cand. aur. p. 3.* Et cōstat etiam in reseruatiōne violationis immunitatis ecclesiasticæ, facta per Gregor. XIV. in Constit. *Incip. Cum alias nonnulli*, non enim apparet, excommunicationem latæ sententiæ incurri, vt innuit Ambrosinus in eius exposit. *cap. 1. num. 2. & c. 15. num. 4. & Nald. in v. casus. num. 1.* At verius, *Marc. Ant. Genuens. in praxi Neap. cap. 22. Graffius cons. 2. de immunit. eccles. p. 2. Bellettus in Disq. cler. tit. de fauore cler. reali. §. 4. num. 39. Bonac. de legib. d. 3. q. 7 §. 6. nu. 1. Megal. de cens. l. 4. c. 2. Mar. Anto. l 3. resol. resol. 15.* & alij tenent, ecclesiasticam immunitatem violantes esse ipso facto excommunicatos, illam tamen censuram ab Episcopo tolli posse. Licet Papæ reseruari, nisi ignorantia excuset, dicat *Marius Italia de immun. eccles. c. 3. §. 2. nu. 31. cum alijs nōnullis*, vt aliàs dixi. Cum ergo cōditio casuū Romano Pōtifici reseruatorum sit, vt annexam excommunicationem habeant, sequitur vt concedens licentiam à casibus Papalibus absoluendi, facultatē etiam liberandi à censuris illis casibus adiunctis, (etsi contrarium sit in casibus Episcopalibus) impertire censeatur *ex Nau. c. 27. num. 261.* contra *Graffium. de cas. res. lib. 1. c. 1. num. 14.* Non tamen summus Pontifex alicui facultatem à casibus sibi reseruatis absoluendi concedens, intelligitur super Bullam in Cœnæ Domini authoritatem dedisse, nisi specialis mentio fiat; sicut dicitur de facultate concessa ad absoluendum ab hæresi completa, & exteriori, licet dixerit, vt ab omnibus casibus in Bulla Cœnæ contētis, relaxare, vel absoluere valeat, vt est communis sententia. *Suar. d. 7. de cens. sect. 5. nu. 12. Vasquez de excommun. num. 19. nu. 5. & 6. Reginal. lib. 8 num. 53. Molfes tract. 7. cap 21. nu 60. Duard. in Bullam Cœnæ Domini. l. 3 §. 2. quæst. 8. num. 7. Farinac. de hæresi. quæst. 192, num. 63. Sanchez. lib. 2. de præcept. cap. 12. num. 10.* vt etiam tradidimus *supra tract. 5. cap 6. quæst. 35.* contra *Fillium recenter scribentem tract. 8. cap. 10 num. 265.* qui indistinctè tenuit, in concessione indefinita casuum Bullę Cœnæ, venit etiam hæresim, & quemcunq; alium casum, nisi expresse excipiantur, & ita in vsum, & praxim quò ad hæreticos non denuntiatos, Romæ in sacra Pœnitentiaria reduci.

II. SVPPOSITVM.

Secundo supponendum est, in Bulla Cœnæ Domini latam esse excommunicationem in hæreticos, in credentes, fautores receptatores, eorum defensores, libros ipsorum legentes, tenentes, imprimentes, aut defendentes. vt autem superius aduerti *tract. 7. c. 1 quæst. 3.* Hæreticus propriè dicitur homo christianus, qui pertinaciter eligit opinionem contra ea, quæ christianæ fidei sunt, ita vt tria potissimum ad constituendum hæreticum requirantur, Primo vt sit baptizatus. Secundo vt quò ad intellectum erret in his, quę ab Ecclesia determinata sunt. Tertio vt in voluntate sit pertinax, i. vt scienter adhæreat assertioni ab ecclesia damnatæ, & diuinæ legi repugnanti,

Fautores dicuntur qui fauore, opibus, gratia, aut alio modo hæreticis fauent, vt à Ministris Iustitiæ non comprehendantur. Duobus vero modis quis hæreticorum fautor dici potest, Primo omissione, vt cū ratione officij quod gerit, prout Inquisitor, contra eos procedere teneatur, ipsius hæresis intuitu hoc facere omittit, *c. ad abolendam. ç. excommunicamus, 1. tit. de hæret.*

Idem dicendum de testibus, qui in causa hæresis contra aliquem iuridice examinati, aut ipsorum hæreticorum fauore tacent, aut veritatem negant. Secundo commissione quis duobus modis fauere potest, verbis. s. & factis, & hoc siue personæ publicæ sint, siue priuatæ, verbis fauere dicitur, qui scienter eos excusat, dicendo v.g. Isti sunt boni homines, iniuste contra eos proceditur; vel consilium dat, vt euadant, aut viam fugiendi docet, aut denuntiatores reuelat, &c. Factis etiam fauere censetur, si eis socium scienter se adiungit, visitat, ad manum Censoris euadendam auxilium præstat, &c.

Receptatores porro nuncupātur, qui hæreticos in domibus, vel in terris suis publicè, vel priuatè recipiunt, si id faciunt, causa illos celandi, vt ita conseruati Iustitiæ manus declinent. Et, vt supra innui, nomine fautorum, defensorum, receptatorum, intelliguntur, qui hæresis intuitu fauent, defendunt, vel recipiunt. Si enim quis in hæreticum ratione amicitiæ, consanguinitatis, vel metus, beneficium conferat, ob amicitiam, vel pietatem, v.g. occultando, ne à Iudice capiatur, non dicitur fauere hæretico, vt hæreticus est, sed prout est amicitia, vel sanguine coniunctus. Si quidem voluntate, & proposito maleficia distinguuntur, & in qualibet facultate termini formaliter sunt intelligendi. Sicuti olim in excōmunicationem latam à Gregorio XIII. in Constit. Incip. *Tanta* non incidisset, qui bannitum, vel exulem, pietatis intuitu, non causa delictis fauendi recepisset. vt per *Beiam l infra citan. Tusch. v. bannitorum concl. 17.* Quam autem cēsuram, ne animarū perni-

perniciem potius quàm salutem afferret, Sixtus V. sustulit, in Bulla Incip. *Hoc nostri.* teste *Sayro.lib.3. de cens. cap.31.num.17.* Insuper cum ambigitur, an quis hæreticum, vt hæreticum, an potius vt consanguineum, vel amicum receperit, ea ratione qua pro ximus, & amicus est, receptasse præsumitur.

Addo etiam hanc excommunicationis censuram ab eo non incurri, qui aliquem in causa hæresis defendit, quando dubium est, an casus de quo inquiritur hæreticalis sit, vtcum nondum testibus, alijsq. legitimis probationibus de hæresi, constat, &c. Sicut etiam à receptationis pœna liberabitur si probet, & alleget se minime prohibere potuisse, quo minus de nocte in domum suam ingrederetur. vt per *Rolandū lib.1.cons.45.& Cherub.in Schol.ad Bullam X. Pij V. Caiet in v. excommunicato.c.10. Graffius.l.4. Decis. c.18.num.35. Tol.l.1.c.19. Tiraq.causa.20. de temp. pœnis. Pegna in 2.p. ad Direct. Inqu. super quæst.56. num.8. Sayrus.l.3.cap.5. Suarez.tom.5.d.21.sect.2. Rebellus.l.9.num.244. Vgol in Comment. in Bullam Cœna.c.1.§.2. Duard.l.2.cen.1.quæst.31. Beia in respon.cas.consc.p.1.casu 4. Azor.p.1.l.8.c.15.quæst. 3. Farin.de hæresi.q.197.§ 3. Megal.de cens.l.3.c.1. q.2.* Idem *Tusch.l.c.& in v. receptator.concl.47.*

In actu tamen practico caute procedendum erit, & Inquisitor consulendus; qui enim suspecto tempore, vt quando à Iustitiæ ministris inquiritur, ad eum occultandum scienter receperit, tàm in externo, quàm in interno foro hæreticorum fautor, vel receptator præsumeretur, & vix à graui crimine, & à censura excusari posset. vt *Tol. & Sayr. l.c.* aduertunt. Et vt ait *Riccius in praxi var.resol.resol.809. ex Gandauo de Moder. hæret.tit.4.art.12.& tit.26. art.1.* Hæretici ad instar anguillæ per caudam elabi conantur. Sic in simili dicimus, retinentem libros hæreticorum hæreticum præsumi, nec carere hæresis suspicione, leui, vel vehementi, secundum quod ex circunstantijs, maiora, vel minora indicia apparent. vt per *Farinac.de hæresi.quæst.180.num.8. Menoch.lib.5. de præsumpt.præsumpt.6.num.18.& seq.* Et rem furtiuam penes aliquem repertam, indiciū, & argumentum ad torturam facere, nisi ipse doceat à quo habuerit; præsertim si ille apud quem res fuit ro affecta deprehenditur, mala fama laboraret. vt ex communi tradit *Roland. à Valle. vol.1.cons.45. & Clarus.§.furtum.vers.sed nunquid. Mascard. de probat.vol.2.concl.831.num.20. Tusch. v. furtum. concl.560.*

III. SVPPOSITVM.

Tertio supponendum est tanquam certum, & exploratum, omnem hæresim per aliqua exteriora signa esse à fidei Iudicibus deprehendendā, quia ea quæ omnino occulta est, nec vllis prodita indicijs, diuino iudicio vindicanda relinquitur; oculus enim Dei fortissimus, & cum nihil latere potest omnia Deo plena sunt, nec vllus perfidis tutus est locus. *c.erubescant.dist.32. Symmachus li 10.epist.54.* Rursus omnis hæresis, omnisquè hæreticus bifariā, nempe verbis, aut factis dignoscitur, verba enim & facta, signa sunt interiorem mentis conceptum indicantia. Ac verbis quidem cum hæreticum detegi dicimus, qui aliquid contra catholicas veritates protulerit, puta contra eas quæ in sacris paginis habentur, & quæ ex illis necessaria consecutione deducūtur; quas etiam Christus verbotenus Apostolis, & Apostoli ecclesiæ tradiderunt, quæ in vniuersalibus Concilijs definitæ sunt, vel à sancta Apostolica Sede ad credendum sunt propositæ, & quas sancti Patres una mente, unoquè consensu docuerunt. ut per *Albert. in tract. de agnoscen. assert. quæst.30. & Melchiorē Canum.l.12. de locis theolog.c.7. Pegnam. 2.p. Decret. Inq. super quæst.2.cap.3.comment.34. Simācā in cathol.instit.tit.54. Lazar. de blasph. quæst.12. à n.87. Duard. in Bulla Cœna Dñi.l.2.in can.1.q.19*

Vbi animaduertendum est, quod licet pertinax hæreticus dicatur, qui dogma aliquod cum catholica religione pugnans uoluntarie, non continuato, & diuturno t.pe, sed ferè momento temporis affirmauerit. ut cōstat ex *Sanchez.l.2.de præcept. cap.7.num.1 & 7.& Farinac. de hæresi quæst.196 §. 1.num.6.& 19.* non tamen tanquam hæreticus puniendus uidetur, si uocatus ad sacrosanctum Tribunal Inquisitionis se contulit, & se ad abiurandam hæresim paratum obtulit. ut late probat *Menoch. cons.82. num.127. & Farinac.l.c. quæst.192. §.4. num.4. Bellon. de his quæ incont. fiunt.l.1. cap.193.* Item resoluit *Sanchez l.1. de præcept. cap.10.nu.74.* quod licet in dubio casus reseruatus non censeatur, quia cū reseruatio sit odiosa, eius uerba stricte sunt accipienda: hoc tamen intelligitur, nisi in illo euentu, pro illius delicti ueritate, fori externi esset præsumptio, quia stante hac præsumptione, pro certitudine delicti stat possessio, & illi præsumptioni in utroque foro standum est, dum contraria ueritas nō constat, ut si v.g. hæresis externa reseruaretur, quando etiam mente ita sentitur, dubius autem eam proferens esset, an ita senserit, & sit uere externa, & interna, ac pinde reseruata, in hoc enim casu reseruata censebitur, quia cum uerba naturaliter sint intētionis signa, præsumptio est, ut hæc hæresis ex interno etiam consensu exterius processerit. Item quia in hoc dubio uerus hæreticus etiam in foro externo iudicaretur, quia hæc iudicia non sunt diuersa, nisi q̄n illud falsæ præsumptioni innititur, & in hoc de contraria ueritate constat.

Ex factis autem quis hæreticus deprehenditur, cum ex his uiolenta oritur præsumptio, & à iure approbata est, nec in contrarium saltem directè probationem

bationem admittit, ut transire ad quorumlibet infidelium ritus. Qui citatus ad respondendum de fide, uelut in ea suspectus non comparuit, & excommunicationem per annum animo pertinaci pertulit, &c. *cap. contra christianos. de haret. lib. 6. c. cum contumacia. eodem. Conc. Trid. sess. 25. de refor. c. 3. Eymer. d. 2. p. Direc. Inq quast. 56. Piasecius in praxi episcopali. p. 2. cap. 4. num. 40. & seq.* Sunt etiam alia facta prope modum infinita, ex quibus nunc vehementes, nunc leues hæresis suspiciones nascuntur: put cum hæreticis, vel infidelib. libenter, & frequēter versari, S. Officium impedire, eos recipere, & fouere, raro diuinis officijs, quando ecclesiæ præceptū ad id obligat, interesse, ecclesiæ ipsius sacramenta non suscipere, carnes diebus vetitis sine necessitate, & licentia comedere, libellos excommunicatorios, vel Pontificalia Decreta dilacerare, hæreticales blasphemias in Deum sæpe, & ad leuem rurbationis motū proijcere, &c. vehemētes hęc sunt suspiciones quæ ramen quò ad modum procedēdi, hodie à violentis non differunt, si quidem in supremo vniuersę reipub. christianæ Tribunali, condemnationis sñīa ob violentam hæresis suspicionem nō est in vsu, sed vel vt formales hæretici, vel de vehementi suspecti omnes abiurant. vt infra citandus tradit *Farinac.* At vt scribit *Menoch. de arb. iud. casu* 373. Hæreticus si incontinenti resipiscat, & scelus abiuret, pœnas hæreticis inflictas euitabit. Sunt etiam qui putent, suspicionem de hæresi ex signis, & leuibus indicijs duci posse, ea tamen opinio in praxi recipienda nō est, nam leues coniecturæ non debent animum cōstantis viri ad tantum crimen suspicandum mouere, sed potius res in bonam partem interpretanda est, *c. estote. de regulis iuris.* Et vt Cicero ad 5. fratrem scripsit, Vt quisque est vir optimus, ita difficillime esse alios improbos suspicatur. Et D. Gregor. Nazianz. in oratione in laudē D. Athanasij, Malus ait, celerrime adducitur, vt bonum etiam virum condēner in rebus dubijs, & incertis; contra vir probus ne malum quidem facile condemnabit, &c. Neque enim ex leuibus signis aduersus catholicos, & probos viros moueri debemus, quibus iniuria fit, si malam opinionem absque iusta, & probabili causa de illis habuerimus. Duo sunt, dicebat D. Augustinus, quæ ob temerarium iudicium cauere debemus, Primo cum incertum est, quo animo quid dictum, vel factum sit. Secundo cum incertum est, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. *Simācas, l. c. tit. 50 & Pegna. 2. p. comment. 80.* Marc. *Anton. Genuen. in praxi* Cur. *Neap. cap. 23. Menoch. lib. 1. de præsumpt. præsumpt. 7. Duard. lib. 2. can. 1. quæst. 33. Farinac. de hæresi quæst. 187. num. 51. Boerius decis. 164. Hilaret. Dominica 1. post Pentecost.* vide supra *p. 1. tract. 6. c. 26. q. 118. & seqq.*

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic constitutis dico, Raphaelem à culpa mortali nō excusari, nam etsi Martino amicitia coniunctus erat, si tamen eum à violatæ fidei Iudicibus inquiri sciebat, ipsum vt Iustitiæ manus euaderet, recipere, & occultare non poterat; cū hæc receptio, & auxilium præstitum in fauorem hæresis redundet; & præsumere poterat, Inquisitorem iustā in eum procedendi causam habere, nec propter hominis praui, & sibi perniciosi amicitiam à Dei gratia excidere debebat, si quidem vt ait *D. Hieron. in epist. ad Paul.* Vera illa amicitia est, & Christi glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non præsentia corporum tantum, non subdola, & palpās adulatio, sed Dei timor, & diuinarum scripturarum conciliant studia. Et si iuxta Platonis sententiā *lib. 12. de legibus*, Quem Ciuitas sibi hostem decreuerit, eundem sibi quisque hostem existimare debet, quanto magis quē ecclesia vt hostem insequitur, ac punire, vt resipiscat, intendit? *Ant. de Sousa. in relect. de cens. Bulla Cœna. cap. 2. d. 10.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. dico, quod cum Martinus nō hæreticus, sed tantum de hæresi suspectus supponatur, Raphael ipse non in Bullam Cœnæ incidisse dicitur, cum ipsum occultauit, ne ab Inquisitoris satellitibus caperetur. *cap excommunicamus § qui autē. ext. de hæret.* Sed cum S. Inquisitionis munus impedierit, potius in excōmunicationem nemini tamen reseruatam cum incidisse censendum est, vt subinde etiam fidei Censores contra eum procedere possint, & ex arbitraria pęna in ipsum animaduertere. *cap. vt Inquisitionis. tit de hæret. lib. 6. Zanchinus in tract. de hæret. cap. 31. & Repert. Inquisit. in v. impediens.* Cæterum hodie per Pium V. in Constit. quæ incipit, *Si de protegēdis*, quæ habetur in fine Direct. Inquisit. contra id genus impeditorum grauissimæ pęnæ decernuntur. Et reuera decuit hāc potestatem aduersus S. Officium impedientes, Inquisitoribus tribuere, nam nisi fidei Iudices ab omnibus impedimentis liberi essent, hæreticam prauitatem commode extirpare non possent. *Camillus Campeg. apud Zanch. d. cap. 31. Pegna in 2. p. comment. 79.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. quæstionem respondeo, Martinum in foro quidem exteriori tanquam credentem, & hæreticis fautorem iudicandum fore, & merito puniendum esse, si scienter, serio, ac sæpius id fecerit, at in foro conscientiæ secus censendum, nisi putauerit eorum conciones, libros, sermones, esse vtiles, ac

salu-

ſalutares. Et certè in his locis, in quibus ſoli catholici commorãtur, vt in Hiſpania, Italia, Sardinia, Sicilia, &c. pro credẽtibus, & valde ſuſpectis de hæreſi haberentur ij catholici, qui etiam ſemel tantum ad occultos hæreticorum cœtus conuenirent, niſi violatæ religionis Iudicibus denuntiarent, vt ait *Azor. p.1.l.8.c.15.q.1. & Farinac. de hæreſi q.182.nu.120. Duard. ſuper Bullam Cœnæ Domini.l.2.can.1.q.26.*

CONFESSARII PARTES, monita, & documenta.

PArtes confeſſarij erunt, Raphaelem pœnitentẽ interrogare, an circa animæ immortalitatem aliquo intellectus abducatur errore; namſi de ea pertinaciter dubitauit, & hoc externo aliquo ſigno mentis conceptum ſufficienter exprimente, prodidit, præter lethalem culpam, excommunicationis ſententia in Bulla Cœnę irretitus eſt; vt proinde abſoluendi eum authoritas ab Inquiſitore petenda ſit. Si quidem qui ſcienter de aliquo fidei articulo ambigit, aut alicui opinioni catholicis veritatibus cõtrariæ ita adhæret, vt ab eccleſia corrigi non ſit paratus, ſi id verbo, aut externo ſigno ad illam declarandam apto pãdat, etiamſi nullus alius qui audiat adſit, cenſuram Cœnæ Domini non euadit. Et dixi ſigno externo pandat, &c. quia ſi hęc hæreſis ſit tantum mentalis, i. vbi in anima tãtum illam incluſam habeat, cum eccleſia de occultis non iudicet, quilibet confeſſarius ab illa abſoluere poterit. *c. 1. de hæret. cap. 1. ext. de Summa Trinit. & fide Cathol. Caſtr. lib. 1. de iuſta hæret. punit. cap. 7. Azor. lib. 8. c. 9. q. 5. Vgol. in expl. Bulla. §. 1. num. 12.* Alterius ibi *cap. 2. Sanchez. lib. 2. de præcept. cap. 8. Flor. de caſ. reſ. p. 1. cap. 1. §. 3. Duard. q. 23. Souſa. c. 2. d. 7.* Vide à nobis dicta ſupra de libros prohibitos legentibus. *tract. 7. c. 2. q. 9.* Vnde etiam DD. dicunt, quod licet morientem licite requirere poſſimus, vt ſtatum ſuum poſt mortem reuelet, quia eius neceſſitatem cognoſcentes ad eis ſuffragandum excitamur; non tamen id liceret, ſi ex fidei dubitatione id fieret, de futuro ſtatu poſt mortem inquirendo. *D. Tho. quod lib. 3. art. 22. Dionyſ. Carthuſ. de 4. nouiſſ. de morte art. 11. Caſtillius in hiſtoria Domin. lib. 3. cap. 25. Comit. lib. 4. reſponſ. mor. quæſt. 5. Nald. in v. anima, & in v. morſ.* Quam vero praxim, & quemadmodum in foro externo Epiſcopi, eorũ Vicarij, & alij viri per eos deputati, ſeruare debeant in recipiendo hæretico, vel eo qui de rebus fidei ex propoſito dubitauit, tradit *Vgol. de cenſ. reſer. Pap. cap. 11. §. 1. verſ. Imo ubi, & Barboſ. de Epiſcopo. Alleg. 40. num. 35.*

Porro animam cum corpore non finiri, ſed immortalitatis munere à Deo donatam eſſe, prętet ſacræ paginæ teſtimonium, tot miraculis confirmatũ, ex ipſius animæ operationib. innoteſcit; ita vt *Melchior Canus. lib. 12. de locis Theol.* hæc habeat verba, Erroneum eſt, ne dicam hæreticum, aſtruere, animæ immortalitatem, vel ipſa naturali ratione demonſtrari non poſſe. Et vt ait, *Ioſephus à Coſta Fer. 5. poſt Dom. 2.* Quoad animarum immortalitatẽ qui olim dubitarunt, immerito ſane dubitaſſe, vt alia miſſa faciamus, illud profectò inuictum argumentũ eſt, ac facile cuiuis peruium. Nam reſtare alteram vitam poſt hanc mortalem, atque caducam, huius ipſius innumeræ abſurditates, euentuſquè prorſus indigni, atq; omni ratione carentes declarant: paſſim improbos honoribus, diuitiiſquè auctos, bonos vero miſere oppreſſos cernimus, &c. Quid mirum Petre, ait *D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 5.* Si egredientem animam non vidiſti, quam & manẽtem in corpore non vides? Nunquid nam modo cum mecum loqueris, quia videre in me non valeas animã meã, idcirco me eſſe exanimem credis? Natura quippe animæ inuiſibilis eſt, atque ita ex corpore inuiſibiliter egredietur, ſicut in corpore inuiſibiliter manet. Et multa teſtimonia, & exempla hanc veritatem comprobantia vide apud *D. Anton. p. 1. tit. 1. cap. 5. §. 2. Victorel. in notis ad Man. Nau. Prælud. 1. Mart. Delrium. l. 2. Diſq. mag. quæſt. 86. ſect. 5. Daur. tom. 4. exempl. cap. 8. tit. 9. Holchot ſuper cap. 2. Sap. lect. 15.* vbi etiam refert de quodam religioſo, qui quendam Philoſophum redarguit de eo, quod animam immortalem eſſe negauit. Quæro, inquit, à te, aut anima eſt mortalis, aut immortalis, ſi mortalis, nullum damnum infligetur ijs, qui eam immortalem eſſe credunt, ſi immortalis, & eum morti ſubiectam eſſe credimus, multum õincmodum inde ſequetur, cum de fide ſit, animam natura ſua immortalem eſſe, ergo præſtat, ac ſatius eſt credere animã eſſe mortis expertem, quam mortalem. Item conſule *Iauellum in tract. de indeficientia animæ. Tholoſanum in Commento artis mirab. in tract. de anima immort. & innumeros alios.* Quomodo duo inſignes philoſophi Michael Mercatus, & Marſilius Ficinus de animæ immortalitate titubãtes veritatemſint edocti, uide *Baron. tom. 5. annal. anno Domini. 412. Delrium, & Dauur. l. c. Iuſtin in Tob. cap. 3. verſ. 6.* Ad hanc veritatem probandam duos Epiſcopos iam defunctos Niceno Concilio ſubſcripſiſſe ex eodem *Baron. tom. 3.* tradit *Cherub. in Compend. Bullarij in Schol. ad Bullam V. Leonis X.* Admonitus vero ſit ſanctiſſimi ſacramenti Pœnitẽtiæ miniſter, ait *Vict. l. c.* vt ſi aliquando confeſſionem alicuius, qui Ariſtotelem auditoribus explicet, audierit, ſedulo det operam, vt is ſummum Peripateticum pro immortalitate interpretetur, vt grauiſſimi viri fecerũt; vix enim credas, quantum teneris animis contraria interpretatio nocere poſſit. Audiui à religioſis viris, pietate, ac doctrina illuſtribus, nonnullos extra Italiam, qui præceptores Ariſtotelem pro mortalitate interpretantes

tes

tes attentis auribus audierant, in Atheismum prolapsos, hæc ille.

Item vt sciatur an iste philosophus in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini inciderit, tanquam hæreticorum credens, & fautor, super intentione qua eorum concionibus interfuit, interrogandus erit, an. s ipsorum doctrinam approbauerit, &c. cum proposito & voluntate maleficia distinguantur. *cap. cum voluntate ext. de sent. excommunic. Geminian. conf. 7. Farinac. de hæresi. q. 179. §. 4.*

Cap. VI.

QVAESTIO VIII.

Vtrum qui ut muliere quadam potiretur, sortilegia confecit, peccauerit mortaliter, & excommunicatione innodetur. An denuntiantes Inquisitori, qui à se interrogata pandunt p. m. & in censuram incidant. Et quid de ipso Inquisitore, qui ob timorem inquirere omittit? &c.

Dominicus Comes magni nominis, & non vulgaris potentiæ vir, ad hæreticæ prauitatis Inquisitorem bis. i. à duobus delatus est, & accusatus, quod (vt erat in vetitas voluptates effusus) cum cuiusdam nobilis mulieris viduæ amore flagrans, nec pretio, nec prece, nec vi, dolo ue, ea potiri, valeret, cõsecrationis sacro sanctæ Eucharistiæ verba in virginea membranula quibusdam ignotis characteribus insertis, secum deferret, & magicis cantionibus Dæmonem rogitauerit, vt se voti competem faceret, hoc illum præstare posse credens, &c. Cum autẽ ipse Inquisitor deferentes, & accusatores de multis interrogasset, peracto tandem examine, sub pœna excommunicationis, eis præcepit, ut nil de interrogatis cuiquam propalarent: ipsi tamen ob linguæ lubricum, cum præsertim huiusmodi delictum pluribus in vrbe innotesceret, interrogata prodiderunt, & idem violatæ religionis Iudex ob timorem, ne aliquid periculi, & incommodi à viro minaci, opibus, ac viribus pollenti sibi immineret (quod officij sui erat,) contra eundem Comitem procedere omisit. quæritur, an tàm Dominicus, quàm Delatores, & Inquisitor præter culpam, in censuram aliquam Apostolica nunc Sede vacante inciderint, & quænam illæ sint, & quid in praxi obseruandum sit, vt eorum conscientiæ in interno foro consulatur, &c.

I. SVPPOSITVM.

Respond. Suppono non solum censurarum in genere cognitionem cõfessarijs maxime necessariam esse, sed etiam excommunicationum, quæ in Bulla Cœnæ continentur, notitiam ab ipso habendam esse, ut pœnitentibus talibus obstrictis vinculis, pœnitentiæ sacramentum rectè administrare valeant; vt proinde regulariter à culpa mortali, si eas omnino ignorauerint, nõ excusentur, si quidem contra proprij status obligationem, earum rerum ignorantia laborant, sine quib. munus suum dignè, & ritè obire nequeunt. Ignorantia quippe, teste Boetio, miseros tramite deuio abducit, non expendentes,

Incertis esse nescire, quid liceat sibi.

Nau. in cap. inter verba num. 18. 11. q. 3. & conf. 10. de pænit. & remiss. Nec dubium est quin maior eruditio ei necessaria sit, qui animarum curam gerit, & super alios iudiciariam iurisdictionem exercet, quã qui tantum super Corpus Christi verum. i. sacrificandi potestatem habet. ut ait *D. Thom. in 4. sent. d. 24. quæst. 1. art. 3. & 22. q. 6. art. 6.* ubi *Val. punt. 6. Sanchez. in Summa lib. 2. cap. 3. num. 2.* Pœnitentes vero eorundem cognitio latere non debet, vt ea delicta quibus in tàm graues censuras prolabũtur, effugiant: facile namque pœnitentes oculis clausis, & solutis habenis, in scelera ruũt, vel quia culpam nesciunt, uel non ita grauem agnoscunt, hinc vates ille, Propterea, inquit, captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Esaia. c. 5. Duard. lib. 3. §. 8. quæst. 1.*

II. SVPPOSITVM.

Secundo præmittendum est, hanc Bullam Cœnæ Domini dictam esse ex eo plumbeo sigillo, quo muniri solet. Et dicitur Bulla Cœnæ Domini, quoniam die Iouis sancto, quo tempore Christus Dominus postremam illam venerandamquè Cęnã cum suis Discipulis celebrauit; promulgari consueuit. Vnde ad sui Constitutionem exigit, vt in die Iouis sancti legatur, ac publicetur. *Duard. l. 1. c. 1. q. 4.* Hæc uero Bulla dicitur processus, quia aliàs nõ lex, nec statutum, sed hominis sententia dicebatur, proinde defuncto S. Pontifice expirabat, & omnis reseruatio tollebatur; sed hodie legis naturam sortitur, & per mortem Papæ, non extinguitur, sed durat, donec alij processus fiant. *Bonac. de cens. d. 2. quæst. 1. pun. 2.* Propterea hæc Bulla, & hæ literæ singulis annis publicantur, ut Christi fideles omnes in officio contineantur, & ut fides vna, pax sancta, & charitas vera inter eos cõseruetur. His literis Romanus Pontifex grauissima quædam delicta, quibus fidei puritas impediri, vnitas diuidi, charitas tolli possit, propositis pęnis coercere studet, & pro temporum ratione, ac rerum necessitate, aliquando aliquid mutat, & non nunquam addit, ut propterea Confessarius, qui alicuius pęnitẽtis confessionem excepturus est, Bullæ præsentis anni, & aliorum annorum, de quibus pęnitens confessionem facere intendit, notitiam

tiam

titiam habere debent; & ea ſubinde animaduertere, in quibus Bullæ inter ſe diſcrepent. Nam vt dicit Innocentius III. in *cap. non debet, ext. de conſang. & affinit.* Non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cum vrgens neceſſitas, vel euidens vtilitas id expoſcit. Eſt igitur Bulla Cœnæ quidam generalis proceſſus, vim legis habens, contra varia peccantium genera, quo ipſo facto excommunicantur, & cuius abſolutio S. Pontifici ſpecialiter reſeruatur, ut per *Viual. in cand. aureo in explicat. Bulla. num. 130. Graffium. lib. 4. cap. 18. Vgol. cap. 2. & ſeq. & 8. Sayrum. lib. 3. cap. 2. Reginal. l. 9. cap. 13. Fillinc. tract. 15. cap. 6. & alios.* Vbi etiam tradunt offendentē Bullam hanc in pluribus capitibus in tot excommunicationes incidere, quot capita ipſius violat, quia earum quælibet ſpecie ab altera diſtincta eſt, & diuerſa cauſa diuerſum parit effectū. Et ſimile aſſerit de eodem tempore, & eadem percuſſione plures clericos offendente quem dicūt pluerib. excommunicationib. vinciri conſentit. *Duard. lib. 2. can. 9. quæſt. 28. Bonac. de cēſ. d. 1. quæſt. 1. p. 5. Cherub. in Schol. ad Bullam. 63. Pauli V. Suar. de cēſ. d. v. ſect. 3.*

I. Q. RESOLVTIO.

His ergo animaduerſis, dico Dominicum non Domini amicum, ſed potius inimicū fuiſſe, quando cum eius hoſte Diabolo commercium habuit, in perfidia, & in inſipiētia cordis ſui à Deo Domino deficiens, & aberrans, & tanto ſcelere omnem iniquitatem ſuperante ſe ipſum inficiens. Et ſi errorem in mente habuit, ita. ſ. credendo, puta quod nō ſit vnus Deus, quod Chriſtus non ſit Saluator mundi, quod eius ſacramenta quò ad animam nihil proſint, quod Dæmon diuinitatem habeat, quod ſacroſancta Eucharistia, & res ſacræ vi aliqua prædita ſint ad conficienda maleficia, & animos labefactādos, &c. Si inquam, circa hęc, & ſimilia, errorem in intellectu habuit, tanquam formalis hęreticus excommunicatione in Bulla Cœnæ innodatus eſt, vt proinde per Inquiſitorem, vel aliū authoritate pollente abſolui debeat; & ſiue Bulla Cœnæ à Iure ſit, vt communior ſententia tradit, ſiue ab homine, vt etiam nonnulli ſenſerunt, etiam Sede vacante, non niſi à Vicario Summi Pontificis, uel ab Inquiſitore abſoluendi facultas petenda eſt, cum hęc Epiſcopis in caſibus etiam occultis in Bulla Cœnę contentis denegetur. *Sanchez. lib. 2. cap. 11. Bonac. de cenſ. d. 1. quæſt. 3. p. 2. Riccius. 3. p. deciſ. Cur. Neap. deciſ. 279.* vbi etiam obſeruat, cum Inquiſitores ab hęreſi in foro externo abſoluunt, tunc quemlibet Confeſſariū, quò ad internum iudicium, ſuper ea abſolutionis beneficium impendere poſſe. Secus ſi impura libidine excæcatus, & dementatus, hæc perpetrauit, errore in intellectu carens, nam etſi grauis ſceleris ſit reus, ab hæreſi tamen, & excommunicatione immunis erit; quamuis in foro exteriori hæreticus præſumatur, & contra illum per fidei Inquiſitores procedatur, cum præfata facta, & dicta hæreticalia ſint, aut ſaltem manifeſtam hæreſim ſapiant. iuxta *cap. accuſatus. §. ſane. ext. de hæret. Azor. p. 1. l. 8. cap. 18. q. 17. & alij ſupra citati.*

II. Q. RESOLVTIO.

Secundo dico denuntiantes Dominicum non cēſeri excommunicatione ab homine. i. Inquiſitore lata innodatos; illa enim eius verba, quæ ſub pœna excommunicationis ab ipſo proferuntur, ad incutiendum potius terrorem dicuntur, quæ à Doctoribus comminatoriæ excommunicationes appellari ſolent, ut per *Sayrum l. 1. de cenſ. cap. 11. à Suarez. diſput. 3. ſect. 3. & Duar. lib. 2. cap. 3. quæſt. 1.* Et in dubio an aliqua cenſura ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, iudicandum eſt eſſe comminatoriam, nā odia reſtringenda ſunt *cap. odia de reg. iur. in 6.* Er in dubijs quod minimum eſt ſequendum *l. ſemper. ff. de reg. iur.* vbi *Decius* aliud cenſet de excommunicatione ſimpliciter prolata, ut de maiori intelligatur, cum ab homine fertur. *cap. pen. de ſent. excomm. Graffius. l. 4. Deciſ. c. 1. & 2. Bonac. de cenſ. q. 1. pun. 1.* Imo à lethali culpa excuſari poſſunt, ſi ſub ſigillo ſecreti ab eo ſub hoc præcepto commiſſa, ex indeliberatione, ſubreptione, & ſubito motu illa referarent, ut in omni materia ex omnium ſcribentiū mēte contingere ſolet. Difficillimum namque eſt, ſuo tempore linguam compeſcere, & coercere, ita vt ille vere dixerit,

Virtutem primam eſſe puto compeſcere linguam,
Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.

Non fruſtra in vdo lingua poſita eſt, niſi quia in lubrico facile labitur. Anacharſis Philoſophus cum apud Solonē cænaſſet, referente Plutarcho, hoc geſtu, & ſitu, dormiens deprehenſus eſt, vt deſtram ori admotam haberet, ſiniſtram pudēdis, exiſtimabat enim linguam arctiori freno egere, nec facile quem proferre, tot hominesrerum venearum intemperātia ſublatos, quot vrbes tacēdus ſermo incautè prolatus euertit, &c. Idem interrogatus quid eſſet in homine peſſimum, & quid optimum? reſpōdit lingua, ſentiens, idem membrum plurimam vtilitatem afferre, ſi recta ratione gubernetur, peſtilentiſſimum eſſe, ſi ſecus. *Laer. l. 1. c. 9. Tuſch. v. loquendum, & vt lubricum. concl. 443. & ſeq.*

III. Q. RESOLVTIO.

Tertio dico quod licet Inquiſitores ex odij, gratiæ, lucri, aut amoris prætextu contra hęreticos

eticos p rocedere omittentes, excommunicatione Papæ reseruata ligentur, siue ea contineatur in Bulla Cœnæ, cum hæreticorum fautores dicantur, siue comprehendatur in *Clem. multorum* §. *verum. tit. de haret.* (vigilare enim debent sicut, & Episcopus, vt populum in recto religionis cultu contineant, hæreses exterminent, & inter alias diligentias super occulta laicorum conuenticula, ex quibus sæpe hæreses oriuntur, inquirere eos oportet. *Genuēs. in Man. Past. cap. 86.* Secus tamen dicendum est, quando ex metu cadente in constantem virum, vel ad vitandū scandalum, id officij prætermitterent; pie namque credendum est, ecclesiasticam legem non cum tanto damno obligare velle, vt proinde Inquisitor in huiusmodi casibus possit alicuius delati inquisitionem differre, & ad tempus punitionem omittere, iuxta illud,

Est verum vltra, doctrine, institiaque,

Primam semper habe, duo propter scandala linque. *D. Thomas 22. q. 43. art. 7. Con. in reg. peccatum. p. 1. num. 4. de reg. iur. in 6. Holchot super Sap cap. 6 lect. 86. Castrens. de iusta hæret. punit. l. 1. c. 20. Sayr. l. 3. de cens. c. 29 num. 25 Simancas. tit. 34. nu. 40. Nau. cap. 27. num. 100. Duard lib. 3. §. 8. quæst. 1. num. 15.* Hinc *Eymericus in Direct. Inquisit. p. 3. quæst.* 31. & ibi *Pegna*, ait, Quamuis Inquisitores aduersus quoslibet, qua cunque authoritate decoratos, procedere possint, tutius tamen est, cum aduersus Principes, & Magnates hæreticos, vel de hæresi suspectos inquirendum est, vt summus Pontifex consulatur, cuius arbitrio, & modo ab eo præscripto, aduersus eos procedatur. Et prudenter *Io. Andr. Geminianus, & Francus in cap. Inquisitores de hæret. lib. 6.* inferunt, illud capitulum, quo Inquisitores prohibētur contra Episcopos procedere, prohiberi etiam, ne cōtra laicos inconsulto Romano Pontifice procedāt, quoties vel magnæ sunt personæ, & dignitate conspicuę, opibus affluentes, quos velut patronos multi tàm nobiles, quàm plebeij sequuntur, ita vt si in eos inquirerent, ingens periculum, aut scandalum, aut grauis populi turbatio sequeretur. illo sic admonente,

Ferre minora volo, ne grauiora feram.

Sic interdum medici corporum partes secant, vt reliquis vti liceat, idque Castoris exemplo, qui cum aduertit, cur maxime capiatur, illud propria sponte amittit, vt deinde impauide viuere possit. Atque huc confert adagium, Pax redimenda, si quidē magnum interdum est lucrum, alicuius iactura rei, magnum incommodum exclusisse. *Scholiast. ad Alciat. Emb 153. Arg. c. nerui dist. 13.* vbi D. Gregor. ait, cū in dubijs cōstringimur, vtiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Sic interdū cautus, & sagax messor, vel fœnisex cū inter minutas herbas duram radicem cernit, ne falcem frangat, illam extollit, & prudenter prætetit.

QVÆSTIO IX.

An Dominus temporalis super patrimonialibus clericorum bonis onera imponens, & illa ob ipsorum delicta Fisco suo adiudicans, peccauerit mortaliter, & in Bullam Cœna Domini inciderit, & an scribens ad monialem incidat in pœnam contra scribentes inflictam, si litera ad eam non peruenerunt.

Barnabas Prælatus in prima tonsura cōstitutus qui in quodam insigni castro merum, ac mixtum imperium habet, quædam onera bonis patrimonialibus clericorum sibi subditorum, & eorum colonis absque summi Pōtificis facultate imposuit, illaquè exegit. Item cuiusdam clerici homicidæ patrimonialia bona ad quorum titulum ordine sacro initiatus erat, sibi pro pœna delicti vsurpauit, & fisco suo applicauit. quæritur, an peccauerit mortaliter, & duplicem excommunicationem Bullæ Cœnę Domini contraxerit? Insuper cum Gregorius Episcopus sub excommunicationis pœna prohibuisset, ne quis ad moniales sibi subiectas literas amatorias mitteret, ipse Barnabas ad quādā monialē sic scripsit, sed literæ ad eum non peruenerunt, quæritur pariter, an in hoc casu excommunicatione affectus sit? Et quomodo in his suus confessarius se gerere debeat?

SVPPOSITA, & prænotiones.

I. SVPPOSITVM.

Respond. Suppono Primo, A diuina prouidentia, & iustitia alienum non esse, vt rerum potiatur, & reipublicę clauum teneat, qui ius ipsum euertit, & leges pessundat, aut enim aliquando in præmium quarundam virtutum moralium quibus excellit, aut in gratiam parentumā quibus prodijt, etiam malum hominem ad honores euehit, aut in pœnam populi peccantis, improbus, & impius aliquis à Deo præficitur, iuxta illud *Iob c.* 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Quò etiam pertinet illa comminatio, *Hierem. cap.* 15. Dabo Pueros Principes eorum, & effæminati dominabuntur eis *cap. 1. quæst. 7.* Vt propterea verum etiam esse constet quod D. Ambrosius dixit, in *Apologia de Dauid*, Regum lapsus pœna populorum est, sicut enim eorum virtute seruamur, ita etiam errore periclitamur. Quod & Plutarchus de *sera num. vind.* eleganter expressit. Addo regni naturam hoc habere, vt in superbiam efferat, vt ait Tacitus, ægre enim magna fęlicitas fertur, & potentiæ comes est arrogantia, commune, vt dixit Salustius, nobilitatis malum. Et quod Galbæ olim eue-

nit

nit, qui omnium iudicio, imperio dignus iudicatus eft, nifi imperaffet. Id multis alijs accidit, qui in bona fpe, & fruge apud homines habiti, imperium denique adepti, fe minores eo produnt; fi quidem Magiftratus virum oftendit. Ingenito vitio, vel humanæ mentis imbecillitate euenit, vt plerumq; in Principatu exerant fe vitia, quæ priuata in vita occultabantur; initia Magiftratuum fere meliora funt, fed finis inclinat. ait *Tacitus 15. Ann.* Clarum exemplum eft in Nerone, qui initio imperii adeo inculpatæ vitæ fuit: & tamen quibus, & quantis poftea flagitijs coopertus fuerit, neminem latet. Sed ad rem noftrum proxime accedendo.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo fupponendum eft, in omni repub. ad fubleuandas communes neceffitates neceffaria effe onera, tàm realia, quàm perfonalia, in quorum diftributione, tàm commutatiuæ, quàm diftributiuæ ratio feruanda eft, commutatiuę quidem vt non nifi ex vrgenti caufa, iuxta facultatem fibi competentem imponantur: diftributiuæ vero, vt inter ciues pro cuiufque viribus diftribuantur. Iurique, & naturali, & diuino admodum confentaneum fuiffe, vt ab huiufmodi onerib. ecclefiafticæ perfonæ tàm in fe ipfis, quàm in bonis fuis, feu etiam colonorum, & fociorũ partiariorum immunes effent, ita vt illis noua onera abfq; Põtificio affenfu imponi nequeāt, etiamfi hmõi impofitio ecclefiafticũ cõmodũ refpiceret, vt fi effet pro mœniũ, vel viarũ, feu pontiũ, & talium rerum reparatione, vt fufe profequitur *Sotus in 4. fent. dift. 25. quaft. 2. art. 2. & Sayrus l. 3. cap. 22. ex traditis per DD. in cap. quamquam. de cenfibus in 6. & in cap. non minus. ext. de immun ecclef. Natta conf. 409. Decianus conf. 6. Surdus conf. 301. Bonac. de contract. d. 2. quaft. 9. p. 2. num. 10. Molfef. tract. 12. cap. 22. num. 155. Barth. à Faufto de teftit. d. 33. quaft. 13. & feq. Mar. Ant. l. 1. refol. 97. & 111. Riccius. 2. p. Decif. Cur. Arch. Neap. decif 290. Grat. in For. Difcept. cap. 149. Bellett. p. 1. Difqu. cler. de exemp. §. 5.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio Suppono, clericorum bona in triplici genere conftitui. Primo namque funt ecclefiaftica, quæ ex beneficij redditibus poffidet. Secundo patrimonialia, quæ ex paterna hæreditate fibi debērur, vel aliunde ad fe deferuntur. Tertio induftrialia, quæ ex quotidianis diftributionibus, vel diuinorum officiorum, facræquè rei celebratione lucratur. *Abbas. in c. 7. ext. de teftam. Nau. de reditibus ecclef. q. 1. & alij communiter.*

IV. SVPPOSITVM.

QVarto Suppono ex *DD. in cap. folita. ext. de maior. & obedien. & Caftrenf. in conf. 288. & Tufch. in v. potentia*, duas poteftates diftinctas à Deo prouenientes in terris reperiri, nempe maiorē, quæ eft facra, & ecclefiaftica, & minorem, quæ eft fęcularis, vel Imperialis, & vnā in alterius meffem falcem mittere non poffe, fi quidem,

Diuifum imperium cum Ioue Cafar habet.
Grilenzon. conf. 106. idem *Surdus. lib. 1. conf. 2. Molfef. tract. 12. cap. 22. num. 162. Graffus de effect. cler. effect. 3.*

I. Q. RESOLVTIO.

HIs conftitutis dico, Barnabam, qui clericis fibi in temporali dominio fubiectis collectas, abfq; Pontificio indulto impofuit, & ab his exegit, in excommunicationem Bullæ Cœnæ, fuppofita lethali ab eo admiffa culpa, incidiffe, cum ecclefiafticæ perfonæ à perfonalibus, & realibus oneribus, non folum quò ad fe, & ecclefiarum bona, fed etiam quò ad patrimonialia ex cõmuniori, & veriori fententia, fint exempri. Multo magis id ftatuendum eft quò ad bona donata pro facrorum ordinum titulo, iuxta Decretum *Conc. Trid. feff. 21. de reform. cap. 2.* vbi *Barbof. & de Epifcopo. p. 2. Allegat. 19.*

Nec hanc cenfuram ex ea parte effugit, quod eorum clericorum colonos grauauit, indirecte enim ecclefiafticis onera imponi dicuntur, vbi eorum coloni pro illis aggrauantur. *Azor. p. 1. cap. 12. quaft. 2. Tol. l. 1. cap. 26. Sayr. l. 3. c. 22. num. 9. Vgol. §. 3. nu. 1. Martha de Iurifd. p. 4. cafu 49. Duard. l. 2. can. 18. q. 5. & 17. Filliuc. tract. 16. cap. 11. quaft. 4. Alter. c. 2. & 7. Menochius de recup. poffeff. remed. 15. Mar. Anton. d. l. 1. refol. 97. Molfef. tract. 8. cap. 13. Tufchus. tom. 1. §. bona concl. 114. Lef. l. 2. de iuftitia. cap. 33. dub. 3. Mol. d. 670.*

II. Q. RESOLVTIO.

SEcundo dico ipfum Barnabam, quidquid fit de peccato, in excõicationis Bullæ Cœnæ cenfurā non incurriffe, fi quidē, ut fupponiī bona, vel fructus ad ecclefiafticas perfonas aliunde quàm ab ecclefijs pertinentes, vfurpauit, cum clericorum bona, quæ ratione patrimonij; vel aliunde acquifita habent, fibi adfcripferit. Secus dicendum effet, quādo fructus patrimonij quod pro titulo alicui, vt fupra dixi, eft affignatum, occupaffet; nam patrimonium hoc, vt omnibus exploratum eft, bonorum ecclefiafticorum priuilegio gaudet. Vnde & in Prouincia Mediol. à D. Carolo bene inftituta, patrimonialia clericorum bona, ad quæ factis initiati fuerunt,

neque ob eorum delicta alienari possunt. *Concil. Prou.6.tit.quae ad ord.sacr.pert. Nau.conf.5. tit.de immunit.eccles.Vgol.in explicat.Bullae.cap.17.§.2. & Duard.l.2.can.17.q.5.* quidquid nouissime scripserit. *Ant.Sousa in relect.Bullae.cap.18.disp.86. nu. 3.Bellett.l.c.* Bene verum est, Praelatum istum sic haec vsurpantem, saltem in foro conscientiae, ab ista censura, quò ad primam partē casus, ex capite ignorantiae, vel obliuionis, excusari posse: quandoquidē, vt alibi saepius animaduertimus, in interiori, & animae iudicio, vbi à lege, scientia, aut praesumptio requiritur, ignorantia etiam crassa à censura immunē reddit, vt late prosequitur *Sanchez.l.9.de matrim. d.32.num.36.& l.2.decal.num.38. & Duard.super Bullam.l.1.cap.2.quaest.5.& l.2.can.1.quaest.36. Pereg.de duello.quaest.8.num.32. Bonac.de cont.d.2.q. 9 punt.2.* vbi ex communi ait, custodes pontis, portus, fluminis, vel portae ciuitatis, exigentes, vel recipientes vectigalia, à clericis ex ignorantia iuris, vel facti ab excommunicatione excusari posse. Idem *Duard.in Caena Domini.l.2.cap.5.quaest.11.*

III. Q. RESOLVTIO.

Quò autem ad eam dubitationem, qua quaerebatur, an inciderit in excommunicationē ab Episcopo vrbis latam contra eos, qui ad moniales, vel alias foeminas in monasterijs viuētes, literas amatorias scriberent dico, quod etsi ex parte sua à graui sacrilegio, & inobedientiae delicto non excusetur, cum literas turpia continētes, vel impudis verbis aspersas, ad sanctimonialem, & Deo dicatam virginem, & aliam nobilem viduam in clausura degentem exarauit, per ea quae deduximus in *Comment. de cas.reser.p.2.cap.5.sect.50.* à censura tamen, & casu reseruato, si literę ad eas non peruenerunt, immunis erit cum in legibus, statutis, ac edictis, verba cum effectu sint intelligenda; & quando pro aliquo actu censura imponitur, nunquam illa contrahitur, nisi actus ille perficiatur, quia censura cum sit pena eius verba stricte, & propriè sunt intelligenda. *cap. odia.de reg.iur.in 6.* Hinc sequitur, vt excommunicatione cōtra eligentem indignum lata, si quis suffragium ferat, & electio non sequatur, in excommunicationem non incidat. Et arma, aliaquè prohibita ad christiani nominis hostes deferens, si pęnitentia ductus, res illas non tradat, sed reportet, excommunicatione in Bulla Cęnae Domini contenta non irretiatur. vt p *Suar.* plures alios particulares casus enumerantem. *tom.5.de cens.d.4. sect.3. Duard.in Comment. ad Bullam Caenae. lib. 2. can.7. quaest.10.* Et regulariter actus attentatus tantum, seu cęptus reseruatus non censetur, nisi expresse per reseruationis verba contrarium caueatur; cum casus reseruatus diffiniatur, vt sit peccatum mortale exterius, actum completum habens, cuius absolutionem Episcopalem iurisdictionem habens, sibi reseruat, quò Christi fideles à grauioribus culpis abstinentes, in christiano officio contineantur: tùm quia, vt multi volunt, casuum reseruatio est odiosa, odia autem restringi, & fauores conuenit ampliari, tùm quia vbi de crimine agitur, vt dixi, de eo intelligitur, qđ cōsummatam, & perfectam iniuriam, continet. vt per *Felin.in tract.da conatu.& Tusch.v.conatus concl. 654.& v.verba cum effectu.concl.90.Nau.in cap.si quis non dicam.num.18.de poenit.dist.1.*

Hinc puerorum incestus vsum rationis nondum adeptorum non est reseruatus, imo nec adulterorum & eorum, qui extra vas semen emiserunt, licet graue sit delictum, reseruatione non afficitur, cum crimen perfectum, & consummatum non dicatur.

Vnde huius nostrae quaestionis resolutio colligitur etiā ex *Nau in conf.19.tit.de sent excomm.* Vbi etia Gregorius XIII. sub pena excommunicationis latae sententiae prohibuisset, ne cuiusdam ordinis fratres ad aliquas moniales sui ordinis scriberēt, cum quidam frater scripsisset, sed epistola ad eam non peruenisset, eum à censura immunem censet, eo quod verba cū effectu extrinseco intelligēda sint. *Feder. de Sen. conf.1c. Sāchez.de pcept.l.6.c.16.nu.117.*

CONFESSARII PARTES, monita, & documenta.

Confessarius in praxi Barnabā admonere debebit, duplex sacrilegij flagitium perpetrasse, contra immunitatem clericis concessam, & duplex censurae vinculum contraxisse, vnum quia collectas clericis sine Pontificis assensu imposuit, & exegit. Alterum quod illius clerici patrimonialia bona, si ad eorum titulum, ordine initiatus fuerat, confiscauit; vbi enim plures distinctę transgressiones formaliter reperiuntur, ibi etiam plures inuoluuntur censurae. Etsi praeter haec, vis in ipsam personam clerici interuenisset, peculiaris etiam iniuria ei esset illata, & actio in alia specie sacrilegij constituta, & consequenter alia censura astrictus foret, quę continetur. *in cap si quis suadente Diabolo.17.q.4 Bonac.d.1.q. 1.p.5.Duard.l.2.can.10.quaest.9.nu.2.Filliuc.tract. 15.cap.1.quaest.6. & tract.24.cap.9.quaest.5.*

Item grauis delicti reum factum esse, cum literas amatorias omni iure repugnante, ad sanctimonialem scripsit, atque conabitur eum ab hoc crimine in posterum committendo auertere proponendo, in huiusmodi facinoris genus solere Deum praeter aeternę mortis barathrum, maximis calamitatibus, & plagis animaduertere. vt in *d.Comment.de cas.reser.p.2.cap.5.* ostendimus.

Cum hic vir in suo Marchionatu sit dñs temporalis, et si prima tonsura insignitus, colat pietatem,

& in

& in Deum religionē maxime eū decere, ecclesiam, & sacra tueri, eius bona non inuolare, nec iura, & immunitatem violare; nam contra hæc delinquētes acriter quoque à Deo semper puniti fuerunt. Siquidē *Petrus venerab. l. 2. Mirac. c. 1.* narrat, fuisse quendam virum vrbis Matisconensis, qui post vsurpata quædam ecclesiæ bona, coram multis die festo, cum ab equite ignoto, & terribili, ante fores ibidem paratum equum inscendere iussus esset, ab eodem in aera eum terrifico ieiulatu abreptus fuerit. Et Ludouico Crasso Francorum Regi clericorum immunitatem frangenti, seuere, ac serio prænuntiauit, S. Bernardus, Scito Rex fore, vt in vindictam huius delicti tui moriatur nō ita multo post Philippus tuus, quem tibi in successorem delegisti, quod quidem re ipsa, exacto breui temporis spatio, accidit. *Causs. de Prudentia l. 1. cap. 11. §. 3.* Vt veritate semper comprobatum illud sæpius repetitum adagium apparuerit, Abstinendæ manus, cum vulgo quoque creditum sit, fatum ei instare, qui sacris rebus, ac Deo dicatis, manus iniecerit, &c. *Daur. tom. 2. Exemp. c. 3. tit. 108. exemp. 17.* Atque constāter statuat Princeps, hanc esse vnā viā perpetua dominia conseruandi, si Altissimi Dei legem, & ecclesiasticas sanctiones rebus omnib. præferat, pro quarum defensione non solum facultates, & Principatus, sed etiam vitam profundere paratus sit. Ad hæc superbiam ex eius anima euellere studeat, est enim omnis peccati initium. Nec nō auaritiam omnium malorum radicem eliminare, ne dum nimium sibi tribuit, & per fas, & nefas ditari; & statum augere contendit, proprio periculo discat, dominari excelsum super hominum regnum, qui exaudit clamorē pauperum; vt Saul, Nabuchodonosor, Antiochus, & alij tàm veteres, quàm recentes exemplo sunt: durissimum enim iudicium in ijs qui præsunt fiet. *Sap. cap. 6.* videantur *Comment. nostri de Hat. p. 2. cap. 1.* Et hanc in rem insignem epistolam, quam Alexander VI. cum in Brabantia, ecclesiastica iura minui viderentur, scripsit Philippo Austriæ, Burgundiæ, & Brabantiæ Duci, ut habetur apud *Zipæum in Comment. de iure Pontificio. tit. de immunit. ecclesiæ.*

Quis potuit esse maior Valētiniano Imperatore imperium Orientis, & Occidentis administrante? & tamen tali, tantoquè Monarchæ. *D. Ambr. epistol. ad Marcell.* potestatem aliquam in res, sacrasquè personas sidenter conuenire negat. Allegatur, inquit, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quę diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Esto Dei subditus, scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari, ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesia. Publicorum tibi mœnium ius concessum est, non sacrorum. Quid ad hęc Valentinianus iurium suorum probus peritus? nihil opposuit, sed Antistitis diffinitioni assensus est, cohibuit se, ne in alienam messem falcem mitteret, & christianos omnes Principes, & temporales Dominos, se minores, prudēter docuit, quàm in hac parte modesti, pij, ac religiosi esse debeant. *Causs. de Prud. lib. 1. c. 11.* Quippe sui ipsius cognitio, ac quid supra vires, & facultates suas audeat, ad Præpositos, & Rectores in primis spectat. Priuari sibi ipsis incogniti, & ob id aliquam sui muneris partem negligentes, vel à scopo suo aberrantes, sibi solis nocent, at qui alicuius imperij clauum tenent, vix vnquam soli pereūt, sed multos secum in ruinam pertrahunt, perinde ac nauę in breuia declinantes, aut aurigæ, à recta via deflectentes. Et vt alibi annotauimus, Magnum, & difficile opus est, Principum, ac Magnatum conscientias regere, quod hominem nō solum valde peritum, sed etiam valde prudentem, & fortem requirit, & quod caput est, qui nil cupiat, nil ambiat, nihil quærat, & nihil nisi Principis salutem velit. Nec Confessarius ob timorem, ne ab officio suo expellatur, ab admonitionibus desistere debet, quin potius gaudere si hoc acciderit, se à tàm periculoso onere liberatum, ut Dominicus Sotus de se ipso dicebat, cum se à Carolo Quinto abdicauit. Vete Publius Mimus dicere solebat, Si in clientelam potētis hominis perueneris, aut veritas, aut amicitia perdenda est. *Belarm. de offic. Princ. lib. 1. cap. 6.*

QVÆSTIO X.

Bona naufragantium sua industria seruans, an licite absque culpa, & censura incursu, illa retineat. Fructus beneficiorum, vt Episcopatus, in compensationem capiens, an in excommunicationem incidat, &c.

Blasius cum per mare Adriaticum ac ex Venetijs ad propriam vrbem, & suos lares rediret, ex naui naufragium passura, arcam librorum plenam, quæ erat Andreæ Bibliopolæ sua, & famuli quem secum habebat, industria, seruauit, & tanquā propriam à se iuste acquisitam, domum conduxit. Item cū Domitius Epus eius patruus, 80. aureos ei deberet, quæ multis vicibus rogatus soluere noluit, quoddam oppidum eius Episcopatus, quibusdam socijs comitatus nocte adiuit, & ex horreo dicti Domitij partui granū pro aureis sibi debitis surripuit: quod cum eidem Episcopo innotuisset, nepotem in Bullam Cœnæ Domini ex duplici capite incidisse declarauit, & eum excommunicatum publicauit. Quo non obstante, à diuinorum, & fidelium cōmunione non abstinuit, imo excommunicationis schedam, vel, vt dicunt, cedulones dilacerauit, detutpauit, & quædam impia verba contra excommuni-

cationem protulit. Quæritur quid in vtroque casu sit iuris, & quæ nam sint Confessarij partes?

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q. respondeo dicēdo, Blasium tùm à peccato, nisi simplicitas, & bona fides eum excuset, tùm ab excommunicatione lata in Bulla Cœnæ Domini contra naufragantium bona surripientes, non eximi, ut probatur ex textu in *l. Pompeius. ff. de acq. rer. dom.* vbi habetur, quod in naufragio si quid nostrum amissum est, aut fera bestia nobis rapit, nostrum manet, quamdiù recuperari potest. Si ergo dominium bonorum, quæ in naufragio amittuntur, à nobis non abdicamus, donec recuperari possunt, ergo dum recuperantur, esto domino extincta essent, ea animo contrectandi auferentes, & peccant, & in excommunicationem incidunt.

Quod etiam illa ratione confirmatur, nam qui iumētum in foueam prolapsum eruit, propter quod mortuum non sit, illud proprio domino restituere tenetur, etiamsi perijsset, si erutum ab eo illinc non fuisset, nam res mea manet mea, quandiù cōsumpta non est. Quò fit ut quis meā ouem retinere nō possit, qui eā è lupi faucib. eripuit, & restituere debeat quidquid ex incendio in domo mea exorto abstulit, etiamsi necessario comburenda foret; ergo in casu nostro idem dicendum videtur, ut quamuis illa librorum arca ex naufragio Blasij, & eius famuli industria sublata, domino perijsset, & illius iacturā fecisset, nihilominus eam auferens, bibliopolæ domino iure restituere cogatur. ut *Vgol. Viuald. Duar. & alij in Bulla Cœna Domini* tradunt, & obseruat *Bonac. de contract. disput. 93. pun. 5. & 6.* Quippe vnicuique mandauit Deus de proximo suo *Eccles. cap. 17.* Et homo homini Deus, ut est in adagio, qđ de eo effertur, qui magno aliquem beneficio iuuit; nam cum plurima homini ab homine, vel commoda, vel incommoda, oriri soleant, & Dei proprium sit, vel seruare, vel benefacere, idcirco qui in graui periculo succurrit, quiue ingenti quopiam afficit beneficio, quoniam Dei quasi vice fungitur, ei cui ꝓdest, Deus extitisse dicitur. Et sane mirum quantū suos proximos adiuuent qui sancti sunt, ut fere sit illa uera sanctitatis, & iustitiæ nota, si filiū hominis adiuuet iustitia nostra. *Pineda in Iob c. 35. vers. 8.*

Atque supra firmatam resolutionem extendunt DD. etiamsi naufragi bona cum propriæ vitæ periculo recuperauerit, uel acquisierit; licet enim nec ex debito iustitię, nec ex charitatis officio, cum propriæ vitæ discrimine, ab interitu vindicare non teneretur, nihilominus eadem redimens, non per hoc non restituere non compellitur, nam cum dominus huiusmodi bona pro derelictis nō habuerit, nec sint talis naturæ, & cōditionis, ut proiecta, nisi mox ablata fuissent, domino omnino extincta essent, ut quia ad litus non peruenissent, uel ad ea saluanda nullus alius se periculo subiecisset, ut saccharum, uel aromata in sacco inuoluta, illorum dominium adhuc penes naufragium patientem permanet, & ideo talis est si recuperanti expensæ, ac iusta merces pro labore, ac periculo, si ille velit, soluantur. *Less. l. 2. c. 5. num. 67. Rebel. par. 1. l. 1. q. 15. sect. 2. Vasquez de restis. cap. 5. §. 4. dub. 2. num. 15. & dub. 3 nu. 39.* quidquid aliqui, præsertim *Quaranta in v. Bona* naufragantium sentire videantur.

Porro ad hanc censuram contrahēdam quatuor necessaria sunt. Primo ut christianorum bona subripiantur, si enim Turcarum, uel Iudæorum huiusmodi Infidelium, aut etiam hæreticorum christiani nominis hostium bona essent, hæc pœna non subiretur. Sicut etiam censuram illam euaderet, qui res hostium suorum caperet, in quos iustum bellum gerit: tùm quod licet in bello se quacunque ratione tueri; tùm quod ut canit Poeta,

Virtus, an dolus, quis in hoste requirat?

Vel qui res quidem christianorum auferret, sed hæ sunt, quæ ad christianæ reipublicæ, vel catholicæ ecclesiæ hostes contra ipsius prohibitionem deferebantur; *cap. ita quorundam, ext. de Iudæis.* Secundo requiritur, ut hæc bona illorum sint, quorum nauis aduerso vento transuersa est, uel quocunque modo naufragium passi sunt, modo ipsum naufragium nō in flumine, ut in Pando, Ticino, uel Tyberi, sed in mari sit factum; nam de solo mari textus loquitur, & in pęnalibus extensio non est facienda, *cap. in pœnis de reg. iur. in 6.* Tertio ut quis dolo malo illas res acceperit; nā qui illas recepit, ut domino restituat, in excommunicationem non incidit, cum Bulla de subripiente loquatur, & sic de doloso homine, qui restitnere non vult, sed sibi retinere, qualis fuit Aristomenes Messenius, quem ferunt cum dolo, & fraudē cum proximi damno semper ambulasse, cuius defuncti cor cum excisum esset, pilis refertum fuisse dicitur. Item ut sciat res illas esse naufragio iactatas cum facti ignorantia excuset: sicuti qui ignorans exulem recipit, pœna statuti non punitur. Idem dicendum de auferente huiusmodi bona pro sibi debitis à naufragium patienti, quæ aliter recuperare non poterat, dummodo bona debitoris sint, & scandalum non interueniat. Prout etiam pœna hæc eos non afficit, qui naufragantium bona pro derelictis habita abstulerint, si quidem ijsuste illa sibi ascribunt, quæ occupanti conceduntur. *§. fin. inst. de rerum diuis.* Quarto ut hęc censura incurratur, necesse est ut res sit alicuius ponderis, puta ut saltē duorum aureorum quantitatem, & valorem cōstituat, etiamsi minor summa peccatum lethale conflet. *arg. Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3.* vbi statuitur, ut excommunicatio non nisi pro re magni mo-

menti feratur. Cum tamen per Decretum Clemẽtis VIII. excommunicatio Papalis lata fit contra prę‑ umentes abfoluere ab vllo ex cafibus clare, vel dubie in Bulla Cœnæ contentis, confulerem, ut tutior pars eligatur, abfolutionem à fummo Pontifice obtinendam effe. ut etiam aduertit *Quaran. l. c.*

Nec illa innodatur rem paruiualoris afportans, quamuis ex huiufmodi furto, notabile damnũ naufragium paffo proueniat, ex illa communi, pofitione, quod excommunicatio lata ob furtum intelligitur fi ex fe, & fuapte natura fit peccatum mortale. f. rei notabilis, non autem fi per accidens, ut quia graue damnum, aut moleftiam intulit. *Sà in v. furtum. Fauftus de furto difp. 2. quæft. 27. Bonac. de cenf. difp. 1. quæft. 1. pun. 3. num. 11. Megalus. p. 3. lib. 3. cap. 4.* Quinto neceffe eft, ut naufragantium bona fubripiens iuris ignorantia non laboret. i. ut fciat, Papalem cenfuram ibi inflictam effe; eccle fię enim inobediens dici nõ poteft, cum eam vel craffa ignorantia nefcit, etiam fi fciat furtum naturali, atque diuina lege prohibitum. *Lopez. p. 2. Inftruct. confcient. cap. 45. Corradus in refp. caf. confc. quæft. 174. Sanchez. lib. 9. de matrim. d. 32. num. 36. & l. 2. decal. cap. 10. num. 38. Duardus. lib. 1. in Bulla Cœna Domini. c. 2. quæft. 5. Bonac. de cenf. difp. 1. quæft. 2. p. 1. nu. 7.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæftionem refpondendo dico, quod licet Blafius male fecerit frumentum illud in compenfationem fui crediti propria authoritate capiendo, contra *l. fi quis in tantam. C. vnde ui.* (vnde etiam cauti effe debent Confeffarij cum his creditoribus, qui vnguibus proprijs fibi ius dicunt, & menfura, ut aiunt, molitorum fibi ipfis foluunt) non tamen in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini incidit: nam inter ea quæ requiruntur ad hoc vt capiens fructus Epifcopatuum, vel aliorũ b neficiorũ, fiue fimplicium, fiue animarum curã habẽtiũ, illã cõtrahat, illud eft præcipuum vt illos authoritatiue, ut DD. loquuntur, capiat, vfurpando. f. authoritatem eos accipiendi tanquam dominus, vel publica perfona: at præfatus Blafius Epifcopi nepos illos fubripuit, non vfurpãdo vllam iurifdictionem publicam, ordinariam, vel delegatam, illud frumentum capiendi, fed tanquam creditor, qui fibi licere exiftimabat tantum de bonis fui debitoris accipere, quantum fibi debebatur, prout aliquando licet concurrentibus circũftantijs, quas alibi recẽfuimus. & ponit *Nauar. cap. 17. num. 113. & Graffius. lib. 2. Decif. aur. cap. 93. num. 9. & feq.* Nec illos fructus tãquã res ecclefiafticas vfurpauit, fed prout erãt res particulares fui debitoris, qui nullatenus illi qđ debebat foluere volebat. Tùm quia fi eos fructus granum. f. tanquam fur, & latro fubripuiffet, in iftam excommunicationem nõ incidiffet. ut *Caiet.* quem omnes fequuntur, determinat in *v. excõicatio c. 27.* vbi quinque cõditiones requirit, Primo, ex parte rei acceptæ, quod. f. fit res ecclefiæ, nempe fructus, & prouentus, vel reditus, quibus tribus nominibus ea vniuerfa fignificantur, quæ ratione ecclefiarũ, monafteriorum, & aliorum ecclefiafticorum beneficiorum percipiuntur, & fructuum appellatione comprehenduntur: fructus enim funt reditus, qui ex re aliqua colliguntur, & ij partim funt ciuiles, ut penfiones domorum, vecturę nauium, & id generis, qui non ex re, fed propter rem, hominis induftria, & cura feruntur, quamobrem eos induftriales appellauit *Couar. lib. 1. var. refol. cap. 3.* Partim naturales, & ij funt, in quibus modica, aut nulla hominis induftria ad eos percipiendos defudat, vt poma, & huiufmodi. Ex parte quoque naturales, & induftriales funt, in quibus multa hominis opera exigitur, ut fegetes, frumentum, & id generis. Atque ftc tradit *Bart. in l. ex diuerfo ff. de rei vindicat. & Albas in c. grauis. ext. de reftitut. fpoliat.* idem *Graff. l. c. lib. 2. cap. 93. nu. 47. Bonac. de cont. difp. 1. q. 3. pun. vlt. §. 1.* Secundo hi fructus qui vfurpantur, neceffe eft, ut ad perfonas ecclefiafticas pertineant, nõ quidẽ fimpliciter fed ratione ecclefiarum, beneficiorum, vel monafteriorum. Quò fit ut hanc excommunicationem non contrahant, prædicta bona vfurpantes, fi ad ecclefiafticos aliunde pertineant, puta ratione patrimonij, aut alterius caufæ; uel fi perfona cui prouenit, non eft ecclefiaftica, puta fi quis fibi afcriberet fructus alicuius hofpitalis, cuius adminiftratio viro laico commiffa fit. Idemq; dicẽdum eft de reditibus penfionum ecclefiafticarum, etiamfi pẽfionarius clericus effet, cum ratione ecclefiaftici beneficij qđ habeatei non prouenianṫ, idẽ de quotidianis diftributionibus; licet in his cafib. excõicationẽ *Concilij Trid. feff. 22. de reform. cap. 11.* non euadant ut per *Suar. tom. 5. d. 22. Sect. 6. num. 22. Sayr. lib. 3. cap. 31. num 26. Azor p. 1. l. 9. cap. 27. q. 10. Zerulã in praxi Epifcopali. v. bona. Comitul. lib. 6. quæft. 23.* Tertia conditio eft, ut fructus ad perfonam ecclefiafticam illud beneficium obtinentem fpectet; per quam conditionem res fi fint ecclefiarum vacantiũ excluduntur, ut fenfit *Caiet. l. c. & Tol. lib. 1. cap. 28.* Sed communiter reprobantur, nam vacante beneficio, fructus illius ad ecclefiafticam perfonam eligendam pertinent. ut ex communi refoluit *Duard. lib. 2. can. 17. quæft. 12. & Megalus lib. 3. cap. 10. nu. 70.* Quarta circunftantia eft, ut ifta fine expreffa licentia Papæ fiant. Ex qua fequitur Quinta, vt hæc bona authoritatiue vfurpentur, fi quidem, vt fupra præmifimus, hic Canon conditus eft contra dominos, qui hæc tanquam authoritatẽ habentes, in proprios vfus conuertunt. Quamuis enim Principibus & primariis viris, ex rectæ rationis, & diuinarum le-

gum præscripto viuere præ cæteris conueniat, sæpe tñ nonnulli temporales viri dictum illud impium,& putidũ pessime vsurpant, Quodlibet, licet. Et nihilominus ut ait *Plinius in Paneg*, Nõ est Princeps supra leges, sed leges supra Principẽ. Atq; hanc secundam quæstionem resoluit *Nau. in consil. 31. de sent. excommun.* & eam tangit, *Vgol. in Comment. super Bullam in Cœna Domini. p. 2. c. 17. §. 2. Gambarupt. de cas. reser. casu 16.*

Vnde resolutiue dico, Blasium lethali noxa se implicasse, cum non obstãte Episcopi edicto, quo eum excommunicatum declarauit, diuinis se immiscuit; nam etiamsi fortasse se ab huiusmodi censurarum nexibus immunem putabat, ad euit ndum tamen scandalum, & ad propriæ conscientiæ consulẽdum, illam seruare debebat, si quidem Pastoris sententia siue iusta, siue iniusta, timenda est, *cap. sententia. 11. quæst. 3. Sayrus. l. 1. de censu. cap. 17.* Nam & ille etiam qui reuera est excõmunicatus in foro nihilominus conscientiæ absolutus, non potest se tanquam non excommunicatum gerere, nisi aliis constet, absolutum fuisse, neque enim cũ aliis tàm in diuinis, quàm humanis, & ciuilibus actibus, propter scandalum communicare valet, *Bonac. de censu. quæst. 3. pun. 10.* Imo peccato peius Blasius ipse cumulauit peccatũ, cum excommunicationis libellos deturpauit, ac dilaceravit, quædam impia uerba effutiendo, ut propterea uiolatæ religionis Iudex, uel Inquisitor contra eum procedere possit, si res ad eius tribunal sit deducta, si quidem male de Prælatorum authoritate sentire videtur, ecclesiasticas censuras contemnere, & irridere, & ipsi ecclesiæ iniuriam irrogare. *Pegna in 3. p. Direct. Inqu. Comment. 24. Marc. Ant. Genuensis. in praxi Cur. Neap. c. 8. Lazar. de blasph. quæst. 12.*

QVAESTIO XI.

An Vicarius Episcopi peccauerit, & in censuram inciderit, qui clericum negotiatorem, & res ex bonis patrimonialibus, & beneficialibus, perceptas vendentem, dum Romam pergeret, beneficio priuauit. An volantarie de fide dubitantem, & illam dubitationem ioco prodentem, absoluere valeat, vel absoluendi facultatem dare. Verum expellere, possit fabrum prope ecclesiam religiosorum malleantem. Et an notarios in officio delinquentes punire, & suspendere ei fas sit?

OCtauius Episcopus cum sub pœna suspensionis vetuisset, ne clerici sibi subditi, negotiationem exercerent, & Gaspar clericus beneficiatus, & in minoribus ordinibus constitutus, in equis, & bobus emendis, ac vendẽdis, mercaturam exercuisset, ac vina, blada, olea, & huiusmodi tàm ex patrimonialibus, quàm beneficialibus bonis percepta, non solum in magna, sed etiam in minuta men ura venderet, Raymundus eiusdem Octauii absentis Vicarius, cũdem Gaspatem Romam pro suis negotiis proficiscentem, beneficio priuauit. Secundo Marcũ laicum qui voluntarie de christiana fide in uno articulo, nempe de sacramento Eucharistiæ, dubitauit, & illam dubitationem ioco prodidit, ut absolueretur, Confessario facultatem commisit. Tertio Bernardum fabrum prope quandam religiosorum ecclesiam habitantem, & in officina malleo operantem, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda præcepit, ut inde discederet, & habitationis locum etiam cum suo incommodo mutaret; qui dolore intrinsecus tactus, sibi ipsi mortem consciuit. Quarto Vincentium Episcopalis Curiæ notarium ab officio suspendit, eo quod pro testimonialibus literis, vltra pretium à Concilio Tridentino præscriptum, nescio quid sponte oblatum accepit. Quæritur an in his quatuor casibus iuridice processerit, & in aliquam censuram inciderit, & ad aliquam restitutionem teneatur?

RESOLVTIO.

REspond. Quò ad primam quæstionem, illud mihi resoluendum uidetur Primo, quod licet Gaspar quò ad illam partem grauiter peccauerit, cum equos, & boues emendo, ac uendendo, negotiationem clericis in sacris constitutis, uel in minoribus; ac beneficia habentibus per sacros canones sub pœna excommunicationis, & suspensionis prohibitam exercuit, *cap. secundum. ext. ne clerici, vel monachi Nau. cap. 25. num. 110. Molina de contract. disput. 342.* Nihilominus ex eo capite, tàm à culpa, quàm ab ecclesiasticis censuris infligendis excusandus videtur, cum vendidit vina, blada, olea, & similia, tàm ex patrimonialibus, quàm beneficialibus bonis percepta, nam ex inde negociari non censetur, cum huiusmodi merces ex suis rebus sint collectæ, ac proinde nec uectigalis solutioni subiectæ, ut notat *Abbas in d. c. secundum. Roland. vol. 4. consi. 71. num. 12. Crauetta. consi. 163. nu. 3. Graffius in Decis. aur. p. 2. lib. 3. cap 8. num. 11. Roder. in Summa. p. 2. cap. 1. Gutierez de Gabellis quæst. 93. nu. 25. Marta de iurisd. p. 4. casu 3. num. 9. Molfes. tract. 12. c. 22. nu. 173. Bellett. in Disq. cler. de cler. discip. §. 21.* At duplici errore se implicasse Raymundum Vicarium palam fit. Primo cum absque speciali sui Episcopi mandato, & sine causæ cognitione, eundem Gasparem absentem beneficio priuauit; nam sicut in generali Vicariatus commissione, beneficia conferendi potestas non comprehenditur, nisi ei beneficiorum collatio specialiter sit commissa. *cap. ult. vbi DD. de officio Vicarii lib. 6.* ita etiam sine speciali

ciali facultate illis spoliare, eidem Vicario integrũ non est. Imo etiamsi particulari facultate conferendi beneficia fulciatur, adhuc tamen ius priuandi clericum beneficio habere non intelligitur, nisi ad id speciale mandatum acceperit; nam & multi Episcopo inferiores conferre beneficia queunt, & tamen ea adimere non possunt. *Rebuffus in praxi benef. tit. de Vicar. Episc. num. 135. Azor. p. 2. lib. 3. c. 44. q. 12.*

In eo etiam secundo loco Vicarius peccasse conuincitur, quod indiscussa causa, contra Gasparem beneficio eum priuando, sententiam tulit: cum Iudex tàm ecclesiasticus, quàm secularis, causæ cognitionem, in omni negotio adhibere debeat, & rerum ordinem plena discussione inquirere *cap. Iudicantē. 30. q. 5.* Alias sententiam nimis festinanter proferendo, actum nullum reddit; nam licet causas cito expedire suæ sint partes, illud tamen matura celeritate intelligendum est, ita vt probe quò ad omnia instructus, & informatus fuerit, *Tusch. v. Index. concl. 385. & in v. repentina concl. 185.* Crudele iudiciũ est, dicebat Solon, si quid statuatur, antequam cum accusatione comparata sit defensio, hinc ille poeta,

Non nisi librato dirimas sententia litem,
Parte quod ex vtraq; conueniat examine causam.

Tholos. l. 50. c. 1. Thes. in præfã. ad Decis. Pedam. n. 5.

Tertio absque dubio peccauit Vicarius, nec excommunicationem summo Põtifici reseruatam effugit, cum Gasparem pro suis negotijs Romam se conferẽtem, suo beneficio spoliauit, & alteri dedit; aperta est enim Iuris diffinitio in *Extrauag. Diuina. de Priuileg.* in qua locorum Ordinariis, nec non eorum Delegatis, districtius inhibetur, ne contra suos subditos pro suis causis prosequẽdis ad Sedem Apostolicam accedentes, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut priuationis officiorum, aut beneficiorum, seu quamuis aliam sententiam promulgare præsumãt; quod si fecerint, irritum est, etsi illorum beneficia alijs sint collata, tàm dantes, quàm recipientes, ipso facto sunt excommunicati, à solo Papa absoluendi. De qua censura meminit *Vgol. de cens. Pont. reser. p. 2. cap. 9. vers. spoliat. & Duard. l. 2. can. 12. quæst. 7.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dicimus, quod cum ex vulgato iuris axiomate, Dubius in fide infidelis sit, *cap. 1.* vbi scribentes *ext. de haret.* etiamsi in vno tantum fidei articulo voluntarie, & deliberate dubitet, vt de sanctissima Trinitate, sacramento Eucharistiæ, & huiusmodi; nam non credẽns vnum articulum, vel de illo ambigens, supernaturalem fidem habere non dicitur. vt per *Farinac. de communicante stantem. de hæres. quæst. 178. num. 64. & num. 94.* Hinc conficitur, Marcum qui mentalem hæresim per iocum manifestauit, in iuris pœnas. i. in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam incidisse, dummodo illam hæresim per iocum prodiderit, in qua de præsenti reperitur, præsertim si per talia verba iocose prolata, hæresis suspicionem apud astantes contraheret. *Sayrus l. 3. de censicap 4. num. 31. Duard. l. 2. can. 1. quæst. 24. num. 26.* Proinde nec Episcopo, nec Vicario, ab ea hæresi absoluere licuisset, nec alijs absoluendi facultatem impertiri, cum ex communiori, probabiliori, & in praxi magis recepta sententia, per clausulam Bullæ Cœnæ Domini, facultas à *Concilio Tridentino. sess. 24. de reform. c. 6.* Episcopis tradita, absoluendi. s. in foro interiori ab hæresi, & ab alijs casibus in eadem Bulla reseruatis, reuocata sit. ut per *Barbosã in remiss. ad d. cap. 6. & Victorellum in addit. ad Tol. lib. 1. c. 69. Farinac. quæst. 192. §. 4. Duard. lib. 3. §. 2. qu 9. de Ezo. p. 2. Allegat. 40.* Ita ut si ab hæresi, vel ab alijs casibus in eadem Bulla contentis temere absoluant, absolutio nulla sit, & ipsi Papali excommunicatione afficiantur, nisi bona fide ab ea excusentur; nam ad dictam cẽsurã contrahẽdã præsumptio requiritur, q̃ quidẽ dolum, ac temerarium ausum presupponit. Eiusdẽ quoq; censuræ expertes ex eo capite tàm delegãs, q̃ delegatus dici possunt, qđ non ipse Vicarius absoluerit, sed absolutionẽ delegauerit, ac demandauerit; si quidẽ excõicatio lata cõtra faciẽtes, mãdãtes, & consilium dantes, non includit, nisi in iure exprimatur, & pœnæ de vno casu ad alium extendendæ non sunt. *c. in pœnis de reg. iur. in 6. Sayrus lib. 3. de censi. c. 11. nu. 25. & Duard. l. c. can. 1. q. 48.* Et bona fides in ipso Confessario absoluẽte dignoscitur, &c.

Est autem absoluti iuris, absoluendi ab hæresi potestatem penes Inquisitores residere, & illam aliis Confessariis scientia, & conscientia præditis delegare posse. ut per *Sanchez. l. 2. de præcept. c. 12. nu. 5.* Sed reus ab ipsis violatæ religionis Iudicibus, vel de eorum commissione, in foro sacramẽtali absolutus, in foro externo adhuc accusari ac puniri posset, si eius crimen in iudicium deducatur. ut per *Barbosam l. c. num. 29.*

III. Q. RESOLVTIO.

QVod attinet ad 3. q. dico non esse ita certum, an Vicarius sub pœna excommunicationis priuare potuerit domo suo Bernardum fabrum, qui ante religiosorum aduentum ibi habitabat, nec alibi ita commode commorari potest; nam sub dubio forte de hac re loquitur *Felynus in c. fin. in fine ext. de Iudicijs.* & varie in re simili disceptãt Doctores, vt videre est apud *Menoch. lib. 2. cent. 3. casu 237.* At fauore ecclesiæ, & religionis fabrum prope ecclesiam habitantem, & propter strepitum diuinum cultum impedientem, iure expelli posse

sentit

tes attentis auribus audierant, in Atheismum prolapsos. hæc ille.

Item vt sciatur an iste philosophus in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini inciderit, tanquam hæreticorum credens, & fautor, super intentione qua eorum concionibus interfuit, interrogandus erit, an. si ipsorum doctrinam approbauerit, &c. cum proposito & voluntate maleficia distinguantur. *cap. cum voluntate ext. de sent. excommunic. Geminian. cons. 7. Farinac. de hæresi. q. 179. §. 4.*

Cap. VI.

QVAESTIO VIII.

Vtrum qui ut muliere quadam potiretur, sortilegia confecit, peccauerit mortaliter, & excommunicatione innodetur. An denuntiantes Inquisitori, qui à se interrogata pandunt p. m. & in censuram incidant. Et quid de ipso Inquisitore, qui ob timorem inquirere omittit? &c.

Dominicus Comes magni nominis, & non vulgaris potentię vir, ad hæreticæ prauitatis Inquisitorem bis. i. à duobus delatus est, & accusatus, quod (vt erat in vetitas voluptates effusus) cum cuiusdam nobilis mulieris viduæ amore flagrans, nec pretio, nec prece, nec vi, dolo ue, ea potiri, valeret, cõsecrationis sacro sanctæ Euchatistiæ verba in virginea membranula quibusdam ignotis characteribus insertis, secum deferret, & magicis cantionibus Dæmonem rogitauerit, vt se voti competem faceret, hoc illum præstare posse credens, &c. Cum autẽ ipse Inquisitor deferentes, & accusatores de multis interrogasset, peracto tandem examine, sub pœna excommunicationis, eis præcepit, ut nil de interrogatis cuiquam propalarent: ipsi tamen ob linguæ lubricum, cum præsertim huiusmodi delictum pluribus in vrbe innotesceret, interrogata prodiderunt, & idem violatæ religionis Iudex ob timorem, ne aliquid periculi, & incommodi à viro minaci, opibus, ac viribus pollenti sibi immineret (quod officij sui erat,) contra eundem Comitem procedere omisit. quæritur, an tàm Dominicus, quàm Delatores, & Inquisitor præter culpam, in censuram aliquam Apostolica nunc Sede vacante inciderint, & quænam illæ sint, & quid in praxi obseruandum sit, vt eorum conscientiæ in interno foro consulatur, &c.

I. SVPPOSITVM.

Respond. Suppono non solum censurarum in genere cognitionem cõfessarijs maxime necessariam esse, sed etiam excommunicationum, quæ in Bulla Cœnæ continentur, notitiam ab ipso habendam esse, ut pœnitentibus talibus obstrictis vinculis, pœnitentiæ sacramentum rectè administrare valeant; vt proinde regulariter à culpa mortali, si eas omnino ignorauerint, nõ excusentur, si quidem contra proprij status obligationem, earum rerum ignorantia laborant, sine quib. munus suum dignè, & ritè obire nequeunt. Ignorantia quippe, teste Boetio, miseros tramite deuio abducit, non expendentes,

Incertis esse nescire, quid liceat sibi.

Nau. in cap. inter verba num. 18. 11. q. 3. & cons. 10. de pœnit. & remiss. Nec dubium est quin maior eruditio ei necessaria sit, qui animarum curam gerit, & super alios iudiciariam iurisdictionem exercet, quã qui tantum super Corpus Christi verum. i. sacrificandi potestatem habet. ut ait *D. Thom. in 4. sent. d. 24. quæst. 1. art. 3. & 22. q. 6. art. 6.* ubi *Val punt. 6. Sanchez. in Summa. lib. 2. cap. 3. num. 2.* Pœnitentes vero eorundem cognitio latere non debet, vt ea delicta quibus in tàm graues censuras prolabũtur, effugiant: facile namque pœnitentes oculis clausis, & solutis habenis, in scelera ruũt, vel quia culpam nesciunt, uel non ita grauem agnoscunt, hinc vates ille, Propterea, inquit, captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. *Esaia. c. 5. Duard. lib. 3. §. 8. quæst. 1.*

II. SVPPOSITVM.

Secundo præmittendum est, hanc Bullam Cœnæ Domini dictam esse ex eo plumbeo sigillo, quo muniri solet. Et dicitur Bulla Cœnæ Domini, quoniam die Iouis sancto, quo tempore Christus Dominus postremam illam venerandamquè Cęnã cum suis Discipulis celebrauit, promulgari consueuit. Vnde ad sui Constitutionem exigit, vt in die Iouis sancti legatur, ac publicetur. *Duard. l. 1. c. 1. q. 4.* Hæc uero Bulla dicitur processus, quia aliàs nõ lex, nec statutum, sed hominis sententia dicebatur, proinde defuncto S. Pontifice expirabat, & omnis reseruatio tollebatur; sed hodie legis naturam sortitur, & per mortem Papæ, non extinguitur, sed durat, donec alij processus fiant. *Bonac. de cens. d. 2. quæst. 1. pun. 2.* Propterea hæc Bulla, & hæ literæ singulis annis publicantur, ut Christi fideles omnes in officio contineantur, & ut fides vna, pax sancta, & charitas vera inter eos cõseruetur. His literis Romanus Pontifex grauissima quædam delicta, quibus fidei puritas impediri, vnitas diuidi, charitas tolli possit, propositis pęnis coercere studet, & pro temporum ratione, ac rerum necessitate, aliquando aliquid mutat, & non nunquam addit; ut propterea Confessarius, qui alicuius pęnitẽtis confessionem excepturus est, Bullæ præsentis anni, & aliorum annorum, de quibus pęnitens confessionem facere intendit, notitiam

titiam habere debent; & ea subinde animaduertere, in quibus Bullæ inter se discrepent. Nam vt dicit Innocentius III. in *cap. non debet, ext. de consang. & affinit.* Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque variemus humana, presertim cum vrgens necessitas, vel euidens vtilitas id exposcit. Est igitur Bulla Cœnæ quidam generalis processus, vim legis habens, contra varia peccantium genera, quo ipso facto excommunicantur, & cuius absolutio S. Pontifici specialiter reseruatur. ut per *Vival. in cand. aureo in explicat. Bulla num. 130. Graffium. lib. 4. cap. 18. Vgol. cap. 2. & seq. & 8. Sayrum. lib. 3. cap. 2. Reginal. l. 9. cap. 13. Filliuc. tract. 15. cap. 1. & alios.* Vbi etiam tradunt offendentē Bullam hanc in pluribus capitibus in tot excommunicationes incidere, quot capita ipsius violat, quia earum quælibet specie ab altera distincta est, & diuersa causa diuersum parit effectū. Et simile asserit de eodem tempore, & eadem percussione plures clericos offendente quem dicit plurib. excommunicationib. vinciri consentit. *Duard. lib. 2. can. 9. quæst. 28. Bonac. de cēs. d. 1. quæst. 1. p. 5. Cherub. in Schol. ad Bullam. 63. Pauli V. Suar. de cēs. d. v. sect. 3.*

I. Q. RESOLVTIO.

HIs ergo animaduersis, dico Dominicum non Domini amicum, sed potius inimicū fuisse, quando cum eius hoste Diabolo commercium habuit, in perfidia, & in insipiētia cordis sui à Deo Domino deficiens, & aberrans, & tanto scelere omnem iniquitatem superante se ipsum inficiens. Et si errorem in mente habuit, ita. s. credendo, puta quod nō sit vnus Deus, quod Christus non sit Saluator mundi, quod eius sacramenta quò ad animam nihil prosint, qu od Dæmon diuinitatem habeat, quod sacrosancta Eucharistia, & res sacræ vi aliqua præditæ sint ad conficienda maleficia, & animos labefactādos, &c. Si inquam, circa hęc, & similia, errorem in intellectu habuit, tanquam formalis hęreticus excommunicatione in Bulla Cœnæ innodatus est, vt proinde per Inquisitorem, vel aliū authoritate pollente absolui debeat; & siue Bulla Cœnæ à Iure sit, vt communior sententia tradit, siue ab homine, vt etiam nonnulli senserunt, etiam Sede vacante, non nisi à Vicario Summi Pontificis, uel ab Inquisitore absoluendi facultas petenda est, cum hęc Episcopis in casibus etiam occultis in Bulla Cœnę contentis denegetur. *Sanchez. lib. 2. cap. 11. Bonac. de cens. d. 1. quæst. 3. p. 2. Riccius. 3. p. decis. Cur. Neap. decis. 279.* vbi etiam obseruat, cum Inquisitores ab hęresi in foro externo absoluunt, tunc quemlibet Confessariū, quò ad internum iudicium, super ea absolutionis beneficium impendere posse. Secus si impura libidine excæcatus, & dementatus, hæc perpetrauit, errore in intellectu carens, nam etsi grauis sceleris sit reus, ab hæresi tamen, & excommunicatione immunis erit; quamuis in foro exteriori hæreticus præsumatur, & contra illum per fidei Inquisitores procedatur, cum præfata facta, & dicta hæreticalia sint, aut saltem manifestam hæresim sapiant. iuxta *cap. accusatus. §. sane. ext. de haret. Azor. p. 1. l. 8. cap. 18. q. 17. & alij supra citati.*

II. Q. RESOLVTIO.

SEcundo dico denuntiantes Dominicum non cēseri excommunicatione ab homine. i. Inquisitore lata innodatos; illa enim eius verba quæ sub pœna excommunicationis ab ipso proferuntur, ad incutiendum potius terrorem dicuntur, quæ à Doctoribus comminatoriæ excommunicatioes appellari solent. ut per *Sayrum l. 1. de cens. cap. 11. à Suarez. disput. 3. sect. 3. & Duar. lib. 1. cap. 3. quæst. 1.* Et in dubio an aliqua censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ, iudicandum est esse comminatoriam, nā odia restringenda sunt *cap. odia de reg. iur. in 6.* Et in dubijs quod minimum est sequendum *l. semper. ff. de reg. iur.* vbi *Decius* aliud censet de excommunicatione simpliciter prolata, ut de maiori intelligatur, cum ab homine fertur. *cap. pen. de sent. excomm. Graffius. l. 4. Decis. c. 1. & 2. Bonac. de cens. q. 1. pun. 1.* Imo à lethali culpa excusari possunt, si sub sigillo secreti ab eo sub hoc præcepto commissa, ex indeliberatione, subreptione, & subito motu illa referarent, ut in omni materia ex omnium scribentiū more contingere solet. Difficillimum namque est, suo tempore linguam compescere, & coercere, ita vt ille vere dixerit,

Virtutem primam esse puto compescere linguam,
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Non frustra in vdo lingua posita est, nisi quia in lubrico facile labitur. Anacharsis Philosophus cum apud Solonē cænasset, referente Plutarcho, hoc gestu, & situ, dormiens deprehensus est, vt dextram ori admotam haberet, sinistram pudēdis, existimabat enim linguam arctiori freno egere, nec facile quem proferre, tot homines rerum venearum intemperātia sublatos, quot vrbes tacēdus sermo incautè prolatus euertit, &c. Idem interrogatus quid esset in homine pessimum, & quid optimum? respōdit lingua, sentiens, idem membrum plurimam vtilitatem afferre, si recta ratione gubernetur, pestilentissimum esse, si secus. *Laer. l. 1. c. 9. Tusch. v. loquendum, & vt lubricum concl. 443. & seq.*

III. Q. RESOLVTIO.

TErtio dico quod licet Inquisitores ex odij, gratiæ, lucri, aut amoris prætextu contra hereticos

nit, qui omnium iudicio, imperio dignus iudicatus est, nisi imperasset. Id multis alijs accidit, qui in bona spe, & fruge apud homines habiti, imperium denique adepti, se minores eo produnt; si quidem Magistratus virum ostendit. Ingenito vitio, vel humanæ mentis imbecillitate euenit, vt plerumq; in Principatu exerant se vitia, quæ priuata in vita occultabantur; initia Magistratuum fere meliora sunt, sed finis inclinat. ait *Tacitus 15. Ann.* Clarum exemplum est in Nerone, qui initio imperii adeo inculpatæ vitæ fuit: & tamen quibus, & quantis postea flagitijs coopertus fuerit, neminem latet. Sed ad rem nostrum proxime accedendo.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo supponendum est, in omni repub. ad subleuandas communes necessitates necessaria esse onera, tàm realia, quàm personalia, in quorum distributione, tàm commutatiuæ, quàm distributiuæ ratio seruanda est, commutatiuę quidem vt non nisi ex vrgenti causa, iuxta facultatem sibi competentem imponantur: distributiuæ vero, vt inter ciues pro cuiusque viribus distribuantur. Iuriquè, & naturali, & diuino admodum consentaneum fuisse, vt ab huiusmodi onerib. ecclesiasticæ personæ tàm in se ipsis, quàm in bonis suis, seu etiam colonorum, & sociorũ partiariorum immunes essent, ita vt illis noua onera absq; Põtificio assensu imponi nequeat, etiamsi hmõi impositio ecclesiasticũ cõmodũ respiceret, vt si esset pro mœniũ, vel viarũ, seu pontiũ, & talium rerum reparatione, vt fuse prosequitur *Sotus in 4. sent. dist. 25. quæst. 2. art. 2. & Sayrus l. 3. cap. 22. ex traditis per DD. in cap. quamquam. de censibus in 6. & in cap. non minus. ext. de immun. eccles. Natta cons. 409. Decianus cons. 6. Surdus cons. 301. Bonac. de contract. d. 2. quæst. 9. p. 2. num. 10. Molfes. tract. 12. cap. 22. num. 155. Barth. à Fausto de restit. d. 33. quæst. 13. & seq. Mar. Ant. l. 1. resol. 97. & 111. Riccius. 2. p. Decis. Cur. Arch. Neap. decis. 290. Grat. in For. Discept. cap. 149. Bellett. p. 1. Disqu. cler. de exemp. §. 5.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio Suppono, clericorum bona in triplici genere constitui. Primo namque sunt ecclesiastica, quæ ex beneficij redditibus possidet. Secundo patrimonialia, quæ ex paterna hæreditate sibi debẽtur, vel aliunde ad se deferuntur. Tertio industrialia, quæ ex quotidianis distributionibus, vel diuinorum officiorum, sacræquè rei celebratione lucratur. *Abbat. in c. 7. ext. de testam. Nau. de redditibus eccles. q. 1. & alij communiter.*

IV. SVPPOSITVM.

QVarto Suppono ex *DD. in cap. solita. ext. de maior. & obedien. & Castrens. in cons. 288. & Tusch. in v. potentia*, duas potestates distinctas à Deo prouenientes in terris reperiri, nempe maiorẽ, quæ est sacra, & ecclesiastica, & minorem, quæ est sæcularis, vel Imperialis, & vnã in alterius messem falcem mittere non posse, si quidem,

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Grilenzon. cons. 106. idem *Surdus. lib. 2. cons. 2. Molfes. tract. 12. cap. 22. num. 162. Grassus de effect. cler. effect. 3.*

I. Q. RESOLVTIO.

HIs constitutis dico, Barnabam, qui clericis sibi in temporali dominio subiectis collectas, absq; Pontificio indulto imposuit, & ab his exegit, in excommunicationem Bullæ Cœnæ, supposita lethali ab eo admissa culpa, incidisse, cum ecclesiasticæ personæ à personalibus, & realibus oneribus, non solum quò ad se, & ecclesiarum bona, sed etiam quò ad patrimonialia ex cõmuniori, & veriori sententia, sint exempti. Multo magis id statuendum est quò ad bona donata pro sacrorum ordinum titulo, iuxta Decretum *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2.* vbi *Barbos. & de Episcopo. p. 2. Allegat. 19.*

Nec hanc censuram ex ea parte effugit, quod eorum clericorum colonos grauauit, indirectè enim ecclesiasticis onera imponi dicuntur, vbi eorum coloni pro illis aggrauantur. *Azor. p. 1. cap. 12. quæst. 2. Tol. l. 1. cap. 26. Sayr. l. 3. c. 22. num. 9. Vgol. §. 3. nu. 1. Martha de Iurisd. p. 4. casu 49. Duard. l. 2. can. 18. q. 5. & 17. Filliuc. tract. 16. cap. 11. quæst. 4. Alter. c. 2. & 7. Menochius de recup. possess. remed. 15. Mar. Anton. d. l. 1. resol. 97. Molfes. tract. 8. cap. 13. Tuschus. tom. 1. §. bona cencl. 114. Les. l. 2. de iustitia. cap. 33. dub. 3. Mol. d. 670.*

II. Q. RESOLVTIO.

SEcundo dico ipsum Barnabam, quidquid sit de peccato, in excõicationis Bullæ Cœnæ censurã non incurrisse, si quidẽ, ut supponit bona, vel fructus ad ecclesiasticas personas aliunde quàm ab ecclesijs pertinentes, vsurpauit, cum clericorum bona, quæ ratione patrimonij, vel aliunde acquisita habent, sibi adscripserit. Secus dicendum esset, quãdo fructus patrimonij quod pro titulo alicui, vt supra dixi, est assignatum, occupasset; nam patrimonium hoc, vt omnibus exploratum est, bonorum ecclesiasticorum priuilegio gaudet. Vnde & in Prouincia Mediol. à D. Carolo bene instituta, patrimonialia clericorum bona, ad quæ sacris initiari fuerunt,

neque ob eorum delicta alienari possunt. *Concil. Prou.6.tit.quæ ad ord.sacr.pert. Nau. conf.5. tit.de immunit.eccles.Vgol.in explicat. Bullæ.cap.17.§.2. & Duard.l.2.can.17.q.5.* quidquid nouissime scripserit. *Ant. Sousa in relect.Bullæ.cap.18.disp.86. nu. 3.Bellett. l.c.* Bene verum est, Prælatum istum sic hæc vsurpantem,saltem in foro conscientiæ,ab ista censura,quò ad primam partē casus,ex capite ignorantiæ,vel obliuionis,excusari posse:quandoquidē, vt alibi sæpius animaduertimus,in interiori,& animæ iudicio,vbi à lege,scientia, aut præsumptio requiritur, ignorantia etiam crassa à censura immunē reddit.vt late prosequitur *Sanchez.l.9. de matrim. d.32.num.36.& l.2.decal.num.38. & Duard.super Bullam.l.1.cap.2.quæst.5.& l.2.can.1. quæst.36. Pereg.de duello.quæst.8.num.32. Bonac.de cont.d.2.q. 9 punt.2.* vbi ex communi ait,custodes pontis,portus,fluminis,vel portæ ciuitatis, exigentes,vel recipientes vectigalia, à clericis ex ignorantia iuris, vel facti ab excommunicatione excusari posse. Idem *Duard.in Cœna Domini.l.2.cap.5.quæst.11.*

III. Q. RESOLVTIO.

QVò autem ad eam dubitationem, qua quærebatur, an inciderit in excommunicationē ab Episcopo vrbis latam contra eos, qui ad moniales,vel alias fœminas in monasterijs viuērès,literas amatorias scriberent dico. quod etsi ex parte sua à graui sacrilegio, & inobedientiæ delicto non excusetur,cum literas turpia continērēs, vel impuris verbis aspersas,ad sanctimonialem,& Deo dicatam virginem,& aliam nobilem viduam in clausura degentem exarauit,per ea quæ deduximus in *Comment. de cas.reser.p.2.cap.5.sect.50.* à censura tamen,& casu reseruato,si literę ad eas non peruenerunt, immunis erit cum iuslegibus,statutis, ac edictis,verba cum effectu sint intelligenda;& quando pro aliquo actu censura imponitur, nunquam illa contrahitur, nisi actus ille perficiatur, quia censura cum sit pena eius verba stricte, & proprie sunt intelligenda. *cap odia.de reg iur.in 6.* Hinc sequitur, vt excommunicatione cōtra eligentem indignum lata, si quis suffragium ferat,& electio non sequatur, in excommunicationem non incidat. Et arma, aliaquè prohibita ad christiani nominis hostes deferens,si pęnitentia ductus,res illas non tradat,sed reportet, excommunicatione in Bulla Cęnæ Domini contenta non irretiatur. vt p *Suar.* plures alios particulares casus enumerantem. *tom.5.de cens.d.4. sect.3. Duard.in Comment. ad Bullam Cœnæ. lib. 2. can.7. quæst.10.* Et regulariter actus attentatus tantum, seu cęptus reseruatus non censetur, nisi expresse per reseruationis verba contrarium caueatur; cum casus reseruatus diffiniatur, vt sit peccatum mortale exterius, actum completum habens,cuius absolutionem Episcopalem iurisdictionem habens, sibi reseruat, quò Christi fideles à grauioribus culpis abstinentes, in christiano officio contineantur: tùm quia, vt multi volunt,casuum reseruatio est odiosa, odia autem restringi,& fauores conuenit ampliari, tùm quia vbi de crimine agitur, vt dixi, de eo intelligitur, qđ cōsummatam,& perfectam iniuriam,continet. vt per *Felin.in tract.de conatu.& Tusch.v.conatus concl. 654.& v.verba cum effectu.concl.90.Nau.in cap.si quis non dicam.num.18.de pænit.dist.1.*

Hinc puerorum incestus vsum rationis nondum adeptorum non est reseruatus, imo nec adultorum & eorum, qui extra vas semen emiserunt, licet graue sit delictum,reseruatione non afficitur, cum crimen perfectum,& consummatum non dicatur.

Vnde huius nostræ quæstionis resolutio colligitur etiā ex *Nau in conf.19.tit.de sent excomm.* Vbi cum Gregorius XIII. sub pęna excommunicationis latæ sententiæ prohibuisset, ne cuiusdam ordinis fratres ad aliquas moniales sui ordinis scriberēt, cum quidam frater scripsisset, sed epistola ad eam non peruenisset,eum à censura immunem censet, eo quod verba cū effectu extrinseco intelligēda sint. *Feder. de Senis.consil.c. Sāchez.de pcept.l.6.c.16.nu.117.*

CONFESSARII PARTES, monita, & documenta.

COnfessarius in praxi Barnabā admonere debebit,duplex sacrilegij flagitium perpetrasse, contra immunitatem clericis concessam, & duplex censuræ vinculum contraxisse, vnum quia collectas clericis sine Pontificis assensu imposuit, & exegit. Alterum quod illius clerici patrimonialia bona, si ad eorum titulum, ordine initiatus fuerat,confiscauit;vbi enim plures distinctę trānsgressiones formaliter reperiuntur, ibi etiam plures inuoluuntur censuræ. Etsi præter hæc, vis in ipsam personam clerici interuenisset,peculiaris etiam iniuria ei esset illata, & actio in alia specie sacrilegij constituta,& consequenter alia censura astrictus foret,quę continetur. *in cap.si quis suadente Diabolo.17.q.4 Bonac.d.1.q. 1.p.5.Duard.l.2.can.10.quæst.9.nu.2. Filliuc.tract. 15.cap.1.quæst.6. & tract.24.cap.9. quæst.5.*

Item grauis delicti reum factum esse,cum literas amatorias omni iure repugnante, ad sanctimonialem scripsit, atque conabitur eum ab hoc crimine in posterum committendo auertere proponendo, in huiusmodi facinoris genus solere Deum præter æternę mortis barathrum, maximis calamitatibus,& plagis animaduertere. vt in *d.Comment. de cas.reser.p.2.cap.5.* ostendimus.

Cum hic vir in suo Marchionatu sit dn̄s temporalis,et si prima tonsura insignitus, recolat pietatem,

& in

& in Deum religionē maxime eū decere, ecclesiam, & sacra tueri, eius bona non inuolare, nec iura, & immunitatem violare; nam contra hæc delinquētes acriter quoque à Deo semper puniti fuerunt. Siquidē *Petrus venerab. l. 2. Mirac. c. 1.* narrat, fuisse quendàm virum vrbis Matisconensis, qui post vsurpata quædam ecclesiæ bona, coram multis die festo, cum ab equite ignoto, & terribili, ante fores ibidem paratum equum inscendere iussus esset, ab eodem in aera cum terrifico ieiulatu abreptus fuerit. Et Ludouico Crasso Francorum Regi clericorum immunitatem frangenti, seuere, ac serio prænuntiauit, S. Bernardus, Scito Rex fore, vt in vindictam huius delicti tui moriatur nō ita multo post Philippus tuus, quem tibi in successorem delegisti, quod quidem re ipsa, exacto breui temporis spatio, accidit. *Cauaf. de Prudentia. l. 1. cap. 11. §. 3.* Vt veritate semper comprobatum illud sæpius repetitum adagium appaeruerit, A sacris abstinendæ manus, cum vulgo quoque creditum sit, fatum ei instare, qui sacris rebus, ac Deo dicatis, manus iniecerit, &c. *Daur. tom. 2. Exemp. c. 3. tit. 108. exemp. 17.* Atque constāter statuat Princeps, hanc esse vnā viā perpetua dominia conseruandi, si Altissimi Dei legem, & ecclesiasticas sanctiones rebus omnib. præferat, pro quarum defensione non solum facultates, & Principatus, sed etiam vitam profundere paratus sit. Ad hæc superbiam ex eius anima euellere studeat, est enim omnis peccati initium. Nec nō auaritiam omnium malorum radicem eliminare, ne dum nimium sibi tribuit, & per fas, & nefas ditari, & statum augere contendit, proprio periculo discat, dominari excelsum super hominum regnum, qui exaudit clamorē pauperum; vt Saul, Nabuchodonosor, Antiochus, & alij tàm veteres, quàm recentes exemplo sunt: durissimum enim iudicium in ijs qui præsunt fiet. *Sap. cap. 6.* videantur *Comment. nostri de stat. p. 2. cap. 1.* Et hanc in rem insignem epistolam, quam Alexander VI. cum in Brabantia, ecclesiastica iura minui viderentur, scripsit Philippo Austriæ, Burgundiæ, & Brabantiæ Duci, ut habetur apud *Zipæum in Comment. de iure Pontificio. tit. de immunit. ecclesiæ.*

Quis potuit esse maior Valētiniano Imperatore imperium Orientis, & Occidentis administrante? & tamen tali, tantoquè Monarchæ. *D. Ambr. epistol. ad Marcell.* potestatem aliquam in res, sacrasquè personas fidenter conuenire negat. Allegatur, inquit, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quę diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Esto Dei subditus, scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari, ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesia. Publicorum tibi mœnium ius concessum est, non sacrorum. Quid ad hęc Valentinianus iurium suorum probus peritus? nihil opposuit, sed Antistitis diffinitioni assensus est, cohibuit se, ne in alienam messem falcem mitteret, & christianos omnes Principes, & temporales Dominos, se minores, prudēter docuit, quāto in hac parte modesti, pij, ac religiosi esse debeant. *Chauaf. de Prud. lib. 1. c. 11.* Quippe sui ipsius cognitio, ne quid supra vires, & facultates suas audeat, ad Præpositos, & Rectores in primis spectat. Priuati sibi ipsis incogniti, & ob id aliquam sui muneris partem negligentes, vel à scopo suo aberrantes, sibi solis nocent, at qui alicuius imperij clauum tenent, vix vnquam soli pereūt, sed multos secum in ruinam pertrahunt, perinde ac nautę in breuia declinantes, aut aurigæ, à recta via deflectentes. Et vt alibi annotauimus, Magnum, & difficile opus est, Principum, ac Magnatum conscientias regere, quod hominem nō solum valde peritum, sed etiam valde prudentem, & fortem requirit, & quod caput est, qui nil cupiat, nil ambiat, nihil quærat, & nihil nisi Principis salutem velit. Nec Confessarius ob timorem, ne ab officio suo expellatur, ab admonitionibus desistere debet, quin potius gaudere si hoc acciderit, se à tàm periculoso onere liberatum, ut Dominicus Sotus de se ipso dicebat, cum se à Carolo Quinto abdicauit. Vere Publius Mimus dicere solebat, Si in clientelam potētis hominis peruenei is, aut veritas, aut amicitia perdenda est. *Belarm. de offic. Princ. lib. 1. cap. 6.*

QVÆSTIO X.

Bona naufragantium sua industria seruans, an licite absque culpa, & censura incursu, illa retineat. Fructus beneficiorum, vt Episcopatus, in compensationem capiens, an in excommunicationem incidat, &c.

Blasius cum per mare Adriaticum ac ex Venetijs ad propriam vrbem, & suos lares rediret, ex naui naufragium passura, arcam librorum plenam, quæ erat Andreæ Bibliopolæ sua, & famuli quem secum habebat, industria, seruauit, & tanquā propriam à se iuste acquisitam, domum conduxit. Item cū Domitius Epus eius patruus. 80. aureos ci deberet, quæ multis vicibus rogatus soluere noluit, quoddam oppidum eius Episcopatus, quibusdam socijs comitatus nocte adiuit, & ex horreo dicti Domitij patrui granū pro aureis sibi debitis surripuit: quod cum eidem Episcopo innotuisset, nepotem in Bullam Cœnæ Domini ex duplici capite incidisse declarauit, & eum excommunicatum publicauit. Quo non obstante, à diuinorum, & fidelium cōmunione non abstinuit, imo excommunicationis schedam, vel, vt dicunt, cedulones dilacerauit, deturpauit, & quædam impia verba contra excommuni-

rationem protulit. Quæritur quid in vtroque casu sit iuris, & quæ nam sint Confessarij partes?

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q. respondeo dicēdo, Blasium tùm à peccato, nisi simplicitas, & bona fides eum excuset, tùm ab excommunicatione lata in Bulla Cœnæ Domini contra naufragantium bona surripientes, non eximi, ut probatur ex textu in *l. Pompeius. ff. de acq. rer. dom.* vbi habetur, quod in naufragio si quid nostrum amissum est, aut fera bestia nobis rapit, nostrum manet, quamdiù recuperari potest. Si ergo dominium bonorum, quæ in naufragio amittuntur, à nobis non abdicamus, donec recuperari possunt, ergo dum recuperantur, esto domino extincta essent, ea animo contrectandi auferentes, & peccant, & in excommunicationem incidunt.

Quod etiam illa ratione confirmatur, nam qui iumētum in foueam prolapsum eruit, propter quod mortuum non sit, illud proprio domino restituere tenetur, etiamsi perijsset, si erutum ab eo illinc non fuisset, nam res mea manet mea, quandiù cōsumpta non est. Quò fit ut quis meā ouem retinere nō possit, qui eā è lupi faucib. eripuit, & restituere debeat quidquid ex incendio in domo mea exorto abstulit, etiamsi necessario comburenda foret; ergo in casu nostro idem dicendum videtur, ut quamuis illa librorum arca ex naufragio Blasij, & eius famuli industria sublata, domino perijsset, & illius iacturā fecisset, nihilominus eam auferens, bibliopolæ domino iure restituere cogatur. ut *Vgol. Vinald Duar. & alij in Bulla Cœnæ Domini* tradunt, & obseruat *Bonac. de contract. disput. 93. pun. 5. & 6.* Quippe vnicuique mandauit Deus de proximo suo *Ecclesi. cap. 17.* Et homo homini Deus, ut est in adagio, qđ de eo effertur, qui magno aliquem beneficio iuuit; nam cum plurima homini ab homine, vel commoda, vel incommoda, oriri soleant, & Dei proprium sit, vel seruare, vel benefacere, idcirco qui in graui periculo succurrit, quiue ingenti quopiam afficit beneficio, quoniam Dei quasi vice fungitur, ei cui pdest, Deus extitisse dicitur. Et sane mirum quantū suos proximos adiuuent qui sancti sunt, ut ferè sit il la ueræ sanctitatis, & iustitiæ nota, si filiū hominis adiuuet iustitia nostra. *Pineda in Iob c. 35. vers. 8.*

Atque supra firmatam resolutionem extendunt DD. etiamsi naufragi bona cum propriæ vitæ periculo recuperauerit, uel acquisierit; licet enim nec ex debito iustitię, nec ex charitatis officio, cum propriæ vitæ discrimine, ab interitu vindicare non teneretur, nihilominus eadem redimens, non per hoc non restituere non compellitur, nam cum dominus huiusmodi bona pro derelictis nō habuerit, nec sint talis naturæ, & cōditionis, ut proiecta, nisi mox abla ta fuissent, domino omnino extincta essent, ut quia ad litus non peruenissent, uel ad ea saluanda nullus alius se periculo subiecisset, ut saccharum, uel aromata in sacco inuoluta, illorum dominium adhuc penes naufragium patientem permanet, & ideo satis est si recuperanti expensæ, ac iusta merces pro labore, ac periculo, si ille velit, soluantur. *Less. l. 2. c. 5. num. 67. Rebel. par. 1. l. 1. q. 15. sect. 2. Vasquez de rest. cap. 5. §. 4. dub. 2. num. 15. & dub. 3 nu. 39.* quidquid aliqui, præsertim *Quaranta in v. Bona* naufragantium sentire videantur.

Porro ad hanc censuram contrahēdam quatuor necessaria sunt. Primo ut christianorum bona subripiantur, si enim Turcarum, uel Iudæorum huiusmodiue Infidelium, aut etiam hæreticorum christiani nominis hostium bona essent, hæc pœna non subiretur. Sicut etiam censuram illam euaderet, qui res hostium suorum caperet, in quos iustum bellum gerit: tùm quod licet in bello se quacunque ratione tueri; tùm quod ut canit Poeta,

Virtus, an dolus, quis in hoste requirat?

Vel qui res quidem christianorum auferret, sed hæ sunt, quæ ad christianæ reipublicæ, vel catholicæ ecclesiæ hostes contra ipsius prohibitionem deferebantur; *cap. ita quorundam. ext. de Iudæis.* Secundo requiritur, ut hæc bona illorum sint, quorum nauis aduerso vento transuersa est, uel quocunque modo naufragium passi sunt, modo ipsum naufragium nō in flumine, ut in Pando, Ticino, uel Tyberi, sed in mari sit factum; nam de solo mari textus loquitur, & in pœnalibus extensio non est facienda, *cap. in pœnis de reg. iur. in 6.* Tertio ut quis dolo malo illas res acceperit; nā qui illas recepit, ut domino restituat, in excommunicationem non incidit, cum Bulla de subripiente loquatur, & sic de doloso homine, qui restituere non vult, sed sibi retinere, qualis fuit Aristomenes Messenius, quem ferunt cum dolo, & fraudē cum proximi damno semper ambulasse, cuius defuncti cor cum excisum esset, pilis refertum fuisse dicitur. Item ut sciat res illas esse naufragio iactatas cum facti ignorantia excuset: sicuti qui ignorans exulem recipit, pœna statuti non punitur. Idem dicendum de auferente huiusmodi bona pro sibi debitis à naufragium patienti, quæ aliter recuperare non poterat, dummodo bona debitoris sint, & scandalum non interueniat. Prout etiam pœna hæc eos non afficit, qui naufragantium bona pro derelictis habita abstulerint, si quidem ijuste illa sibi ascribunt, quæ occupanti cœduntur. *§. fin. inst. de rerum diuis.* Quarto ut hęc censura incurratur, necesse est ut res sit alicuius ponderis, puta ut saltē duorum aureorum quantitatem, & valorem cōstituat, etiamsi minor summa peccatum lethale conficit. *arg. Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 3.* vbi statuitur, ut excommunicatio non nisi pro re magni mo-

menti

menti feratur. Cum tamen per Decretum Clemētis VIII. excommunicatio Papalis lata sit contra pręsumentes absoluere ab vllo ex casibus clare, vel dubie in Bulla Cœnæ contentis, consulerem, ut tutior pars eligatur, absolutionem à summo Pontifice obtinendam esse. ut etiam aduertit *Quaran. l. c.*

Nec illa innodatur rem parui ualoris asportans, quamuis ex huiusmodi furto, notabile damnū naufragium passo proueniat, ex illa communi positione, quod excommunicatio lata ob furtum intelligitur si ex se, & suapte natura sit peccatum mortale. s. rei notabilis, non autem si per accidens, ut quia graue damnum, aut molestiam intulit. *Sà in v. furtum. Faustus de furto disp. 2. quæst. 27. Bonac. de cens. disp. 1. quæst. 1. pun. 3. num. 11. Megalus. p. 3. lib. 3. cap. 4.* Quinto necesse est; ut naufragantium bona subripiens iuris ignorantia non laboret. i. ut sciat, Papalem censuram ibi inflictam esse, ecclesię enim inobediens dici nō potest, cum eam vel crassa ignorantia nescit, etiam si sciat furtum naturali, atque diuina lege prohibitum. *Lopez. p. 2. Instruct. conscient. cap. 45. Corradus in resp. cas. consc. quæst. 174. Sanchez. lib. 9. de matrim. d. 32. num. 36. & l. 2. decal. cap. 10. num. 38. Duardus lib. 1. in Bulla Cœnæ Domini. c. 2. quæst. 5. Bonac. de cens. disp. 1. quæst. 2. p. 1. nu. 7.*

II. *Q. RESOLVTIO.*

AD 2. quæstionem respondendo dico, quod licet Blasius male fecerit frumentum illud in compensationem sui crediti propria authoritate capiendo, contra *l. si quis in tantam. C. vnde vi.* (vnde etiam cauti esse debent Confessarij cum his creditoribus, qui vnguibus proprijs sibi ius dicunt, & menfuta, vt aiunt, molitorum sibi ipsis soluunt) non tamen in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini incidit: nam inter ea quæ requiruntur ad hoc vt capiens fructus Episcopatuum, vel aliorū beneficiorū, siue simplicium, siue animarum curā habētiū, illā cōtrahat, illud est præcipuum vt illos authoritatiue, ut DD. loquuntur, capiat, vsurpando. s. authoritatem eos accipiendi tanquam dominus, vel publica persona: at præfatus Blasius Episcopi nepos illos subripuit, non vsurpādo vllam iurisdictionem publicam, ordinariam, vel delegatam, illud frumentum capiendi, sed tanquam creditor, qui sibi licere existimabat tantum de bonis sui debitoris accipere, quantum sibi debebatur, prout aliquando licet concurrentibus circūstantijs, quas alibi recēsuimus. & ponit *Nauar. cap. 17. num. 113. & Graffius lib. 2. Decis. aur. cap. 93. num. 9. & seq.* Nec illos fructus tāquā res ecclesiasticas vsurpauit, sed prout erāt res particulares sui debitoris, qui nullatenus illi qđ debebat soluere volebat. Tùm quia si eos fructus granum. s. tanquam fur, & latro subripuisset, in istam excommunicationem nō incidisset. ut *Caiet.* quem omnes sequuntur, determinat in *v. excōicatio c. 27.* vbi quinque cōditiones requirit, Primo, ex parte rei acceptæ, quod. s. sit res ecclesiæ, nempe fructus, & prouentus, vel reditus, quibus tribus nominibus ea vniuersa significantur, quæ ratione ecclesiarū, monasteriorum, & aliorum ecclesiasticorum beneficiorum percipiuntur, & fructuum appellatione comprehenduntur: fructus enim sunt reditus, qui ex re aliqua colliguntur, & ij partim sunt ciuiles, ut pensiones domorum, vecturę nauium, & id generis, qui non ex re, sed propter rem, hominis industria, & cura feruntur, quamobrem eos industriales appellauit *Couar. lib. 1. var. resol. cap. 3.* Partim naturales, & ij sunt, in quibus modica, aut nulla hominis industria ad eos percipiendos desudat, vt poma, & huiusmodi. Ex parte quoque naturales, & industriales sunt, in quibus multa hominis opera exigitur, ut segetes, frumentum, & id generis. Atque sic tradit *Bart. in l. ex diuerso ff. de rei vindicat. & Albar in c. grauis. ext. de restitut. spoliat.* idem *Graff. l. c. lib. 2. cap. 93. nu. 47. Bonac. de cens. disp. 1. q. 3. pun. vlt. §. 1.* Secundo hi fructus qui vsurpantur, necesse est, ut ad personas ecclesiasticas pertineant, nō quidē simpliciter sed ratione ecclesiarum, beneficiorum, vel monasteriorum. Quò fit ut hanc excommunicationem non contrahant, prædicta bona vsurpantes, si ad ecclesiasticos aliunde pertineant, puta ratione patrimonij, aut alterius causæ; uel si persona cui prouenniunt, non est ecclesiastica, puta si quis sibi asciberet fructus alicuius hospitalis, cuius administratio viro laico commissa sit. Idemq; dicēdum est de reditibus pensionum ecclesiasticarum, etiamsi pēsionarius clericus esset, cum ratione ecclesiastici beneficij qđ habeat ei non proueniant, idē de quotidianis distributionibus; licet in his casib. excōicationē *Concilij Trid. sess. 22. de reform. cap. 11.* non euadant ut per *Suar. tom. 5. d. 22. Sect. 6. num. 22. Sayr. lib. 3. cap. 31. num 26. Azor p. 1. l. 9. cap. 27. q. 10. Zerulā in praxi Episcopali. v. bona. Comitul. lib. 6. quæst. 23.* Tertia conditio est, ut fructus ad personam ecclesiasticam illud beneficium obtinentem spectet; per quam conditionem res si sint ecclesiarum vacantiū excluduntur, ut sensit *Caiet. l. c. & Tol. lib. 1. cap. 28.* Sed communiter reprobantur, nam vacante beneficio, fructus illius ad ecclesiasticam personam eligendam pertinent. ut ex communi resoluit *Duard. lib. 2. can. 17. quæst. 12. & Megalus lib. 3. cap. 10. nu. 70.* Quarta circunstantia est, ut ista sine expressa licentia Papæ fiant. Ex qua sequitur Quinta, vt hæc bona authoritatiue vsurpentur, si quidem, vt supra præmisimus, hic Canon conditus est contra dominos, qui hæc tanquam authoritatē habentes, in proprios vsus conuertunt. Quamuis enim Principibus & primariis viris, ex rectæ rationis, & diuinarum legum

gum præscripto viuere præ cæteris conueniat, sæpe tñ nonnulli temporales viri dictum illud impium, & putidũ pessime vsurpant, Quodlibet, licet. Et nihilominus ut ait *Plinius in Paneg*, Nõ est Princeps supra leges, sed leges supra Principẽ. Atq; hanc secundam quæstionem resoluit *Nau. in consil. 31. de sent. excommun.* & eam tangit, *Vgol. in Comment. super Bullam in Cœna Domini. p. 2. c. 17. §. 2. Gambarupt. de cas. reser. casu 16.*

Vnde resolutiue dico, Blasium lethali noxa se implicasse, cum non obstãte Episcopi edicto, quo eum excommunicatum declarauit, diuinis se immiscuit; nam etiamsi fortasse se ab huiusmodi censurarum nexibus immunem putabat, ad euit ndum tamen scandalum, & ad propriæ conscientiæ consulẽdum, illam seruare debebat, si quidem Pastoris sententia siue iusta, siue iniusta, timenda est, *cap. sententia. 11. quæst. 3. Sayrus. l. 1. de censu. cap. 17.* Nam & ille etiam qui reuera est excommunicatus in foro nihilominus conscientiæ absolutus, non potest se tanquam non excommunicatum gerere, nisi aliis constet, absolutum fuisse, neque enim cũ aliis tàm in diuinis, quàm humanis, & ciuilibus actibus, propter scandalum communicare valet. *Bonac. de cens. quæst. 3. pun. 10.* Imo peccato peius Blasius ipse cumulauit peccatũ, cum excommunicationis libellos deturpauit, ac dilacerauit, quædam impia verba effutiendo, ut propterea uiolatæ religionis Iudex, uel Inquisitor contra eum procedere possit, si res ad eius tribunal sit deducta, si quidem male de Prælatorum authoritate sentire videtur, ecclesiasticas censuras contemnere, & irridere, & ipsi ecclesiæ iniuriam irrogare. *Pegna in 3. p. Direct. Inqu. Comment. 24. Marc. Ant. Genuensis. in praxi Cur. Neap. c. 8. Lazar. de blasph. quæst. 12.*

QVAESTIO XI.

An Vicarius Episcopi peccauerit, & in censuram inciderit, qui clericum negotiatorem, & res ex bonis patrimonialibus, & beneficialibus, perceptas vendentem, dum Romam pergeret, beneficio priuauit. An valuntarie de fide dubitantem, & illam dubitationem ioco prodentem, absoluere valeat, vel absoluendi facultatem dare. Verum expellere, possit fabrum prope ecclesiam religiosorum malleantem. Et an notarios in officio delinquentes punire, & suspendere ei fas sit?

OCtauius Episcopus cum sub pœna suspensionis vetuisset, ne clerici sibi subditi, negotiationem exercerent, & Gaspar clericus beneficiatus, & in minoribus ordinibus constitutus, in equis, & bobus emendis, ac vẽdẽdis, mercaturam exercuisset, ac vina, blada, olea, & huiusmodi tàm ex patrimonialibus, quàm beneficialibus bonis percepta, non solum in magna, sed etiam in minuta mensura venderet, Raymundus eiusdem Octauii absentis Vicarius, eũdem Gaspatem Romam pro suis negotiis proficiscentem, beneficio priuauit. Secũdo Marcũ laicum qui voluntarie de christiana fide in uno articulo, nempe de sacramento Eucharistiæ, dubitauit, & illam dubitationem ioco prodidit, ut absolueretur, Confessario facultatem commisit. Tertio Bernardum fabrum prope quandam religiosorum ecclesiam habitantem, & in officina malleo operantem, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda præcepit, ut inde discederet, & habitationis locum etiam cum suo incommodo mutaret; qui dolore intrinsecus tactus, sibi ipsi mortem consciuit. Quarto Vincentium Episcopalis Curiæ notarium ab officio suspendit, eo quod pro testimonialibus literis, vltra pretium à Concilio Tridentino præscriptum, nescio quid sponte oblatum accepit. Quæritur an in his quatuor casibus iuridice processerit, & in aliquam censuram inciderit, & ad aliquam restitutionem teneatur?

RESOLVTIO.

REspond. Quò ad primam quæstionem, illud mihi resoluendum uidetur Primo, quod licet Gaspar quò ad illam partem grauiter peccauerit, cum equos, & boues emendo, & uendendo, negotiationem clericis in sacris constitutis, uel in minoribus; ac beneficia habentibus per sacros canones sub pœna excommunicationis, & suspensionis prohibitam exercuit, *cap. secundum. ext. ne clerici, vel monachi Nau. cap. 25. num. 110. Molina de contract. disput. 342.* Nihilominus ex eo capite, tàm à culpa, quàm ab ecclesiasticis censuris infligendis excusandus videtur, cum vendidit vina, blada, olea, & similia, tàm ex patrimonialibus, quàm beneficialibus bonis percepta, nam ex inde negotiari non censetur, cum huiusmodi merces ex suis rebus sint collectæ, ac proinde nec uectigalis solutioni subiectæ. ut notat *Abbas in d. c. secundum. Roland. vol. 4. cons. 71. num. 11. Cranetta. cons. 163. nu. 3. Graffius in Decis. aur. p. 2. lib. 3. cap 8. num. 11. Roder. in Summa. p. 2. cap. 1. Gutierez de Gabellis quæst. 93. nu. 25. Marta de iurisd. p. 4. casu 3. num. 9. Molfes. tract. 12. c. 22. nu. 173. Bellett. in Disquisit. de cler. discip. §. 21.* At duplici errore se implicasse Raymundum Vicarium palam fit. Primo cum absque speciali sui Episcopi mandato, & sine causæ cognitione, eundem Gasparem absentem beneficio priuauit; nam licet in generali Vicariatus commissione, beneficia conferendi potestas non comprehenditur, nisi ei beneficiorum collatio specialiter sit commissa. *cap. ult.* vbi DD. de officio Vicarii *lib. 6.* ita etiam sine speciali

ciali facultate illis spoliare, eidem Vicario integrū non est. Imo etiamsi particulari facultate conferendi beneficia fulciatur, adhuc tamen ius priuandi clericum beneficio habere non intelligitur, nisi ad id speciale mandatum acceperit, nam & multi Episcopo inferiores conferre beneficia queunt, & tamen ea adimere non possunt. *Rebuffus in praxi benef. tit. de Vicar. Episc. num. 235. Azor. p. 2. lib. 3 c. 44. q. 12.*

In eo etiam secundo loco Vicarius peccasse conuincitur, quod indiscussa causa, contra Gasparem beneficio eum priuando, sententiam tulit: cum Iudex tàm ecclesiasticus, quàm secularis, causæ cognitionem, in omni negotio adhibere debeat, & rerum ordinem plena discussione inquirere *cap. Iudicantē. 30. q. 5.* Alias sententiam nimis festinanter proferendo, actum nullum reddit; nam licet causas cito expedire suæ sint partes, illud tamen matura celeritate intelligendum est, ita vt probe quò ad omnia instructus, & informatus fuerit, *Tusch. v. Index. concl. 385. & in v. repentina. concl. 85.* Crudele iudiciū est, dicebat Solon, si quid statuatur, antequam cum accusatione comparata sit defensio, hinc ille poeta,

Non nisi librato dirimat sententia litem,

Parte quod ex vtraq; conueniat examine causam. Tholos. l. 50. c. 1. Thes. in præfa. ad Decis. Pedam. n. 5.

Tertio absque dubio peccauit Vicarius, nec excommunicationem summo Pōtifici reseruatam effugit, cum Gasparem pro suis negotijs Romam se conferētem, suo beneficio spoliauit, & alteri dedit; aperta est enim Iuris diffinitio in *Extrauag. Diuina. de Priuileg.* in qua locorum Ordinariis, nec non eorum Delegatis, districtius inhibetur, ne contra suos subditos pro suis causis prosequēdis ad Sedem Apostolicam accedentes, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut priuationis officiorum, aut beneficiorum, seu quamuis aliam sententiam promulgare præsumāt; quod si fecerint, irritum est, etsi illorum beneficia alijs sint collata, tàm dantes, quàm recipientes, ipso facto sunt excommunicati, à solo Papa absoluendi. De qua censura meminit *Vgol. de cens. Pont. reser. p. 2. cap. 9. vers. spoliat. & Duard. l. 2. can. 12. quæst. 7.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dicimus, quod cum ex vulgato iuris axiomate, Dubius in fide infidelis sit, *cap. 1. vbi scribentes ext. de hæret.* etiamsi in vno tantum fidei articulo voluntarie, & deliberate dubitet, vt de sanctissima Trinitate, sacramento Eucharistiæ, & huiusmodi; nam non credens vnum articulum, vel de illo ambigens, supernaturalem fidem habere non dicitur. vt per *Farinac. de communi te stantem. de hæres. quæst. 178. num. 64. & num. 94.* Hinc conficitur, Marcum qui mentalem hæresim per iocum manifestauit, in iuris pœnas. i. in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contentam incidisse, dummodo illam hæresim per iocum prodiderit, in qua de præsenti reperitur, præsertim si per talia verba iocose prolata, hæresis suspicionem apud astantes contraheret. *Sayrus. l. 3. de cens. cap 4. num. 31. Duard. l. 2. can. 1. quæst. 24. num. 26.* Proinde nec Episcopo, nec Vicario, ab ea hæresi absoluere licuisset, nec alijs absoluendi facultatem impertiri, cum ex communiori, probabiliori, & in praxi magis recepta sententia, per clausulam Bullæ Cœnæ Domini, facultas à *Concilio Tridentino. sess. 24. de reform. c. 6.* Episcopis tradita, absoluendi. s. in foro interiori ab hæresi, & ab alijs casibus in eadem Bulla reseruatis, reuocata sit. ut per *Barbosā in remiss. ad d. cap. 6. & Victorellum in addit. ad Tol. lib. 1. c. 69. Farinac. quæst. 192. §. 4. Duard. lib. 3. §. 2. qu 9. de Epis. p. 2. Allegat. 40.* Ita ut si ab hæresi, vel ab alijs casibus in eadem Bulla contentis temere absoluant, absolutio nulla sit, & ipsi Papali excommunicatione afficiantur, nisi bona fide ab ea excusentur; nam ad dictam cēsurā contrahēdā præsumptio requiritur, q̄ quidē dolum, ac temerarium ausum presupponit. Eiusdē quoq; censuræ expertes ex eo capite tàm delegās, q̄ delegatus dici possunt, qđ non ipse Vicarius absoluerit, sed absolutionē delegauerit, ac demandauerit; si quidē excōicatio lata cōtra facientes, mādātes, & consilium dantes, non includit, nisi in iure exprimatur, & pœnæ de vno casu ad alium extendendæ non sunt. *c. in pœnis de reg. iur. in 6. Sayrus lib. 3. de cens. c. 11. nu. 25. & Duard. l. 2. can. 1. q. 48.* Et bona fides in ipso Confessario absoluēte dignoscitur, &c.

Est autem absoluti iuris, absoluendi ab hæresi potestatem penes Inquisitores residere, & illam aliis Confessariis scientia, & conscientia præditis delegare posse. ut per *Sanchez. l. 2. de præcept. c. 12. nu. 5.* Sed reus ab ipsis violatæ religionis Iudicibus, vel de eorum commissione, in foro sacramētali absolutus, in foro externo adhuc accusari ac puniri posset, si eius crimen in iudicium deducatur. ut per *Barbosam l. c. num. 29.*

III. Q. RESOLVTIO.

QVod attinet ad 3. q. dico non esse ita certum, an Vicarius sub pœna excommunicationis priuare potuerit domo suo Bernardum fabrum, qui ante religiosorum aduentum ibi habitabat, nec alibi ita commode commorari potest; nam sub dubio forte de hac re loquitur *Felynus in c. fin. in fine ext. de Iudicijs.* & varie in re simili disceptāt Doctores, vt videre est apud *Menoch. lib. 2. cent. 3. casu 237.* At fauore ecclesiæ, & religionis fabrum prope ecclesiam habitantem, & propter strepitum diuinum cultum impedientem, iure expelli posse

sentit

sentit *Bellett.in Disq.cler.tit. de fauore reali cler.* §. 4. *num.*57. Vtcunque sit, nimis præcipitanter egit Vicarius, cum statim indiscussa causa, ad eum expellendum, excommunicationis gladium statim arripuit; siquidem excommunicatio quæ est pœnarum maxima, subsidiarium, & vltimum remedium esse debet, sicut Hippocrates dixit in *Aphorismo* 6. Extremis morbis extrema, & exquisita remedia esse adhibenda. Et vt ait *Conc. Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 3. vt alibi meminimus. Quamuis excommunicationis gladius neruus sit ecclesiasticæ disciplinæ, sobrie tamen magnaquè circunspectione adhibita exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut leuibus ex causis, & rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutem.

Non tenebitur tamen in foro conscientiæ quidquam familiæ Bernardi restituere, qui doloris impatientia, sibi mortem intulit; quandoquidem damnum quod per accidens ex actione aliqua etiam iniusta sequitur, cum non sit præuisum, nec intentum ad culpam, & ad restitutionis pœnam non imputatur. *Bonac. cum communi de cons d.* 1. *quæst.* 1. §. 1.

Dicit tamen *Garzias de beneficys p* 5. *cap.* 7. *nu.* 17. grauiter peccare Episcopos, qui aliquando imperitos viros, seu aliàs ad officiũ ineptos constituũt, & ad damnorum inde secutorum restitutionem teneri. Et vt admonet etiam *Vgol. de officio Episcopi p.* 1. *cap.* 4. §. 6. *&* 8. In ipso eligẽdo, summam curam, & diligentiam adhibere debet Episcopus, nam de dãno ab eo iniuste dato in officio tenetur. Oportet autem eum peritum creare in his, quæ ad suum munus suum exercendum pertinent, in iure canonico, ac ciuili versatum, moralis philosophiæ, ac forensiũ causarum non ignarum. Cum quo sentit. *Azor. p.* 2. *l.* 3. *cap.* 43. *quæst.* 10. *&* *Barbosa p.* 3. *de Episcopo. Alleg.* 54 *num.* 54. De qua re consulenda sunt à nobis tradita in *Comment. de hum. vitæ statibus. p.* 1. *c.* 7.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q respondendo dico, Raymundum Vicarium non potuisse suspendere, seu ab officio amouere Vincentium notarium, qui vltra mercedem sibi à iure præscriptam, pro dimissorijs literis confectis, nescio quid vltro datum accepit, nec enim Generali Vicario sine speciali Episcopi facultate à beneficiis, officiis, vel muneribus deponere licet. *cap. licet. de off. Vic. l.* 6. *Sbrozzius de off. Vicar. lib.* 2. *quæst.* 111. *Vgol. de off. Episcopi. par.* 1. *cap.* 4. §. 7. Præsertim quod in hoc casu transgressio *Conc. Trident. sess.* 21. *de reform. cap.* 1. in re parui ponderis, vt supponitur, consistit. Nec desunt auctores qui tenent libere, & sponte donatũ præter stipendium sibi assignatum, posse inculpate à quolibet Officiali retineri *Tiraq. de nobilit. cap.* 29. *num.* 34. *Reginal. lib.* 10. *num.* 138. *Mol. de iust. & iure. tract.* 2. *disp.* 83. *Barbos. de Episcopo. Allegat.* 7. *num.* 18. *Sà in v. officium & alij.*

QVÆSTIO XII.

Vtrum peccet, & in excommunicationem incidat confessarius, & confessiones ab eo auditæ inualidæ reddantur, si approbationem non habeat in scriptis, sicut sub eiusdem censura pœna ab Episcopo præcipitur. An Episcopus interesse possit diuinis officijs in ecclesiis regularium peragendis cum Baldechino erecto, & si ab eis impediatur, an eos excommunicare valeat. Nunquid Episcopus religiosum fugitiuum ab excommunicatione absoluere queat, simulque licentiam dare, vt ad laxiorem religionem transeat. Et an concedere facultatem, vt Confessarius regularis ab excommunicatione absoluatur si quam incurrit, ob absolutionem casus reseruati in religione, à quo absoluere non poterat, &c.

CLemens Episcopus in synodalibus Constitutionibus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ cauit, ne quis sacerdos, tàm secularis, quàm regularis fidelium confessiones audiret, nisi approbationem in scriptis haberet, ipso Episcopo absente, Isidorus eius officialis, Antonio sacerdoti verbotenus tantum, & quodam munere accepto, eam facultatem illi impertiuit, qui sic postea multorum confessiones excepit. Secundo ipse Clemens domum reuersus, in quosdam religiosos excommunicationis sententiam tulit, qui immunitatum, & priuilegiorum, prætextu, quadam die eum diuinis officijs, in eorum ecclesia solemniter peragendis interesse volentem, cum vmbellæ, vel vt dicunt, Baldachini erectione, admittere noluerunt. Tertio Martinum in eadem religione professum, qui ex monasterio, excusso obedientiæ iugo, aufugerat, ab excommunicatione ob id contracta absoluit, & licentiam concessit, vt ad laxiorem ordinem transiret. Quarto suo Pœnitentiario facultatem dedit, vt Octauium regularem confessarium absolueret, qui in suo monasterio à casu grauis percussionis, in quendam fratrem inflictæ absolutionem, cum non posset impendit. Hinc quæritur. Primo, an Antonius peccauerit, in excommunicationem inciderit, & auditæ ab eo confessiones sint validæ. Secũdo an quia dicti regulares Baldachini in propria ecclesia erectionem prohibuerunt, contra eos per censuram procedere potuerit. Tertio nùm Martinum fugitiuum ab excommunicatione absoluere potuerit, simulquè dispensare, vt ad minus strictam religionem transire posset. Quarto an licentiam Octauium absoluendi dare potuerit, & quid iuris circa has quæstiones statuendum sit?

Resp.

I. Q. RESOLVTIO.

Refpond. Ad 1. q. breuiter fic refpondendum videtur, Antonium tàm à culpa mortali, quàm ab excommunicationis incurfu excufari, cum fine facultate in fcriptis, fed cum debita examinatione, & approbatione præmiffa, & folo verbo conceffa, confeffiones audiuit; nam ad valorem approbationis, non eft neceffe vt in fcriptis detur, fi quidē fcriptura ad rationem, & fubftantiam legis, gratiæ, & priuilegij tāquam neceffaria cōditio non requiritur, & in foro confcientiæ quælibet facultas à Superiore conceffa valet per verbum placet, aut fiat. *arg. c. inftitutionis. 25. quæft. 2. gloff. in cap. 1: de cenfibus. lib. 6. Tufchus. v. fcriptura. concl.* 88. *Sanchez. lib. 6. de precept. cap. 8. num. 69. & cap. 16. num. 30. lib. 3. de matrim. d. 35. num. 10. Bonac. de facr. d. 5. q. 7. p. 4. §. 1. num. 32. & de legibus. d. 1. q. 1. p. 4. num. 49. Gambarupta de caf. referv. c. 3.* Nec *Concilium Trid. feff. 23. cap. 15.* ullam exigit fcripturam, fed Epifcopus fub pœna excommunicationis illam præcipit, ut fraudibus obuiam eatur, & cum maiori cum deliberatione in fcriptis licentia detur, vt fides in foro externo fiat, & vt confeffarius illam exhibere poffit, quoties expedierit, aut opus effe iudicatum fuerit; at tale præceptum formam, vel conditionem non inducit, qua non feruata actus fit nullus. vt ait *Reginal. lib. 1. num. 197. Suarez. tom. 4. d. 28. fect. 5. num. 8. Bonac. de facr. l. c. nu. 32. & alii communiter.* Quò etiam fit, vt approbatio inualida reddita non fit, quod donum ab Epifcopi Officiali, ad eam facilius obtinendā acceptū fit, dummodo ipfe Officialis Epifcopi Antonium idoneum facramenti pœnitentiæ miniftrum iudicauerit, & vt talem approbauerit, iurifdictionemquè actu contulerit; licet enim Concilium, vbi fupra, exigat, vt approbatio gratis detur, illa tamen verba conditionem non imponūt, quæ fi expleta non fuerit, actus non valeat, vt non valet beneficii collatio, quæ pecunia obtinetur, qa id neceffarium, nec expediens fuiffet, fed tantū præceptum datum Epifcopis continent, vt gratis non per præmium ipfam approbationem concedant. ex *Suarez. Reginal. & Bonac. l. c.* At concilii menti contrarium non egiffet, fi ex animi beneuolentia præfertim poft factum, aliquod munus accepiffet, omnia enim refpuere nimis durum foret. *arg. Sanchez. l. 8. de matrim. d. 35. num. 14.* Vbi refoluit, non incurrere excommunicationem Officialem, vel Vicariū Epifcopi, cui facræ Pœnitētiariæ literæ gratis expediendæ diriguntur, fi expedita difpenfatione, munera fponte oblata acciperet.

II. Q. RESOLVTIO.

Ad 2. q. dico, Clementem tàm de iure communi, quàm vi Decreti à S. Card. Congreg. emanati, potuiffe religiofos illos facris interdicere, qui obftitere, ne in eorum ecclefia vmbellam, vel Baldachinum erigeret, aperta eft namque, & recepta Innocentii doctrina. *in cap. 1. de Officio Deleg. & in cap. dilectus. ext. de pœnis,* licere Epifcopis, feu locorum Ordinariis, procedere contra turbantes eorū iurifdictionem, vel eam impedientes, etiamfi exempti fuerint. Quem fequitur *Gemin. conf. 35. Tufch. v. Epifcopus. concl. 297. num. 7. & Stephan. Strefrer. in tract. de poteft. fecul. fuper perfonas. ecclef. nu. 23. & Roias de hæret. p. 1. nu. 555.* dicens, quod cum effet Epifcopatus Pampilon. Vicarius generalis, ita in forenfibus controuerfiis obtinuit contra quofdā monachos, & contra moniales exemptas, quæ mulierem nuptā intra clauftra monafterii iniufte detinebant, quibus adhæret *Ignat. Lopez in Scholiis ad Diax. cap. 3. & Lazar. de blafphemia. cap. 10. nu. 61.* Decretum vero quo declaratur Epifcopis in ecclefiis regularium Pontificalia exercentibus, licere Baldachinum erigere, & ad id per cenfuras religiofos cogere poffe, extat apud *Quar. in Summa Bull. v. Priuilegia regul. Barbos. par. 3. Allegat.* 80. *& Lazar. l. c.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. q. talis affertur refolutio, Clementi Epifcopo fas non fuiffe, Martinum monachum fugitiuum, qui religionis habitum dimiferat, ab excommunicationis cenfura abfoluere; fi enim vt fupponimus, eft exemptus, Epifcopi, vel eius Delegati iurifdictioni non fubeft. *cap. fi Papa. tit. de Priuileg. lib. 6.* Sed per fummum Pontificem, cui immediate fubijcitur, vel ex priuilegio per Superiorem puta Generalem, Prouincialem, feu particularis monafterij Præfectum, pro cuiufq; religionis priuilegiorum, vel inftitutorum ratione. *DD. in cap. 2. tit. ne clerici, vel monachi. lib. 6. Calder. confil. 538. Tufchus. v. religiofus. concl. 425. Chapenilla de cafibus referv. cap. 2. quæft. 1.*

Eadem ratione dicendum eft, non potuiffe cum eodem religiofo difpenfare, & lege foluere, vt ad minus ftrictam religionē tranfiret, cum hoc ad fummum Pontificem, vel Prælarum religionis ex iufta caufa fpectet. *Concil. Trid. feff. 25. de regul. cap. 19. Leffius. l. 2. cap. 41. dub. 13. num. 103. Nau confil. 56. de regul. Menoch. cent. 5. cafu 420. in Addit. Reginal. l. 19. cap. 19. num. 412. Riccius. p. 3. Collect. 521. Sayrus. Decis. 55. de regul. Sà in v. religio. num. 39. Zerula in praxi Epifcopali. p. 2. v. monachi. Azor. p. 1. lib. 12. cap. 14. quæft. 8. Graffius. l. 3. Decis. aur. cap. 5. num. 98. & feq. Sanchez. l. 6. de precept. cap. 7. nu. 69.* Vbi etiam admonent, vt quando Generalis cum aliquo difpenfat, quò ad laxiorem religionem tranfeat, debeat difpenfatus, vt in foro exteriori fe tueri poffit,

possit authenticam scripturam de facultate sibi cõcessa habere, quoniam Superiori etiam non recognoscunt aliū Superiorem dicenti se aliquid ex legitima causa facere, non creditur, nisi de illa cõstet.

Porro omnes fatentur, integrum esse Episcopo cum eo seculari subdito dispensare, qui arctiorem religionem ingredi vouit, vt ad laxiorem transeat; si quidem hoc non est dispensare in voto religionis (quod ius Papæ reseruatur) cum semper sit religioni obnoxius, sed in modo, & illius qualitate, hoc est in arctiori vinculo; nam etsi nullus Prælatus quantacunque præfulgeat potestate, præter Romanum Pontificem, possit in quinque votis, seu iuramentis dispensare, nempe de intranda religione, de perpetua castitate seruanda, de peregrinatione in terram sanctam, de visitando limina Apostolorum, & de peregrinatione ad D. Iacobum Compostellanum *Extrauag. vlt. tit. de pœnit. & remiss. Lessius lib. 2. de iust. cap. 46. dub. 13. num. 104.* Aliquando tamen Episcopis in eis dispẽsare licet, quò ad qualitatem adiunctam, quia illa solum vota summo Pontifici reseruari censentur, quæ simpliciter, & absolute religionis, castitatis, ac peregrinationis sunt; si quidẽ cum Episcoporum munus sit à Christo institutum, solet S. Pontifex eis illam iurisdictionem in vtroq; foro relinquere, quæ necessaria sit, vt tanquam ordinarij Pastores bene oues suæ diœcesis regant, atque ita Episcopus in sibi subditos suo modo ea omnia exercere valet, sicut Papa in tota vniuersali ecclesia potest, nisi in his quæ sibi proprie, specialiter, iure, aut consuetudine, sibi in vtroque foro reseruat, *Henriq. in Summa. l. 10. cap. 35. num. 2. Reginal. lib. 18. num. 330. & sequ.* Atque ita quò ad postremam assertionem resoluit *Roder. tom. 1. qq. regul. quæst. 25. art. 5. Sayrus. l. 6. clauis reg. cap. 11. num. 63. & alii multi*, quos refert *Sanchez. lib. 4. de præcept. cap. 40. num. 74. & Molfes. tract. 11. cap. 15. num. 146.*

IIII. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. dico, Clementi Episcopo integrum fuisse, suo Penitẽtiario committere, vt Octauium regularem Confessarium, qui fratrem ob grauem percussionem, in alterum suum socium, & collegam inflictam sine facultate absoluerat, à pœna excommunicationis liberaret, in quam ob Decretũ Clementis VIII. incidisse ferebatur. Diffiniti namque iuris est, Episcopum posse regulares, si cum licentia Superioris sibi subijciantur, & petant, à casibus, super quos facultatem habeat, absoluere, & super illos dispensare, & alteri iurisdictionem demãdare. vt per *Sanchez. l. 4. de præcept. cap. 39. nu. 32. Sayr. de cens. lib. 7. cap. 7. num. 23. Molfes. tract. 11. cap. 15. num. 132.* Et certum est, excommunicatum eo quia à reseruatis cõtra illud Decretum absoluit, posse ab Episcopo ab ea censura liberari, virtute *Conc. Triden. sess. 24. cap. 6. de reform. vt per Gambarupt. de cas. reser. cap. 3. nu. 33.* At cum supponatur, casum illũ grauis percussionis esse suo regulari Prælato reseruatum, & ab illo bona fide, non ex præsumptione absoluisse, dicendum est, dictam excommunicationem non contraxisse, & per consequens Episcopali illa authoritate opus nõ fuisse, quia idẽ sanctio illa Pontificia de reseruatis Sedi Apostolicæ, & locorum Ordinarijs loquitur, qui proprie Episcopi dicuntur. Et verbum præsumpserit ibi positum, dolum, & temeritatem absoluentis requirit. Et ut habetur in *cap. 2. ext. de sent. excomm.* Monachi, & regulares quocũque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum prouidentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur, & si eius discretio non sufficit, ad eorum correctionem est prouidentia Diœcesani Episcopi adhibenda. *Roder. in qq. regul. tom. 1. quæst. 20. art. 12. Tusch. v. Abbas. concl. 16. num. 10. Graffius. lib. 1. Decis. aur. cap. 13. nu. 28. Lazar. de blasphemia. quæst. 10. nu. 47. Gambarupt. l. c.* Vt etiam annotauimus *tract. 8. cap. 4. quæst. 11. & in Comment. de cas. reser. p. 1. cap. 1.* At idem *Roder. l. c. quæst. 21. art. 3.* vult, regularẽ temere, & dolose absoluentem à casibus reseruatis in suo ordine, præter culpam admissam, & inualidam absolutionem, in pœnam excõicationis latæ in *Clem. 1. de Priuileg. Summo Pontifici* reseruatæ incidere à qua Generalis, vel Prouincialis Præfectus absoluere valet. vt sentit idem Author *tom. 1 quæst. 61. art. 9. Beia in resp. cas. consc. p. 4. casu 37. Sanchez. l. 8. de matrim. disp. 2. nu. 13.* prout etiam insinuauimus supra *tract. 5. cap. 5. quæst. 31.*

Cap. VII.

QVAESTIO XIII.

An præcipiens aliquem Romipetam percuti, si mandatarius mandati fines excedens occidat, simul cũ ipso mandatario in Bullam Cœnæ Domini incidat. Et quid de restituendi obligatione. Et quid dicendum si quis ob æs alienum non solutum, sit excommunicatus, & soluere non possit?

ANtonius cum Romam cuiusdam litis expediendæ causa proficisceretur, & in hospitio quadam iniuria ab Augustino limina Apostolorũ deuotionis, & pietatis causa petente, affectus esset, Ambrosio suo famulo iussit, vt in via eundem Augustinum percuteret, & vulneraret; ipse vero famulus non modo eum percussit, & vulnerauit, sed occidit, & nummis 60. aureis, quos secum deferebat, spoliauit, & aufugit. Item Romæ ob æs alienum non solutum est excommunicatus, cum tamen ad soluendum

dum sit impotens. Quæritur, an tàm Antonius dominus, quàm Ambrosius seruus præter admissum scelus, in aliquam censuram inciderint; & an ipso seruo non restituente, Antonius ad omnia familiæ occisi illata damna teneatur; & an cum ob æs alienum contractum sit excommunicatus, ea censura ligetur, si soluendo non sit?

SVPPOSITA, & prænotiones.

I. SVPPOSITVM.

Respond. Suppono Primo, varios esse fines propter quos homines peregrinationes suscipiunt. Prima est naturalis quædam multorum vanitas, & instabilitas, qui eo loco consistere nesciant, curiose omnia loca peruagantur. Secunda est necessitas, siquò magnum aliquod malum vitetur, vt, famis, vel supplicij ob scelus aliquod patratum impendentis. Tertia est comparandæ multiiugis doctrinæ, & prudentiæ, pro variarum gentium ingenijs, moribus, & institutis cupiditas. Quarta est temporalis vtilitas, cuius generis sunt mari, terræquè peregrinationes, militum, mercatorum, & eorum, qui aliquam apud Romanam Rotam causam habent. Quinta est religiosa, ac sancta quædam sitis atque curiositas visendi, ac venerandi sacra loca, in quibus Saluator noster, ac beatissima eius Mater dum in terris agebant, versati sunt, vel vbi Apostolorum, aliorumque Sanctorum, aut martyrum sepulturæ, & reliquiarum monumẽta sunt; hanc quippe ob causam Terra sancta, Aedes Lauretana, Compostellana, & Apostolorum limina à fidelibus celebrantur.

Porro has duas præcipuas sanctas peregrinationes ad limina SS. Apostolorum, & ad loca Palestinæ, in quibus Dominus noster salutis mysteria operatus est, ab initio nascentis ecclesiæ fideles suscipere consueuerunt. vt habetur apud *Baronium tom. 2. anno Domini* 199. Quæ tamen sine Papæ licentia sub excommunicationis pœna ipsi reseruatæ, adiri non possunt *Nau. cap. 27. nu.* 110. *& de Indulg. not.* 30. *num.* 2. Romanam vero peregrinationem quàm Illustrissimi viri, ac fœminæ aggressi sint, non est cur hoc loco repetamus, cum & Imperatores, ac Reges, ac denique vniuersum mundum ad Apostolorum limina festinasse satis exploratum sit. Illa tantum D. Chrysostomi vox sufficiat, qui *hom. 32 in epist. ad Rom.* sic habet, Romam quę vrbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra Piscatoris, & Pellionis currunt, & Reges, & Præsides, & milites, &c. Christus quoque S. Brigittam admonens, vt peregrinationem institueret, sic allocutus est, Proficiscere Romam, illic enim plateæ sunt auro instratæ, & sanctorum sanguine rubricatæ; vbi propter condonationes, seu indulgentias, quas promeruere sancti, compendio venitur ad Cœlum. Manebis autem illic, donec videas sanctum Pontificem, & Imperatorem. hæc ille. Et post multos annos idem Saluator noster Christus ei præcepit, vt Hierosolymam proficisceretur, vbi mira de natiuitate, & eius passione ab ipsomet audiuit, ut apud *Surium in eius vita, Benzonium de Anno Iubilai. l. 6. cap. 2. Alterium in Bulla Cœna Domini, cap. 6. Duard. lib. 2. can.* 10. *quæst. 1. Daur. tom. 2. c. 3. tit.* 60. Et nos in Dialogo de septem vrbis ecclesijs visitandis, ac in *Comment. de hum. vita statibus. p. 2. cap.* 27.

II. SVPPOSITVM.

Secundo obseruandum est, peregrinos qui pietatis, ac deuotionis gratia Romam pergunt, sub protectione. S. R. E. esse, ac multis priuilegijs gaudere. Inter quæ illud est præcipuum, ut qui illos interficiunt, mutilant, vulnerant, detinent, capiunt, seu deprædantur, gladio anathematis Bullæ Cœnæ Domini feriantur.

Quippe Peregrini Deo curæ sunt, aiebat Pythagoras. Et Pub. Mim. Peregrinis succurrens paria obtinebit aliquando. Homerus etiam valde Vlyssem commendauit, quod hospitum nedum iucundus susceptor, sed etiam comis deductor esset.

Venerabiles inquit hospites suscipere, & deducere solitus.

Vnde, & Chrysostomus super *Matt. hom.* 11. Qualẽ, inquit, mercedem habẽt, qui propter Deũ peregrinantur, talem habet, qui suscipit peregrinãtem, & fiunt ambo æquales, & qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat. Admonet etiã *sancta Trid. Synodus. sess.* 25. *c.* 8. ecclesiasticas personas, ut hospitalitatis officium à sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorũ prouentus licebit, prompte, benigneque exercere assuescant, memores eos qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. *Synodus Amer. c.* 688. *Barbos. de Episcopo p. 1. gloss. 9. Marta de iurisdict. p. 4. cent.* 1. *casu* 86. vbi tamen tradit ex communi, clericos, vel ecclesiasticas personas, ad huiusmodi hospitalitatem præstandam à laica potestate cogi non posse. Cõsentit. *D. Benedictus in reg. c.* 53. cum ait, omnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est, hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime autem domesticis fidei, & peregrinis. Ieiunium à Priori frangatur propter hospitem, nisi forte sit dies ieiunij, quod non possit violari, & ibi notat *Turrecremata* ieiuniũ hospitum causa solui posse. De qua re *Azor. p. 1 l. 7. c. 29 quæst.* 1. Hinc factum est, vt olim inter monasticas obseruationes

tiones

tiones illud præcæteris decretum esset, ut hospites non modo obuio, & amico animo exciperentur, verum etiam humili obsequio eorum pedes abluerentur *Iustin Tob.ca.1.vers.2.doc.1. Tympius in Spec. eccles.signo 96.* Sic D. Hieronymus Rusticum monachum ab incunabilis instruens; præceptum hoc his verbis inculcat, Seruias fratribus, hospitum laues pedes. Qua ratione etiam in simili dicendum videtur, Decretum Clementis VIII. disponens nõ posse Episcopos licentias ad nouos conuentus cuiusuis Mendicantium ordinis, in locis sibi subiectis erigendos impartiri, nisi uocatis, & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus, & locis alijsquè, ut ait, interesse habentibus, & causa cognita constiterit, sine aliorum detrimento commode sustentari posse, &c. non comprehendere hospitia.i. priuatas domos ad excipiendos fratres hospites institutas. Hinc est qđ Heremitis ordinis Camaldulensium, quibus conuẽtus prope vrbes extruere prohibetur, hospitia ibi habere permittitur, quia tunc ibidem ut uiatores considerantur. Quis nescit milites. S. Ioannis Baptistæ hospitalarios dici, & ea de causa institutos, ut Ierosolymis hospitalitatem primo exercerent? ut per *Azor.p.1.l.10.cap.6.quæst.2. & Roder. in qq regul. par.1.qu.5.art.2. Riccium 2.p. Decis.Cur.Neap. Decis.140. Tap.in Authen. ingressi. C. de SS. eccles.* Superior Monasterij, ait, *Scriben de sup.relig.lib.2. cap.5. & in Medico relig.lib.1.cap.20.* Hospites pro religiosa paupertate, ac modestia bene habeat, magnam illis curam, beneuolentiamquè impendat, benigne, comiterquè excipiat, liberaliter foueat, negotia illorum serio tractet, nihilq; omittat eorum, quæ merito à religiosa charitate sperari possunt, ac si in alterutro peccandum foret, profusior in illis, quàm tenacior sit, cum minus sit profusionis, quàm tenacitatis delictum; memor tamen semper religiosæ moderationis, ne aut ad sæculi mores transeat, aut sordida quadam parsimonia hospites à domo sua auertat. Sic licet Clemens VIII. in Bulla Incip. *Religiosæ.* regularibus cõtra votiuam paupertatem donare prohibuerit, hospitalitatis tamen virtutem non interdixit, modo religiosæ frugalitatis ratio seruetur, &c. Sic enim ueteres iusti sobrietatẽ semper in conuiuiis præsertim peregrinando exercuerunt. Et acute. *D.Basilius in reg.fus.disp.ad qu.20.* scribit eos qui hospites laute excipiunt, illo apparatu contumeliam illis infligere, & ventris curam obiicere. *Tympius in Spec. eccles. d.signo 96.* vbi dicit ex eodem *Basilio in reg. disp.* non decere monachos exquisitas epulas hospitibus apponere siue illi regulares, siue seculares sint, illis enim domestica mensa sufficit, hi uero frugalis vitæ formam discũt, etsi tractatio non placeat, nõ facile redibunt. Apud Lucanos lege cautum erat, ut si quis Sole occidente diuertentes hospites notos, ignotosquè domo non acciperet, inhospitalis teneretur, multamq; eo nomine penderet pecuniam. teste *Aeliano. lib. 4. hist.* Quin vsq; adeo sancta apud Ethnicos hospitalitas semper fuit in pretio habita, ut in tutela ipsius Iouis hospites potissimum esse dixerint, ideoque Iouem hospitalem appellarũt. Quò spectat illud Maronis,

Iuppiter hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Vt per *Castrensem in v. Peregrinus Benzon. l.c.c.6. Nau.cons.9.de censibus. Turrecrem.l.c. Io.Carthag. de B.M.V.lib.14.hom.26. Iustin. in Tob.cap.7.vers. 3.doc.1.Sylu.& Tab. & alios Summularios in v. Peregrinus.* Et quæ alias tradidimus in *Cõment.de hum. vita stat p.2. cap.27.* Canis Scaliger Veronæ Dominus, diuersis orbis partibus aduentãtes, quacunque conditione in palatij sui hospitium excipiebat. Dicebat autem, Nihil in hac vita beatius, quàm in uicto animo suæ pariter, ac alienæ fortunæ obuiam ire, ac perpetuis beneficentiæ, ac liberalitatis oneribus insitæ uirtutis famam extẽdisse. *Iouius.l.1.Elog.* Hanc hospitalitatis uirtutem ipsa etiam animalia docent, nam cornices. ut testis *D. Basilius in exam. hom.8.* ciconias ad suas regressuras regiones, amice excipiunt, easque itineris ignaras deducunt, comitantur, ac tuantur. Hinc hospitalia quæ Episcopi authoritate sunt erecta, loca pia, & religiosa sunt, & multis priuilegijs gaudent. *Gutierez.l.1.can.99. cap.35.num.29.Mascard.de Probat.vol.2.cõcl.869. Tusch. v. hospitalia concl. 163. Mantica de tacit.& ambig.l.25.tit.6. num.69. Zerula in praxi Episcop. p.1.v.hospitale. Marc. Ant. Gen. in praxi Neap.c.17.* late *Garzias de benef p.5.cap.1.nu.61.* vbi *nu.602.* ex multorum sententia resoluit, hospitale etiam dici locum pium, quamuis Episcopi authoritate extructum, aut approbatum nõ fuerit, ac si pietatis causa institutum sit, & ecclesiæ priuilegijs gaudere, atque sic S. Congreg. Cardin. censuisse testatur. Imo *nu. 612.* hoc extendit quoque ad collegia pro sustentatione studentium pauperum, vel aliorum egenorũ constructa. vnde licet hæc sodalitia spiritualia non sint, eis tamen annexa esse uidentur, ut propterea qui in eis locum uenderet (prout in uendente ius patronatus,) simoniam committeret. ut per *Nau.cons. 89.de simonia. Cherub.in Sch.* ad Bullam 25. Pij V. Vbi subdunt, non incidere in pœnas *Extrauag.2.de simonia*, quia ibi illæ contra simoniacos in ordine, & ecclesiastico beneficio imponũt. *In Concilio Paris.sub Lud.& Lothar.Imp.* celebrato dicitur. Cum hospitalitas in tremendi examinis die, ab æterno Iudice sit remuneranda, qui dicturus est, Hospes fui, & collegistis, me, & ob id ab omnibus christianis summopere sit sectãda, multo magis tamen uigilantiusquè ab his qui dictis, & exemplis, ad vitam æternam alijs ducatum præbent, postposita auaritiæ peste, & alia qualibet occasione, protsus est exequenda. Vnde extat illud vulgatum,

Porta

Porta patens esto, nulli claudaris honesto.
Quam conditionem cum Abbas ille Robertus ob sordes non seruasset, abbaria, & beneficio illo priuatus est, ita ut uersiculo illi locum dederit,

Vno pro puncto cecidit Robertus asello.
vt per *Euerardum in praamb. ad top. leg.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio præmittẽdum est, quod ad hoc ut quis in Canonem Bullæ Cœnæ incidat, tria requiruntur. Primũ est quod offensus sit romipeta, seu peregrinus, qui ad urbem accedat, ad limina Apostolorum visitanda, deuotionis, uel peregrinationis causa, saltem principaliter; si quis enim non pietatis intuitu, sed uel ad sua negotia conficienda, seu ut in ea magnificas illas antiquitates cernat, Romã se conferat, cum vulnerantes, uel deprædantes, ea excommunicatione non afficiuntur; si quidem in moralibus id semper inspicitur, quod primario fit. *l. si quis ff. si cert. pet. cap. cum uoluntate. ext. de sent. excommunicationis. Sanchez. l. 1. de precept. cap. 11. num. 68.* Imo vulnerans, aut occidens Romam petentem à deuotione minime ductum, nec ad illam acquirendam inductum, sed uoti adimplendi gratia compulsum, ut quia Confessarius illum absoluere noluit, nisi uotum illud iamdiu emissum adimpleret, licet mortaliter peccet, excommunicatione tamen non irretitur (quãquã ecclesiastici sine Superiorum suorum licentia peregrinationem suscipientes, licet grauiter peccauerint, obedientiæ leges, & ecclesiæ præcepta uolando. *cap. non oportet. el 1. de cõs. d. 5. & c. magna. ext. de uoto.* si nihilominus postquã Romam peruenerint, facti pœnitentiã agant, & pia loca visitent, istius canonis priuilegio gaudent. *Duard. l. 2. can. 10. quæst. 17. & seq.*) Secũdo requiritur, ut iniuste offendat, si enim illum quis vulneraret, aut occideret, propriæ uel alienæ defensionis causa, seu quia illum in adulterio cum uxore deprehendit, aut cum matre, sorore, aut filia turpiter delinquentem, excommunicationem non contrahit, quamuis in hoc secundo casu à lethali noxa non excusetur, si quid ageret, plene aduertebat. *Duard. l. 2. can. 10. quæst. 19. Zerula in praxi Episcopali. p. 1. in v. excommunicatio in principio.* Tertio opus est, ut ij peregrini ad urbem accedant, uel ab ea recedant, uel in ea morentur; unde si quis talem offenderet, antequam sit in accessu, vel post reditum, excõmunicationem illam non incurrit. Imo si peregrinus, uel Romipeta Romæ, uel extra delinquat, absque anathematis metu à Iudice puniri poterit, &c. non enim ut peregrinus, sed ut reus, & malefactor plectitur. *Sayrus. lib. 3. cap 14.*

Addo quartam etiam conditionem, ut offendẽs sciat, aut probabiliter scire possit, offensum urbem tendere, uel morari; uel recedere, ubi causa deuotionis fuerat, & pœnam hãc per Bullam impositam non ignoret; cum apud omnes constitutum sit, Ignorantiam tàm iuris, & pœnæ, quàm facti, ab excommunicatione excusare; ut post alios tradit *Bonac. de cens quæst. 2. p. 2.* Et in foro conscientiæ allegantì ignorantiam fides præstanda est, cum ex communi Doctorum axiomate, Pœnitenti pro se, & contra se credendum sit. *Sanchez. l. 9. de matrim. d. 32. nu. 4. & 5. Tuschus. in v. Ignorantia. concl. 24.* Et generaliter loquendo, ut alibi dictum est, causæ excusantes, & impedientes, ne censura contrahatur, quatuor potissimum sunt. Prima est ignorantia probabilis tàm iuris communis, quàm particularis. & etiã ignorantia facti. Secunda, appellatio iusta, & legitima, si cum probabili, & sufficienti causa, & debito tempore fiat. Quod etiam locum habet quando aliquis appellare nesciens, se summo Pontifici protegendũ tradit, uel Romam uersus iter suscipiens, eius iudicium postulat. *cap. ad audientiam ext. de appellat.* Tertio, uoluntas siue consensus illius in cuius fauorem censura concessa est, ab illa incurrenda excusat, ut cum v. g. Petrus creditor obtenta ab Apostolica curia excommunicatione contra suos debitores intra sex menses non restituẽtes, inscio summo Põtifice terminum vsque ad annum prorogat debitores elapsis primis sex mensibus excommunicatione non afficiuntur. ut per *Suarez. tom. 5. de cens. d. 3. sect. 6. num. 8. & Bonac. d. 1. quæst. 2. p. 3.* contra *Sayrum. & alios.* Quarto præter metum cadentem in constantem virum, qui à censura violatione immunem reddere solet, modo in contemptum ecclesiasticæ legis, uel potestatis non incurratur, ab hac pœna eximit impotentia faciendi quod sub censura pcipitur, vt si excommunicatio contra aliquem feratur, nisi debitum intra tale tempus soluat, qui excõmunicationis tempore soluendo non est, ab ea pœna excusari censendum est ex DD. supracitatis. Si quidem ex communi regula, Impossibilium nulla est obligatio *l. impossibilium. ff. de reg. iur. cap. nemo potest. de reg. iur. in 6.* ubi *gloss* obseruat triplicẽ esse impossibilitatem iuris, facti, & naturæ, & rationem ad regulam assignat, ut ibi, & per Ioannem Andreã illos antiquos uersus adducentem,

Vltra posse suum nullum lex iusta coegit,
Nec putat esse reum, qui toto posse peregit.

Addo *l. ult. ff. quæ sent. sine appell. rescind.* Vbi Paulus respõdet, impossibile præceptum Iudicis nullius esse momenti; sicuti, & lex de possibili esse debet, aliàs nõ ualet. *cap. erit autem lex dist. 4.* Imo difficile, & impossibile æquiparantur, cum hæc ut Iuristæ loquuntur, extra humanam sint naturam. *l. nepos. Proculo. ff. de verb. signif. Felyn. in cap. ecclesia. ext. de Constit. Bald. in cap. cum accessissent. extra eodem. tit. Barbosa de Episcopo. p. 3. Alleg. 96. nu. 47.*

I. Q. RESOLVTIO.

VNde ex his ſuppoſitis, ad caſus reſolutionem deueniendo, dico, Antonium, & eius famulum niſi ſupradicta ignorantia excuſentur, in Bullā Cœnæ incidiſſe, qua afficiuntur non ſolum principales, delictum committentes; ſed etiam acceſſorij, auxilium, conſilium, & fauorem dantes, & multo magis mandantes, dūmmodo effectus ſubſequatur; ſiquidem in humanam pœnam non incidit, niſi delictum perfectum ſit, & iuxta commune elogium ſæpe vſurpatum, Verba cum effectu ſunt intelligenda. *Nau conſ. 19. de ſent. excomm. Vgol. in explicat. Bullæ verſ. & in his dantes. num. 1. Megal. l. 3. de cenſ. cap. 8. quæſt. 2. quidquid ſentiat. Duard. l. c. quæſt. 17.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dico, tàm Antonium quàm Ambroſium, ad damna familiæ Auguſtini occiſi ſecura reſarcienda teneri per ea, quæ ſuperius de homicidio, & reſtitutione diximus. Et quamuis Antonius ſolum vulnerationem præceperit, ab hac tamē obligatione non eximitur, cum facile hoc homicidium ſequi potuiſſe præſumere potuerit. Nam vt inferius dicemus, & præcipiens aliquem illicite percuti, quamuis expreſſe inhibeat, ne occidat, vel mutilet, irregularis eſt, ſi mandatarius mandati fines excedens, alterum interimat. *cap. fin. de homicidio in 6. Sayrus. l. 7. de cenſ. cap. 2. nu. 7. & aly cōmuniter.*

Non eſt tamen improbabilis ſententia eorum, qui dicunt, Antonium reſtituendi ſexaginta aureos obligatione non conſtringi, quos Ambroſius famulus eo inſcio, & inuito, Auguſtino mortuo iam ſubtraxit, cum illud furtum præter domini intētionem ſit admiſſum, &c. vt per *Beiam. p. 2. reſponſ. caſu 1. Bonac. de contract. d. 1. quæſt. 1. p. 3. nu. 11.* vt etiam alibi diximus præſertim. *p. 1. tr. 7. c. 20. q. 93.*

Haud difficile confeſſario erit hos pœnitentes ad contritionis dolorem concipiēdum inducere, ſi delicti huius grauitatem aperiet, tùm ex nunc dictis, tùm ex his, q̄ ſupra in quinto pͨcepto decalogi adduximus, ex quo etiam loco hauriet, quomodo, & quibus reſtitutio ex hoc crimine conſurgens facienda ſit, vt etiam *tract. 10. c. 2. q. 3.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dico, quod ſi Antonius tempore quo ſoluendo non eſt, ſit excommunicatus ipſa cenſura nullatenus afficitur, cum impoſſibilium nulla ſit obligatio, quare ſi occultus eſt, illæſa conſcientia diuinis intereſſe poteſt. Reſtituere autem non poſſe dicitur, non ſolum qui omnino nequit, cum extrema neceſſitate conflictetur, ſed etiam qui boni viri arbitrio, commode ſine probabili damno bonorum ſuorum altioris ordinis, vt vitæ, ſalutis, famæ, &c. reſtituere nequit. & tunc ipſa reſtitutio prorogãda eſt pręſertim vbi dilatio parum creditori officere poſſit. Vbi tamen ſciendum, quando excommunicatio fertur, vt ſolutio ad certum tempus fiat: ſi illo tp̄e quis impotens ſit eum tunc ſane à culpa, & à pœna excuſari, non idcirco tamen præcepti, & excommunicationis vim prorſus extingui, ſed potius perſeuerare, & ad ſoluendum cum primum poſſit obligare, ideo ſi poſtea ad pinguiorem fortunā veniens non ſatisfaciat, excommunicatione irretietur. ex *cap. Odoardus ext. de ſolut.* Sicut vice verſa ſi tempore quò excommunicatio lata eſt, habuit vnde ſolueret, & non ſoluit, ſi poſtea in egeſtatem incidat, in foro eccleſię ſemper excommunicatus manet, donec abſoluatur, quamuis apud Deum per cōtritionem diuinæ gratiæ participes eſſe poſſit.

Nec per quodcunque ampliſſimum Iubilæum contra ius tertij quis abſolui valet, etſi cum promiſſione ſoluendi abſolutio ei impendatur, & poſtea quam citius pōt, ære alieno non exeat, in eandem cēſuram iterum incidit, vt Pium V. & Gregorium XIII. declaraſſe refert *Lazar. de monit. ſect. 4. quæſt. 4.*

Propterea Confeſſarij in hoc magna diligentiā vti debent, & aduertere, quod ſi debitor totum reſtituere non poteſt, ad partem ſaltem perſoluendam tenetur, vt etiam tetigimus ſupra *tract. 5. c. 6. q. 39.*

QVÆSTIO XIIII.

Dubitans ſe eſſe excommunicatum, & cum tali dubio celebrans, an peccet, & irregularis fiat. An Parochus ſacerdotem non approbatum, imo à ſuo Epiſcopo ſuſpenſum, ad ſacramentorum adminiſtrationem delegare poſſit. An poſtmodum ab eo acta valeant. Item nūm hæredem illius, cuius cōfeſſionem in articulo mortis audiuit, de ære alieno à defuncto contracto ſoluendo, admonere potuerit?

EPiphanius Curatus ruralis ob non ſolutas Paſtorales decimas in tempore, ſe eſſe excommunicatum dubitans (quod tamen tempus eo ignorante elapſum eſt) cum quodam die dominico ſacrum faceret, ad Andream ægrum moribundum pro ſacramentorum adminiſtratione vocatus eſt: ipſe vero ne miſſam interrumperet, Blaſium ſacerdotem hoſpitem, & alterius diœceſis, à ſuo Epiſcopo ſuſpēſum, qui ibi cuiuſdam negotij cōficiendi cauſa morabatur, ad eundem ægrotum in ſpiritu adiuuandū miſit, & omnem ei ſuam authoritatem quò ad ſacramentorum adminiſtrationem delegauit, quem cum ſciuiſſet Lucretiam cōcubinam in domo habere, ac valde cupere cum ea matrimonium inire,

vt pro-

vt prolem ex ea habitam legitimaret, illum ab omnib. peccatis suis absoluit, & à voto religionis quod aliàs emiserat, liberauit, matrimoniumque coram vno teste tantum in necessitate celebrauit, Eucharistiam nauseam patienti præbuit. Postmodum dubitans, an esset mortuus, sacro oleo nulla adhibita nec interna, nec externa conditione eum vnxit. Cum autem in confessione intellexisset, ipsum Andream quatuor aureos Geminiano debere, quos cum eo aleis ludendo amiserat, eo defuncto, ipsam Lucretiam vxorem relictam (non habita prius expressa licentia ab eodē Andrea) de hoc debito soluēdo admonuit, vt mariti defuncti anima exoneretur, &c. Nunc aliquæ difficultates, & quæstiones soluendæ insurgunt.

Prima an Epiphanius de excommunicatione dubius, celebrans lethaliter deliquerit, & in irregularitatem inciderit. Secundo an sacrum non interrumpendo, & simplicem sacerdotem extraneum, ad audiendas confessiones, & ad alia sacramenta exhibēda, à suo Episcopo non approbatum, immo, & à diuinis suspensum, pro ægroto sacramentis administrandis delegans peccauerit, vel potius laudabiliter fecerit. Tertio an absolutio peccatorum, dispensatio voti ab eo impensa, matrimonium celebratū, & extrema vnctio valida sint. Quarto an Blasius admonendo Lucretiam de ære alieno soluendo ab Andrea, in ludo contracto, culpam mortalem contraxerit, & sigillum confessionis fregerit?

Respond. cum pro harum quæstionum resolutione pro fundamentis, & præuijs inspectionibus nil præmittendum occurrat, cum aliàs à nobis adducta huc conferant.

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q. dico, quod etsi Epiphanius ob excōmunicationem contra non soluētes decimas Papales latam, à peccato mortali, ex capite ignorantiæ termini elapsi ad soluendum dati, & ex consequenti ab ipsius censuræ incursu excusari potuerit, cum, vt sæpe aduertimus, ignorantia, obliuio, bona fides, metus, & impotentia, appellatio, partis cōsensus, à censura excommunicationis immunem reddat. Et in dubio de ecclesiasticis pœnis valde sit probabile, neque si dubium sit iuris, neque sit facti, teneri quempiam ad habendum se pro excommunicato, suspenso, vel interdicto, cum post debitam adhibitam diligentiam etiam in hoc genere melior sit conditio possidentis. *ex Sanchez. l. 1. de præcept. cap. 10. Bonac. de cēs. d. 1. q. 1. 2. p. 1. & p. 6. §. 2. Pilliuc. tract. 11. cap. 4.* Nihilominus si ex erronea conscientia, falso existimans, vel dubitās, se mortalis peccatireum, & excommunicatione innodatum, dubitationem illam, per se, vel per alium non deposuit, & sic celebrauit, à mortali culpa non excusatur, licet ab excommunicatione, si reuera non aderat, liber sit ratio primi dicti est, quia erronea conscientia animam ligat. *cap. fin. de præscript. cap. per tuas. el 2. de simonia.* Secundi vero pronuntiati illa communiter affertur ratio, quod propter erroneam conscientiā, si ex parte rei non subest, nulla incurritur censura; cum nemo super se talem sententiam ferre valeat. Quò fit, vt qui se excommunicatum, vel suspensum existimans, contra legis, vel hominis præceptum agit, lethaliter peccet, irregularitatem tamen, nec celebrando, contrahat. *Victoria de excommunicatione num. 9. Cordub. de cas. consc. casu 11. Henriq. de pœnitentia. l. 1. cap. 7. num. 2. Sayrus. de cens. l. 4. cap. 7. num. 4. Maiol. de irregul. l. 3. cap. 21. nu. 14.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dico, quod Epiphanius laudabilius fecisset, si cum ad moribundum accersitus est, quò eius animæ labes sacra confessione dilueret, & si tempus permitteret, alia sacramenta impenderet, relicto quocunque opere pio, & præsertim tunc missæ sacrificio, ad ipsum ægrum se contulisset, quandoquidem vt communiter Doctores notant, quando duo præcepta affirmatiua peragenda simul concurrunt, nec vtrique simul satisfieri potest, illud negligendum est, ex quo minora incommoda consequuntur. Ergo si omnibus perpensis, quæ prudens Pastor pro tantilli temporis ratione perpendere potest, videat grauius incommodum, & immaniorem iacturam sequi, si deneget ægroto sacramenta ministrare, puta eius desperationem, & æternam fore dānationem: & ex altera parte resarciri posse, si quæ alia nascuntur ex omissione alicuius alterius operis, vt missæ, vtpote qa adhibito custode, omnia paramenta ad sacrum faciēdum necessaria, vel etiam ipsa hostia, & vinum consecratum, sine scādalo, aut alio periculo custodiri possunt, & cōsiderat statim se redire posse, vt sacrum missæ officium perficiat, tenebitur moribundo sacramenta ministrare, sacro, vel quocunque alio opere quamuis sancto, relicto, & postmodum ad sacrum missæ officium peragendū redire. Et vbi de periculo æternæ dānationis ęgroti agitur, si quod objiciatur scandalum, erit acceptū, non datum, quod Pastor in tali casu contemnere debet; & nihilominus ipse Parochus si tempus ferat, paucis verbis populo ostendere poterit, potius, & consultius esse, proximo in extrema illa necessitate laboranti, succurrere, & sacramentorum pabulum subministrare, quàm operi vacare, quod differri, vel etiam forrasse si necdum ad consecrationem ventum est, sine peccato pro tempore omitti potest; si quidem in huiusmodi casu moralis prudētia dictat, è duobus malis minus eligendum esse. *c. duo*

mala.dist. 13. Atque sic sentit *Io. Chap. de modo administ. sacr. temp. pest. qu. 12. & Zambran. de casibus consc. in art. mort. tit. de Eucharistia.* Et ex hoc colligi potest, Epiphanium laudabilius agere potuisse, si omnem animi falsam, & vanam dubitationem, & anxium timorem de excõmunicationis incursu deponendo ad moribundum sacramẽtorum subsidio in spiritu adiuuandum accessisset, etiamsi sacrum inceptum eo modo quò dictum est, interrupisset, quàm simplicem, & idiotam sacerdotem non approbatum, & à suo Episcopo suspensum, ad idem pium munus obeundum substituere, qui tot errores in tali sacramentorum administratione commisit, & forte ægrum, & se ipsum, in salutis discrimen coniecit. Vnde

III. Q. RESOLVTIO.

TErtiæ quæstioni respondendo dico, quod licet in mortis articulo, vel probabili periculo, qd hominem moraliter in extrema necessitate constituit, ex dispositione *Concilij Trid. sess. 14. de sac. pœnit. cap. 7.* concessum sit, cuicunque sacerdoti etiam non approbato, imo præciso, hæretico, suspẽso, interdicto, degradato, à quocũque casu, etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruato, absoluere: communis tamen est sententia, verior, & in praxi magis recepta, hoc iure nõ potiri, si proprij Parochi, vel alterius sacerdotis approbati, seu Superioris reseruantis facultas detur, nam vt quis à non suo Iudice absoluatur, extraordinarium remedium est, quod cessare debet, cum ordinarium adest, illud. s. quod à suo Iudice impenditur; & dicitur non dari copiam ordinarij, vbi si ipse adeatur, periculũ subest, ne interim æger è vita discedat. Cuius assertionis comprobatio desumitur. ex *cap. fin. 26. quæst. 6.* ibi nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat. *Sanchez. lib. 2. de præcept. cap. 13.* vbi multos allegat, & *Molfes.* alios citans. *tract. 7. cap. 15. num. 79.* & dixi supra *tract. 4. cap. 8. q. 69.* Extra quem casum nec simplici sacerdoti confessiones audire, nec Parocho ad eas excipiendas quò ad suos subditos licentiam dare à iure conceditur. ex *Conc. Trid sess. 23. cap. 15.* Non licuit autem Blasio super votum castitatis ab Andrea emissum dispensare, cum hoc ad summum Pontificẽ spectet; nam dispensare in impedimentis non dirimentibus, quæ ex vsu potissimum sunt quinque, nẽpe interdictum ecclesiæ, tempus feriarum, spõsalia, votum castitatis, & religionis, ad Episcopum spectat, excepto ipsius castitatis, & religionis voto. vt ex communi tradit *Bonac. de matrim. quæst. 3. p. 15.* Et quamuis, vt dixi, cuilibet sacerdoti fas sit à quibusuis casibus reseruatis absoluere, non tamen ei licet dispensare in votis, iuramentis, inhabilitate, aut irregularitate, quam infirmus ratione alicuius impedimenti contraxerit; si quidem in illo articulo nil amplius conceditur, quàm absolutio ab illis rebus, quæ regni cœlestis ingressum occludere possunt, qd ab illis inhabilitatibus non impeditur. *Roder. in Summa p. 1. cap. 59. num. 14. Sanchez. d. l. 2. cap. 13. num. 12. Duard. in Bulla Cœnæ Domini. l. 3. §. 2. quæst. 2. num. 18. & alij communiter.*

Quò ad matrimonium dico, quod licet sacerdos non approbatus, imò excommunicatus, suspensus, interdictus, & irregularis substitui valeat, vt matrimonij celebrationi intersit, cum substitutio illa sicut & assistentia actus iurisdictionis non sit, & matrimonium à constituto in mortis articulo contrahi possit, requiritur tamen specialis licentia, i. expressa in hoc sensu ut saltẽ sub verbis generalibus licentia, manifeste matrimonium comprehendatur, put cũ alicui facultas datur, vt ad animarum curam pertinentia exerceat: vnde non sufficit, vt Parochus substituto particulari facultatem administrandi sacramenta concedat, quia ea licentia de sacramentis confessionis, Eucharistiæ, & extremæ vnctionis regulariter intelligenda est, præsertim quando Parochus est præsens, nec est coniectura probabilis (vt in casu nostro,) etiam matrimonium includere voluisse, vt per *Sanchez. l. 3. de matrim. d. 35. nu 9. Bonac. de matrim. quæst. 2. p. 8. num. 10.* Et certum est, irritũ esse matrimonium contractũ et in extremo uitæ termino, vel in quacũq; alia necessitate, sine Parocho, vel alio sacerdote ab ipso substituto, & saltem duobus testibus; aliàs proles legitimis natalibus nõ restituitur, nec substitutoru exclusioni locus est. vt ex communi tradit. *Barbosa in remiss. ad Conc. Trid. cap. 24. de reform. mat. c. 1.* & idem *Bonac. l. c. nu. 8.*

Quinimo in matrimonio in mortis articulo inito, denuntiationes præmitti debent, vt omnia requisita legitime interueniant. In quo tamen casu si Episcopi copia haberi nequeat, & periculũ esset in mora, tunc Parocho dispensare ex iusta legis interpretatione integrum esset. *Marc. Ant. Genuens. in praxi Neap. cap. 26. Sanchez. l. 3. d. 7. nu. 15. Molfes. tract. 4. cap 8 num. 23. & alij.*

Quod vero de Eucharistia dictum est, 'eam. s. Andreæ vomitum, & nauseam patienti pro viatico administrasse, dico à graui peccato non excusari, nam sacerdotem in administratione huius sacramẽti pluribus modis peccare contingit. Primo si in mortali peccato illud exhibeat. Secundo si tempore interdicti, aut in loco ab ecclesia prohibito, nisi in casib. à iure permissis. Tertio si sine sacris vestibus, aut debito cultu, & præscriptis ritibus administret. Quarto si in casibus in quibus dare tenetur, deneget, ac si indigne accedentibus, publicis peccatoribus, de quorum pœnitentia non constat, præbeat, vel illis quibus est periculum vomitus, vel expuitionis, quia iniuriæ cooperatur, quæ augustissimo sacramento

infertur;

infertur; huiusmodi enim vomitus est teuerentiæ ei debitæ maxime contrarius, & offerre species sacramentales illi, qui quacunque ex causa illas deglutiri non potest, & in stomachum dimittere, est illis abuti contra Christi institutionem dicentis. *Matth. cap.26.* Accipite, & manducate. Et quilibet Parochus, vel vice Parochi fungens, scire debet, se ab Eucharistiæ administratione excusari, si probabile est ęgrum dictas sacramentales species consumpturum non esse: oportet namque sicut habet *Concil. Trident. sess. 21. cap. 2.* in sacramentorum administratione, duo quantum fieri potest, coniungere, & procurare, sacramenti s. venerationem, & fidelium vtilitatem. *Io. Chap de euchar. quaest. 15.*

Quòd attinet ad extremam vnctionē, dico quod licet hoc sacramentum exeuntium subsidium dicatur, ad hoc tamen exhibendum, non est præstolandus articulus, quo æger sensu prorsus careat, aut ille quo omnino sit desperata salus: natura .n. vtriusque effectus sacramenti exigit, vt tempus non expectetur, quo ęgrotus vsu rōnis sit priuatus, vel in quo cōstet, eum naturaliter viuere non posse: sed administrandum est, quando aliqua spes salutis durat, & quando infirmus sensum habet, vt sacramenti deuotione afficiatur, & animi hilaritate corroboratus spe gloriæ recreetur. Nam cum homini à natura insitum sit, vt nihil in rebus humanis, æque ac mortē pertimescat, ideo in mortis articulo constituti timore, ac horrore concutiuntur. Primo ex naturali, vt dixi cōditione. Secundo ex memoria præteritorum delictorum, quæ nostram cognitionem vrgent, & timidos reddunt. Tertio propter illud tribunal, illudque districtum iudicium, quod, vt loquitur. D. Gregorius, quanto magis iam quasi tangitur, tanto vehementius formidatur. Hoc autem sacramento infirmi à dicto timore vindicantur, & magnam diuinæ misericordiæ fiduciam concipiunt, qua erigun tur, ac subleuantur, & morbi incommoda, ac dolores leuius, ac multoties alacriter ferūt. Proinde tria sunt in vniuersum huius sacramenti ministri præcepta. Primo vt prompte illud fidelibus exhibeat, nam ex officio Parochus tenetur oues suas pascere, ordinaria salutis remedia prębendo, quando opportuno tempore requiruntur; ideoquè si in hoc sit notabiliter negligens, ita vt illud respectu vnius denegat, vel cum ægri periculo notabiliter differat, ex communi sententia lethalem noxam contrahit.

Idem dicitur de Episcopo, deficiente Parocho, tenetur enim vel de alio ouibus prouidere, vel nisi iusta aliqua ex causa excusetur, per se ipsum id pręstare. Alij vero tantum ex charitate, ratione necessitatis, & in Curati subsidium, vel defectū, obligari possunt: propterea si sine magno incōmodo, vel difficultate, id agere possunt, sub mortali ad hoc astringuntur. Secundum est, vt sit rite dispositus. s. in gratia saltem per contritionem existimatam; si autem excommunicatus, vel suspensus vitandus esset, debet alteri vices suas committere, permittendo vt alij in eo casu ministrent: quod si non esset alius, & si probabile sit, tūc ecclesiam vsum ordinis cum infirmi discrimine nō prohibere, aliquibus tamen probabilius videtur, id interdicere, quia etiam tempore censuræ interdicti idem vetat. *Suar. tom. 4. d. 44. sect. 2. num. 6. Filliuc. tract. 3. cap. 5. quaest 4.*

Tertium præceptum est, vt minister non nisi cōuenienter dispositis prębeat, debitumque ritum seruet, nam suscipiens debet esse homo viator, baptizatus, ratione vtens. Hinc ægro iam mortuo non est vllo modo conferendum, aliàs nullum esset sacramentum, & sacrilegij crimen perpetraretur. In dubio autem si veritas facile explorari non potest, & timetur, nedum medici, & periti expectantur, ęgrotus forsan adhuc viuens statim decedat, Pastor potest, imo debet sub conditione siue verbis expressa, siue mente concepta, hoc sacramentum conferre. Si non ęs mortuus, &c. Cum taciti, & expressi par sit vittus; generale est enim omnibus sacramentis, vt in dubijs casibus hoc modo administrari possint. Quod si dum inungere incipit, eum mortuum esse deprehendit, & de eo constat, Parochus nullo modo perget, quia sacramento iniuriam irrogaret, nec illa vnctio quidquam animę prodesset. Si vero mori incipit, & modicum saltem temporis adhuc illi superest, conabitur breuiter substantialia sola adhibendo, se expedire, facile namque cōtingere posset, vt si in tali casu accidentalia substantialibus pręmitterentur, cum graui ministri culpa, ob rituum prolixitatem infirmus, sic morti vicinus, absque hoc spirituali subsidio hinc demigraret. vt per *Chap. de ext. vnct. quaest. 14. & 22. communis est sententia.* Et nos infra suo loco dicemus.

IV. Q. RESOLVTIO.

TAndem ad quartam quæstionem, an Blasius sigillum confessionis fregerit, & mortaliter peccauerit, cum Lucretiam vxorem Andreæ de debito contracto in ludo, ab ea soluendo, sine facultate certiorem fecit, respondendo dico, quod cum ex omnia sub confessionis sigillum cadant, quæ sacerdoti manifestata sunt per ordinem ad sacramentalem confessionem, animo se accusandi factam, nam ex horum manifestatione, & sacerdos sacrilegus sigilli violator censetur, & confessio odiosa redditur, sequitur, ipsum Blasium à lethali culpa contra s. cōfessionis religionem admissa non excusari. Et cum ex communi DD. placito confessarius peccata in confessione audita reuelare possit tantum de licentia pęnitentis, sponte omnino, atque adeo sine vi, metu, & in bonum ipsius ex causa rationabili data; hinc etiam cōficitur, confessarium non posse au-

dita in confessione pandere nisi illis, coram quibus reuelatur, constet de licentia concessa, cum alioqui scandali, & odij confessionis periculum subsit. Non sufficit vero talem licentiam præsumptam esse, sed requiritur vt actu sit data; si quidem ex præsumpta facultate confessionem referàs, sigillum frangit, & illam odiosam reddit. Quamquam necessarium nõ videtur, vt sit actu expresse exhibita, sed satis esse potest, si actu tacite tributa sit, quia huiusmodi quoq; venia omnem rationem scandali, & odii confessionis suspicionem tollit, exemplum esse potest, si cõfitens confessario mandauerit, post suum obitum hæredibus dicere, vt quædam restituant, quæ alijs debet, &c. vt per *Graffium. l. 1. Decis. aur. cap. 23 num. 13. & Reginal. lib. 3. num. 59. Onuph. de sacro sigillo. sect. 2. quæst. 5. Bonac. de sacr. d. 5. quæst. 6. sect. 5 puncto. 4. num. 12. &* vt etiam resoluimus supra *tract. 5. cap. 19. quæst. 109.*

QVAESTIO XV.

An bona fide tenens libros prohibitos p. m. & incidat in cẽsuram, & an si postquam eos vetitos esse nouit, & alteri dedit, ex Pontificijs Decretis, eum cui dedit, denuntiare teneatur. Nùm penes se habens Bibliorũ libros, vel Euangeliũ vernacula lingua conscriptum, illud legere queat. Vtens potentis viri ope, ut facultatem legendi librum prohibitum ab vrbis Inquisitore obtineat, an in pœnas contentas in Bulla Gregorii XIII. de Datis, & promissis incidat, & nùm extra ditionem facultatem concedentis illum librum legere possit?

LAzarus cum domi haberet quosdam libros de Iudiciaria astrologia tractantes, eosquè aliquando legeret, ab Augustino pio, ac religioso viro amico suo admonitus est, eos absque hæreticæ prauitatis Censorum licentia nec legi, nec domi retineri posse; vnde Roberto socio suo philosophiæ Doctori, qui eosdem facultatem lectione adhibendi, & contrectandi habere asseruit, dono dedit. Cum autem nũc sanctissimi Domini nostri Gregorij XV. Constitutionem emanasse cõspiciat, in qua omnes, & quascunque licentias legendi, ac habendi libros quomodolibet prohibitos omnino reuocat, simulquè præcipit, vt infra duorum mensium spatium ij qui huiusmodi libros habuerint, eos ad Episcopũ, seu Inquisitorẽ deferãt, qui illos quantocius comburere debeat; & qui aliquos similes libros vetitos habere sciuerint, illos denuntiare teneatur, neque de cætero huiusmodi licentiæ nisi à Congregatione S. Officij in Vrbe Roma concedantur, cum inquam, hæc videat, à confessario petit. Primo an cũ bona fide eos libros retinuerit, quos ĩ Gulielmi patrui sui. I. C. bibliotheca hæreditarios habuit, lethaliter deliquerit, & in aliquã censurã inciderit. Secũdo an dictum Robertum, cui eos dedit, denũtiare teneatur. Tertio an cum Lazarus penes se teneat Euangeliorum librum in maternam linguam conuersum, & scholiis Remigij Florẽtini vulgari pariter idiomate illustratum, ipse cum sua familia retinere, ac legere possit, cum nunc in mentem venerit se aliàs Ludouico potentioris uiri ope vsum fuisse, vt facilius ab Inquisitore facultatem quendam librum vetitũ legendi obtineret; angitur scrupulo, an in Bullam Gregorij XIII. de datis, & promissis inciderit, & an extra territorium illam facultatem concedentis dictum librum legere potuerit? Quęritur quid ei consulere debeat confessarius? Et an sub pœna peccati mortalis, Indicem librorum prohibitorum, & Bullam Cœnæ Domini, ac Edicta Inquisitorum penes se habere teneatur.

Omissis suppositionibus, & præuijs inspectionibus, quibus alibi in hac materia vsi sumus, præsertim *tract. 7. c. 2. q. 9. & seqq.*

I. Q. RESOLVTIO.

BReuiter his quæstionibus mihi satisfaciẽdum videtur, & primæ quidẽ q. respondendo dico, quod licet contra exercentes astrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcunque diuinationum genera, librosquè de eis legentes ac tenentes extet Sixti V. Constitutio Incip. *Cæli, & terræ Creator,* & Index librorũ phibitorũ. *reg. 9.* apud *Quarãtã in Sũma Bullarii v. astrologia. Sãchez. l. 1. de precept. c. 38. Nald. v. Astrologus. Farinac. de hæresi. quæst. 181. §. 1. nu. 57. Mart. Delrium. lib. 5. Disq. Mag. sect. 17. & alios communiter.* Nihilominus ipse Lazarus ob bonam fidem, & ignorantiam à lethali culpa, & excommunicatione in Indice librorum contenta, nemini reseruata excusari posset; nam mortale peccatũ cum sit recessus à lege Dei voluntarius, & excommunicatio cũ sit censura maxima pœnarum, scientiam, Inobedientiam, & contumaciam supponit. *cap. nemo. cap. nullus. 11. quæst. 3. Tol. in Summa. l. 1. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. Graffius. lib. 4. Decis. aur. cap. 7.*

Præsertim quod vt habetur *in reg.* Qui in alterius *ff de reg. iur. & in reg.* Cũ quis. *de reg. iur. in 6.* Qui in alterius locũ succedunt, iustam habent ignorantiæ causam. *Menoch. l. 5. de præsumpt. præsumpt. 23. num. 45. Mascard. de probat. volum. 2. concl. 881. Tusch. in v. ignorantia. concl. 16.* Et sicut probabilis ignorantia à culpa excusat, ita etiã à censuris, quãuis in Bulla Cœnæ Domini contineantur, & summo Pontifici reseruentur, nam pœna contra præsumentes inflicta, ab eo non incurritur, qui absque dolo, ac cõtemptu actum facit. Quinimmo si quis actuali obliuione aliquid etiam de iure naturali, & diuino prohibitum, & Papali cẽsura punitum ageret, quod habitualiter tali excommunicatione affectum esse

sciebat,

sciebat, ab illa immunis efficitur, cum actualis illa oblivio invincibili ignorantiæ æquiparetur, vt per *Caiet. Med.* & alios 1.2. *quæst.* 6. *artic.* 8. & *Vasquez. ibi disp.* 107. *cap.* 3. *Pereg. de Duello quæst.* 7. *Duard. in Bulla Cœna Domini. lib.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 31. & 48. Vbi etiam ex communi sententia *lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 36. & *seq.* probat, quando ad incurrendum quamcunque pœnam scientia, & præsumptio requiritur, in foro conscientiæ ignorantiam etiam crassam non sufficere.

II. Q. RESOLVTIO.

SEcundæ q. respondendo dico, Lazarum non teneri Robertum denuntiare, antequam fraternam correctionem præmiserit; nam regulariter ex Christi mandato, quod inferioris præcepto tolli nō potest, hæc ipsa denuntiationem præcedere debet. vt per *Lazarium in tract. de monit. sect.* 1. *quæst.* 7. & *de blasphemia. quæst.* 12. & *Sayrum. lib.* 11. *cl. reg. cap.* 4. *num.* 4. *Lopez p.* 2. *instruct conscientiæ. c.* 28 2. *Bonac. de leg d.* 3. *quæst.* 5. *pun.* 4. *num.* 19. Vbi autem admonitus, dictos libros ad Episcopum, vel Inquisitorem deferre nollet, tunc denuntiandi obligatio ipsi Lazaro incumbet. Certum est enim non posse quemlibet propria auctoritate libros prohibitos cōburere, sed, vt dixi, eos q. tales habuerint, cū effectu Ordinarijs locorum, vel Inquisitoribus Ciuitatum, in quibus huiusmodi libri extiterint, consignare debere. vt constat, ex dicta Bulla Gregorij XV. Incip. *Apostolatus.* Et prius de hæreticorum libris cauit Iulius III. in Constit. Incip. *Cum meditatio.* vt apud *Mart. Delrium. l. c.* & *Farinac l. c. quæst.* 18. *num.* 40. *Pegna in Comment. ad* 2. *p. tract. Inqu. Comment.* 3. *Duard. l.* 2. *can.* 1. *quæst.* 52. *Azor. p.* 1. *l.* 8. *cap.* 16. *q.* 11. Vbi subdit, hoc locum habere cum quis id facere potest absque magno, & graui suo detrimento, siue periculo. Moneantur autem Inquisitores, vt cum liber alicuius hæretici damnati, vel aliter prohibitus illis defertur, deferentem interrogent, vnde illū habuerit, ne forte eo male vsus fuerit, aut ab aliquo qui prodi timet, mittatur. Bene verum est, quod si quis libros prædictos statim, ac ad suas manus peruenerint, combusserit, licet male agat, nullam tamē pœnam, vel censuram contrahit. vt per *Farinac.* & *alios supra citatos Doctores.*

Porro certum est iure merito, sub censura Indicis libros astrologię iudiciarię prohiberi, his exceptis, in quibus naturales obseruationes continentur, quæ nauigationis, agriculturæ, ac medicinæ arti iuuandæ gratia conscriptę sunt. Et contra legentes vel retinentes huiusmodi libros, vel scripta, in quibus de eadem astrologia agitur, per Inquisitores procedi posse, vt habetur in *Indice. reg.* 9. & *in d. Bull Sixti V.* Nam cū illa iudiciariæ astrologiæ pars quæ interrogatoria vocatur, nulla naturali ratione nitatur, tota superstitiosa est, & illicita; quæ etiam hæresim sapiet, quando aliquid certo de futuris contingentibus, successibus, fortuitisquè casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, euenturū prænuntiare audebit, quæ naturaliter sciri non possunt, etiamsi ij qui hoc iudicium faciunt, id se non certo affirmare asserant. vt ex dicta Bulla constat, & inter alios nouissime tradit *Fillius. tract.* 24. *c.* 5. *Molfes. tract.* 11. *cap.* 7. *nu.* 107. *Comitolus. l.* 4. *respons mor. quæst.* 17. Vbi etiam ait, à lethali non excusari qui Astrologo prædicenti eum si v.g. Calend. Nouemb. domo exeat, interfectū iri, Astrologi prædictionem, veluti ex astris, cœliquè aspectu haustam sequitur, eiquè fidem domi se continendo præstat; nam superstitionibus, superstitiosisque hominibus credere, atque obtemperare, graue flagitium est. Sed futurorum euentuum, qui ex humana pendent volutate, inspectione astrorum, ductæ diuinationes, superstitionis. temeritatis, erroris, atq; impietatis plenissimas esse, sacrarum literarū testimoniis, sacrorum Canonū auhoritate, sanctorum Patrum Decretis, Theologorum sententiis, atque argumentorum pondere, & firmitate compertissimum est, ut proinde verissimæ etiam sint illæ apud *Aul. Gell. l.* 14. *cap.* 1. Phauorini philosophi voces, Ea quæ vel temere, vel astute vera dicunt Astrologi, prę ijs quę mentiuntur, vix partem esse millesimam. Et ex *Cicerone. l.* 2. *de natura Deorum,* videatur extare, qui etiam nunc iis credat, quorū prædicta quotidie videat re, & euentis refelli. vide sup. p. 1. *tr.* 6 *c.* 5 *q.* 22.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dico, non prohiberi quin Lazarus Euangelium In maternum idioma trāslatum, cum Episcopi, vel Inquisitoris facultate, legere, & retinere possit. vt colligitur ex 4 *regula Indicis,* cuius verba hæc sunt, Cùm experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus indè ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum Cōsilio Parochi, vel Confessarij, Bibliorum, à Catholicis auctoribus versorum, lectionem, in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex huiusmodi lectione, non damnum, sed fidei, aut pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserint, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ vero qui prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, librorum pretium in vsus pios ab Episco-

po con-

po conuertendum amittunt, aliisque pœnis pro delicti qualitate, eiusdem Episcopi arbittio subiaceãt. Regulares vero non nisi facultate à Prælatis suis habita, ea legere, aut tenere possit. hæc ibi.

Vnde tales libros legentes, nisi vel ab Episcopo, vel Inquisitore, licentiam habuerint, nullam censuram, sed tantum lethiferam culpam contrahunt, & ipsorum Iudicum arbitrio puniuntur. Sicut etiam statuitur de his, qui legunt, aut tenent libros res lasciuas, aut obscœnas, ex professo tractantes, narrantes, aut docentes; aut quoscunque libros, in quibus de rebus agitur, quæ bonis, ac christianis moribus aduersantur. Antiqui vero ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam, & proprietatem, permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt. *regula 7. cauetur.* Ideo prudenter Lacedæmonij quorum respublica optime instituta erat, Archilochi poetæ, omnium petulantissimi, libros è ciuitate sua exportare iusserunt, quod eorum parum verecundam, ac pudicam lectionem arbitrarentur: noluisse enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodesset, vere namque de his dici potest,

Impia sub dulci melle venena latent.

Vt scribit *Val. Max. l. 6. ca. 3. Tiraq. in ll. connub. lib. 16. num. 41 Baldesan. in stimulo ad virt. par. 1. ca. 6. Duard. l. c. lib. 2 can. 1. quæst. 35. Cened. in collect. ad Ius can. collect. 8. Simancas in cathol. instit. tit. 8.*

In hac uero materia stricti iuris, dicendum videtur, facultatem Euãgelia, vulgari idiomate impressa legendi, ac tenendi, alicui concessam, ad omnes de familia extendendam non esse, nisi à Superiore concedenti specialis mentio fiat. *arg. Alexandri de Ao. in conf. 178. l. 6. & Tusch. in v. familia. concl. 75.* vbi decidunt, legatum factum Titio, & eius familiæ, uel Titio cum familia, censeri factum ipsi Titio, uxori, ac filiis, & aliis de domo. Et *Molfe. tract. 3. cap. 17.* Vbi tradit licentiam ab Apostolica Sede indultam, ut quis in priuato Oratorio missam audire possit cum suis familiaribus, ad eos familiares extendi, qui sunt de eadem mensa, & familia ipsius principalis, cui talis facultas conceditur, & ad eos qui pro eiusdem personæ obsequio, & famulatu deputati sunt.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. dico, Confessarios, qui Bullam Cœnæ Domini, casus ab Episcopo reseruatos, Indicem librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres à Tridentina Synodo delectos, & Ordinariorum, ac Inquisitorum Edicta, apud se non retinent, illaquè omnia legere, ac percipere non student, a lethali culpa non excusari. Quod quidem summa ratione nititur, nam quò ad Bullam Cœnæ cum contingat pœnitẽtes ad ipsos Confessarios accedere, qui censuris in ea contentis irretiti sunt, à quibus absoluere nequeunt, & non absoluti sacramenti pœnitentiæ participes esse non possunt, ob eam rem ne clauium auctoritate abutantur, & pœnitẽtes decipiantur, iure à Papa ibi præceptum est, ut ipsam Bullam apud se habeant, diligenter legãt, ac percipiant, quod verborum multiplicatio satis ostẽdit, ipsum ad lethalem culpam, cum res grauis sit, obligare uoluisse. ut sentit *Vgol. p. 3. de cens. S. Pont. reser. cap. 7. in fine. & Duard lib. 3. §. 8. q. 1. num. 5. Graffius l. 4. Decis. aur. cap. 18. num. 9. Tol. l. 1. cap. 30. num. 5. Vinald. in Cand. aureo. in explicat. Bulla in fine. num. 305. Sorbus in annot. ad Compend. Priuileg. Mend. in v. excommunicatio. §. 3.*

Eadem ratione dicendum est, casuum reseruatorum tabellam apud se tenẽdam esse, cum enim fundamentum reseruationis casuum sit iurisdictiò, & natura, & ratio iudicij illud expostcat, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, ac proinde nullius momenti absolutio ea sit, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam iurisdictionem non habet. teste *Conc. Trident. sess. 14. c. 7.* à ministris inferioribus sacramenti pœnitentiæ videndum est, non solum quid summi Pontifices, sed etiam quid Episcopi, etsi Confessarii regulares quò ad fratres sint, quid sui Superiores, illis concedant, & quid sibi reseruẽt, ne fines facultatis, & mandati excedentes, actum nullum reddant, atque æternis suppliciis se dedant. *D. Anton. in Summula tract. 1. cap. 11. Pet. Sot. in instit. sacerd. lect. 5. de ministro confess. Zecchus de cas. reser. in obser. gen. num. 1.*

Nec minus regulas in Indice librorum Confessarii callere debent, quandoquidem si quis aduersus easdem regulas prohibitionemq. fecerit, is quidem qui hæreticorum libros, uel cuiusuis auctoris scripta, propter hæresim, uel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legeret, habueritué, ipso iure in excommunicationis pœnam nomi nitamen reseruatam incidit, eamquè ob causam in eum tanquam de hæresi inquiri potest. Qui autem libros alia ratione prohibitos legerit, uel habuerit, præter peccati mortalis noxam arbitrio Episcoporum plecti præcipitur, ut in eodem Indice cauetur.

At qui hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractãtes, sine summi Pontificis authoritate legerit, retinuerit, impresserit, aut quomodolibet defenderit, excommunicatione in Bulla Cœnæ Domini contenta, & summo Pontifici reseruata, afficitur. Quæ omnia à sacramenti pœnitentiæ ministris ignorari nefas est. *Sayrus lib. 3. de cens. cap. 5. num. 15. Sanchez. l. 2. de praeceptis. c. 10. Suar. in v. libri. Filliuc. tract. 16. de cens. cap. 2.*

Aduertendum est etiam, non obstante sanctione prædicta, à doctis, integræquè, fidei uiris, ex urbe

referri,

referri, libros qui non sunt hæreticorum, nec de hæresi tractant, neque contra fidem, falsa vel suspecta dogmata continēt, aliqua tamen alia ex causa prohibitos, posse uiris dignis, ab Episcopo, uel Inquisitore permitti, qui quidem gratis, & scripto manu sua subsignato tribuēt, & de triennio in triennium facultatem renouabūt, iuxta §. 2. *Indicis librorum*, At in foro conscientiæ illam scientiam oretenus habere sufficere uidetur, per ea, quæ tradit *Gambarupta de cas. reser. cap. 3. num. 25.*

Quod attinet ad Ordinariorum, & Inquisitorū edicta, satis cōstat, Cōfessarios ea latere nō debere, siquidem ex officio pœnitenti iniungere tenentur, ut aliqua peccata, quæ de aliis hominibus scit, Episcopis, & hæreticæ prauitatis Censoribus denuntiet, cuiusmodi sunt hæretici, vel de heresi uehemēter suspecti, malefici, professores artium magicarū, & astrologiæ iudiciariæ, & sic de aliis, quos denunciandos esse ipsorum edicta præcipere solent. *Megalus. p. 1. Instit. confess. l. 1. c. 5. Zecchius de cas. res. casu 2. Molfes. tract. 7 cap. 24. Marc. Ant. Genuens. in praxi Cur. Neapol. cap. 23* Vbi ait hæc delicta in publicam perniciem tendentia deferēda esse, etiāsi probari non possint, quia Superior vigilabit, & potest esse quod contra prædictas personas aliæ adsint denuntiationes, ex quibus de facili ad torturam, & alia iuris remedia deueniri possit, & damno reipub. omni meliori modo quo potest succurri, ad quod quilibet tenetur. Quæ sententia, ut aliàs annotauimus, communi praxi recipitur.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. q. respondendo breuiter dico, Lazarum tàm à culpa, quàm à pœna excommunicationis latæ à Gregorij XIII. in *Bulla de Datis, ac præmissis*. Incip. *Ab ipso Pontificatus nostri, &c.* immunem esse, tùm quia S. Inquisitionis tribunal, ex communi praxi, in Constitutione illa Pontificia à Clemente VIII. confirmata, & ad totum ecclesiæ statum extensa. ut per *Nald. v gratia. Filliuc. tract. 15. c. 6.* includi non uidetur; tùm quia Lazarus māgnati illi nil pro graria illa obtinenda dedit, cum tamen principalis actio ibi prohibita sit nundinari conquirendo expeditiones negotiorum, uel pretio interueniente, mandatum impetrādi iustitiam, uel gratiam, potentiorum suffragationibus innitendo: tùm etiam quia Lazarus se non peccare existimans bona fide id egit, cum nihilominus lex præsumentem puniens, recta, & simplici mente facientem non comprehendat, ut ait *Nauar. ibi in Comment. notab. 23. num 38. Bonac. de legibus. d. 10. q. 2. p. 8. §. incidens. num. 22. & est communis.*

Ad illud vero quod additur, an Lazarus ex Inquisitoris concessa licentia, librum vetitum extra diæcesim cōcedentis legere potuerit, dico id ei dubio procul licuisse, cum hoc iudicialem causę cognitionem non postulet; sicut is cui datur facultas peccata confitendi, confiteri potest extra diæcesim, & parochiam ipsam licentiam impertientis. Et dispensatus, uel lege solutus ut ieiunare non teneatur, extra territorium concedentis ieiunium omittere ualet, & licentia aliquid faciendi, quod aliàs prohibitum est, morte illius qui eam concedit non expirat. Resolutio tamen intelligitur modo in loco in quo priuilegiarius reperitur, aliqua specialis prohibitio non extet, uel statutum uigeat, cui subijciatur, ut ex communi scribit *Bonac. l. c. d. 1. q. 3. puncto 6. num. 10. & 8. §. 1. num. 27.* Atque sic resoluit *Nau. lib. 5. cons. 6. Azor. p. 1. lib. 5. cap. 23. quæst. 6. Nald. v liber, num. 6.*

QVÆSTIO XVI.

An Satellites Gubernatoris urbis capientes Notariū Curiæ Episcopalis de homicidio imputatum, incidant in excommunicationem. Et an vi Iubilai extra confessionem tàm à Papali excommunicatione quàm à casibus Episcopalibus absolui valeant?

MArtinus, & Alexander, cuiusdam Gubernatoris, in urbe ecclesiasticæ ditioni subiecta satellites, Andreā Episcopalis curiæ notarium cōprehenderunt, & in carcerē deduxerunt, eo quod exurgentibus indicijs, de plumbea glande in Cornelium contorta esset imputatus. Cum autem inter peritos disceptaretur, an dicti satellites in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini incidissent, cum ea censura percellantur, qui ecclesiasticas personas ad sæculare forum trahunt, & qui Episcopos vel eorum familiares, in carcerem detrudunt, seu eos molestant, quo minus sua ecclesiastica iurisdictione vtantur, alij enim negabant ipsam excommunicationem contraxisse, alij affirmabāt; nec studio, ac matura deliberatione adhibita, huius rei veritas hauriri potuerit. Nunc uirtute cuiusdam solemnis benedictionis à Sede Apostolica obtentæ, cum facultate, Iubilæi instar, concessa omnibus Confessariis ab Ordinario approbatis, ut à quolibet casu sūmo Pontifici reseruato, etiam in Bulla Cœnæ Domini contento, in foro conscientię absoluere ualeāt, petit à quodam sacramenti pœnitēriæ ministro extra confessionem ad cautelam absolui, tàm ab hoc peccato, quàm ab aliis casibus suo Episcopo reseruatis, præcipue à solutione Quadragesimæ, & comestione carnium in diebus ab ecclesia uetitis, non impetrata facultate; (Quod præceptum ex iniuncta etiam aliàs à confessario pœnitentia, seruare tenebatur,) cum tamen de casibus Episcopis reseruatis in Bulla nulla mentio fiat, Quæritur quid in hoc casu consulere debeat confessarius.

SVP-

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE inspectiones.

I. SVPPOSITVM.

REspond. Suppono Primo libertatem ecclesiasticam esse ius quoddam inhaerens generatim ecclesiis, & ecclesiasticis personis, utendi priuilegiis ipsis à Deo, ab hominibusuè concessis, tàm quò ad se, quàm quò ad res suas, quatenus talia sunt. Nam sicut libertas in cōmuni est naturalis facultas eius, quod cuiq; facere licet, nisi si quid vi, aut iure prohibetur. § *libertas. Instit. de iure personarū:* ita libertas ecclesiastica est ecclesiae facultas faciendi quodcunque facere licet, quia per eā ipsa ecclesia in plenitudine iuris sui laetatur. *cap. 1. de imm. eccles. lib. 6.*

Et proprie strictèq; loquendo, inter ecclesiasticā libertatem, & ecclesiasticam immunitatem hoc discrimen agnoscitur, quod per primam, personarum ecclesiasticarum exemptionē intelligere debemus, per secundam loci sacri securitatem comprehendimus, & in primis ne sontes ad ipsam confugientes inuiti extrahantur. Quod scire maxime interest, quandoquidem si quis locum sacrū uiolauerit, uiolatae libertatis reus non erit, sed tantum immunitatis transgressor, nec in censuram latam contra ecclesiasticam libertatem laedentes incurret, sed aliam quae continetur in Bulla Gregorij XIIII. Incip. *Cum alias nonnulli,* quae licet eas poenas infligere uideatur, quibus cōtra libertatem ecclesiasticam uiolantes animaduerti solet, hodie tamen in aliquibus locis obseruatur, ut eius absolutio ad Episcopū spectet, ut *Genuens. in praxi Neapolit. c. 22. & per Grassium de cas. reser lib. 2. c. 42. n. 2. Bonac. de legibus d. 3. q. 7. §. 6. n. 8.* At uti aliàs aduerti *Marius Italia de immun. eccles. lib. 1. c. 6. §. 2. & Alex. Peregr cap. 5. Filliuc. tr. 15. c 6. n. 155.* tenent, Papae reseruari, idq. ex generali vsu qui plerumq. facit, ut quod non est reseruatū reseruetur, & ab inferiorū Iudicū iurisdictione subtrahatur. Libertas āt ecclesiastica quò ad censuram excommunicationis in casu nostro contrahendam tunc primo, & per se uiolari dicitur, ubi ecclesiasticae personae impediuntur, & ecclesiae, quo minus priuilegiis tàm à Deo, quàm ab hominibus ipsis cōcessis utantur: quare statuta quibus cauetur, ut clerici uectigalia, ac pedagia soluāt, ecclesiasticae libertati aduersantur, nā priuilegium donatū est, ne ad haec praestanda obligentur. *cap. 1. & cap. clericis de immun. eccles. lib 6. c. quam quam, tit. de cens. eodē lib. 6.* Statutum itidem quo sancitur, ut clericus coram Iudice laico conueniatur, contra eandem libertatem militat, nam ex priuilegio coram ecclesiastico tantum Iudice conueniri potest. *cap. si diligenti, ext. de foro comp.*

At per sanctionem, qua permittitur, ut confugientes ad ecclesiam inde extrahantur, ipsammet libertatem laedere dicuntur, & in excommunicatione in Bulla Cęnae contentam incidere. Qui uero eū, qui ad ecclesiam, uel templum tanquam ad asylum confugit, per se, uel per alium extrahit, pęnis à Constitutione Gregorij XIV. Inflictis afficitur, inter quas etiam ex aliquorum sententia est Papalis excommunicatio. vide eundem *Marium Italiam in eius Comment. l. c. & Filliuc. tom. 1. tract. 15. cap. 6. q. 8. num. 155. Duard l. 2. can. 15 q. 16. num. 18. Pereg. l. c.* De qua re uariis in locis pro subiecta materia mentionem fecimus.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo Praemitto, quod licet apud Authores ij termini confundantur, & vnus pro altero accipiatur, nempe forum pęnitentię, & conscientiae, nihilominus inter se maxime differunt, illud enim est sacramentale forum, hoc autem ut cōtra forum exterius distinguitur. Quare *Roder. in qq. regul. tom. 1. q. 62. art. 10. & Duardus in Comment. in Bulla Cenae Domini. l. 3 §. 2. quaest. 1. num. 45. Sanchez. lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 28. & de praecept. l. 2. cap. 11. nu. 13* cum aliis quos allegat, tradunt, facultatem absoluendi in foro pęnitentiae, intra confessionem intelligendam esse, secus de authoritate in foro cōscientiae concessa, ac proinde confessarium quoties uel ratione Bullae, uel alterius priuilegij, ab excommunicatione in foro conscientiae absoluit, uel commissam sibi dispēsationem in eodem foro expedit, extra confessionem id licite facere: secus si in foro pęnitentiae, tunc enim in solo sacramentali iudicio Iudex constituitur. Quare cum *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6.* Episcopis conceditur, ut in foro conscientiae à quibuscunque casibus occultis absoluere ualeant communis praxis interpretatur, ut extra confessionem absolutionis beneficium impendant, nam absolutus in eo foro dicitur, qui nō publice adhibitis testibus, à censuris liberatur, quamuis extra forum pęnitentiale, ac sacramentale id fiat, absolutio namque in foro conscientiae id solum significat, ut in externis tribunalibus si contingat ad ea trahi, reo absoluto non prosit. Contraria tamen sententia uerior, & tutior, uidetur, nempe sacramentalem cōfessionem exigi, quando in Bulla, uel in literis priuilegij, ubi absoluendi, uel dispēsandi facultas datur, exprimitur, talem potestatem pro solo conscientiae foro concedi, praesertim cum ex uerbis, seu mente concedentis id innotescit, uel colligitur, prout si in Bullis haec clausula ponatur, Absoluas hac uice, in forma ecclesiae consueta, iniuncta ei pro modo culpae pęnitentia salutari, quae omnia soli sacramentali confessioni aptari debent, & solis sacramenti pęnitentiae ministris in interno foro Iudicibus committi cen-

ti censentur. ut per *Lazarium in pract. q.q. p.1. sect. 4. q.15. num.10. Chap. de cas. res. cap. 10. q.1. diff. 4.* Sicquè intelligenda sunt, quæ diximus supra *tract. 5. cap. 6. quæst. 38.*

III. SVPPOSITVM.

Tertio supponendum est casuum Episcopalium reseruationem multis modis tolli.

I. MODVS TOLLENDI RESERVATIONEM.

Et Primo ubi eos reseruans per constitutiones, uel literas reuocauit: tunc enim qui à peccatis non reseruatis absoluere potest, ab illis etiam quæ per eadem Decreta reseruata erant; absoluere ei integrum est, cum reseruationem euanr, etiamsi pœnitens iam antea in casum reseruatum inciderat; siquidem reseruatio non ipsum delictum committentem, sed Parochi iurisdictionẽ afficit, quia tempore confessionis absoluendi facultatem adimit, eo autem tempore nulla adest reseruatio, nec ipsiusmet Parochi impeditur iurisdictio. ut ait *Vgol. de officio Episcopi p.2. c.36. §.11. & Floron. de cas. reser. p.1. c.4. §.8.*

II. MODVS.

Secundo mortuo, uel amoto Episcopo reseruatio aufertur, tunc namque si per sententiam, uel per edictum, non per modum perpetuæ constitutionis reseruentur, cum sint ab homine, & cum eo expirent, quilibet confessarius absoluere potest, *Quar. in v. casus reseruati. Vgol. & Flor. l.c. Barth. Metina in instruct. confess. l.1. c.10. Vival. de absolut. num.57. Sà in v. absoluto. num.20. Vict. in Add. ad Possev. de offic. cur. c.7. Graff l.1. de cas. reser. cap.4. reg.11.* Et nos alibi admonuimus supra *tract. 5. cap. 6. q.41.* Et ut est à nobis animaduersum in *Commẽt. de cas. reser. p.1. cap.3.* Vbi Episcopi aliquos casus sibi eligunt, & in publicas reseruationis tabulas digerunt, nisi aliud exprimant, alij qui in synodalibus constitutionibus reseruati reperiuntur, & in dicta tabella non comprehensi, exclusi censentur, cum ex legali regula. Inclusio vnius sit alterius exclusio. *ca. nonne. ext. de præsumpt.* Licet secus sit in excommunicatione, quia licet ea ab homini lata eo mortuo illo expiret, si tamen uiuente in illam inciderit, eo defuncto, vel amoto, per successorem absolutio petenda est. *cap. si Episcopus. 11. q.3.*

III. MODVS.

Tertio ipsa reseruatio expirat, & euanescit, ubi reseruans iurisdictionis vsu priuatus est, vt quia notorie excommunicatus, vel ab officio suspẽsus est, & nominatim denuntiatus, ob hoc enim reseruatio per particulare edictum, uel sententiam facta suspenditur, & ob id tunc temporis pœnitens à simplici Parocho, vel cõfessario absolui poterit, nec alia Superioris licentia opus erit. Vnde in simili resoluit *Vgol. de cens. Summo Pont. reser. p.2. cap.16. §.2.* quod licet impediens ecclesiasticos Iudices, quo minus sua iurisdictione vtatur, in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini reseruatam incidat, si quis tamen ipsos impediat, vel quod sint publice excommunicati, denuntiatiue, nec nõ à iurisdictione suspensi, quo casu vsu iurisdictionis carent, & ab ipsis acta nulla sunt, etsi ea vtantur, contra canones agunt, ab ipsa censura excusaretur.

IV. MODVS.

Qvarto casus reseruatus esse desinit, quando pœnitens aliò domicilium transtulit, ubi peccata illa reseruata non sunt, nam cum amplius reseruantis subditus non sit, à quolibet confessario absolutionis beneficiũ obtinere poterit. *Vgol. & Flor. l.c.*

V. MODVS.

Qvinto quando pœnitens legitime fuit alias sacramentaliter absolutus a Superiore, vel ab eo qui talem facultatem habebat, ut quia vult illa in generali confessione, ecclesiæ clauibus subijcere, nam per primam confessionem, & absolutionẽ ipsius Superioris intentioni satisfactum fuit, & ob id reseruationis ratio cessat, sicut aliàs retulimus ex communi, cuilibet simplici sacerdoti ab Ordinario non approbato, integrum esse absoluere à mortalibus peccatis in articulo mortis, & ab his, quæ aliàs quis legitime confessus est, & etiam à culpis venialibus, & quartus, additur casus, quando religiosus sacerdos suorum fratrum à suo Superiore commissus confessiones audit. *Reginal. lib.8. num.91.*

VI. MODVS.

Sexto tollitur reseruatio, quando à reseruatis quis absolutus fuit, nam si postmodum aliquorum etiam reseruatorum recordetur, à quocunque approbato Confessario absolui poterit. ut de communi testatus sum in *Comment. de cas. reser. p.1. c.2. vers. 6.* Quod procedit ex multorum sententia, etsi prima confessio in qua à reseruatis absolutus fuit, inualida extiterit, & ob id reiteranda, nam tunc à quocunque confessario approbato absolutio impendi poterit, licet à reseruatis absoluendi facultatem non habeat, nisi defectus circa peccata reseruata, vel in confessione tempore Iubilæi facta contingeret, vt in *d. Comment. l.c. annotauimus.*

Septimo

VII. MODVS.

Septimo reseruatio ab Episcopo facta cessare cẽsetur, vbi Romanus Pontifex per Iubilæum, aut Bullam, uel aliam cõcessionem, à casibus Papę reseruatis absoluendi facultatem concedit, si quidẽ tunc à reseruatis Episcopo, sine eius licẽtia, absolutionem impendere licebit. vt de communi verior testatur. *Reginal. lib. 8. num. 35. & seq. & Flor. nu. 7. Chap. de cas. reseru. cap. 4. diffic. 10. Suarez. tom. 4. disp. 31. sect. 4. Nald. v. casus. num. 11.* ut dixi supra *tract. 5. cap. 5. quæst. 29.*

CASVS, ET QVAESTIONVM resolutio.

His sic suppositis, ad propositum casum cum suis circunstantijs vestiuum, sic mihi his assertionibus respondendum videtur.

PRIMA ASSERTIO.

Primo quod licet dici soleat, Iuris ignorantiam neminem excusare, nec in foro externo præsumi. *l. sacratissime. C. de legibus. l. 2. C. de iuris, & facti ignor. Tiraq. de temp. pœnis. causa 11. Farinac. q. 90. Inspect. 2. Mascard. de probat. vol. 2. v. ignorantia concl. 808. Tusch. v. ignorantia. concl. 11. Menoch. de præsumpt. 23. lib. 6.* Et quod singuli ea nota habere debeant, quæ ad eorum statum, & officium pertinent, iuxta illud *Apostoli 1. ad Corinth. 1.* Videte vocationem vestram, alioquin peccant peccato, quod ex ignorantia oritur, quam Theologi vincibilem, & crassam appellant. *D. Thom. 1. 2. q. 76. art. 1. & 2. Vbi Medina, & Valentia;* nihilominus verius resoluendum est, quidquid sit de culpa commissa, Martinum, & Alexandrum satellites, cum in Andream Episcopi tabellionem, manus iniecerũt, & reum ab eis existimatum, in carcerem iussu, ut aiunt, Iudicis maleficiorum dettulerunt, à censura in Bulla Cęnæ Domini contẽta excusari. Nam etsi famuli, ac tota Episcopi familia (sub qua excommuniori placito etiam notarij comprehenduntur, teste *Mario Ant. l. 1. var. resol. resol. 75. & Gratiano in Forens. Discept. tom. 2. cap. 340. & seq.*) priuilegio fori ecclesiastici tàm in ciuilibus, quàm ctiminalibus gaudeãt: non tamen trahentes eos ad curias seculares excommunicatione ligantur, cum personæ ecclesiasticæ non dicantur; si quidem ecclesiastici illi tantum censendi sunt, qui per receptionem ordinis, aut pęr conuersionem ad aliquem religiosum ordinẽ, à laicorum iurisdictione eximuntur. vt tenet *Alterius in explicat. Bulla can. 15. cap. 1. & Duard l. 2. q. 8. nu. 14.*

Nec ex altera parte illa constringi videntur in qua *canone* 16. illi afficiuntur, qui Episcopos, & omnes alios Iudices ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet directe, vel indirecte, in carcerem trudendo, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, &c. impediunt, quominus sua iurisdictione vtantur, cum enim Andreas de homicidio, vel de plumbea glande in Cornelium contorta imputatus esset, Superioris iussu in ipsũ Andreã notariũ manus iniecerunt, & in carcerem duxerunt, nõ vt aliquod pręiudicium, vel impedimẽtum ecclesiasticæ libertati, & iurisdictioni inferretur, sed vt iustitiæ leges erga eum, quatenus fas esset, & liceret, administrarentur, cum reipublicæ intersit, delicta puniri. *l. ita vulneratus. ff ad l. Aquil. c. ut fama. ext. de sent. excommunicationis.* Si quidem voluntate, ac proposito malesicia distinguuntur. *c. cum voluntate. ext. de sent. excomm.* Et termini in qualibet facultate apud sapientes formaliter sunt intelligendi. *Caiet. communiter receptus in Summa. in v. excommunicatio. c. 1. in fine. Sayrus. lib. 3. de cens. cap. 5. num. 3. Bcia p. 1. respons. casu 4. Azor. p. 1. lib. 8. cap. 15 quæst. 2. & 3. Duard. in Bulla Cœna Domini. l. 2. can. 1. q. 28 nu. 15.* Vbi autem, recipientem scienter hæreticum intuitu pietatis, & amicitiæ, in foro saltem conscientiæ, à pęna receptatoris excusari, in foro tamen exteriori, in quo præsumptionibus statur, tanquam receptatorẽ haberi, & proinde vt excommunicatum, & in alias iuris pœnas prolapsum, nisi suam intentionem probet, qñ quidem statutum, & omnis lex sic interpretanda est, ut non sit Iudaica, & literalis, prauum, & absonum sensum continens; Iudæi namque literam potius, quàm intellectualem sensum amplectuntur. *Alex. l. 7. cons. 198. Tusch. v. interpretatio. cõcl. 332.*

II. ASSERTIO.

Imo dato, sed non concesso, quod vi verborum ecclesiasticam iurisdictionem, capiendo notarium impediuisse dicerentur, adhuc tamen ex capite probabilis ignorantiæ pœnæ excommunicationis appositæ, saltem quò ad eundem forũ conscientiæ excusati censerentur, quoniam censura numquam nisi propter contumaciam contrahitur; modo cõtumax dici non potest, qui probabiliter excommunicationem ignorat, præsertim si persona sæcularis sit ex plebe, quę apicum iuris capax non est, multo magis si ius est controuersum, & intricatum. *Farinac. de temp. pœnis. quæst. 90. inspect. 2. Tiraq. causa 11.* Vnde regulariter qui ex obliuione, incogitantia, inaduertentia, aut simplicitate, vel bona fide, & ignorantia, in actum prohibitum sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ incidẽrẽt, excommunicatus non esset, cum ignorantia, & inaduertentia, obliuio, & huiusmodi, dolum, & temeritatẽ excludant. *Card. in clem. 1. q. 39. de priuileg. D D. in c. Apostolica. de cler. excomm. minist. & in c. ut animarum de*

ram de constitut. in 6. Riccius in praxi resol. resol. 19. Pereg. de Duello qu. 8. Lazar. in ean. qq. sect. 4. q. 16. Sayr. l. 1. de cens. cap. 18 nu. 31. Graffius. l. 4. Decis. aur. cap. 9. nu. 14. Vnde & Vgol. in Comment. in Bulla Cœnæ Domini postquam cap. 16. nu. 2. dixit illum proprie ecclesiasticam iurisdictionem impedire, qui vim adhibens, vel metum incutiens impedit, quod fit, aut damnũ vitæ rei, ac familiari suæ, suorumuè inferendo v. g. aut occidendo, aut mutilando, uel in carcerem conijciendo, &c. aut auferendo eius bona, seu prohibendo, ne quis suos fundos colat, aut ne quis ab his emat, aut metum huiusmodi iniiciẽdo, &c. in vers. eos quoque subdit satellites exequentes mandata facta à Iudicibus laicis contra Iudices ecclesiasticos, in excommunicationem incidere, nisi id se facere non posse ignorarent, quod sæpius contingere solet, tunc enim excusarentur. Et Duard. lib. 3. in Bulla Cœnæ. §. 7. quæst. 1. & 2. num. 5. Sic ait, Quò vero ad censuras in Bulla contentas, præsens Bulla quantumuis publicata non ligat probabiliter ignorantes, nõ solum in foro interiori, sed nec etiam in foro exteriori, cum ignorantia probabilis legitime probatur. Ad hæc spectat resolutio Marij Anton. l. 1. var. resol. resol. 65. Vbi decidit Edictum factum à Prætore, & cõmunitate alicuius loci quod homines de communitate, ad ipsius molẽdinum eant, non valere in præiudiciũ ecclesiæ, in eodem loco aliud molendinum habentis, Prætorẽ tamen, & dictam Communitatem, seu eius participes, ab incursu censuræ ob bonam fidem, & ignorãtiam excusari, quia licet lex quò ad actus nullitatẽ ignorantes liget, quò tamen ad excommunicationem bona fide facientem non afficit. Nam, & Innocentius in c. nouerit. ext. de sent. excom. ait, condentẽ statutum contra ecclesiasticam libertatem ignorantem illam lædere, excõicationem non contrahere. Nec abludit quod tradit Suarez. lib. 5. de legibus. c. 12. dum inquit, omnem ignorantiam, quæ excusat factum ne sit peccatum, excusare etiam pœnam debitam in utroque foro, idq; per iura supra allegata.

Porro in dubio in foro externo ignorantia præsumitur, donec sciẽtia probetur. cap præsumitur. de reg. iur. in 6. Deinde primo probatur per iuramentum, quia quæ in animo consistunt, aliter probari non possunt. cap pastoralis. ext. de except. Tusch. v. ignorantia. concl. 24. Mascard. concl. 883. Secundo ex facto cum quò necessario coniuncta est ignorantia, ut si erat infans, furiosus, &c. Terrio à verosimili, ut in absenti, & sic de aliis. Molfes. tr. 8. c. 9. n. 35. Alciat. præsumpt. 30. reg. 3.

III. ASSERTIO.

Tertio dico hos satellites posse à quolibet confessario approbato, ui facultatis à Papa concessæ, ad cautelam absolui. Est enim absolutio ad cautelam uera, uel putatiua liberatio ab ecclesiastica censura sub conditione tributa, cum ambigitur, an quis in eam inciderit. Et extra Iubilæum exceptis casibus in Bulla Cœnæ contentis, ab Episcopo impendi potest, etiamsi certum esset, absolutionem ad summum Pontificem spectare. Sayr. de cẽs. l. 3. cap. 28. nu. 29. Lazar. in ean. qq. sect. 3. quæst. 16. num. 4. Duard. l. 3. §. 2. quæst. 13. arg. Sà in v. Episcopus. num. 35. Ac licet absolutionem petens excommunicatus præsumatur, id tamen procedit quando simpliciter absolutio petitur, secus si ad cautelam postuletur: si quidem summus Pontifex. in cap. ad eius dist. 5. & in cap. 2. de obser. ieiu. cautum reliquit, bonarũ mentium esse timere culpam, vbi culpa non est. Cui sententiæ simile est, quod scripsit Socinus Iun. volum. 2. cons. 29. & Mascard. volu. 1. concl. 13. Quod culpa ubi non est, fauore tamen animæ timẽda est; & ubi de peccato agitur, tutior uia est eligenda. Tusch. v. anima. concl. 333 ex Anchar. in consil. 179. & DD. in c. iuuenis. ext. de spons. Graffius. lib. 1. Decis. aur. cap. 22. num. 9.

Porro circa hanc absolutionem illud quoque notandum est, quod si sacerdos aliquem ab excommunicatione ex Superioris mandato, siue per literas, ut Pœnitentiaria solet, siue uerbo, ut Prælati facere cõsueuerunt, qui absoluendos ad confessarios mittũt; siue sit per Iubilæum, & Bullam, & absolutio in cõscientiæ tãrum foro committeretur, satis erit, si absoluendus ad cautelam, firmum propositum habeat offenso satisfaciendi, si constiterit illum iure excõmunicatum esse; nec tenetur seruare formam præscriptam in cap. solet. de sent. excomm. lib. 6. sufficit enim ut ei per partis confessionem innotescat preces ueritati niti. Duard. & Lazar. l. c.

IV. ASSERTIO.

Vnde Quartò dico, hanc absolutionem sacramentalem confessionem necessario exigere, cum in Bulla absoluendi facultas pro solo pœnitẽtię foro cõcedi videatur, ob illam clausulam appositã, Absoluas in forma ecclesię consueta, iniuncta ei pro modo culpæ salutari pœnitentia. Illa uero uerba in forma ecclesię consueta intelliguntur, ut absolutionis solemnitates obseruentur, si absque pœnitentis nota, uel scandalo adhiberi possunt; hodie enim nõ sunt in usu, cum absolutio in sacramentali foro datur. Henriq. de excommunicatione. cap. 29. nu. 4. Auila de cens. p. 2. cap. 7. disp. 3. Sà in v. absolutio ab excommunicatione num. 18. & alij quos retuli supra tr. 5. cap. 6. quæst. 39.

V. ASSERTIO.

QVinto dico hos satellites in foro interno, & sacramentali audita confessione à casib. suo Episcopo reseruatis absolui posse, cum, ut supra inspeximus, reseruatio ab Episcopo tollatur, ubi Rom. Pontifex per Iubilæum, aut Bullam, uel aliam concessionem, alicui absoluendi à casibus Papæ reseruatis facultatem impertit; quando enim maius conceditur minus et concessum esse uidetur. *c. ex parte el 3. ext. de decimis. Reginal. lib. 8. num. 55. & sequ.* ut aduertimus. *l. c. nempe. tract. 5. cap. 5. quæst. 29.*

VI. ASSERTIO.
Et confessarÿ monita.

CVm autem ij satellites fuerint ad cautelā absoluti, eo quod dubium iuris, & facti uersaretur, an capiendo Episcopi notarium, ecclesiasticā libertatem uiolauerint, ac proinde in censuram in Bulla Cœnæ Domini contentam inciderint, & simpliciter absolutionis beneficio, super casu Episcopi, et ob Quadragesimæ, & aliorū dierum ab Ecclesia indictorum solutionem, fiunt donati; à Confessario admonendi erunt ut in posterum in conseruanda, eadem ecclesiastica immunitate, & libertate cautius procedere studeant, in dubijs peritos consulendo, fixum illud in mente retinendo, Deo imprimis quò ad proprium munus seruiendum, propriam cōscientiam non fallendam, & munus vnicuique assignatum fideliter exequendum, nec ullo pacto negligētes esse oportere eos, qui Deo placere cupiūt, in his cognoscendis, ac præstandis, quæ officij eorum sunt. *Palaot de sac. confess. consult. p. 5. quæst. 11.*

Et cum gastrimargiæ, seu gulæ concupiscentiæ vitium satellitum, ac lictorum peculiare, ac propriū esse dicatur, ut propterea eo abstracti, & illecti facile ecclesiæ pręcepta transgrediantur, illis Confessarius insinuabit, cū Quadragesimam, & alios dies ab ecclesiæ præscriptos violarunt, duplex flagitium perpetrasse; cum abstinendi à carnibus obligatio à diuersis virtutibus descendat, nempe ex ecclesiæ mādato, & ex pęnitentia illi per Confessarium imposita, iuxta tradita per *Molfes. tract. 10. cap. 5. num. 28. & Filliuc. tract. 27. c. 5. quæst. 4.* Nec enim dubium est ipsi integrum esse, opera aliàs præcepta pęnitentē in satisfactionem iniungere, ut missę auditionem in die festo, ieiunium in Quadragesima, officij recitationem clerico illud omittere solito, &c. Qui tamen si nihil explicet, opera aliàs non iusta iniungere intelligēdus est, ut ex communi tradit *Bonac. de sacr. disp. 5. sect. 3. punct. 2. num. 11.* Interrogabit quoties in die vetitos cibos comederint, cum ut notum est, alia sit transgressio præcepti affirmatiui, quod secunda tātum refectione uiolatur; alia negatiui, quæ toties incurritur, quoties interdicti cibi adhibentur, ut idem ait, *Bonac. in tract. de legibus. disp. ult. qu. 1. p. 1. punct. 3. num. 11.* Ostendat grauitatem criminis cum huiusmodi transgressio, & excessus ipsum trāsgressorem si absque rationabili causa fiat, de hæresi suspectum reddat; quod maxime in externo foro locum habet, nam in animæ iudicio si ex vitio gulæ id accidat, talis non cēsebitur. *Pegna in 3. p. Direct. Inq. Comment. 24.* ut notauimus supra *tract. 6. cap. 23. q. 106.* Et ut in eo puniantur, in quo deliquerūt, pęnitentiam infliget, ut à carnibus, & ouis in die Paschatis, & alio tempore, ut ei expedire uidebitur abstineant. ut per *Graff. l. 2. de cas. reser. c. 10.* & per nos in nostris *Comment. de cas. reser. p. 2. cap. 7.*

QVÆSTIO XVII.

Mercator Italus, an cum hæreticis extra patriā suam conuersando, lethaliter peccet, & in excommunicationem incurrat? Vtrum ecclesiæ præceptum ibi non obseruando sit à culpa excusatus. Nūm matrimonium cum hæretica cōtractum valeat. Vtrū infideles, & hæreticos in cōmercÿs decipere possit. An circumstantiam copulæ cum hæreticis habitæ confiteri teneatur, & cum vna illarum sit vxoris propria consanguinea, nunquid ab illa debitum petere possit?

IVlius mercator Italus solet negotiandi causa in Germaniam, Angliam, Galliam, & Flandriam proficisci, & cum hæreticis contractus inire, cū eisdē versari, & cibos vetitos diebus à Catholica Ecclesia pręscriptis comedere, à sacrosanctę missæ sacrificio, alijsque diuinis officijs, & sacramentorum perceptione abstinere; nunc in patriam reuersus, prædicta narrat, simulquè refert, cum Pamphilia hęretica, nō seruata Concilij Tridentini forma, matrimonium contraxisse; & in conficiendis cum debitoribus rationibus, eos tanquam à Romana Ecclesia disiunctos, nullo facto sibi conscientię scrupulo decepisse. Quæritur ergo Primo, an sic cum hæreticis conuersando lethaliter peccauerit, & in excommunicationem in Bulla Pœnæ Domini contentam inciderit. Secundo an ecclesiæ præcepta ibi non seruando sit à culpa excusatus, & an inciderit in excommunicationem latam à suæ diæcesis Episcopo. & in casibus reseruatis positam, contra eos qui diebus ab ecclesia vetitis sine legitima causa, & licentia obtēta carnes comedunt. Tertio an matrimonium cum hæretica contractum validum sit. Quarto an hæreticos, & infideles in commerciis decipiendo, charitatis, ac iustitiæ leges violauerit, ita ut præter admissam culpam, ad restitutionem teneatur. Et cum in illis locis cum quibusdam infidelibus, & hæreticis fęminis etiam sit fornicatus, an illam circumstantiam necessario exprimere teneatur. Et cum post initum matrimonium

timonium cum vna illarum ſit ſuæ vxoris conſobrina, an ab ea debitum petere poſſit.

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE inſpectiones.

I. SVPPOSITVM.

Reſpond. Pro faciliori harum quæſtionum reſolutione, ſuppono Primo, Hæreticos omnes ipſo iure excommunicatos eſſe, & à communione fidelium diris proſcriptionibus ſeparatos; nam velut in rebus ciuilibus exulans, & relegatus à patria, liberis, amicis, & patriæ honoribus caret; ita ferme excommunicatus, Chriſti merito, eccleſiæ communione, atque omnium fidelium ſuffragiis priuatur; nam qui eccleſiam non audiunt, tanquam ethnici, & publicani habendi ſunt. *Matth. cap. 18. cap. excommunicamus. ext. de hæret.* Et non ſolum excõmunicatione ſummo Pontifici in Bulla Cœnæ Domini reſeruata ſunt affecti, ſed etiam ipſorum receptatores, & fautores, & generaliter quilibet defenſores, eandem Cenſuram contrahunt. Multis vero de cauſis hæreticorum communicatio fugienda eſt.

Prima quia hæretici ab eccleſia abſciſſi ſunt, cum quibus catholici nil commune habere poſſunt; quæ enim conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *2. ad Corinth. 6.* Secundo eos vitare debemus, ne illis communicantes eorum peccatis inuoluamur; ſi quidem eorum ſermo ut cancer ſerpit, ut peſtis inficit, ut lethale venenum animas etiam ipſas perpetua morte perimit. Huc enim ſpectat Menandricus Senarius,

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Et illud *Plut. in libello de liber. educan.*

Si iuxta claudum habites, ſub claudicare diſces. Quo admonemur pernicioſam eſſe improborũ hominum conſuetudinem, propterea quod tùm corporis, tùm maxime animi vitia cõtagio in vicinum permanant. Nec abludit illud Pythagoræ ſymbolũ, Non guſtandum ex melanuris, deſt ex his, qu b. nigra eſt cauda; quod tropologice ſignificat, non oportere conuiuere nec commercium habere cum improbis, impiis, & iis, qui nigris, ac infamibus moribus imbuti ſunt; quoniam ex eorum conſuetudine mali mores trahuntur. Quippe duo ſunt colores albus, & niger; quorum altero virtus, altero vitium denotatur: hinc illud Perſianum,

Illa prius creta, mox hac carbone notaſti.

Et hoc tactum eſt ſupra *tract. 7. cap. 37 quæſt. 193.*

Nec ſolum loqui cum hæreticis non licet; ſed neque illis familiariter ſcribere; nam per epiſtolas cũ abſentibus tanquam cum præſentibus loquimur, & maiori cum deliberatione ſcribere, quàm verbã facere ſolemus; ac multa literis cõmittimus, quæ corã verbo dicere puderet, epiſtola. n. non erubeſcit; ut proinde par aut maior cauſa prohibitionis ſit ſcribente, atque in loquente. Hinc Turpilius comicus de viciſſitudine literarum ſcribens, Sola, Inquit, res eſt, quæ homines abſentes præſentes facit. Nec ablu dit illud poeticum,

Abſentem abſens auditque videtque.

Petrarcha *de abſentia amicorum Dialog. 53.* Et facit *tex. in cap. ubi periculum. §. nulli de elect. in 6.* Vbi ita excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrit, qui cum Cardinalibus loquitur, quando in conclaui exiſtunt, ſicut ſi nuntium, aut epiſtolã mittit. Et ſcripto ſicut verbo quis cum excommunicato participare dicitur. *Clem. ſi ſummus. de sent. excom.* Scriptura enim loquitur, atq. eo magis quod literę ſunt verba permanentia, at verba prolata ſunt tranſeuntia. *Simancas in Cathol. inſtit. tit. 11. c. 8. Graf. ſius de ſentent. excommunicationis. conſil. 22. nu. 29. Zerula in praxi Epiſcopali. v. excõmunicatio. dub.* 10. Vnde in illis quinque rebus, quæ omnino à fidelibus excommunicatis negari debent,

Os, orare, vale, communio, menſa, negatur.

per illud verbum os, ex communi ſententia, quælibet locutio intelligitur, ſiue per verba, ſiue per nuntium, vel per literas fiat.

Aliquando tamen cum hæreticis communicare licet, puta cum de eorum ſalute, & conuerſione agitur, vel cum neceſſitas exigit. Eius enim, ut ille ait, amariſſimæ ſunt leges, & truculenta imperia; quod tamen fieri debet, ſeruatis circunſtantiis, perſonarum, temporum, & locorum; ſic enim quidam particulares caſus dantur, in quibus communionc cum excommunicatis vel licet, in illo verſiculo comprehenſi,

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

vt per *Gloſſ. communiter receptam. in cap. cum deſideres. ext. de ſenten. excommunicationis.*

II. SVPPOSITVM.

Secundo Supponendum eſt, ad euitanda multa ſcandala, & multa pericula, & timidis conſciẽtiis ſubueniendum, per Martinum V. ſtatutum fuiſſe, & confirmatum à Concilio Lateranenſi habito ſub Leone X. *ſeſſ. 11.* vt nemo poſthac teneatur abſtinere à commercio alicuius excõmunicati in adminiſtrando, aut recipiendo ſacramẽta, aut in aliis diuinis officiis, aut extra illa, ratione alicuius ſententiæ, aut eccleſiaſticæ cenſuræ, aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgatæ; ſeu obſeruare eccleſiaſticũ interdictum, ſi illa talis ſententia, prohibitio, ſuſpenſio non fuerit promulgata, ac denuntiata, ſpecialiter, ac expreſſe à Iudice contra certam aliquam perſonam, collegium, vniuerſitatem, eccleſiam, aut certum locum, uel niſi

adeo manifeste constet in sententiam excommunicationis incurrisse, ut nullo modo celari possit, aut per aliquod iuris remedium excusari, quia à communione vult eos, iuxta canonicas sanctiones separari. Per hoc tamen non intendit summus Pontifex sic excõicatis, interdictis, aut prohibitis fauere, ut quamuis occulti sint, alios euitare non teneantur.

Notandum nihilominus est, nos nõ teneri euitare excõmunicatos, quantumuis notorios, nisi nominatim publicati, & denuntiati sint, aut in excommunicationem ob notoriam clerici percussionem inciderint, quia etsi Bulla illa ad euitanda excommunicatos quoscunque notorios excipiat, attamen uel illa non est ita ample usu recepta, sed cum limitatione ad excommunicatos duntaxat ex notoria percussione clerici. Vel Concilium Basiliense aliqualiter dictam Cõstitutionem restrinxit, ut solum eos comprehendat, quos pro sacrilega manuũ iniectione in clericum, in sententiam à canone latam adeo notorie constiterit incidisse, ut factum nõ possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo iuris suffragio excusari; ita ut in Concilio Constantiensi Bulla illa ad omnes notorie excommunicatos sit extensa, & postea in Basiliensi ad solos notorios clericorũ percussores sit contracta. Quæ sententia tanquam probabilior, & mitior amplectẽda est: cæteris enim paribus semper opinioni magis piæ adhærendum est. *reg. pœna de reg. iur. in 6.* Et sic seruat praxis vrbis, & orbis; nam in Germania, Gallia, Anglia, Flandria, & alibi, cum hæreticis notorijs, & consequenter per Bullam Cœnæ Domini excommunicatis, catholici cõicant, & tamen non peccare, sed licite, & impune id facere censentur. ut per *Sayr. l. 2. de cens. cap. 12. num. 9. Suar. d. 9. sect. 2. num. 5. Sanchez. & alios quos allegat l. 2. de præcept. c. 9. num. 3. Duard. in Comment. ad Bullam Cœnæ Domini, l. 2. can. 1 q. 8. Fillinc. tract. 13. cap. 4. quæst. 4. Bei. p. 2. respons. casu 1. Incip. Balthasar.*

III. *SVPPOSITVM.*

Tertio præmitto qđ ob eandem rõnẽ, ut fidei integritas, christianaquè religio immaculata seruetur, Itali, cuiuscunque conditionis sint, habitare, uel domicilium tenere prohibentur, vbi ecclesia aliqua cum Parocho catholico nõ existit, in qua libere, & sine omni periculo, palam, & publice audiri possunt sacrosanctæ missæ, & alia diuina officia, conciones, ac ecclesiastica sacramenta ministrari, mortuorum corpora sepeliri, & cætera fieri iuxta ritum S.R.E. Vtque iidem Itali abstineant à matrimoniis cum hæreticis mulieribus, nec filios suos de sacro fonte per hæreticos leuari permittant, nec ipsi uicissim hæreticorum filios, nisi per catholicum sacerdotem catholico more baptizẽtur, leuare, præsumant. Medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, & ubi adsit copia catholici medici idonei non utantur. Cum uero Itali prædicti ex Italia recedunt, ad morandum siue inhabitandum in prædictis partibus, id suis Ordinariis, uel locorũ Inquisitoribus significent, à quibus serio admoneãtur, ut in eis perpetuo orthodoxam fidem constanter retinentes, & profitentes, piam, ac catholicã uitã ducant, festos dies, & sacra ieiunia ab ecclesia præcepta, religiose colant, atque omnem hæresim, & errorem, & etiã hæreticos à christiana fide aberrantes deuitent; ac ut saltem singulis annis, de eorum sacramentali confessione, & sanctissimæ Eucharistiæ perceptione per eos facta, fidem, seu testimonium ipsis Ordinariis, uel Inquisitoribus in Italiam trãsmittant. Quod si quis propriæ salutis immemor cõtra præmissa facere præsumpserit, possit aduersus eũ per ipsos Ordinarios, & Inquisitores uti de hæresi suspectum procedi, ut habetur in Cõstitutione Clementis VIII. Incip. *Cum sicut*, quam de uerbo ad uerbum confirmauit, Gregorius XV. in Bulla Incip. *Romani Pontificis.*

CASVS, ET QVAESTIONVM resolutio.

I. *Q. RESOLVTIO.*

His sic pro fundamento, & basi suppositis, ad 1. q. respondendo dico, quod quamuis Iulius mercator cum hæreticis in Flandria, & alibi agendo, & contrahendo, non ut talibus, sed ut hominibus, neque cum eis cõmunicando, quatenus erant excommunicati, sed eo respectu, quo mercatores, & negotiatores erant (cum enim naturalem potestatem non amittant, ea omnia agere possunt, quæ iure naturali, gentium, & ciuili nituntur; cum omnibus gentibus, & populis communes sint contractus; & necessitas negotiandi, & commercia ineundi, licitum faciat, quod aliàs illicitum foret. *Lex hæc iure. ubi Scribentes ff. de iust. & iur. Sayrus de cens. l. 2. ca. 9. num. 12.*) attamen cum iure nouo Clemẽtis VIII. & Gregorij XV. quędam sint præscriptę conditiones, quas Itali mercatores, cum negotiandi causa, ad loca hæresibus infecta proficiscuntur, seruare debent, si eas ibi morando sciens non obseruauit, à lethali crimine non excusatur, & contra eum, ut supra ex vi Decreti significauimus, hæreticæ prauitatis Censores, uti de hæresi suspectum procedere possunt.

II. *Q. RESOLVTIO.*

Ad 2. q. dico Iulium toties animam suam lethali crimine vulnerasse, quoties ecclesiæ

præcepta

præcepta uiolauit, si ea obseruare poterat, missæ sacrificio assistendo, dies festos colendo, & sacramenta pœnitentiæ, & eucharistiæ præscripto ab ecclesia tempore percipiendo, & statutis ab eadem dieb. ieiunando, ex quorum omissione, & uiolatione hæresis etiam præsumptio inducitur; nam ut ait *Felyn. in cap. ad abolendam. nu. 2. ext. de hæret. & Zanchin. in tract. de hæret. cap. 35. num. 2. & Pegna in 3. p. ad Direct. Inq. Comment. 24. Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. nu. 27. Farinac. de hæresi q. 178. nu. 8.* Ecclesiastica sacramenta non recipere, ecclesiæ præcepta non obseruare, non ieiunare, cum possis, non abstinere à carnibus cum debeas, externa sunt hæresis signa, quæ suspicionem malæ credulitatis pariunt. Quinimo dicendum est, in excommunicationem Episcopo suæ diæcesis reseruatam incidisse, & ab eo, seu ab eodem facultatem habente absolutionem hic ubi nunc confitetur, obtinendã esse. Si quidem quis casu reseruato, uel excommunicatione afficitur, licet peccatum quod est in sua diæcesi à proprio Ordinario reseruatum, extra ditionem illud cõmiserit; nam forum animæ subditum etiam extra territorium suum delinquentem astringit, cum anima obligetur, quæ nullo circumscribitur loco. Nec obstat quod qui delictum in alterius diæcesi perpetrat, pro quo excommunicatio in suo proprio Episcopatu lata est, excommunicatione non ligatur. *ca. fin. de Constitut. in 6.* Hæc enim duo diuersa sunt, & ex diuersis illatio non fit; nam illud de excommunicatione quò ad iurisdictionem fori exterioris intelligitur, & ob id extra territorium non ligat; sed reseruato etiam quò ad excommunicationem, in iudicio interno locum habet, & ob id afficit, & regulariter in pœnitentiali foro pœnitens iudicandus est iuxta leges loci, ubi peccata sua confitetur. *Vgol. de offic. Episcopi. p. 2. cap. 39. §. 1. Henriq. l. 3. de pœnit. c. 14. n. 8. Suar. tom. 4. d. 30. sect. 1.* ut etiam annotauimus in *Comment. de cas. reser. p. 1. c. 2. uers. afficit.*

Secundo a peccato vero, & casu reseruato mercator iste excusari potuisset, si missæ sacrificio non interfuisset, quia sacerdotem catholicum celebrantem non habuisset, nec qui eius confessionem exciperet, uel uetitos cibos comedisset, quia alterius cibi copia non ad fuisset; explorati enim iuris est, necessitatem extremam, uel quasi extremã qualiscumque sit eius sine quo, ut aiunt, indiuiduum conseruari nequit, eximere à peccatis, & censuris, pro eo latis, quod nõ est intrinsice malum. Sicut etiam iusto metu mortis, modo in fidei contemptum non sit incussus, in diebus ab ecclesia uetitis, carnibus uesci licet; cum id tantum malum sit, quia ab ecclesia prohibitum, & ut sæpius admonuimus, ecclesia cum tãto periculo obligare non censeatur. ut per *Duard. in Bulla Cœnæ Domini. lib. 1. cap. 2. quæst. 2. & 4. Graff. de cas. reser. lib. 2. c. 10. & alios communiter.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dico Primo, Iulium ob matrimonium initum cum Pamphilia hæretica, lethale crimen contraxisse; sacri enim canones prohibent, ac impediunt, ne coniugium, quatenus est sacramentum, inter catholicum, & hæreticam celebretur, & è contra, contractum tamen non irritant, cum hæreticus baptismi characterem retineat. Esti inualidũ, & nullum matrimonium sit inter baptizatum, & nõ baptizatum, ob cultus disparitatem, quem profitentur. In locis tamen in quibus hæretici catholicis permixti manent, nec sunt denuntiati, ut in Germania, Pollonia, Gallia, & sic sic de alijs, ex praxi, & vsu recepto, ob leges amicitiæ retinendas, & communem pacem, ac reipublicæ vtilitatem tuendam, hęc matrimonia inter catholicũ, & hęreticũ interdũ permittũtur, modo persona fidelis cũ altera hæresi infecta contrahens, absque periculo peruersionis in fide manere permittatur. ut per *Sanchez. lib. 7. de matrim. d. 72. Reginal. lib. 31. nu. 168. Molfes. tract. 4. cap. 10. num. 61. Bonac. quæst. 3. de matrim. p. 7. Ceninch. d. 31. num. 41. Filliuc. tract. 10. cap. 7. q. 2.*

Secundo dico matrimonium contractum à Iulio absque Parochi præsentia, & saltem duobus testib. in locis vbi nunquam Concilium Tridentinum publicatum fuit, uel nũquam receptum, ut in quibusdam Galliæ partibus, & in Pollonia, incolis illorum dum ibi habitant, validum esse, & ratio est quia lex non obligat nisi vbi sit promulgata, & acceptata. *cap. 1. de tregua, & pace:* Et leges absolute non cadunt super personas subditas, sed super existentes in loco, ubi receptæ sunt, tùm quia hoc illi axiomati conforme est,

Si fueris Romæ, Romano viuito more.

tùm quia hoc speciale etiã est in contractu, ut conficiatur iuxta solemnitates in eo loco receptas, ubi celebrandus est. *Sanchez. l. 3. de matrim. d. 18. nu. 1. Ledesma in Summa. p. 1. de sacr. matrim. cap. 6. concl. 4. Rebell. lib. 2. q. 7. sect. 3. Gutierez. de matrim. c. 61. nu. 12. Bonac. q. 2. p. 7. Filliuc. tr. 10. c. 6. nu. 250.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. respondendo dicimus, Iulium mercatorem, & charitatis, & iustitiæ leges violasse, cum hæreticos in Flandria commorantes, in conficiendis rationibus, & celebrãdis contractibus defraudauit: cum iustitia quæ est virtus ius suum vnicuique tribuens, etiam inter infideles seruanda sit; & in quibuslibet contractibus nõ solum quod liceat sit, considerandum, sed & quod honestum est. *l. semper. ubi Dec. & Cagnol. ff. de reg. iur.* Vnde & Plato eam scientiam, quæ à iustitia remota est, calliditatem potius quàm sapientiam appellandam dicebat.

re solebat teste *Cicerone.lib. 1. offic.* Herodotus vulturem ab Hercule pro iustitiæ symbolo habitũ tradit, quod ea auis iustissima omnium, quæ volatilibus vescantur, iudicetur; vultur enim nihil quod viuit attingit, nec animatum quidquam lædit, cadaueribus vero contenta nullius auis pastione pollui visa est, ut Aegyptios obseruasse, notat *Pierius in Hieroglyph.l.* 18. Vnde est etiam illud Pythagoræ symbolum, Stateram ne trãsilias, hoc est ne prætergrediare iustitiæ limites, quantum accepisti tãtum redde, à statera ne digitum quidem transuersum abscedens, præter ius, & æquum nil admittens. Ideò communiter DD. resoluunt, fideles iniuste rapientes infidelium, uel hæreticorum bona, cum quibus non est bellum indictum, & mortaliter peccare, & ad restitutionem teneri *Sylu. v. bellum. 1. nu* 9. & 10. *Duard. in Bulla Cœnæ Domini. lib. 2. can. 4. q. 4. nu.* 7. *Filliuc. tract.* 31. *cap.* 10. *quæst.* 9.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. dubitationem responderem dicendo, quidquid sit de heretica (cum qua à christiano habita copula, licet lethalis sit culpa, circunstantia tamen non mutans speciem, nec multum aggrauans videtur) cum Iulius rem habuit cum infideli. i. cum muliere carente baptismata, ut Iudæa, & Saracena ob disparitatem cultus, & grauem iniuriam christianæ religioni irrogatam, cũ hanc circunstantiam in cõfessione exprimere teneri. Etenim, ut aliqui in *Psal.* 8. super illa verba obseruant, Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, &c. Iudæi, & infideles, qui, relicto vero Deo, Idola colũt, tanquam bestiæ ratione carentes habentur, propterea christianus se cum talibus commiscere non debet, sicut nec cum brutis rationis expertibus; & præter externi fori pœnam, in aliquibus diæcesibus, à locorum Ordinariis hæc duo coniunguntur, coeuntes cum brutis, & Hebræis, quasi Hebræi, & alij infideles bestiis comparentur. *Graffius de cas. reser. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 19.

Secundo dico eũdẽ Iuliũ non impediri quo minus ab vxore sua debitũ petere possit, si post contractum matrimoniũ rẽ habuit cum cõsanguineis vxoris suæ infidelibus, secus si postea baptizentur; & in christianorum album referantur, verior enim & in praxi magis recepta illa opinio videtur, quando alter ex fornicantibus est fidelis, eum per illam copulam, contrahere affinitatem, statim quidem cũ consanguineis alterius fidelibus; cum infidelibus autẽ, quandocunque baptizari fuerint. ut per *Sanchez. lib. 7. de matrim. d. 65. num. 12. & alios recentiores.*

CONFESSARII PARTES.

ATque hinc colligi à Confessario poterit, quæ nam sint in hoc mercatore adiuuando eius partes, nam Primo ad eius mentem reducere debet, quod licet eius officium reipublicæ valde necessarium, & vtile sit, cum ad instar crurium, pro corporis ipsius reipublicæ necessitate, & commodo, vndequaque percurrant, Horatio sic attestante,

Impiger extremos currit mercator ad Indos, &c.

Meminerit tamen se imprimis ad colẽdam religionem teneri, & Dei, ecclesiæquè præcepta obseruare, atque summorum Pontificum, & aliorum piorum Antistitum scita custodire; siquidem vt poeta ille cecinit,

Heu prima scelerum causa mortalibus agris,
Naturam nescire Deum.

Et teste *M. Tullio. lib.* 1. *de nat. Deorum*. Pietate erga Deum sublata, fidem, & humani generis societatem tolli necesse est, & iustitiam virtutum omniũ excellentissimam. Vnde ei proponet, colentib. Deũ omnia prospere, euenire. 1. *Reg.* 2. In quo sẽsu *C. Marcius* apud *Liuium. lib.* 44 inquit, fauere pietati, fideiquè Deos. per quæ populus Romanus ad tãtum fastigij peruenit. vide *fusius in Comment nostris de humanæ vitæ statibus. p.* 2. *cap.* 12.

QVÆSTIO XVIII.

Medicus sciens aliquem duas vxores habere, plúries blasphemare, & vetitis cibis in ieiuniorũ diebus, & alijs comedere, & dixisse, carnis vitium non esse peccatum, an denuntiare teneatur. An coniugem de inualiditate matrimonij & morbo gallico quo maritus putatiuus laborat, admonere cogatur.
Nam concionatorem dicẽtem, clericis decimas non esse soluendas, ad Inquisitionis officium deferre? An Parochus ex concessione Episcopi vestes sacerdotales benedicere, vel sacrare possit, &c.

CArolus medicus cum Bonifacium aduenam, & externum ciuem (qui nuper v. g Bononiæ Eleonoram in uxorem duxit,) morbo gallico laborantem, curationis causa, sæpius inuiseret, quadam occasione ex mutuis sermonibus orta, eum cum Liuia exemp. g. Rauennæ, matrimonio coniunctum esse repperit, & ab ea diuertisse nouit, eo quod contagiosum illũ morbũ ab ipsa Liuia meretrice cõtraxerat quã sæpe turpiter cognouerat, & postea insano amore captus cum ea matrimoniũ inierat. Secundo inuenit ẽtipsum Bonifaciũ, sæpius sine debita Superiorum licentia, diebus ab ecclesia vetitis, carnes comedere, & dicentem carnis uitium non esse peccatum, & ob diros corporis dolores, ex eo morbo prouenientes, multoties hæreticales blasphemias

protu-

protulisse. (Nam ut ait *Pineda in Iob. cap. 2.* de eo qui tanta peste laborat rectè dicitur, à planta pedis vsque ad verticem dolet.) Tertio quendam concionatorem in concione dicêtem audiuit, primitias, & decimas, clericis non esse soluendas, eo quod ut plurimum, ut aiebar, mali sint, & auati, nec ut par est proprio officio respondeant. Quarto cum Gerardus Parochus ruralis nouas uestes pro missæ sacrificio confectas emisset, ipse Carolus ab Episcopo obtinuit, ut ipse Curatus, quem excommunicatum dubitabat, benediceret. Nunc hæc potissimum quæruntur. Primo an Carolus Bonifacium tāquam de hæresi valde suspectum, ut excommunicationis pœnam effugiat, Inquisitori denuotiare teneatur. Secundo nùm interim Eleonoram iure admonere debeat, ne cum eo cohabitet, tùm quia reuera suus coniux non est, cum huic matrimonio ligaminis impedimentum subsit, tùm quia in reddendo debito infectionis, ac contagionis probabile admodum periculum imminet. Tertio nunquid concionatorem illum deferre astringatur, quod si facere nolit, an in excommunicationem à uiolatæ religionis Iudice latam incidat? Quarto an iure ab Episcopo obtinere potuerit, ut suus Parochus ruralis facultatem uestes sacerdotales benedicere posset, quem excōmunicatum ob quandam clerici percussionem esse dubitabat?

Respond. Cum nil hic pro suppositis, & præuiis cognitionibus præmittendum videatur, cum alibi, quæ huc conferunt, attulerimus, ad propositas quęstiones deueniendum esse duximus. Illud tamen prius ad mentem reducto, Non valere argumētum à proprij nominis etymologia ductum, quia nomina propria ad beneplacitum imponuntur *l. si quis in fundi. ff. de leg. 1.* vt pinde nomen propriū absq; fraude sibi mutare cuilibet liceat. *l. 1.* cum ubi *not. C. de mut. nom. Nau. cons. 6 de crim fals.* & tradit etiā *Menoch. l. 2. de arb. iud. casu. 318.* Vnde nō sequitur, iste vocatur Bonifacius, ergo bona facit, ut in præsenti casu cernere licet. *Euerard. in top. leg. in loco ab Etymologia.*

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q. respondendo dico Carolum teneri ad denuntiandum Bonifacium, qui scieos Liuiam superstitem, Eleonoram se aliò transferens in vxorem duxit. Si quidem propter matrimonij abusum, vehementem hæresis suspicionem inde orientem contrahit; censetur enim de hoc sacramēto male sentire, qui cum pluribus fœminis simul coniugiū ioit, quod de sui substantia exigit, ut contrahens indiuiduam vitæ consuetudinem cum coniuge retineat, nec ad alias uxores conuolet, ut fuse probat *Albert. de Agnoscen. Assert. Cathol. quæst. 23. Simancat in Cathol. instit. tit. 40. Menoch. de arb. iud. casu. 420. Farinac. de haeret. quæst. 178. num. 68.*

Quò fit, ut cognitio causæ secundam vxorem prima viuente ducentis, cum legem naturalem, diuinam, canonicam, ac ciuilem violet, ob præsumptam hæresis suspicionem, ex abusu sacramenti prodeuntem, semper ad Inquisitorem spectare videatur, ita ut uix dari possit casus, in quo huiusmodi crimen mixti fori reputari possit. Imo quantocunque annorum numero alter coniugum ab altero absit, secundas nuptias contrahi non posse, nisi certo nūtio mortis accepto, cautum est in *cap. in præsentia ext. de spons. & cap. 2. de secundis nuptijs,* ut tradit *Sanchez. l. 2. de matrim. d. 46. & l. 7. d. 8 t. Gutierez. cap. 51. Bonat. de matrim. quæst. 3. pun. 10.*

Quare & is qui primo matrimonium contraxit, si nullitas patens non sit, & sine declaratione ecclesiæ super matrimonij inualiditate, ad secundas nuptias transiit, in secundo contractu hæresis suspicione non carebit, ac propterea Inquisitoris iudicium non effugiet, nisi probata in processu primi matrimonij nullitate; quæ si manifesta non sit, tunc causæ cognitio non ad Inquisitorem, sed ad Episcopū spectabit, illumque puniet iuxta formam traditam in *c. cum in Apostolica. ext. de spons.* Vnde etiam dicit *Genuensis in praxi Archiep. Neap. ca. 84. & Farinac. l. c nu. 71.* Quod si duas vxores ducens à curia seculari præuentus fuit, ad curiam ecclesiasticam (credo ad Inquisitorem) remitti debet, quæ ipsum super intentione torquebit, & abiurationem indicet, deinde ad Iudicem secularem puniendum remittet, qui eius arbitrio pro personæ, & facti qualitate, hūc puniet, & aliquando naturalis mortis pœnam infligere poterit; ut in Gallia obseruatū esse refert *Bossius tract. caus. crim. de coitu damnato. nu. 78. & Menoch. l. c. num. 100.* Duxerat enim quis vno tempore quatuor vxores. & cum capite mulctandus esset, ad supplicij locum ducebatur, obuiam habuit ille marolum Regem, qui illum ad se vocari iussit, & vocatum interrogauit, qua de causa morti traderetur, cui respondit, quod vno tempore quatuor vxores duxerat; tunc Rex, Ego qui Rex sum, vnam tantū habeo, tu vero quatuor habere voluisti, non ne te pudet? tunc ille damnatus subiunxit, Decreuerā & ego vnicam habere, bonam tamen; at cum primā duxissem, malam sum expertus, propterea secundā accepi, quam cum primæ similem inuenissem, accepi tertiam, & eadem ratione quartam mihi adiunxi cæteris longe peiorem: quare omnino statueram à ducendis vxoribus non desistere, donec vnam reperissem, quæ bona esset. Quo lepido responso Rex oblectatus, illum à morte liberauit, vt etiam refert idem *Farinac. de delictis carnis. q. 140. num 23.*

Porro optima ratione à Tridentinis Patribus *sess. 24. de matrim. cap. 7.* constitutum est vt vagi homines,

homines, uel aduenæ ignoti, nisi præmissa debita diligentia, & Ordinarij licentia, à Parochis in matrimonio non coniunguntur, quò poligamiæ delictum euitetur. Vnde & Episcopi circa matrimonia in quib. de periculo animarum agitur, vigilare debent. Et quia multi vxores dimittunt, & per alienas prouincias vagantur, ad easque rediri nolunt, eorū partes erunt, Confessariis mandare, vt eos non absoluant, nisi saltem propositum absq; mora redeundi habeant, si quidem in statu mortalis peccati versantur. Idem *Genu. l. c. & in Man. Pastor. cap.* 84.

Nec minus ex duobus alijs capitibus, ad denuntiandum Bonifacium Carolus astringendus est, videlicet ex causa comestionis carniū, & blasphemiæ, nam hæresis suspectionē cōtrahit ille qui in diebus ab ecclesia vetitis carnes comedit, si præter iustam causam, etiam Superiorum facultas obtēta non interueniat; & ideo contra ipsum in foro externo tanquam de hæresi suspectum Inquisitores procedere possunt. In foro vero conscientiæ, si ex vitio gulæ, absq; contemptu id fiat, talis ut dixi non censebitur. *Pegna in 3. par. ad Direct. Inq. Cōment.* 24. *Zecchius in obseru. gen. ad cas. reser. num.* 6. Sicuti etiam ait *Parisius consil.* 169. *& Farinac. de heresi. q.* 178 §. 2. *num.* 80. Non cēseri probatam hæresim, ex eo quod probatum fuerit, aliquem in diebus prohibitis carnes comedisse: quando sic comedēs non in contēptum, sed causa sanitatis id fecisse asserit.

Nec minus hæretici notam subit, cum tam impie protulit, vitiū carnis uel luxuriç nō esse peccatū, nec per illud diuinam gratiā amitti *Farinac. de heret. q.* 178. §. 3. *num.* 83 *Lazar. de blasphem. q.* 12. *nu.* 45. *Castrens. in Summa aduer. heres. v. coitus.* Vt propterea verum esse constet, quod diximus in 1. *par. tract.* 6. *cap.* 12. *q.* 59. per insolitum libidinis vitium hominem in fide naufragium pati: & quod Lutherus tàm multos asseclas habuerit, non aliam fuisse rōnem quā quod ea docuerit, quę carni, & sanguini imprimis arrident. Cur Christus in suo Apostolico collegio nullum in luxuriam, vel eius suspicionem labi permisit: cum tamen quosdam in ambitionem proditionem, negationem, furtum, &c. prolabi permiserit? nisi quia inter intemperantię vitia pręcipue peccata venerea ex probabilia sunt tùm propter mētis à Deo alienationem, & carnis inobedientiam: tùm quid ratio ab his maxime absorbetur *D. Tho. 22. quæst.* 151. *artic.* 4. *ad* 5.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dico Carolum ex charitatis lege teneri Eleonoram admonere vt à Bonifacio diuertat, ac se ipsam ab eo seiungat, cum mala fide, & inualide matrimonium cum ea impedimenti inscius contraxerit, & probabile etiā adsit, periculum, ne morbi gallici lue inficiatur: hic enim vtriusque tàm animæ, quàm corporis salutis discrimen versatur. Quo resolutio colligitur ex *D. Thom.* 22. *quæst.* 70. *art.* 1. vbi ait, quod si alicuius testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab iniusta morte, seu pœna quacunque, vel à falsa infamia, vel etiam ab iniquo dāno, tunc homo ad testificandum tenetur, etiamsi eius testimonium à Superiore non requiratur, & facere tenetur quod in se est, vt veritatem alicui denunciet, qui ad hoc prodesse possit. Dicitur enim in *Psalmo* 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Et *Prouerb. c.* 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & *ad Rom.* 1. Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt; vbi *gloss.* ait, consentire est tacere, cum possis redarguere. hæc ille. Facit quod tradit *Medina. C. de confess. q.* 30. *sub finem, & Reginal. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 37. Obligationem fidelitatis esse quidem de iure naturæ, sed cessare in eo casu, in quo non potest aliter communibus, vel priuatis damnis obuiam iri, nisi secretum reuelando, ita vt perfidus quis non dicatur per hoc simpliciter, quod arcanum reuelat, sed per hoc quod temere, & sine cogente causa illud pandit: nemo nāq; potest se alteri per promissionem obligare contra reipublicæ, aut alicuius particularis corporalem, aut spiritualem salutem, vt etiam obseruauimus in 1. *par. cap.* 22. *quæst* 133 *& seq.*

Sic in re non absimili moralium rerum Scriptores docent, Confessarium, vel Parochum, vel etiam Episcopum, qui norit aliquos inualide matrimonium contraxisse, seu etiam cōtracturos, teneri eos admonere, aut matrimonium denegare, cum dirimenti impedimento ineundum. Pastor. n. vel Pastoris vicemgerens, subditum ex officio instruere debet cum opus esse videt, vt à malo statu auertatur, si ex admonitione aliquis speretur fructus, & antidotum appositum non obfuturum credatur. *Vasquez de pœnit. q.* 95. *art.* 3. *dub.* 9. *Henriq. lib.* 2. *c.* 27. *num.* 4 *Arrag. q.* 33. *art.* 6. *Suarez. tom.* 4. *d* 32. *sect.* 4. *Coninc. h. d* 8. *dub.* 17. *nu.* 136. *Reginal l.* 2. *numero* 45. *Sanchez. l.* 2. *de matr. d.* 38. *Gutterez. c.* 48. *Bonac. q.* 3. *pun.* 15. *Corrad. in respon. cas. consc. par.* 1. *q.* 141. *Lazar. in Canon. qq.* 99. *sect.* 2. *q.* 17. *nu.* 9. *Vgo. de off. Episcop. par.* 1. *c.* 15. §. 8. *nu.* 7. Vbi aiunt, coniugem, vel mulierem edoctam, matrimonium nō valere, nullo pacto debitum petere, vel reddere posse, neque venereis actibus cum illo incumbere licere, qa mortalia peccata sunt, martyr potius esse debet, si censuris, vi, vel metu, consentire cogeretur, vt expressè habetur *in c. inquisitioni. vbi Innoc. & alii. ext. de sent. excom.* Et si multi contrarium senserint. *vt apud Molf. tract.* 4. *c.* 13. *nu.* 4. *& seq.*

Quod verò etiam ipsam Eleonoram Carolus admonere teneatur, vt à Bonifacij cohabitatione, & ab

ab eius toto ob morbi gallici luem caueat, ne contactu se ipsam inficiat clarum est. Si quidem etiam in matrimonio valido coniux sanus non tenetur reddere debitum alteri coniugi, lepra, vel morbo gallico laboranti, quoties medicorum iudicio, grauis infectionis periculum subest, nisi forte ante matrimonium contractum, tali morbo corruptum esse nõ ignorauerit, quia sciens, & prudens ad id per coniugij fœdus se astrinxit, & sibi imputare debet quod sua sponte sibi huiusmodi malum creauit. Atque in cæteris etiam contractibus idem contingit, vitium enim rei si detegatur, nõ minus obligat, quàm si eo careret. *Sanchez l.9.d.24.num.22. Bonac.quæst.4. pun.1.num.8. Reginal.l.31.nu.184. Fillinc.tract.10. cap.9.num.340.& alij communiter.*

Hinc *Maiolus de irregularitate. lib.2. cap.19.* postquam resoluit, gallico morbo laborantes, & venerea hac peste infectos, si foris appareat, & horrorem, scandalumquè gignat, irregulares esse, hæc verba subiungit, Ferunt hunc morbum quasi cõtagione, libros, vestes, ac vasa contactu inficere; vnde repellendus est ex consortio hominum, qui illo laborat: nam sicut mulier reddere debitum non tenetur, inquit, ob cõtagionis periculum, interueniente medicorum consilio, & ob eandem causam non tenetur cohabitare viro; certe eadem ratione, si idem periculum infectionis ex contagione immineat, ad ordines admitti non debet. Quæ omnia ad Episcopi, & Phisicorum arbitrium referenda sunt. Contingit enim aliquando hunc morbum tàm grauiter in homines grassari, vt eos interimat, cuiusmodi fertur de Marco Antonio Sabellico, qui cum nimium vaga venere vteretur, hoc correptus morbo interijt, *Iouius Eulogio.*38. hæc ille.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3.q. respondendo illud resoluendum nobis videtur, Carolum teneri Remigium concionatorem ad violatæ fidei Censores deferre; nam licet ut ait *Bonac.de cens.d.2.q.6 pun.1.n.21.& seq.* ex iuris rigore denuntiandi non videantur concionatores, qui inter concionandum, aliqua ex incuria & inconsideratione, vel lapsu linguæ proferunt; quia lubricum linguæ ad pœnam non trahitur, cum sæpe lingua mentẽ velocius præcurrat. *Oldr. consil.*183.

Nam non est præsumendum illos ecclesiæ iudicio contrauenire velle, aut cum plena deliberatione protulisse, ita vt errori adhęrere velint; excipitur tamen nisi aliter ex circunstantiis coniiciatur, & ex malitia verba illa prolata credantur. Cum vt etiam inquit *Tusch.in v.lubricum lingua.* lubricum in his non excuset, quæ cum maturitate, & semel fieri debent; si quidem Verbi Dei præcones selecti uiri esse debent, catholici, pij, graues, circunspecti, & præmeditati in loquendo, & maxime idonei, qui auditorũ animos non minus vita, quàm doctrina moueant; & quibus præter eximiam morum integritatem, insit etiam planè cognitio scripturarum vtriusque testamenti, prudentia item rerum, & personarum, & demum spiritus patris, qui in eis loquatur. *cap.oportet.8.q.1.c.sit Rector.dist.43. Barb.de offic.Episcopi. par.3. Alleg.76.num.47.* Scite Chilon non committendum esse dicebat, ut lingua animum præcurreret, admonens prius cogitandum quid loquaris, quã lingua in verba prorumpat. Nescit enim vox missa reuerti. Et regulariter verba sunt notæ earum, quæ sunt in anima passionum; vt propterea etiam Dæmonax dicere solitus fuerit, in speculis vultus figuram, in colloquiis autem animi naturam, & imaginem cerni posse. *Maximus serm.15. Menoch.de præsumpt præsumpt.6.nu.398.l.3.* Atque huius q. resolutio colligitur ex *Sylvest.in v.hæresis.* §.1.*num.7. & Anchar.in Clement.*1.§.*sane.de vsuris. Farinac. l.c.num.67.* vbi referunt, cum quidam concionator in publicis prædicationibus concitando turbã contra clerum, asseruisset, quod laici clericis soluendo decimas, aut dando oblationes, peccabant, cum omnes clerici essent mali, & ab ecclesia remouendi, ab omnibus Theologis, ac iuris vtriusque Doctoribus pro hæretico esse fuisse damnatum. Vnde et *Clementina Cupientes. tit.de pœnis* excommunicatione eos omnes cum religiosos percellit, qui suis concionibus, vel alio modo, aliquid dicere præsumunt, vt audientes à soluendis decimis suis ecclesiis debitis auertant. Eos quoque omnes religiosos illa afficit, qui scienter nullum conscientiæ scrupulum iis iniiciunt, quorum sacras confessiones excipiunt, circa decimas ecclesiis debitas soluendas: & deinde huiusmodi negligentia minime expiata, cum commode possint, ad populum concionem habere præsumunt, ut per *Azor.p.1.l.12.c.13. quæst.17. & Sayr. l.3.de cens.cap.33.num.40.* vbi ait, ad illam censurã incurrendam (quę tamen nemini reseruatur) requiri ut hæc cum præsumptione fiant, secus si ex surreptione, uel ignoranter.

Porro soluendas esse decimas clericis, uel Parochis, etiamsi mali, & diuites sint, & in animarum cura negligentes, egimus, & resoluimus supra *par.1. tract.8.cap.8.quæst.24.*

Edicta quoque Inquisitorum, quæ christianæ fidei, ac religionis materiam concernunt, regulariter obligare, & afficere, ante fraternam correctionem, & admonitionem, aduertimus *tract.7.c.3.qu.17.& c.6.q.19.* De qua re videatur quoq; *Pegna in Scholijs ad Direct. Inqu. par.2. Comment.2. Simancas in cathol.instit.tit.19. Castrens.l.2.de iusta hæret. punit.c.2. Genuens.in praxi Cur. Neapol. c.23. num.7. Molfes.tract.7.c.24.num.25. & alij. Farinac.l.c.q. 167.num.39. Bonac.de cens.d.2.q.6.pun.1.* Vbi etiã *num.*36.

num.36.ex communi tradit eum, qui intra tempus in edicto præscriptum non denuntiauit, eo elapso quam primum potest, ad denuntiãdum teneri, quia tempus non ad finiendam obligationem, sed ad eã solicitandam apponitur; ut proinde qui præfixo ab Inquisitore termino non reuelauit, excommunicatione ligetur: sempetq; sub eadem pœna ad id muneris præstandum cogatur. Et idem dicendum de eo, qui ob impotentiam, uel ignorantiam, uel ob aliam iustam causam non denuntiauit, ut.s. sublata ignorantia, uel causa ad id teneatur, &c.

Tandem Prædicatori errores disseminanti Episcopum posse, & debere concionem interdicere, hæreses vero spargenti, contra eum procedere posse, ex *Conc. Trid. sess.5.c.2.§.si vero.* tradidimus infra *par.3.tra.7.15.de art.circa concionat.* & obseruat *Leon. in Thes fore eccles.p.1.c.8.num.12. Barbos.de Episcopo par 3. Alleg.76.num.48.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4.q. respondendo dico Carolum (nisi eum bona fides, & inculpata credulitas excuset.) a graui culpa immunem non esse, cum Gerardo ab Episcopo facultatem obtinuit, ut sacerdotales vestes pro suæ ecclesiæ vsu benediceret posset, sciens uel probabiliter dubitans, eum ob sacrilegam clerici percussionem, occultam tamen, diuinæ gratiæ expertem, & excommunicatum esse, communis enim est sententia, sacerdotem excommunicatione, uel suspensione, seu interdicto innodatum, si ex cõcessione, siue delegatione illos actus exerceat, qui ordinario iure ad Episcopalem ordinem pertinent, lethalis noxæ reum effici, & irregularitatis labem cõtrahere. Licet multi velint Episcopum, uel alium facultatem habentem non contritum his actionibus fungentem, si absit scandalum, mortiferam culpam nõ contrahere, quod materia in his non tàm grauis sit, &c. Sunt autem huiusmodi actus, altaris, aut ecclesiæ, aut calicis, vel patenę consecratio, mapparũ, & sacrorum sacerdotalium vestimentorum benedictio, virginum Deo dicatarum consecratio, & huiusmodi, &c ut per *Suarez. 3 par. D.Tho.q.64.art.10.disp 16.sect.3 & de cens.disp.12.sect.2, num.21. Genuensem in Man. Past.cap.63. Barbos.de Episcopo. par.2. Alleg.27.num 62. Sayrum.de cens.l.7.cap.9. num.5. Vgol.de cens.tab.1.cap.14.§.2. Bonac. eodem tract.disp.7.quæst.3.pun.5.num.9.* Vbi *nu.2.* ait, eũ qui dubitabat, se esse excommunicatum, celebrando, vel supradictos actus exercẽdo, irregularitatem incurrere, si reuera excommunicatione detinebatur, secus si postea reperiat se censura irretitum non esse, nam irregularitas non ob conscientiam erroneam, sed ob violationem censuræ incurritur.

Cæterum Gerardum Parochum sacras vestes benedicere non potuisse, hinc patet, quod harum benedictio, & consecratio, iure communi ad Episcopum, non ad sacerdotem simplicem, uel Curatum spectet, ut per Scribentes in *cap. attendentes. §.statuimus, de statu monach. & in cap. Abbates. de priuileg.in 6. D.Thomas.3.par.q.82.art.1. Syl. v.benedictio.§.4. Tab.in v.consecratio.§.52. Nau.c.25.num.84. Barth.ab Ang. Dial.v.de missa.§.271. Vgol.de off. Episcopi.par.2.cap.32.§.1.& alii communiter.* Hoc enim est verius, quidquid aliqui dixerint, ut *Ang. v.benedictio.num.1. Nau.consi.2. de cens.eccles.vel alt.& nonnulli alii recentiores.* Et ita, quidquid olim seruaretur, sic habet hodierna consuetudo, & curiæ stylus obseruat, quæ religiosorum ordinibus priuilegia concedit, ut paramenta, & vestes, benedicere, ac sacrare possint, quod frustra fieret, si hoc iure, uel consuetudine sacerdotes, uel Paroch. possent, ut *Syl. verb.c.aduertit.& Cherub.in schol. ad Bullã.31. Greg.13.incip.Exposcit.& Roder.par.1.qq.regul.qu.19.art.3.*

Imo hanc facultatem Episcopum simplici sacerdoti dare non posse, sacra rituum congregationem respondisse refert *Possen.de officio Curati. cap.2.nu.36.& Barbos.de Episcopo. Alleg.27. num.42.* vnde caute legendum est, quod diximus *par.1. tract.4.c.15.q.144.* Has vestes debere esse sacratas ab Episcopo, uel ab eo facultatem habente, si quidem locuti sumus congruenter ad primam opinionem affirmãtem, & ad Rituale Rom. iussu Pauli V. editum vbi in *Rub. Benedictionum sacerdotalium indumẽtorum*, hæc verba ponuntur, Benedictiones ab habentibus facultatem ab Episcopis faciendæ. Vbi concedi videtur, ut Episcopus hanc authoritatem sacerdotibus, delegare possit. Alia vero impressio habet, Benedictiones ab Episcopis faciendæ, vel ab alijs facultatem habentibus.

Quippe secundę cogitationes, inquit ille sapiens sapientiores esse solent, & vincunt se in posterioribus artifices. Et

Plurima posterior cogitatio promit. & auget,
Digerit, exornat, conciliatque decus.
Docuit complura Solonem
Longa dies, iuuenem qua latuere diu.

Nec ur est in adagio canes senes temere latrant. Et ut ait *Iob cap.12.* In antiquis est sapientia. Hinc *Cardin. Papiensis in epist.ad F Gonzag.Card. Mant.* Quod, inquit, in vno Consistorio introducitur, vtile est in altero decernendum relinquere, ad grauitatẽ ordinis hoc pertinet, & ad verius cognoscẽdum, materiam præstat, die vna, aut altera interposita, diligentius perquirendi spatium dabit: ac veluti in stomacho dimissus cibus, sic tempore ipso coquetur consilium. Sic Pius II. summus Pontifex cum sciret per iuuenilem ætatem quędam non satis probata sibi excidisse, postea pœnitens hoc vnice laborauit,

laborauit, vt omnes intelligerent, partus illos esse suppositos; ac proinde omnes rogabat, ut posterius hoc consilium priori anteferret. *Aenas Sylnius epist. 114. & 293.* Nec abludit illud *Bald in l.labeo.ff.de seruit.rust.prad.* Vbi excusat Doctores, qui diuersis temporibus, diuersa dederunt consilia, uel propter imbecillitatem memoriæ, quę labilis est, & caduca, uel ob sententiæ mutationem, quia in nobis quotidie gignuntur cogitatuum phātasmata. Et hoc idē tradit *Tiberius Decianus in suis responsis in apologia contra Alciatum*, vbi probat, non mirum uideri debere, si multi egregij viri, quod per errorem dixerunt, retractarunt, hoc enim fecit & Quintilianus, & Hippocrates. Imo, & D. Augustinus librum retractationum confecit, in quo multa, quæ minus vere, uel caute scripserat, reuocauit. Qui ut habetur in *epist.48.ad Vincentium* & etiam in *c.vides 33.qu 6.* ostēdit. ex aliorū dictis, & sententiam suam mutasse, allegaus illud Sapientis. *Prouerb.c.9.* Da occasionem sapienti, & sapientior fiet (vel ut habet alia lectio, addetur ei sapientia.)

Cap. VIII.

QVÆSTIO XIX.

Literæ monitoriales pro quanta rei subtracta quantitate concedenda sint; an filius illis comprehendatur; & num scientes, & reuelare nolentes absoluendi sint, &c. An & quomodo denuntiandi sint illi, qui super illicito modo medentur, applicando remedium vittis, gladio, &c.

MArinus cum quædam vestes, ac lintreamina furtim in domo sua sublata fuerint, quæ quidem ad summam 20. aureorum ascendere possunt, & quædam etiam scripturæ subtractæ sint, nec vmquam scire potuerit, quis illius furti author fuerit, licet de quodam homine, qui in eius domo versabatur, suspicaretur, ad Episcopi Vicarium accessit, atque ab eo postulauit, ut literæ monitoriales aduersus incognitos detentores, & fures, & scientes, ac non reuelantes concederet; quibus obtentis, & iuridicè factis, lata fuit ab eo excommunicationis sententia. Quæritur, Primo an huiusmodi excommunicatio pro damno temporali in ea quantitate dato licitè ferre potuerit. Secundo an filius, qui ex his rebus aliquid surripuit, in his comprehendatur. Tertio an qui scit furtum perpetratum, sed reuelare non vult, in foro conscientiæ absolui possit. Quartò cum ab Inquisitore, & vbis cuiusdam Episcopo, lata sit excommunicatio contra eos, qui non denuntiant homines illos, qui infirmos vulneratos, existētes in loco distanti, curare contēdunt, applicato remedio vittis, aut gladio, aut lignis, sanguine infectis, &c. an qui non denuntiant, duplici excommunicatione afficiantur? Et quid in praxi à Confessario sit obseruandum?

SVPPOSITA, & fundamenta.

I. SVPPOSITVM.

REspond. Suppono Primo ex *Conc. Trid. sess. 25. c. 3.* Excommunicationes illas, quæ monitionibus præmissis, ad finem reuelationis, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, à nemine præterquam Episcopo (sub quo nomine, etiam Vicarium DD. intelligunt) decernēdas esse, & tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, & non nisi pro vltimo subsidio, quando aliud opportunum remedium non superest. Si quidem censuratum remedium ex Tridentinorum Patrum decreto, subsidiarium esse debet, ideo si duo ex contractu in solidum obligantur, & contra alterum realiter, & personaliter procedi potest, contra alterum vero non, tunc iste excommunicatione percelli nō poterit. *Riccius in decis. Cur. Neapol. decis. 90. Rand. decis. 60. Sayr. decis. 4. de censibus. Barbosa in d. c. 3. & de Episcopo. p. 3. Allegat. 96. num. 14.*

Sed in ea incidimus tempora (peccatis nostris ita exigentibus, quod maxime dolendum est,) vt quamuis excommunicationis gladius ecclesiasticæ disciplinæ sit neruus; nihilominus potius contemnatur, quàm formidetur, nec fit, prout esse deberet, medicinalis, sed mortalis, non disciplinans, sed eradicans; ut proinde sobrie sit exercendus, ne ob frequentiam magis vilescat. Episcopi, & Vicarij meminisse debent in recenti, & primitiua ecclesia, ob quatuor tantum grauissimas causas excommunicationes ferri solere. In primis propter hæresim, & ea crimina, quæ hæresi sunt annexa, vel hæresim sapiunt, sicut hæreticalis blasphemia, ob quam Apostolus Hymineum, & Philetum Satanæ tradidit. Secundo propter aliquod enorme, & publicum delictū, quale illud fuit, de quo idem Apostolus apud Corinthios conqueritur, dicens. *1. ad Corinth. 5.* Tradidi eum Satanæ in interitum carnis, ut eius spiritus saluus fiat, vbi *gloss. ord.* ait, quod quia hoc gladio perculsos nūc illico expirare, vel à Dæmone corripi non videmus, dubitandum non est cū Christus suæ ecclesiæ assistat, eos quandiù in pertinacia persistunt, æternæ morti obnoxios esse, & in Diaboli manu constringi. Nam ut ait *Neuiz. in Sylua nupt. lib. 3. num. 41.* Diabolus utitur excommunicato, sicut rusticus suo asino, & in eo sicut in pecore potestatem habet. Tertio ob inquietam conuersationem, quæ publice scandalum, & offensionem præberet, iuxta illam Apostolicam sententiam. Si quis

quis nominatur inter vos fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, cum huiusmodi nec cibum sumi te. Quarto ratione grauis contumaciæ, quæ est omnis peccati consummatio. Etsi enim excommunicatio quæ à iure fertur, nullam contumaciam exigat, cum eo ipso quod quis factum cum excommunicatione damnatum perpetrat, statim illa afficiatur, excommunicatio tamen maior, quæ ab homine per sententiam infligitur, non nisi ob grauem, & enormem inobedientiam, impotentiam, & animi effrenationem ferenda est, & ob peccatum infligẽda; quod nullo alio modo curari potest, omnibus alijs, vt dixi, prius tentatis remedijs. Cuius rei hęc ab omnibus adducitur ratio, quod cum excommunicatio grauissima pœna sit, pœnæ autem ex Philosopho in 2. *Ethicorum* pro delinquentium correctione medicinales sint, sicut in corporis medicamentis fieri solet, ita & in excommunicatione seruandum est. In corporali autem medicina à leuioribus remedijs inchoandum est, ne natura nimis grauetur, subinde acrioribus vtendum, ita ut extremis morbis extrema etiam sint adhibenda remedia, & ingrauescens malitia ampliorem, etiam & insolitam exigat prouisionem, ac medelam. *Io. de Imola cõs.* 147. Hunc morem Clemens VIII. in Ferraria recuperanda seruasse videtur, publicatis enim ecclesiasticis cẽsuris, Cæsar Estensis qui eam detinebat, vti optimus christianus Princeps, statim obsecutus est illud abhorrens alterius Cæsaris Imperatoris dictum, si uiolandum est ius, regnandi causa violãdum est. Quod prius ab Euripide prolatum fuisse scribit *Cauale. de brachio regio. p. 1. nu. 6. & Cherub. in scholiis ad Bullam Clem.* 8. 52. Videãtur pro prędicta causa. *Alex. de Ales. 4. p. q.* 81. *membro 2. Gab. l. 4. d. 18. q. 2. art. 1. Sayrus. l. 1. de cens. cap. 9. num. 32. Lexicon theologicũ. in v. corrigere.* Vnde *Surius in vita D. Antonini tom. 3. die 2. Maii,* de eo sic refert. Anathematis gladium non nisi in rebus maxime arduis, & quibus nõ aliter occurri poterat, distringebat: ad leues vero casus cum excommunicatio sit pœnarum maxima illum condebat. Ad ea enim tempora deuenimus, vt si quis rastros, marram, vel bidentem amiserit, putet se non posse commodius, quàm à sacris exclusione reperturum. Quibusdam forte iacturam nescio quam omnino leuem passis, atque in auctores damni, anathematis arma flagitantibus, constanti pectore Præsul facturum se negauit. Tùm instantibus, ac maxime commotis, quod despici se putaret, quantum à recto itinere deuiarent, qui ad minima censuris vterentur, huiusmodi voluit exemplo declarare. Candidus panis in medium allatus, cũ anathematis verba in eum protulisset, statim spectantibus illis, in carbonis atredinem cõuersus est. Ecquis est, inquit, quantumlibet famelicus, qui panem hũc non dicam deglutire, sed vel dentibus audeat tentare, quis statim vel inspectum non proijciat? Quanto peiori conditione animas censuræ laqueo detentas, Deus, Cœlites, atque homines stomachantur? Abite iam, ac nolite candorem animarum pro tenui lucello in tantas sordes, ac nigredinem transformare. Mox nondum profectis, conuersus ad panem, Heus, ait, Isto nexu anathematis te libero, ac statim quasi excussisset atredinem, cãdore pristino renitere viderunt. hęc ibi. Nec vt aduertit. *Sot. in 4. sent. d. 22. q. 1. art. 2. & Lazar sect. 1. q. 12. n. 12.* Sufficit quorundam Iudicum excusatio asserẽtium, se sæpius excommunicandi intentionem non habere, sed ad terrorem excommunicationem ferre; nam cum subditi intentionem illam ignorent, à mortali culpa non excusantur, dum contra conscientiam nõ obtemperant, vt proinde dum illa erronea consciẽtia laborãt, ab his cauere teneãtur, à quibus excommunicatus abstinere debet. Et longe peius est hominem in peccatum conijcere, quàm huiusmodi graui pœnæ subiacere; sic enim Sapiens *Ecclesi. cap.* 21. peccatum rompheam bis acutam appellat, quia animam, & corpus æternæ damnationis reatu transuerberat.

II. SVPPOSITVM.

Secundo supponendum est, Prælatum, & Iudicem ecclesiasticum, & regularem, in delictis puniendis triplici via procedere posse. s. per denuntiationem, inquisitionem, & accusationem. Et in his talis ordo seruandus est, vt denuntiationẽ semper, vt aiunt, charitatiua monitio, inquisitionem infamia, accusationem talionis inscriptio præcedere debeat. Qui quidem modi ita inter se differunt, vt denuntiatio ad particulare proximi bonum, inquisitio vero, & accusatio ad commune vniuersitatis commodum referatur. vt tradunt DD. in *cap. qualiter, & quando. ext. de accusat. & Theologi in 22. q. 68. art. 1. & 2. Sayrus. in claui regia. l. 12 c. 10. & de cens. lib. 1. cap. 4. num.* 34. Vnde excommunicatio ad finem reuelandi lata non incurritur nisi in eo casu, quo quis vel iure naturali, vel diuino, vel à Iudice legitime cogi ad reuelandum tenetur, siue per viam inquisitionis procedat, & denuntiationis viam palam fieri iubeat, siue per accusationem procedat, & per testimonia reuelari præcipiat, &c.

Nec solum quando supponitur obligatio ex iustitia, sed etiam quando adest obligatio ex charitate, id sub excommunicationis pœna præcipi potest, si quidem ecclesiastica potestas non tantum corrigere potest peccatum iustitiam violans, sed etiam charitati repugnans. vt colligitur ex *Matth. c.* 18. Si peccauerit in te, &c. Hinc est vt quis ex charitatis lege ad testimonium ferendũ teneri possit, vt si ex defectu testis, proximus graue damnum passurus

rus sit, & ego sine graui detrimento testificari possim, &c. à fortiori, si de communi bono agatur, & simili. Hinc etiam sequitur idem in scriptura prodenda contingere posse, vt si eam quò ad dominiũ apud me habeam, in qua tamen de alieno iure agatur, & is qui huiusmodi præsidio caret, non leui iactura sit afficiendus, tunc si sine magno meo damno id facere possum, ex charitatis præcripto denuntiare teneor. *Filliuc. tom. 1. tract. 14 cap 12. quæst. 2. Barbos. p. 3. Allegat. 96. Henriq. l. 5. de excommunicatione. cap. 18. Gutierez. l. 1. can. qq. cap. 11. Sayr. l. c. & decis. 3. & 4. de censibus. Gennensis in praxi Neap. cap. 1. & 2. Lazarius. de monit. sect. 1. qu. 10. Bonac. de cens. q. 6. p. 1. Graffius. consil 6. de sent. excommunicationis. Roder. tom. 2. qq. regul. qu. 59. art. 4. Less. l. 2. c. 12. dub. 6. Riccius in decis. Cur. Archiepisc. Neapol. decis. 219. Marta. de iurisdict. p. 3. cap. 4. nu. 49. & seq. Zypaus de iure Pont. lib. 5. de sent. excommunic. num. 1.*

III. SVPPOSITVM.

Tertio suppono, Edicta quib. iubemur aliquid, quod scimus denuntiare, non ligare eos, qui quo quomodo audierunt, vel suspicantur, sed tantum eos, qui sciũt illud per visum, vel alium corporeum sensum, vel per confessionem eius, qui fecit illud, vel quod pro indubitato habetur, vel ab aliquo teste fide digno audiuit. vt per Nau. *in cap. inter verba concl. 6. 11. qu. 3. & cons. 3. de hæret. Marc. Anton. Gennens. in praxi Neapol. cap 2. nu. 4. Lazar. de monit. sect. 2. q. 12. Barbosam de Episcopo. par. 3. Alleg. 96. nu. 66.* Reuelans tamen in scriptis, vel oretenus, sed ita obscure, & confuse, vt veritas pcipi nequeat, monitorialibus literis satisfecisse non censetur, si quidem qui interrogatus ad rem non respondet, respondisse non dicitur. Hinc testis obscure loquẽs, pro tacente veritatem habetur. Imo obscuritas in omni dispositione reprobatur. Et patia sunt nõ esse vel esse ita obscurum, seu incertum, vt intelligi non possit. vnde *Bertrand. vol. 6. conf. 163.* quem sequitur. *Marc. Anton. Gennens. in pract. eccles. quæst. 711.* ait, reuelandi partes non impleuisse contra eos, qui animalia furati sunt, qui denuntiarunt vidisse carnes vendi, sed non deposuerunt de qualitate, quãtitate, numero animalium; cũ impetrans literas contra reos, ius suum explicare nequeat. vt per *Alciat. in l. 2. ff. de verb. sign. & Tusch. v. obscuritas. cõs. 56.*

I. Q. RESOLVTIO.

His sic præhabitis dico, si Marinus diues sit, Vicatium iuste excommunicationem ad finẽ reuelandi pro summa viginti tantum aureorum fecit non potuisse, cum Concilij Tridentini sanctio, & communis praxis repugnet, nam & Romanæ Curiæ stylus obseruat, vt monitorias non concedat, nisi quinquaginta aureorum quantitatẽ attingant. Aliquando tamen pro minori summa puta decem, viginti, vel triginta aureorum monitoriæ conceduntur; considerata petentis in vrbe, vel in oppido paupertate; quod totum prudentiæ Episcopi, vel eius Vicarij arbitrio relinquitur DD. superius citati. Vbi propter hoc etiam inferunt, si nihilominus pro re leui mortale peccatum continenti, excõmunicatio feratur, validam esse, & ligare, tùm quia hoc negotium, vt dictum est, prudenti eius iudicio committitur, tùm quia licet Cõciliũ Tridẽtinũ decernat, excõmunicationẽ non nisi pro re graui ferendam esse, non tamen statuit, vt si secus factum fuerit, irritus, & inanis actus reddatur. Si quidem aliud est aliquam actionem dici posse iniustam, & aliud nullam.

II. Q. RESOLVTIO.

Ad 2. dico eius filium, qui cum alijs aliquid ex his bonis subtraxit, excommunicatione illa non ligari, nisi aliud de mente patris literas impetrantis constet, & nisi aliqua specialis adsit clausula, qua omnes coniuncti exprimantur. In dubio nãque non est credendum, patrem, aut Superiorem, filios tàm grauiter, & acriter, ob huiusmodi furta excommunicationis cẽsura percellere velle, quamuis ad restitutionem teneantur, quando graue damnũ paternis rebus inferretur; secus si quid pro suo congruo victu, & decenti ornatu accepissent, tũc enim nec reuelare, nec restituere astringerentur, cum hoc ad parentum officium spectet, &c. Sicuti etiam Edictis huiusmodi non comprehenduntur vxores, quæ de bonis mariti aliquam rem necessariã in casu licito absconderunt, vel abstulerunt, vt si celassent aliqua bona mobilia, quibus egerẽt, vtpote aliquã pecuniæ summã, lectum, mensam, lintea, interulas, & huiusmodi. *Lazar. d. sect. 3. q. 8. Bonac. l. c. Lopez in instruct. conscient. c. 12. Corrad. in respons. cas. consc. p. 1. q. 215. Riccius. resol. 310.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. quæstionem pariter dico, non esse eos absolutione dignos, qui cum furtum sciant, & eius auctorem, ad Superioris præceptum reuelare nolunt, etiamsi iuridice probare non possint, cum monitoriæ non in criminalibus, sed in ciuilibus ad effectum rem alienam restituendi concedantur. Ij vero scire dicuntur, qui per visum, vel per alium sensum externum norunt; vel quæ extra sacramentum confessionis per dictum ipsius delinquentis, ea perceperunt, vel quod à viro fide digno, vel alia ratio-

ne,& iusta causa credunt. Et licet testes de auditu regulariter non probent, nisi à pluribus audierint, nihilominus eorum dictum etiamsi ab vno tantum fide digno auribus exceperint, causam, & adminiculum iuridice interrogandi, & clarius inquirendi præbet;cum fides, & probatio ex pluribus adiumẽtis, & præsumptionibus confletur. *Nau.consil.3. de haret.Cravetta.consil.35.Farinac.de testibus q.62. num.345.contra Megalum.p.1.Institu.confess.lib.1. cap.5.& Riccium d resol.310.* videatur *Campan.in diuers.iur.can.Rub.11.cap.15.nu.100. Barbosa.de Episcopo.p.3.Alleg.96.num.68.* Manifestare tamen non tenentur quando peccatum est occultum(nam monitoria non sunt concedenda si aliquam particularem personam infament,) aut peccator se correxit,& restituit, vel sola fraterna correctione se emẽdaturum, vel restiturum speratur; tunc namque Superiori sub pœna excommunicationis præcipiẽti,ante fraternam correctionem parendum non est; vt commune est scribentium placitum. Item si tempus esset transactum;hinc excommunicationem generalem latam pro rebus subtractis,vt restituantur, & ut sciẽtes intra aliquod præfixum tẽpus denuntient,qui tunc esset absens,vel aliàs ob impotentiã, vel ignorantiam à restitutione excusatus,non incurreret; etiamsi post præstitutum tempus restituere posset,& omitteret,(& si semper restitutioni sit obnoxius,) & per consequens ille quoque qui scitet, ab ea excommunicatione immunis esset,si quidem huiusmodi monitoria termino dierum certo coarctata limitatum etiam effectum producere debẽt, ac proinde vltra præscriptum tempus non obligant,&c. vt ait *Nald. v.reuelare.num.2.& v.excommunicatio.num.17.* communis tamen opinio, & recepta praxis ei repugnat.vt per *Barbosa.de Episcopo l.infra citanda,& Bonae.de cẽs.d.2.q.6.pun.1 q.36.* Tandem à denuntiatione eximitur,cum aliquod graue periculum, vel damnum subiturum probabiliter timet, si quidem nemini officium suum debet esse damnosum, nec rationi consentaneum est, vt quis alterius causa in apertum vitæ, vel bonorum, discrimen se coniiciat. Quare secundum communem,qui se subtrahit,antequam vocetur, aut etiam vocatus, & interrogatus ad vitandum aliquam graue iacturam suam,vel suorum, verum celat, nec peccat,nec ad restitutionem obligatur.*Suarez.tom.5.disp.20.sect.3.num.9. Salon.22.q 70. art.1. Menoch.de arbit.iud.casu 487. Graffius.consil.1. de test. eog. Lazar.de monit.sect.2.q.14. Barbosa.l.c.*

Quò vero ad scripturas dicendum est ad Iudicis iussum edendas, & proferendas esse, nec sufficere, eum,qui habet,vel eos,qui eum habere sciunt,excusationem arripere, quod inde vexationem timent, nisi forte dubio procul manifestum sit, taliter eas ad suum ius cõducere,vt nullatenus alterius ad ius confirmandum attineant. Aut etiamsi sua intersit, inde tamen ipse damnum perpessurus sit,si quidem reus arma contra se aduersario præbere nõ tenetur. *Menoch.de arb.iud.casu.499. Lazarius.sect.3.q.1. Sotus in 4.dist.22.q.1.art.2.concl.4. Sayrus.lib.1. de cens.cap.9.num.30.& in clavi regia.lib.12.cap.20. num.30 Barbosa.de Episcopo.p.3.Alleg.96.num.50.*

Idem *Bonae.de cens.d 2.q.6.pun.1.num.32. Fillinc.tract.14.cap.2.num.40 & Suarez.tom.5.d.20. sect.3.num.13.* Vbi dicunt habentem scripturarum transumptum ex vi monitorij prodere nõ astringi, cum illæ in iudicio fidem non faciant, nam verba Edicti veluti legis,proprie interpretanda sunt. Et legis intentio magis est attendenda, quàm verborum cortex.

OBSERVANDA à Confessario.

PORRO res furto ablatæ, & scripturæ quæ occulte detinentur,& pro suo iure nõ faciunt,per proprium Cõfessarium ne reus prodatur,commode restitui poterunt. Videat tamen pœnitens cui der ea, quæ restituenda sunt. Caueat diligenter,ait *D.Anton.2.p.tit 2.cap.4.§.1. & Nau cap.17.num.67.& consil.5. de solut.* Quod cum per alium facit, ita faciat caute,quod is recipiat,cui debet,& non ille sibi retineat,quia non esset per hoc liberatus,nec confidat de Prædicatoribus, & Confessoribus, & Quæstuarijs,qui quærunt pecunias,non animarũ salutẽ. Quamuis multi quos refert *Fillinc. tract. 32.cap.5. num.135.& Bonac.d.1.de cont.quast.3 p.9.num.8.* (vt etiã in materia de restitutione aduertimus,) nõ improbabiliter existiment,debitorem, qui tradidit pecuniam Confessario,vel Parocho soluendam domino, cui debitor per se ipsum ob infamiæ periculũ restituere non poterat, ad nouam restitutionem nõ teneri,Confessario prædictam pecuniam vero domino non restituente.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4.q. qua inquirebatur, an denuntiare teneantur qui sciunt aliquos curare vulneratos in loco distanti existentes, applicato remedio vittis,gladio,aut lignis sãguine aspersis, dico quod cum hic curandi modus superstitionis morbo laborare censeatur,cum nec à Deo, nec à causa naturali pendere videatur;quia cum ex scriptura, vel ecclesiæ traditione non constat,aliquem effectum à Deo prodire, illum ei attribuere non debemus; nec virtus naturalis in distans, sed per contactum agãt. vt per *Mart.Delrium.l.3.Disq.mag.q.4 sect.1.& Sanchez.lib.2.de precept.cap.40.num.44.* cum hæc, inquam, vera sint, hoc medendi genere vtentes tãm

Episcopo,

Episcoposquàm Inquisitori denuntiandi sunt, aliàs duplicis excommunicationis nodo vinciuntur, si qui dem quando actus à diuersam potestatem habentibus prohibitus est, tot censuræ incurruntur, quot sunt Superiores id interdicentes, modo quisque censuram tanquam suam tulerit, nouumq; ius condere, & nouam pœnam imponere intenderit, cũ multiplex contumacia formaliter loquendo committatur. *Bonac. de cens. d. 1. quæst. 1. pun. 5. & d. 3. quæst. 5. pun. 4. num. 19. & alij communiter.*

CONFESSARII PARTES documenta, & monita.

QVò ad absoluendi praxim, obseruet confessarius, quod quando Marinus ad terminum in edicto præscriptũ non restituit, & alij scientes iuxta prædicta non reuelarunt, ab ipsomet cõfessario absolui poterunt, modo officio, quod debent, satisfacere sint parati: nam etsi quãdo quis nominatim est excommunicatus, nisi à solo excommunicatore, uel eius Superiore absolui queat; quando tñ per gñalẽ sententiam in cõi est anathemate innodatus, ut quia contra omnes non restituentes, uel non reuelantes sit lata, tunc non solum Episcopus alterius diœcesis, sed omnes confessarij possunt hunc ab huiusmodi vinculo liberare, quia satis est, ut patti læsæ satisfaciat. ut ex communi praxi tradit *Molfesius in summa tract. 7. cap. 21. num. 54.* facit *Lazarius. sect. 4. q. 13. Bonac. de cens. d. 1. q. 3. p. 1. num. 5. Sayrus. lib. 2 cap. 19. nu. 5. Marius Anton. lib. 1. var. resol. resol. 112. casu. 37. Reginal. l. 9. cap. 2. num. 30. Nald. v. censur. num. 13. & alij.* Quinimo si daremus excommunicationem illam reseruatam esse, ad vitandum tamen scandalum, ab ea à simplici confessario absolui posset, accepta promissione, quod cum primum poterit, Superiorẽ adibit, ut colligitur ex *cap. eos, d: sent. excomm. l. 6.* & tenet *Suarez. tom. 4. d. 31. sect. 3. Reginal. lib. 8. cap. 6. num. 87. Nald. in v. Bulla Cœna. num. 62.* Et quò ad denuntiantes eos, qui superstitioso medendi genere utuntur, obseruet confessarius, Superiorum edicta ad ea denuntiãda homines obligare, quæ per uisum, uel per alium externum sensum sciuntur, vel quæ per confessionem ipsius delinquentis extra sigillum sacramenti pœnitentiæ noscuntur, uel alia ratione certa habẽtur. Et licet testes de auditu regulariter non probent; nihilominus eorum dictum in his præsertim quæ christianam religionem respiciunt, causam præbet eos iuridice interrogandi, à quibus audierunt, & veritatem certius venandi. *Marc. Anton. Genuen. in praxi ecclesiæ Neapol cap. 18. Bonac. d. 2. q. 6 pun. 1. n. 13. Barbosa multos allegans de Episcopo. par. 3. Allegat. 96. num. 51. & 66.* Non est autem pœnitens obligandus ad denuntiandum, quando certo scitur, uel probabiliter creditur, nullum remedium à Prælato adhibendum; Nam teste Salustio, Frustra niti, neq; aliud se fatigãdo, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Secus si solum dubitetur, nam in dubio Superiori parendum est. Præmittẽda tamen est fraterna correctio, & aliæ regulæ attẽdendæ sunt, quas Doctores in hac materia seruandas præscribunt. Quippe præcipuum spiritualis medici munus est, ut etiam corporalis, morbis curandis exhibere remedia; frustra enim de natura, & pernicie morborũ disceptationes instituuntur, nisi ad antidota deueniatur; ut propterea *Cornelius Celsus. l. 1. in proæm.* scripserit, morbos non eloquentia, sed remedijs curari. Et in confesso est, non modo apud medicos, & morales philosophos, sed etiã apud spirituales magistros, ægrotis præuiam morbi cognitionem pernecessariã esse, ut uel ipsi sibi medeantur, uel si id non possunt, quod non liceat, nec expediat, nec facultas adsit, ut se à peritis medicis curari patiantur.

Cap. IX. De Suspensione.

QVAESTIO XX.

Regularis qui mulierẽ in monasteriũ introduxit, &c. an in censuram inciderit, an celebrando, & alia sacramenta administrando irregularis sit factus, & quis possit ipsum absoluere, & dispensare, &c.

SYluester sacerdos regularis quãdam mulierem cum eiusdem filia quinquenni comitante in monasterium ad malum finem introduxit, ac ad quoddam monasteriũ monialium colloquendi causa accessit, & pluries ad quãdam sanctimonialẽ literas scripsit; cum autem hoc delictum sit occultum, præuia confessione apud conuentus Pœnitentiariũ, vel confessarium facta celebrare non destitit, nec choro interesse, & alia munia obire, quæ illius religionis sacerdotibus competunt. Imo cum esset Curatus sacramenta administrauit, & sine licẽtia proprij parochi quosdam subditos in matrimoniũ coniunxit. Quæritur Primo, an in aliquam censuram inciderit. Secũdo an celebrando, &c. irregularitatẽ contraxerit, & sacramenta collata valida sint. Tertio quis possit illum absoluere, & super illum dispensare?

I. SVPPOSITVM.

REspond. Suppono Primo suspensionem propriè dictam esse censuram ecclesiasticã, qua ecclesiasticæ personæ prohibetur exercitium sui officij, vel beneficij in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus, sub certa verborum forma, idque ob suam culpam, ut ab ea resipiscat, & in poste-

rum abstineat. Dictum est ecclesiastica cęsura: tùm vt distinguatur à ciuilibus prohibitionibus, seu pro fanis exercitijs: nam interdum & medici, aduocati, & notarij ab eorum officio suspenduntur, illa tamē suspensio ecclesiastica cēsura non est; tùm etiam vt efficiens suspensionis causa indicetur, nam suspēsio à viro ecclesiastico, iurisdictione in foro externo potiente, ferenda est. Vnde si Parochus, vel Confessarius pœnitenti præcipiat, vt à functione sui ordinis abstineat, proprie suspendere non dicitur, cum contentiosam authoritatem non habeat, & per consequens illam prohibitionem violans, irregularis nō efficitur. Sicut etiam Abbatissæ quædam quosdam clericos sibi subiectos suspendisse leguntur. Idem dicendum de his, qui sine culpa sacros ordines ante legitimam ætatem susceperunt, dicuntur enim suspensi, quia his fungi prohibentur, &c.

Talis videtur esse suspensio, quam nonnulli Episcopi contra regulares aliquid indignum in administratione sacri pœnitētię cōmittētes ferre solent. vt per *Graffium conf. 6. tit. de pœnit. & remiss.* Vel cū lectioni casuum conscientię iuxta eorundem Ordinariorum Edicta, vel Præscripta, non intersunt, vel morali theologiæ non incumbūt, & se studii omissione, ad huiusmodi munus obeundum inhabiles reddunt: huiusmodi enim suspensio ab audiendis confessionibus proprie censura non dicitur, de qua in *cap. quærenti. ext. de verb. signific.* sed largo tantū modo, quatenus prohibitionem vsus officij comprehendit, &c. vt tradit *Duard. l. 1. in Bulla Cœnæ Domini. cap. 1. quæst. 3. num. 123.* Dicitur Secundo, qua ecclesiasticæ personæ, ad ostendendam causam materialem, seu huius censuræ subiectum, suspensio enim proprie super laicos non cadit, sed super clericos fertur, illos aliquo spirituali exercitio priuans; cum prohibeat exercitium alicuius horum trium. s. aut ordinis, aut iurisdictionis ecclesiasticæ, aut beneficij, quorum vnumquodque necessario ordinem clericalem. i. primam tonsuram supponit, cuius susceptione in clericorum numerum quis ascribitur.

Apposita etiam sunt illa verba, exercitium sui officii, &c. vt tota subiecta materia suspensionis cognoscatur, suspensus namque ab ordine, actum ordinis exercere prohibetur; suspensus à beneficio impeditur, quominus beneficij fructus percipiat, & à iurisdictione suspensus, quæ ad iurisdictionem spectant, exercere nequit. Diximus in totum, vel in partem, ad demonstrandum huius censuræ effectum, & varios suspendendi modos, diuiditur enim in suspensionem ab officio tantum, & solum à beneficio, & ab officio, & beneficio simul: licet absolute suspēsus, excommuniori sententia, intelligatur ab officio ordinum, & beneficio. Et huiusmodi suspēsio ab officio alia est à toto officio, quæ priuat vsu cuiuscunque ordinis, & iurisdictionis; alia à parte, quæ aliquando est à toto ordine, quandoque à sacerdotio, vel diaconatu. Dictum est tantum, &c. item in perpetuum, vel ad tempus, vt discrimen inter suspensionem, & depositionem dignoscatur, si quidem suspensio ex natura sua non exigit, vt sit perpetua, sed potius, vt sit temporalis, quamuis perpetuitas ei absolute non repugnet; contra vero depositio requirit, vt sit perpetua. Vnde sequitur, ut suspensio facilius, quàm depositio relaxetur, &c. Adde ea omnia quę de suspensione dicuntur, posse etiam depositioni, seu degradationi applicari, quia eadem militat ratio, degradatus tamen seu depositus, actum ordinis sacri solemniter exercendo, licet mortaliter peccet, non tamen irregularitate afficitur sicut suspensus, cum in iure expressa non sit, nec sit censura, sed tantum ecclesiastica pœna dicatur.

Additum est sub certa verborum forma, ad innuendam causam formalem, quæ ad illam ferendā interuenire debet; nam quamuis in forma suspensionis nulla determinata verba necessario obseruanda sint, illa tamen adhibenda sunt, quæ ipsam suspensionem exprimunt, vt suspendo te a beneficio, vel suspendo te ab ordine simul, & beneficio.

In iure nihilominus quædam solemnitates requiruntur, Primo vt proferatur in scriptis, & causa propter quam fertur, exprimatur, alias si quis solo verbo, & non scripto suspendatur, non suspensus, sed prohibitus dicitur; attamen si sine scriptura, vel etiā sine expressione causæ feratur, inualida non redditur, quia scripturæ, seu causæ omissio non substantialis, sed accidentalis tantum censetur. Secundo vt si ob contumaciam feratur, monitio pręcedat; secus si ob præteritam culpam, vel si pro facto futuro suspendatur, vt si Episcopus dicat, Si clerici tale quid fecerint, sint à diuinis suspensi, nam sola publicatio est sufficiens monitio. Vbi à Confessario annotandum est, an suspensio ipsa latæ sententiæ sit, an comminatoria, vt superius de excommunicatione animaduertimus. Item sit ne absoluta, an conditionalis, vt iudicare possit, vtrum quàm primum lata est liget. Dictum est in diffinitione, ob suam culpam, ad significandum propter quid suspensio ferri possit; si quidem nemo proprie nisi ob propriā culpam suspenditur, cum suspensio sit vera pœna, quę inique non culpabili iniungeretur. Imo vt quis in eas suspensiones siue à iure, siue ab homine latas incurrat, quæ cōmuniter in Dei ecclesia sunt in vsu, culpa mortalis requiritur, quia grauem pœnā continent, ut uel inde patet, quod nō nisi ob graues noxas ferri solent. Posset tamen leuis aliqua suspensio ob venialem culpam infligi, vt si quis vno die à leui, & tenui alicuius ordinis functione suspenderetur.

Tandem in suspensionis descriptione adiectum est, vt ab ea resipiscat, ad significandum causam finalem propter quam hæc cēsura ferri solet, ut. s. delinquentis

linquentis contumacia comprimatur, & in futurum peccatum deuitetur, & corrigatur, ecclesiastica disciplina vigeat, & cæteris metus incutiatur, ut superius in diffinitione censuræ in genere diximus. De qua suspensionis causa, efficienti, materiali, formali, & finali, agunt Theologi in *4. sentent. dist. 18.* & fuporita suse; ac de excommunicatione. Canonistæ in *cap. 1. de sent. excommunicationis. cap. Apostolicæ. ext. de except. Nau. cap. 27. à num. 151. Tol. l. 1. cap. 12. Val. tom. 4. d. 7. quæst. 18. p. 1. Henriq. l. 13. à cap. 31. Sayrus. de censf. Suarez. tom. 5. à disp. 25. Bonac. à disp. 3. p. 6. & alij innumeri.*

I. Q. RESOLVTIO.

His sic ex suspensionis diffinitione præcognitis, & explicatis, ad casum respondendo dico, Syluestrum præter sacrilegij ctimē admissum, si cum fœmina in monasterium introducta rem turpē habuit, in suspensionem à diuinis, & ut multi volūt, in excommunicationem summo Pontifici reseruatam incidisse, officijs, si quæ habet, priuatum esse, & ad illa, ac ad omnia alia inhabilem redditum, vt colligitur ex Constit. Pij V. quæ Incipit *regul. Sayr. l. 4. de suspensf. 13. num. 20. & l. 3. de excommunic. cap. 3. num. 10. Vinald. de suspensf. nu. 118. Suarez. tom. 5. disp. 22. sect. 6. num. 14. Sanchez. de præcept. l. 6. c. 16. num. 88. Roder. in qq. regul. tom. 1. q. 48. art. 1. Nalfes. tract. 7. c. 20. num. 40. Coriol. de cas. reser. par. 2. casu 3. Fillius. tom. 1. tract. 15. c. 5. q. 7.*

Addo quod cum hic regularis sacerdos subditos alienę parochię, sine expressa licētia in matrimonio coniunxerit, ab officio suspensus remanet, donec à Parochi Ordinario absolutionem obtineat. *Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.* A qua tamē per bonam fidem, ac ignorantiam excusaretur, vt ex verbis concilii patet, ausus fuerit, &c. Et tunc matrimonium sua firmitate non careret, si postea proprii Pastoris consensus accederet, & contrahentes proprium consensum renouarēt. *Diaz. & ibi Lopez. in praxi crim. can. 70. cap. 65. Sayr l. 4. c. ap. 15. nu. 10.* Dic etiam ipsum Syluestrum præter lethalem culpam, ... in contraxit, cum absq; sacræ Congregat. Card. facultate, ad monialium monasterium accessit, pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ affectū esse. *Graffius. cons. 2. de regul. tom. 2. Sayr. in cl. reg. l. 3. cap. 10. num. 35.* Non tamen censendum est eum in has pœnas incidisse, quod absq; dicta licentia ad sacras virgines scripserit, accessus enim & allocutio ad scripturam, vel nuntium non extenditur, cum simus in pœnalibus, in quibus stricta fieri debet interpretatio, & sicut odia restringi, sic fauores conuenit ampliari. Idem *Graff. de sent. excommunica. tionis. p. 1. cons. 22. num. 29.* Quidquid quò ad ius canonicum, & ciuile, distinguens, sentire videatur. *Marta. de iurisd. p. 2. cap. 26. num. 18.* Imo ab hac censura, & pœna non esset immunis, si puellam tantum infantem, nec doli capacem introduxisset. Sicuti pluries resolutum fuit, excommunicationis summo Pōtifici reseruatæ laqueum nō effugere eas moniales, quæ trimos, quadrimosuè pueros, seu puellas, intra monasterii septa recipiunt. Romani enim Pontificis consiliū vnde sanctionēs illæ emanarunt, de introitu, & introductione virorū, seu mulierū in sacra monasteria ea fuit, vt omnis materia prolapsionis religiosis viris, ac mulieribus subtraheretur, at hac materia nō tolleretur, si infantes puellas in monachorum, & infantes pueros in monialium ædes introferre fas esset; cum illa enim ætatula impunius, ac securius osculis, tactibus, ac morosis delectationib. peccatur. Et exploratum est apud omnes, pueros, vel puellas, etiam infantiles ex venerea delectatione osculari, vel tangere, lethalem culpam secum inuoluere. Non esse autem mortale peccatum, nec sæpe veniale, tangere, vel exosculari ex tenerb; & suaui amore, paruulorum carnes, cum id ex libidinosa voluptate, cum commotione carnis, aut spirituum vitalium ad pollutionem incitantium non oritur. tradit *Nau. cap. 16. num. 11. Sanchez. lib. 9. de matrim. d. 46. n. 13. Bonac.* itidem *de matr. q. 4. p. 9. n. 12.* Nihilominus sancti viri veræ puritatis cultores, etiā à licitis, & honestis puerorum infantilium osculis, & tactibus abstinebant. Narrat enim S. Gregor. Turon. Episcopus, de uitis SS. Patrū. *cap. 8.* apud *Sur. in Mense Aprili.* D. Nicetium sacerdotem, qui postea fuit Lugdunensis Episcopus, adeò castitatem coluisse, vt non modo alijs iugiter prædicaret, & à polluto tactu, & à verbis obscœnis esse desistēdum, sed & ipsemet formidaret etiam infantium mēbra nudis manibus contingere, etsi quando ratione officii tangere debebat, non nisi veste interiecta attingebat; sciebat nimium à quouis carnis tactu aliquantam capi voluptatem, licet non admodum illicitam, vt tanto longius à culpabili tactu abesset. ut etiam recensui supra *tract. 6 cap. 15. q. 74.* & refert *Dauer. tom. 3. exempl. cap. 6. tit. 48. exemplo 1.* Vbi etiam incidenter aduertendum est, etsi aliqui contenderint, in osculis, tactibus, aspectibus, in quibus sola delectatio venerea, quæ in ipsis sentitur, placeat, dari venialem culpam, ob materiæ leuitatem. quod tamen falsum est, cum in venereis delectationibus materiæ paruitas, modo deliberate voluptas ex illis percipiatur, non detur: adhuc tamen certius est, rem esse satis periculo expositam, & sæpe numero fore, ut quis modicam, & venialem delectationē existimet, cum tamen grauis, ac mortalis sit, ut se ipsum retractas ait idem *Sanchez. lib. 5. de præcept. cap. 6. nu. 12.*

Atq; hāc positionē, religiosos paruulas puellas, uel trimas in monasteria introducētes suspēsionis, & excōicationis cēsura, ligari tenet *Com. l. 6. respōs. ca*

conſt.q.22.art.3. etiam *Vgolin. de officio Epiſcopi p.1.c.21.§.3. Nald.in v. clauſura.nu.3.& alij.* vt aduertimus in *Comment. de caſ.reſeruat.p.2.c.5.ſect.1.* contra *Bonac. de legibus.diſp.1.q.1.p.6.num.7.& alios ibi relatos.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2.q. dico irregularitatem non contraxiſſe, quando neſciens ſe cenſura irretitum, ſacramenta adminiſtrauit, uel etiamſi ſciuerit, ab officijs ſibi incumbentibus abſtinendo, infamiæ periculum facile ſubijſſet. Item ſacramenta collata valuiſſe, eo quod eius ſuſpenſio occulta eſſet, & communis error, iuſtuſque titulus concurrat. Vnde cum ipſo Syluester ab officio ſimpliciter ſuſpenſus, actus ordinis, officij, & eccleſiaſticæ iuriſdictionis exercere prohibeatur, etſi nominatim denuntiatus non ſit, cum per Extrauagantem ad euitanda, nullus fauor ſit ei directe conceſſus, ſed alijs fidelibus ſit indultum, proindeque cenſuram violando taliter peccat, & irregularis fit, ex communi DD. ſententia in *c.1. ſententia excommunicationis in 6.* Ab eo tamen ſuſpenſo geſta, etiam quæ iuriſdictionem ad ſui valorem requirunt, valida ſunt, ac tenent, ſi denunciatus non ſit. *Nau.cap.27.num.7. Medina in inſtruct. confeſſ.l.1.cap.11.§.2. Sanchez.lib.3.de matrim. d.22.& l.8.d.34. Reginal.p.1.l.1.cap.10. Sot.in 4.d.1 qu.5.art.6. Suarez.tom.5.d.11.ſect.1.& 2.& d.26.ſect.2. Miranda.tom.2. Man.Prælat. reg.q.36.art.14.& 15.* Vbi etiam tradunt è contra fideles ſacerdotem nominatim, & publice ſuſpenſum, in eo à quo eſt ſuſpenſus euitare teneri, aliàs in diuinis officiis, & in actibus ſuis ordinibus deputatis communicãdo, mortiferam culpam admittere. Communes tamen confabulationes, humana commercia, atque foren ſes, & vſuales actiones per ſuſpenſionem non prohiberi, (licet per maiorem excommunicationem vetetur) vt propterea nec excommunicatio minor incurratur, ſicut communicantes cum excommunicato excommunicatione maiori ea afficiuntur, &c. Idem *Miranda tom.2. q.31.art.11.*

III. Q. RESOLVTIO.

QVò ad tertiam quæſtionem quis à cenſura abſoluere valeat, ſi in eam incidiſſe ſupponeremus, cum illa ſuſpẽtio, quidquid ſit de vſu, ſummo Pontifici reſeruata de iure, & ex vi verborum non reperiatur. Confeſſario monaſterij abſoluere integrum eſſet, cum probabilis ſit ſententia, quemlibet ſacerdotem abſoluendi à mortalibus peccatis facultatem habentem, non ſolum ab excõicatione, ſed & ab alijs cenſuris nõ reſeruatis, in foro conſciẽtiæ liberare poſſe, *Suarez.tom.5.d.38 ſect.2. Bonac. de leg.queſt.3 p.1.num.9. Nald.in v. cenſura.nu.13.* Si autem teneamus, illam ſuſpenſionem, vt aliqui volunt, ex vſu reſeruatam eſſe, ſi occulta ſit, ex *c.6. Conc.Trid.ſeſſ.24.* Epiſcopo, & eius Pœnitentiario integrum erit illum abſoluere, ſi ex Prælati ſui iudicio ſe eis ſubmiſerit. *Reginal.l.30.tract.2.num.29. Sayrus de cenſ.l.3.c.7.num.23. Sanchez ſup.4.de præceptis.c.39.nu.27. Molfeſ.tract.11.cap.15.nu.13 in Alphon.Vega in Summa.p.1.cap.44.caſu.10.& p.2.cap.40.caſu 2.* & dixi.

Et ut notat *Nau.in cap.ſtatuimus.nu.62.19.q.3.* & *Rayer.in catal.fol.136.col.de ſuſpenſ.c.3.in fine.* ſimplicitas, incogitantia, ignorantia, & obliuio ab hac etiam cenſura excuſare poteſt; ſicut etiam iuris ignorantia fœminas monachorum monaſteria ingredientes excuſare ſolet *Sayr.l.3.cap.31.num.19. & l.1.cap.18.num.31.*

Et licet Pius V. in d. Conſtitutione religioſos mulieres in monaſteria introducere præſumentes, officijs ipſo iure priuet, cum tamen illa præceptio pœnalis ſit, ne quis ſui ipſius ſit proditor, Iudicis factum, & ſententia requiritur. *D.Thom.2.2 q.62.art.3. Felyn.in cap.1.num.13 de conſtit. Nau.cap.23.num.66. Capp.in Compẽd.Priuileg. Mend. in v. dare verſ.2.notat. Sayrus in cla.reg.lib.3. cap.10. num.34.* Ac in omni caſu ſuo Generali, uel Prouinciali Prælato licebit ſuper hoc impedimento diſpenſare, ut his verbis tenet *Roder. tom.1. qq.regul q.24.art.7.* Ex dictis infertur, quod dicti Prælati regulares poſſunt reſtituere diſpenſatiue priuatos ab officiis, & inhabiles ad ea per Cõſtitutiones Apoſtolicas, propter crimina grauia, ſicut adulterium, commiſſa contra ipſarum Conſtitutionum tenorem, ſi ſummus Pontifex eorum reſtitutionem, diſpenſatiuam ſedi Apoſtolicæ minime reſeruauit. Vnde cum ſummi Pontifices maxime Pius V. & Gregor.XIII. in ſuis Conſtitutionibus latis contra religioſos introducentes mulieres in monaſteria virorum, aut mulierum, non reſeruauerint ſibi ſuſpenſionem à diuinis, nec priuationem ab officiis, nec inhabilitatem ad ea, ſicut excommunicationem reſeruarunt, euidenter ſequitur, poſſe dictos Prælatos in ſupradictis omnib. diſpenſare pœnitentia peracta, &c. hęc ille.

In foro uero externo regulari, Syluester pœna arbitraria, à Præfecto generali, uel prouinciali, puniri poterit, ſi quidem in grauioribus, & enormioribus delictis, quale in noſtro caſu agnoſcitur, ij tantum procedere debeant. Inferiores autem Prępoſiti, uel Rectores, in vrgentibus tantum caſibus, & ubi periculum eſſet in mora, tanquam delegati proceſſum conficere poſſent, & de conſilio Diſcretorũ domus, uel conuẽtus, ad cuſtodiam, vbi fuga timetur, reum in carcerem detrudere, & interim Superiores Iudices certiores facere. Quo tamẽ in negotio, ut DD. loquũtur, pacato litore pergere par eſt, ſi qui-

si quidem optime ratione, omnis fere Pontificij Iuris Interpreres, in *cap. cum contingat ext. de foro compet. & in cap. olim, ext. de accus.* in animaduersis regularium excessibus non iure ordinario, sed summariè, & sine strepitu, & figura iudicij procedendū esse cēsuerunt, modo essentialia seruentur. ut Primo non nisi cōtra accusatum denūtiatum, aut infamatum procedatur. Secundo ut testes examinentur. Tertio absens vocetur. Quarto inde sensus non condemnetur, nisi fuerit contumax. *Arct. in praxi crim. cap. 2. & 3. Roder. in qq. regul. tom. 2. quaest. 3. art. 2.*

Non difficile porro erit Monasterii confessario huius religiosi pœnitentis excessum aggrauare ex votiuæ obedientiæ, & castitatis violatione, & super vacuū videtur ea testimonia huc referre, quæ apud omnes auctores, qui de religiosorum statu scripserūt sunt obuia. Illud tantū S. *Ephr. tom. 1. ser. 1.* sufficiat. Quaeretu monache nosce, atque considera, in vtro sis ordine constitutus, tum quo signo, quaue nota sis insignitus, quæ pacta, quæue vota, cum Deo feceris, constituerisue. Redde Domino vota tua, quoniā scriptum est, Melius est te non vouere, quàm cū voueris non reddere. Nec abludit. S. *Cæsar. hom. 3. ad mon.* cum ait: Quid est hoc quàm iugum Christi à se rebelli ceruice discutere? Isti nesciunt, quid vouerunt, obliti sunt, propter quid huc venerunt, &c.

Ideo vt religio reformetur, necessarium est, vt in comitiis, uel capitulis omnibus ordinis, semper de proprii instituti, & regulæ obseruantia tractetur, cō silaturque quo pacto luxuriæ, ambitiones, proprietates, & alia vitia extirpentur, ac praui religiosi coerceantur. vt per *Roder. in qq. regul. tom. 3. q. 47. art. 3. Cherub. in schol. ad Bullam Pij V. 103.* Et cum huiusmodi reformationes his temporibus tam frequenter à summis Pontificibus inculcātur, nisi quia res ipsa exigit, & eas *Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 1.* serio præcipit. De quibus idem *Roder. tom. 2. q. 73. art. 3. & 4.* Vbi etiam ex *Nau. Comment. 4. de regul. num. 34* ait, has reformationes non ex impetu, & ab rupto, sed suauiter, & pedetentim esse faciendas.

Porro ut ex *Ricchardo Victorino in Comment. sup. reg. D. August.* colligere licet, hæ sunt potissimæ causæ ruinæ religiosorum ordinum. Primo professorum multitudo, & inutilium personarum susceptio, cum tamen pauci, ac probati sint admittendi. Secundo negligens, & inordinata nouitiorum, & tyronum institutio. Tertio religiosorum, ac Prælatorum frequens è monasterio euagatio. Quarto mulierum familiaritas. Quinto studii, ac deuotionis omissio. Sexto debitæ correctionis dissimulatio, quæ, ut ait *D. Bernardus lib. 3. de consid. c. 5.* est insolentiæ mater, radix impudentiæ, & transgressionum nutrix.

Ad Episcopi vero etiam munus spectat, sæpe regulares hortari, vt sui instituti memores, ad omne religiosæ virtutis studium, in dies longius progredi studeant, & in agro Domini excolendo, sedulos, ac fideles operarios se præbeant *Conc. Trid. sess. 21. c. 8.* Cęterum dicet aliquis velint. Episcopum esse specialem religiosorum Prælatum, & ratione voti dominatiuam voluntatis eorum potestatem habere, hoc tamen verum non est, cum secluso eo exemptionis priuilegio, quò ad regularem disciplinam, magis regulari Prælecto, quàm Episcopo obtemperandū sit, ut per *Sanchez de præcept. l. 6. c. 1. nu. 13. & seq.*

QVÆSTIO XXI.

Pastorum Italus Episcopus, Apostolorū limina per quinquennium non visitando, p. m. & in censuram incurridat. Diœcesanam synodū absq; peritorum consilio celebrādo, an pariter peccet. Et an ab eo gesta valeant. Sacerdotes maius stipēdiū quàm ab Episcopo constitutione taxatum sit, accipientes, an delinquant, & in suspensionem ab eo latam incidant? Item nunquid Episcopus possit reducere, vel minuere numerū missarū in fundatione appositarū? Et quid si valor eleemosyna creuerit, an hæredes illam tempore taxationis pendere teneantur.

Achilles Episcopus Italus, ex quadam incuria, & negligentia, quinque annis iam elapsis, nec per se, nec per alium (etsi antequam consecrationis munus susciperet, iureiurando id promiserit) Apostolorum limina, ad reddendam suæ diœcesis rationem visitauit. Insuper superiori mense, sine Theologorum, & Iurisperitorum consilio, synodum diœcesanam celebrauit, & absque capituli sui consensu quędam decrèta condidit, quæ ad religionem tuendam, ac augendam, & ad mores cleri depraluatos corrigendos pertinent: Inter alia sub pœna suspensionis à diuinis ipso facto incurrendę statuit, vt nullus sacerdos sine biretto, & talari veste, & aliis congruis indumētis, ad rem sacram faciendam accedat, nec vllus clericus in sacris constitutus, vel in minoribus beneficio donatus, pileum per vrbem non nisi tempore pluuiæ, vel niuium deferat.

Item sanxit, ut sacerdotes pro missæ celebratione, plusquam decem solidos accipere non possint, nec alios sacerdotes minori pretio, vel mercede cōducere, qui ad iouent, vt reliquum auctuarium sibi retineant. Quæritur Primo an iste Episcopus limina Apostolorum non visitando peccauerit, & in aliquam censuram inciderit. Secundo an sine capituli, & peritorum cōsilio, synodum celebrando, aliquid culpæ admiserit. Tertio an in eadem synodo gesta valeant. Quarto an sacerdotes qui sine talari veste celebrarunt, & qui maius stipēdium quàm sit Episcopi constitutione taxatum acceperunt, & minori stipe alios cōduxerunt, &c. peccauerint, & in suspēsionem ab eo latam incurterint: in eaque celebrando irre-

do irregulares effecti sint, etiamsi aliquis forensis ibi non habitans edictum illud sit transgressus? & quæ sint partes Confessarij tam circa Episcopum, quàm sacerdotes? &c.

I. P R AE L V D I V M.

RESpond. Præmitto Primo, Episcopos, & superiores Prælatos, ob maximam eorum dignitatem, tanti culminis celsitudinem, pastoralisque officij executionem, nunquam ipso iure suspensionẽ incurrere, ratione alicuius generalis constitutionis, sententiæ, aut mandati, nisi eorum specialis, & expressa mentio facta fuerit. Quare si Pontifex generatim iuberet clericos, & Prælatos omnes certam pecuniæ quantitatem soluere, pœna interdicti, vel suspensionis in non parentes constituta; ea pœna non afficerentur Episcopi, id mandati negligentes, *cap. 4. de sent. excom. lib. 6.* Ideo non inutile eorum studium fuit, qui breui manu collegerunt omnes suspensiones, iure communi, uarijsq; summorum Pontificum constitutionibus, contra Episcopos latas, ob illicitam ordinationem, deprauatum pastoralis muneris usum, in dispensationibus, ordinationibus, cõfirmationibus, aut in iurisdictionis actibus, uel in alijs similibus, ad officium Episcopi spectantibus, ut clare constet, quibus in iuribus suspensionis censura Episcopis expresse inflicta reperiatur, *Sayrus d. lib. de cens. cap. 8. num. 25. Azor. p. 2. l. 3. c. 32. q. 8. Barbosa de Episcopo. p. 3. Alleg. 111.*

I I. P R AE L V D I V M.

SEcundo suppono, Episcopos Italos tertio quoque anno, ad Apostolorum limina accedere, debere, & S. Pontifici de suo pastorali officio rationem reddere, etsi per se id nequeant, per certum nuntium speciale ad id mandatum tenentem, in ecclesiastica dignitate constitutum, uel personatum habentẽ, &c. uel diœcesanum sacerdotem, id facere eos oportere; Aliarum uero Prouinciarum Episcopi longius tempus habẽt, ut ibi dicitur; alioqui suspẽsi sunt ab ingressu ecclesiæ, & administratione tàm spiritualium, quàm temporalium; nec nõ à perceptione fructuum suarum ecclesiarum, qui in opus fabricæ, seu ornamentorum ecclesiæ, ab eorum capitulo collocari debent, quousque à contumacia, & à suspensione ab Apostolica sede liberati fuerint, ut patet in Constitutione Sixti V. Incip. *Romanus Pontifex.* ut apud *Sayrum de cens. l. 4. cap. 12. num. 53. Vgol. de officio Episcopi p. 1. cap. 3. nu. 8. & Naldũ in v. Episcopus. nu. 35. Barbosam de Episcopo. Allegat. 111. num. 41.*

I I I. P R AE L V D I V M.

TErtio ad occurrendum ecclesiarum incõmodis in dies succrescentibus, & ad cleri mores reformandos, controuersias componendas, salubriter sacri canones sanxerũt, ut quilibet Episcopus in sua diœcesi, semel in anno synodum cõuocet, etsi ipse aliquo iusto impedimento detineatur, aliquem in ecclesiastica dignitate constitutum deputet, qui uice ipsius hoc munus obeat, aliàs illam celebrare negligens suspensionis pœnam per duos mẽses sustinere debet *cap. fin. dist. 18. Conc. Trid. sess. 24. de refor. c. 2.* Antequam uero Episcopus synodũ habeat, eligere debet insigniores Theologos, & Iurisperitos pro consiliarijs, simulquè sui capituli consilium petere, antequam constitutiones condat (licet illud sequi non teneatur, nec Pontificia censura, & approbatione, ut cõcilium Prouinciale egeat) Siquidem sententia tum sanctorum Patrum, tùm philosophorum ea semper fuit, hominem sibi ipsi rebus grauibus, ac difficilibus gubernandis, ut plurimum minime sufficere, sed præter supernum auxilium, etiam prudentum consilio adiuuandum esse, ut sicut ex scintillis multis lumen unum accẽditur, sic copulatis multorum mentibus, solidius tàm sæcularium, quàm ecclesiasticarum rerũ administrationibus prospiciatur. Monarchia in publico regimine alijs præstat, si aliquibus uinculis constringatur, ne potestatis plenitudo in tyrannidem labi possit, sic in sacra politia, ne qui præsint quod lubet licere putent, capituli consilium, & interdum consensum à iure adhibere iubentur. Episcopus tamen in statutis condendis parcus esse debet, quia corruptæ reipublicæ indicium plurimæ leges; sat multa, sat bene constituta sunt, si sat bene obseruari curentur *Michael Tomasinus in tract. de ratione synodi. Piasecius in praxi Episcopali p. 2. c. 2. tit. de synodo Quaranta. su. Summa Bullarij in v. Synodus diœcesana. Vgol. de officio Episcopi. p. 2. cap. 48. Zypaus de iure Pontificio. l. 3. tit. de his quæ fiunt à Prælatis, &c.*

I V. P R AE L V D I V M.

QVarto supponendum est, clericos, & sacerdotes duplici ornamento uestiri, ac cohonestari debere; interiori. s. & exteriori, Interius ornamentum est pura mens, uirtutibus omnigenis decorata, sed præcipue charitate, humilitate, castitate, scientia, terrenarum rerum abdicatione, auaritiæ potissimum fuga; conturbat namque domum suam qui auaritiam sectatur. *Prouerb. cap. 15.* Sacerdos profecto qui auaritiæ labe pollutus est, omnia in Dei ecclesia perturbat, & rumoribus miscet, diuinum cultum impedit, & uniuersæ ecclesiæ Dei statũ peruertit, & de huiusmodi sacerdotibus. *D. Bonauent.*

de præ-

de prapar. ad missam cap. 8. sic loquitur, cum diuina mysteria accipiunt, non cælestem panem, sed terrenum quærunt, non spiritum, sed lucrum, non Dei honorem, sed quæstum pecuniarium, & ita Corpus Domini non tàm accipiunt, quàm rapiunt, quia accedunt, non vocati à Deo, sed impulsi à sua cupiditate, & auaritia.

Externum uero indumentum in multis consistit, sed maxime circa tria uersatur. Primo circa habitum, & tonsuram clericalem, in quorum omissione lethalem culpam communiter Doctores agnoscunt, quod ex pęnis constat, quibus dignus est tùm maiori ordine initiatus, tùm beneficiatus, qui habitum suo statui conuenientem non defert. Eæ enim sunt pęnæ suspẽsionis ab ordinibus, & officio, à fructibus, & redditibus beneficiorum, Item eorundum officiorum, ac beneficiorum priuationis, si semel correpti in eo denuo delinquãt, quæ quidẽ pęnæ pro re ualde graui, ac proinde pro mortali culpa infligi censentur. teste *Io. Bapt. Corrad. in resp. cas. consc. q.* 36. *Barbosa de offic. Episcopo. p.* 2. *Allegat.* 9. *Reginal. l.* 30. *tract.* 3. *num.* 10. *ex DD. in c. si quis. ext. de honest. cler. Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 6. *& Constit. Sixti V. Incip. Cum sacrosanctum.* quidquid dicat *Molfes. nouissime. in summa tract.* 8. *cap.* 12. *num.* 7. Vide quæ diximus superius *tract.* 1. *cap.* 8. *q.* 44. Immo addo quod licet pilleoli in sacro faciendo delatio res leuis uideatur, integrum tamen esset Episcopo sub suspensione prohibere, ne quis absque eius licentia, & causa cognita, illum celebrando in capite gestaret, cum hæc res ob decentiã, & tanti sacrificij reuerentiam, grauis euadat. ut ait *Bonac. de leg. d.* 2. *q.* 3. *p.* 3. *num.* 13. De qua prohibitione dixi supra *tract.* 4. *c.* 15. *quæst.* 145.

At cum tàm in hoc quàm in alijs excessib. compescendis experientia, & practico usu compertũ sit, pecuniariam penam, magis, quàm suspensionem, & alias censuras à clericis formidari, satius aliquando foret, crumenæ mulctis in eos animaduertere. *Fusc. in sing. in v. Episc. opus. num.* 25.

Secundum ornamentum in compositione, & corporis gestu cõsistit, omnium enim sacerdotum tàm excellens est conditio electionis, ut quæ in aliis mẽbris ecclesiæ uacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. ut ait S. Leo relatus in *ca. omnium. d* 32. Hinc quò maior est sacerdotalis vitæ candor, si maculetur, labes grauior, & turpior iudicatur, si quidẽ splendidę uestis lutulentiores sunt sordes, & in candidissimo panno maculæ magis conspicuæ sunt, ut non nisi magno studio abstergi queant, &c.

Tertium in moderatione, & temperantia in cibo, & potu abstinentia à uanitatibus, & sæcularibus negotiis, auaritiæ sordibus, & superbiæ uitio, ut *tota dist.* 41. *&* 44. *& ca. à crapula. ext. de vita, & honest. cler. tot. tit. ne clerici, vel monachi sæcul. neg. se immisc. Alb. Trot. de perfecto cler. l.* 2. *c.* 58. *Pet. Sot. de temp. cler. lect.* 4. *Reginal. l. c. cap.* 2. *vt l. c.*

Vnde clerici uocationem suam sæpe expendere debent, & re ipsa ei respondere. Et sicut laicos loco præcedunt sic religione eos antecedere oportet. Sex enim sunt signa, aliquem ob uirtutem honorari. Primo si à dextris sedeat. Secundo prope Dominũ. Tertio in medio duorum, uel plurium. Quarto in capite, vel loco altiori, & eminẽtiori. Quinto si parieti magis proximus sit. Sexto si primam habeat uocẽ. *cap. si ãtuimus.* vbi DD. *dist.* 4. *c. duo. dist.* 96. *c. solitæ.* vbi Scribentes. *ext. de maiorit. & obed.* Sed merito timere debent, ut loquitur *D. Gregor. hom.* 9. *in Euang.* Ne qui plus cæteris in hoc mundo accepisse cernuntur ab auctore mundi, grauius inde iudicentur. Quandoquidem triplex est timor, cum quo omnes in hoc mundo salutem nostram operari debemus. Primus ne forte peccata nostra nobis remissa non sint, cum hoc inter incerta, & occulta sapientię Dei computetur. *D. August. in Psal.* 50. Hinc Sapiẽs *Eccles. cap.* 5. De propitiatio tibi peccato noli esse sine metu. Secundus timor est, ne forte tales coram Deo non simus, quales nos esse præsumimus. Vnde *Apost.* 1. *ad Corinth.* 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. *D. Basil. in Constit. monast. cap.* 2. Et *D. Hieron. in Esaiam. cap.* 38. Etiam sancti, ait, in morte terrentur propter incertum iudicii, & ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint. Tertius timor cum quo salutẽ nostrã agere debemus est ne forte ante finẽ à Diuina gratia, & vita æterna excidamus. nam ut, inquit. *D. Augusi. de Ciuit. Dei. cap.* 12. Licet sancti de suæ perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Vere nãq; *D. Hieron. l.* 2. *contra Pelag.* Ne glorieris in crastinum, nescis enim quid adueniens pariat dies. *Et*

Exitus acta probat, finis, non pugna coronat.

c. qualis. dist. 25. *Manget. in Monit. sac. p.* 2. *monit.* 6. *Euer. in top. leg. in loco à virtute finis.*

I. Q. RESOLVTIO.

QVibus sic præmissis, ad primam quæstionem respondẽdo dico, Achillem vix à lethali culpa, & à suspensionis censura excusari, siue liminum Apostolorum visitationem ex inobedientia, & certa scientia omiserit, in quo quidam tacitus contemptus mortiferus agnoscitur, siue ex iuris, uel facti ignorantia, seu obliuione hoc munus prætermiserit, nã cũ illa vincibilis, & crassa deprehẽdatur, grauis reatus eum condemnat. Si quidem vt ille dixit, Valde turpe est Ciuem Romanum Romanas leges ignorare. Et Sulpitio olim vitio datum fuit, quod ius ciuile nesciret, in quo quotidie versabatur; &c

tur, & quilibet ea nota habere, & exequi debeat, quæ ad eius statum, & officium pertinent *D. Thomas. 1. 2. q. 76. art. 1. & 2. Nau. consf. 10. tit. de pænit. & remiss. Roder. tom. 3. qq. regul. quæst. 64. artic. 1.* Canonici vero missi ab eorum Episcopis ad Apostolorum limina visitanda eorum nomine, siue suos Episcopos ad eundem locum comitantes, quotidianas distributiones lucrantur, ex dicta Constitutione Sixti V. prout à sacra Cardinalium Congregatione decisum refert *Garzias de benef. p. 3. c. 2. num. 349. Riccius in praxi fori eccles. decis. 498. & Barbosa de Episc. Alleg. 53.* Sane Episcopus ille se diuini amoris face sedeli iturum ostendit, cum ea quæ ad suum munus spectant, tam segniter neglexit, si quidem ut ait *Cælius Rhod. l. 9. ant. lect. c. 2.* Amor industriam exacuit, estque plene artium inculpatus magister, qui intentatum nihil relinquit, & sese omnibus inserit, desidiosum resina, ueternoque pigriorem mirifice excitat, ac decessatore acrem, & ad omnia perceleerem reddit. Hincq; astruunt SS. Patres, & Theologi lapsum ingrauiora peccata, interdum esse pęnam negligentiæ in minoribus non corrigendis. Quandoquidem negligens in minimis vitandis, si peccata sunt, uel accumulandis, si bona, specialc Dei auxilium demeretur, quo ablato, homo misere labetur, & corruet. Episcopus, ut loquitur *Geminianus in serm. de Episcopo, & Tusschus v. Episcopus concl. 234.* debet habere qualitates solis, videlicet virtutem illuminatiuam, calefactiuam, & motiuam, ut bonis operibus alios illuminet, continua charitate, & diligetia alios calefaciat, & solidis doctrinis tardos, & segnes moueat. Duodecim ait *D. Cyprianus de 12. abus.* sunt abusiones, quibus reipublicæ summa corrumpitur; Sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedienria, diues sine eleemosyna, fęmina sine pudicitia, Dominus sine virtute, christianus contentiosus, pauper superbus, Rex iniquus, Episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quęstionem dico, illum contra docilitatem saltem venialiter peccasse, quæ prudentiæ pars integralis dicitur, teste *D. Thoma. 22. quæst. 49. art. 3.* Nam cum ea uis propria, & natura consiliorum sit, ut ea inuitus sequi nemo teneatur, licet maior pars collectorum sapientum aliter sentiret, non occurrit solida ulla ratio, propter quam Episcopus non debeat eorum sententias libenter auscultare, ex quibus incommodi nihil, sed adiumenti plurimum deriuare possit, etsi enim in altissimo solio positus sit, humana tamen circumuentus imbecillitate, debet his maxime gaudere presidiis, quibus illius intellectus magis illustrari possit, & facilior ei aditus ad res disquirendas, ac diiudicandas aperiri salua semper, ac integra manente, ea consilia sequēdi potestate. In infęlicibus successibus illud solati Superior, & Prælatus haber, non suo in te lusi, sed alieno arbitrio stetisse: euenient aduersa, ueteri pin dentum dicto se tuebitur, Feci, quod licuit, quod decuit, quod debui, prudentiæ leges expleui, peritos in consilium adhibui, aliter cessit? Humanarum hæc natura rerum est.

Porro in eorum sententiis exquīrēdis libertate gaudere debet, nec uerbo, signoue alteniorem à persona, aut sententia, animum ostēdere, collaudabit potius conatum, animabitque, ac libertati uiam comitate sterner, quod illa optimorum consiliorum certissima regula sit; nam si aut libertatem sustuleris, aut periculū libertati sit, defuturi omnino sunt, qui rectum suadeant. *Card. Paleot. de sac. Consist. Consult. p. 1. q. 3. art. 4. & sequ. Syl. in Summa in v. consilium. Scriban. de Super. relig. lib. 1. cap. 13.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. quæstionem respondeo, Esto hic Episcopus in synodi celebratione ex Decretorum præscripto, peritorum Theologorum, ac Iuris prudentum consilium, capitulique consensum non requisierit, & suspensionis censura innodatus, ea quæ iurisdictionis sunt, exercuerit, ab eo tamen gesta valida sunt; quandoquidem hæc consiliorum petitio ad honestatem tantum, ac accidentalem solemnitatem, non ad actus substantiam pertinet; & exploratum in iure est, nullum id dici solere, quod est aduersus formam substantialem legis, iniustum uero, quod in aliis rebus peccat. Pari ratione dicendum, quod etsi Episcopus quò rite munera sua obeat, censura irretitus esse nō debeat, alioqui sine denuntiatus, siue occultus sit, si ca quæ ordinis sunt, agat, & mortifere peccat, & irregularis efficitur (non enim Extrauagans ad euitanda quidquam ei prodest) si tamen notorius denunriatusue non est, actus ab eo in synodo gesti validi sunt, ut per *Vgol. de officio Episcopi. c. 4. §. 2. Farinac. p. 1. decis. 534. & 602. Sanchez, l. 3. de matrim. d. 22.* vt sæpe à nobis superius est obseruatum.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. dubitationem propositam dico, Sacerdotes sæculares (non tamen regulares ab Episcopi iurisdictione exemptos) non excusari à mortali culpa, & suspensionis pęna, si dedita opera sine congruenti habitu, rem sacram fecerunt, nec tuta conscientia pinguius stipendium pro celebratione missę accipere potuisse, quàm sit Superioris Cōstitutione taxatum, quod ratione quadam legale

pretium

pretium dici potest, aut etiam communi vsu, & consuetudine præscriptum, quod pretium naturale quodammodo censetur. Nisi tamen ab eo, qui taxationem non ignorat, aliquid amplius sponte offeratur, aut ex liberalitate donetur, vel in compensationem laboris, seu obligationis, quæ ad ipsam celebrationem solum ex accidenti requiritur, pluris aliquid detur. Cuius responsionis ratio est, quod tota sic accipiendi iusta causa sit stipendium, ministro ad vitæ sustentationem necessarium, cuius quantitatem diffinire, non est ipsius ministri, cum nemo in causa propria iustus sit Iudex, & quilibet plus æquo, sibi ipsi largus, & liberalis existat, sed Episcopi in synodo diœcesana, vel Generalis Præpositi ordinis in generalibus comitijs, quò ad missarum reductionem, *ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 4 de reform* Vnde si quis eleemosynæ taxationem nesciēs, plus sacerdoti pro sacro faciendo tribuat, quàm lege sancitum sit, sacerdos ipse salua conscientia illud accipere non potest, quia ei voluntarie non offertur, cum vt dici solet, nihil sit volitum, nisi cognitum. Qua lege etiam forenses sacerdotes in loco Episcopi ipsam legem ferentis ligantur: nam alienus in alicuius ditione, & diæcesi delinquens ratione delicti, eius fori esse censetur, & statuti pœna constringitur. *Syl. in v. subditus. Graffius lib. 4. decis. aur. cap. 8. num* 41. *Sayrus. lib* 1 *de cens. cap.* 7. *num.* 9. *Suarez. tom.* 5. *d.* 5. *sect.* 5. *num.* 10. *Nald. in v. censura. num.* 9. *Molfes. tract.* 9. *cap.* 8. *num.* 34. contra *Bonac. d.* 1. *q.* 1. *p.* 11. *prop* 4. Atque positam assertionem tenet. *Reginal. l.* 23. *nu.* 232. *Scortia de sacrificio missæ. lib.* 2. *cap.* 10. *Suarez. tom.* 3. *d.* 86. *sect.* 2. *Molfes. tract.* 3. *c.* 10. *Miranda in Man. Prælat. regul. tom.* 1. *q.* 41. *art.* 23. *Azor. p.* 3. *lib.* 12 *c.* 6. *q* 7 *Roder. tom.* 1. *qq. regul. q* 43. *art.* 13. *Zerola in praxi Episcopali p.* 1. *in v. missa.* §. 3. *Zanardus in Direct. Theolog. p.* 1. *de eccles. cap.* 13. *Frax. de obligat. ad miss. celeb. sect.* 3. *pranot.* 5. §. 3. *Bonac. de missa d* 4. *quæst. vlt. p.* 8 *num.* 8, ut etiam superius dixi.

Eadem ratione dicendum est, sacerdotes qui pinguia stipendia acceperunt, & alijs tenuius dederūt, ab eademmet culpa, & pœna non esse immunes, nā quidquid sit de illa quæstione, an circunscripta prohibitione hoc liceat, de qua egimus supra *tract.* 4. *c.* 14. *quæst.* 131. certum est, Episcopum iusta de causa hoc interdicere potuisse, cum hoc nescio quid negotiationis, & fœdæ videatur ad lucrum cupiditatis redolere.

Ex quorum etiam dictis colligitur, ut supra dixi, sacerdotes istos Achilli Episcopo subiectos mortaliter peccasse, si à pluribus inuitis importune exegerint; Multa namque honeste accipiuntur, quæ inhoneste petuntur. Et iste Diæcesanus ad huiusmodi statutum condendum moueri potuit ad auertendam quorundam sacerdotum auaritiam, & scandalum, quod fidelibus præbetur, dicentibus vbi est Deus clericorum. *cap. magna. ext. de voto. Tusch. in v. clerici. concl.* 379. *Gisbertus de vita eccles. cap.* 29. Scite D. Carolus dicere solebat, se acerbius ferre, si clericus aliquis, vel sacerdos, vitio aliquo præsertim auaritiæ vrgeretur, clerique disciplinam turbaret, quàm si multos Principes infensos haberet. Ideo grauiter peccat Episcopus si circa clericorū reformationem non inuigilat. *Genu. in Man. Past. cap.* 90. Secus si ex liberalitate offerētium pinguiorem eleemosynam supra taxationem acceperint: siquidem excessus, vt diximus, donari censetur. Et sicut sacerdotibus liberum est, maiorem stipem accipere; ita etiam integrum est, maiorem à sponte dantibus sumere. Aliud est namque exigere, aliud gratis donare, vel remittere; ideò Iustitiæ lex opera pietatis non impedit, nec pietati, ac christianæ misericordiæ viam præcludit. Consecutiue dicere possumus, si à sponte dantibus præsertim taxationem non ignorantibus, plus præscripti stipendij acceperint, in suspensionem non incidisse, quæ ex communiori sententia, mortalem culpam supponit, nec celebrando, & alia sacerdotalia munia obeundo, irregularitatis labem contraxisse. A qua tamen censura, & irregularitatis impedimento non excusari, si absque iusta causa clericalem habitum non detulerunt, & sine eo rem sacram fecerunt, &c. *Suarez. tom.* 5. *d.* 28. *sect.* 4. *Coninch. in Cōment. de cens. de suspens. d.* 15. *dub.* 3. *num.* 24. *Miranda. tom.* 2. *q.* 36. *art.* 6. *Sanchez. l.* 9. *de matrim. d.* 32. *& alij communiter.*

V. Q. RESOLVTIO.

AD quintam, & sextam dubitationem respondendo dico, quod licet, ut aliàs aperui, ecclesiarum obligationibus, Episcopi in synodo diæcesana, vel etiam, vt multi volunt, absque congregata synodo, & monasteriorum oneribus, Generales Præfecti in generalibus comitijs, aliquod remedium, missarum numerum ex causa minuendo, præstare valeant. ex *Conc. Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 4. *Barbosa infra cit. num.* 12. hæc tamen reductio in missis in fundatione appositis locum non habet, nam ibi fit tantum mentio de relictis in vltima voluntate, ideo illa dispositio vltra casum suum, nempe ad obligationem à fundatione beneficij consurgentem (qd ab illo diuersum est) extendenda non erit, vt tradit *Piasecius in praxi Episcopali. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 31. *& Nald. in v. missa. num.* 8. *Franc. Leo in Thes. for. eccl. p.* 2. *cap.* 26. *num.* 33. *Genuens. in praxi Neap. cap.* 24. *num.* 9. *Bonac. de sac. d.* 4. *quæst. vlt. p.* 7. §. 2.

Dico pariter quod si testator certum numerum missarum qualibet hebdomada celebrandarum reliquerit, & quod eius hæredes conueniētem stipem soluere teneantur, si eleemosynæ valor auctus sit, intelligi debet de eleemosyna, habita ratione ad tem-

pus

pus quo missæ celebrantur, & nullo modo testaméti tempus inspiciendum est, si quidem in fauorem religionis, & piæ causæ in eo quod maius est, lata est interpretatio facienda. vt per *Riccium in praxi fori eccles. decis. 721. Marc. Anton. Genuensis in pract. eccles. quæst. 179. Barbosam de Episcopo. Alleg. 29. par. 2.*

Cap. X.

QVÆSTIO XXII.

An qui ficto patrimonio, & absque legitima ætate sacris ordinatus est, & ecclesiasticum beneficium obtinuit, mortaliter peccauerit, censuram, vel irregularitatem contraxerit, & beneficij fructus suos faciat. Et quid si in aliena diœcesi, quis sub his verbis suspensus est, suspendo te ab officio, vel beneficio. An valida sit promissio facta metu iniustæ accusationis?

MIchael clericus ementito titulo patrimonij, Subdiaconatus ordinem suscepit, & sine legitima ætate presbyteratus ordine insignitus est, ac postmodum simplex beneficium reddituum centũ aureorum in eum collatum est, quod per quinq; annos possedit.

Item Sacerdos, & Parochus creatus, eo quod in aliena diœcesi publicis spectaculis, & comœdijs interfuisset, à suo Episcopo sub his verbis suspẽsus est, suspendo te ab officio, vel beneficio. Quæritur an in vtroque casu, & culpam mortalem, & suspensionis censuram contraxerit, irregularitate sit affectus, & fructus beneficij perceptos suos fecerit. Et cum Iulius clericus minatus etiam sit eũ apud Episcopum accusaturum, eo quod contra eiusdem Episcopi edictum, aleis in vrbe luserit, an acceptum ne accuset iuste retinere valeat, & quid Confessarius illi consulere debeat?

I. SVPPOSITVM.

REspond. Supponendum est inter alia, quæ in ordinandis de præcepto, non quò ad actus substantiam requiruntur, esse ætatem, & patrimonium. vt superius *tract. 1. cap. 2. quæst. 18. & seqq.* congruenter ad illam materiam annotaui.

Æ hic etiam addo, quod hæc bona, seu patrimonium, ad cuius titulum quis initiatus fuit, eisdẽ priuilegijs gaudet, quæ iure ecclesiasticis bonis conceduntur, ita vt, prout alibi dixi, ex delicto clerici sic ordinati confiscari, aut aliter distrahi nequeat. *Duard. in Bulla Cœnæ Domini lib. 2. can. 17. q. 5.* Menoch. *de recep. possess. remed. 15. nu. 21. Grat. in discept. For. c. 159. nu. 27. Gambarup. de cas. ref. casu 24. Vgol. de offic. Episcopi. p. 2. cap. 26. §. 13.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo inter alias conditiones, quæ in aliquo exiguntur, ut ad aliquod beneficium idoneus censeatur, est vt nulla censura sit irretitus, quandoquidem collatio cuiuscunque beneficij excommunicato, aut suspenso, aut interdicto facta, inualida, ac nulla est, vt ex communi tradit *Lessius. l. 2. c. 34. dub. 22. Garzias. p. 7. de benef. cap. 13. & 14. Vgol. de cens. tab. 5 c. 8. §. 6. Molfes. tract. 6. c. 7. num. 22. & seq. Azor. p. 2. l. 6. cap. 7. quæst. 2. & alij.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio Doctores triplicem in genere suspensionem distinguere, vnam quam vocant quò ad se, vt qui peccato mortali sunt infecti, qui non aliunde à celebratione quàm à propria culpa impediuntur. Aliam quò ad alios tantum, prout illi, qui licet ex parte sua rem faciam facere possint, ex parte tamen aliorum qui intersunt, id eis non conceditur, vt v. g. clerici existentes in vrbe ob laicorum delicta interdicta, publicè tantum celebrare prohibentur, quia laici eorum celebrationi interesse non possunt; vnde clam ianuis clausis missam celebrare eis licet. Sic clerici peregrini quamuis quò ad se (cum canonico impedimento careant) suspensi non sint, in secreto enim rem sacrum facere eis fas est; quò ad alios tamen suspensi censentur, quia in publico antequam certam fidem per literas, aut per testes fecerint, celebrare nequeunt, & alicubi Sacerdos peregrinus sine cõmẽdatitijs literis sui Ordinarii per synodales constitutiones sub pœna suspensionis celebrare prohibetur. *cap. fin. de sent. excomm. l. 6. cap. tua de cler. pereg. Conc. Trid sess. 23. cap. 6. Rod. tom. 2. qq. quæst. 121. art. 1. Riccius in decis. Cur. Archiep. Neapol. decis. 150.*

Tertia suspensio est quò ad se, & ad alios simul, quomodo publici concubinarii suspensi sunt, cum & ipsi ob peccatum à celebratione arceantur, & populus eorum officiis interesse prohibeatur. *cap. fin. ext. de cohab. cler. & mul.* sed quidquid sit de iure antiquo, nunc nec suspẽsio illa, nec canones illi in usu sunt, sed per contrariam consuetudinem abrogari. *Sayrus. l. 4. de cens. cap. 1. num. 10. & l. 7. cap. 12. num. 20. Bonac. de sacr. d. 4. q. vlt. p. 12. nu. 1. Suarez. tom. 5. d. 31. sect 4. nu. 4. Auila. d. 5. dub. 1.* Attamen *Tol. l. 1. c. 47. Con. in clem. 1. §. 1. num. 5. de hom. & Megal. de cens. l. 5. cap. 2. num 9.* & nonnulli alii tenent, clericum concubinarium esse ipso iure quò ad se, & alios ab officio suspensum. Sed prima sententia verior est, secunda tutior, vtraque probabilis. vt per *Bened. Aegidium. de Priuileg. honest. art. 11.*

Quarto

IV. SVPPOSITVM.

QVarto Supponendum est, in specie censuræ suspensionis tripliciter aliquē suspendi posse. Primo ab officio, & hoc est idem, quod suspendi ab ordinis, & clericalis officij exercitio. Secundo à beneficio, & hoc idem est, quod suspendi tantum à beneficij fructibus. Tertio ab officio, & beneficio simul. Sed ex cōmuni, & veriori DD. placito, eo ipso quod quis à canone, vel hominis sententia, à beneficio, & ordine clericali suspenditur, à beneficii iam adepti fructibus suspensus non censetur, nisi id expresse declaretur. *cap. tàm literis. ext. de testibus. c. 1. ext. de secundis nuptijs. Sanchez. lib. 3. de matrim. d. 51. num. 12,* idem *Sayrus lib. 4. cap. 5. num. 16.*

V. SVPPOSITVM.

QVinto Beneficii fructus triplicis generis esse, quidam, n. sunt qui in fine ex cōi, vt dicunt, aceruo, vel massa percipiuntur, qui sunt census, & in redditus ecclesię, qui singulis Canonicis assignātur. Alii fructus sunt, qui quotidianæ distributiones dicuntur, & his distribui solent, qui horis canonicis interfuerint. Tertii sunt, qui ex propria præbenda, colliguntur, & dicuntur vita, & sanguis pauperum, vt ait *Gemin. in c. nemo. de elect. in 6. Vgol. de officio Episcopi. p. 1. cap. 19. num. 5.*

CASVS, & I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic præmissis, dico Michaelem, qui ficto titulo, seu ut *Tridentini Patres sess. 21. cap. 2.* loquuntur, variis artibus, ac fallaciis, confinxit se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, licet graui scelere se obstrinxerit, in suspēsionē tamen non incidisse. Nam secundum communiorem sententiam, & declarationem Cōgregationis Concilii, & vsum sacræ Poenitentiariæ, ordinatus sine titulo, vel ficto de iure communi non est suspēsus; si quidem antiqui Canones per *Alexādrū III. in cap. Episcopus. & Innocentium III. in c. cum secundum de præbendis.* reuocati fuerunt, in quibus statutum est, ut Episcopi illos suis sumptibus alere teneantur, quos sacris ordinibus insigniuerint, donec beneficium aliquod in illos cōtulerit. Per synodales tamen constitutiones, alicubi, ut hic Bononię, & Neapoli, ementito titulo ordinati suspenduntur. Atque sic sentit *Tol. l. 1. c. 49. Henriq. l. 13. cap. 37. §. 2. Gonzales. ad reg. 8. cancell gloss. 5. §. 10. num. 22. Garzias Declarationem sacræ Congregationis afferens. p. 2. cap. 5. nu. 79. Marc. Anton. Genuens. in praxi Neap. cap. 83. Sayrus. l. 4. de cens. cap. 14. num. 16. Viual. de susp. nu. 34. Auila. 3. p. d. 5. casu. 2. dub. 4. & 5. Bonac. de cens. d. 3. quæst. 6. p. 5. num. 4. Barbosa in remiss. ad Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. & de Episcopo. par. 2. Allegat. 26.*

Proinde dico hic Bononiæ vbi ordinatus cum ficto patrimonio ipso iure à diuinis suspensus est, in hanc suspensionis censuram incidisse, etsi celebrauit, uel in choro canendo diuinis officiis interfuit, irregularem effectum esse. Nisi tū ibi tanquā laicus pſens fuisset. *Sayr. de cens. l. 4. c. 5. n. 26.* At ex ignorātia ab hac pœna excusari poterit, nā vbi pſumptio, dolus, & mala fides, & sciētia requiritur, cēsura non incurritur, imo in foro consciētiæ non sufficit lata culpa, & crassa ignorātia; & ad regulā quod idē est scire, & scire debere, respōdetur id esse verū quò ad peccatū non quò ad cēsurarum pœnas. *Sanchez. lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 36. Miranda in Man. prælat. tom. 29. 36. artic. 6. Coninch. de cens. disp. 15. dub. 3. num. 24. Ricc. in praxi. var. resol. resol. 19.*

Eadem ratione mihi dicēdum videtur, benefici tàm simplicis, quàm Canonicatus collationē inualidam esse, & fructus eorundem beneficiorum tàm communis massæ, quàm quotidianarum distributionum, & emolumentorum præbendæ annexorum lucrari non potuisse. *Lessius. lib. 2. cap. 34. dub. 22. Sayr. de cens. lib. 2. cap. 5.*

Sed quamuis Michael presbyteratū ante legitimam ætatem suscipiendo, si scienter, dolose, & ex præsumptione hoc egit, in suspensionē summo Pontifici reseruatam incurrerit, ob Constit. Pii 2. Incip. *Cum ex sacrorum*, non tamen censendum est hos beneficiorum fructus amittere, quia per eam trāsgressionem, solum ab officio suspenditur. Cæterum in vtroque casu suspensionis, vt quia ficto patrimonio, & ante legitimam ætatem ad ordines sacros fit promotus, beneficij collatio nulla dici posse non videtur, si prouisio ad summum Pōtificem spectabat, si quidem dum alicui de beneficio prouidet, ad effectum collationis consequendū, ad cautelam à censuris quibuslibet absoluere solet. *Garzias* multos referens debent. *p. 7. cap. 13. num. 60. & cap. 14. num. 6.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico Michaelem non incurrisse suspensionem sub his uerbis à suo Episcopo latam, Suspendo te ab officio, uel beneficio, eo quod in aliena diæcesi, contra nostrum edictum publicis spectaculis interfuisti, eum huiusmodi sentētia non subsistat, nec rata, & firma habeatur, quia eo ipso quod per disiunctionem fertur, incerta est, nescitur enim à quo suspendat ab officio ne, an à beneficio, & sententia, qua in sontes animaduertimus, certa esse debet, ac nocentibus nota *l. hæc sententia C. de sent. quæ sine certa quantitate habetur.* ut per *Syl. v. suspensio. q. 5. Azor. p. 1. l. 2. cap. 11. prope finem.* Si uero hęc suspensio ualeret, nil obstaret, quod in alieno

alieno territorio delinquēs ea puniatur, si quidem & superior potest suos subditos in aliena ditione existentes per sententiam ligare, teste *Bonac. de cens. d. 1. quaest. 1. p. 11. num. 14.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. respondendo dico, datum à Michaele Iulio, ne apud Episcopum eum accuset, eo quod aleis ludētem, contra eiusdem Superioris Edictum, in cuiusdam magnatis domo uiderit, tuta con scientia retineri posse. Qui enim potest aliquem iuste accusare, ab eoq; timore illato aliqd extorquet ne accuset, restituere non tenetur, vt per *Sāchez. lib. 4. de matrim. disp. 9. num 9.* Vbi etiam credit hoc esse verum quamuis absque animo accusandi accusationem minetur, quia adhuc iure accusandi priuatur, quod pretio æstimabile est; & eum sequitur *Lessius l. 2. c. 17. dub. 6. num. 42.* Etsi *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 514.* cui adhæret *Bonac. de cont. disp. 3. q. 1. pun. 2. num. 12.* sentiat, in hoc casu restitutioni obnoxium esse, nam accepta per dolum causam contractui dantem, & circa causam finalem traditionis versantem, retineri non possunt, &c. Sed prior sententia verior comprobatur: nec obstat quod dolus causam contractui dederit, ac proinde ille contractus irritus videatur, quia non est dolus malus, seu iniustus, sed iustus, nam iuste accusationem minari poterat, siue animum accusandi haberet, siue non.

CONFESSARII PARTES.

OFficium Confessarij erit, hunc Michaelem pœnitentem de graui culpa prius admonitum à peccatis absoluere (nam suspensio, & irregularitas absolutionem à peccatis non impedit) & postmodū pro suspēsionis, & irregularitatis liberatione, ad sedem Apostolicam, vel si casus isti occulti sint, ad Episcopum mittere *Sayrus. l. 7 de cens. cap. 10. nu. 36. & Bonac. d. 2. q. 2. p. 4. §. 1. num. 11. & seq. Suarez. d. 13. sect 1. nu. 11.* Vbi et resoluunt, excommunicatum occultum non teneri se prodere, ne beneficium acceperet, sed debere alio honesto titulo se excusare, quod si non potest, videndum esse an manifestatio scandalum, vel infamiam paritura sit, si .n. hoc periculum imminet, censuram qua innodatur, aperire non tenetur; nam ecclesia cum tanto incommodo non obligat; quare, vt dictum est, accepto beneficio, quàm primum occulte, q̄ fieri potest, dispensationem petere obligatur. Atque etiam hinc colligi, Electorem, qui occulte nouit, eum qui eligendus est excommunicatione affectum esse, si suffragia publice ferantur, ita vt ab omnibus exaudiantur, fauorē suum ei denegare non posse, nisi publicam aliā causam ad denegandum sufficientem habeat, ne illum infamet, & alijs scandalum præbeat, &c.

Vnde illum monere debebit, quando titulus inualide ob censuram, irregularitatem, vel inhabilitatem, quæ per Ordinariū tolli poterat, collatus est, ipsum Episcopū sublata illa inhabilitate, non posse titulum cōfirmare, si prima collatio ad Papam pertinebat, nisi beneficiarius esset vir bene meritus, & pro ratione sui status indigens, & cui sine scandalo vix liceret beneficia deserere, quique ob paupertatē commode non posset Romam cōfugere; tunc enim Episcopo integrum esset, ex quodam suæ sanctitatis consensu, titulum instaurare, vt multi recentiores valde probabiliter tenent, teste *Henriq. de excommunicatione. cap. 14. & cap. 56. & sequ. & Lessio. lib. 2. cap. 34 dub 22. num. 112.*

Notum etiam faciet dicto Michaeli excessum, quem commisit, cum in aliena diœcesi, contra decorum, vitam, & honestatem clericorum, vanis, & insanis spectaculis, & comœdijs interfuit; cum in Agathensi Concilio in *cap. presbyteri. dist. 34.* omnib. clericis, in Domini sortem vocatis, interdicatur, ne nuptiarum conuiuijs intersint, uel his cætibus, vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obscæni corporū motus, choreis, & saltibus efferuntur, ne auditus, & obtutus, sacris ministerijs deputati, turpium spectaculorum, atque verborum contagione polluantur. Si quidem, vt ait *D. Chrysost. hom. 8. de pæn.* spectaculæ sunt communis luxuriæ officinæ, publicum incontinentiæ gymnasium, pestilentiæ cathedra, pessimum plurimorum morborum Xenodochium, fornax Babylonica; vt propterea etiā *Iustinianus Imperator in Authen. interdicimus de Episcopis & clericis*, vitio, & graui crimini ascribat, spectaculorum ludis interesse. At ideo *Tertull. de spect.* referat, Dæmonem, qui in spectaculis mulierem obsederat, rogatus cur ad egisset? respondisse, id iuste fecisse, eo quod in sua ditione eā inuenisset. Vnde, & *Petrach. de var. spect. dial. 30.* Circum, inquit, & theatrum bonis semper moribus aduersa fuisse, notissimum; quò quisquis malus ierit, pessimus redibit, &c. 7 *bolof in synt. iur lib. 39. cap. 5.* Quamuis *Sanchez. de matr. l. 9. d. 46.* De iure communi clericos, & sacerdotes spectaculis, & comœdijs ob curiositatem interesse̅ntes, à lethali culpa excuset, si contemptus, & scandalum absit. Vide à nobis tradita in *Comment. de hum. vita stat. p. 2. cap. 14.*

QVÆSTIO XXII.

Vtrum ordinatus ante ætatē legitimam, eadem ætate accedente, adhuc suspēsus maneat, quousq; censura relaxetur. An suspensio ad tēpus lata, eo elapso, absq; absolutione cesset. An matrimoniū contractū sine expressa propriij Parochi licētia, sed sub spe ratihabitionis valeat, & in quam pœnam Parochus sic assistens incidat?

DEmetrius sacerdos Parochus, cum ante legitimam ætatem, sacro presbyteratus ordine bona fide

na fide eſſet initiatus, à docto viro admonitus eſſet, ipſo iure ſuſpenſum, etſi celebrare auderet, irregularitatis nota affici, à facto faciendo abſtinuit; at cũ ad ipſam debitam ætatem perueniſſet, exiſtimans nullo diſpẽſationis, vel abſolutionis beneficio opus eſſe, pluries celebrauit. Item cum Fabio ſacerdoti ducentum aureos deberet, & ſolutionem (tempori dans tempus,) iniuſte differret, creditore expoſtulante, à diuinis donec huiuſmodi debitum perſoluiſſet, à ſuo Epiſcopo ſuſpẽſus eſt; at poſt ſatisfactionem ſui muneris functiones, abſque alia relaxatione obiuit. Tandem ſub ratihabitionis ſpe, alterius Parochi ſubditos matrimonio coniunxit. Ex qua facti ſpecie tres potiſſimum quæſtiones inſurgunt. Prima eſt, an in priori parte caſus, ſuſpenſio etiam poſt ætatis aduẽtum durauerit, ita ut ſic ordinatus, ſui ordinis actum exercere non potuerit, donec cenſura tolleretur, atque adeo ſic in irregularitatem etiam inciderit. Secundo, an quò ad poſteriorem caſus partem, ſuſpenſio ad tempus lata, eo elapſo, & ſolutione facta, abſque alia relaxatione ceſſauerit. Tertio, an matrimonium illud ſine expreſſa Parochi proprij licentia celebratum valeat, & an aliquam cenſuram contraxerit?

I. Q. RESOLVTIO.

RESpond. Quod ad 1. quæſtionem attinet, ſic eam breuiter reſoluendam puto, nempe Demetrium tàm à ſuſpenſionis cenſura, quàm irregularitatis impedimento immunem eſſe, cum ſupponatur eũ bona fide exiſtimantem, ſe à iure requiſitam ætatem habere, ad ſacerdotium accipiendum acceſſiſſe, ſi quidẽ certum eſt ignorantiam facti hoc eſt ipſius ætatis, ab illa cenſura, & irregularitate excuſare, vt proinde ætate accedente, nulla abſolutione, & diſpenſatione ſit opus, ut conſtat ex verbis Bullæ Pij II. Incip. *Cum ex ſacrorum.* Cuius mens, & intentio fuit, exceſſus, & temerarios auſus, qui in hac re contingebant, punire. vt colligitur ex *Conar. in clem. ſi furioſus. p. 1. § 1. Sayro. de cenſ. lib. 4. cap. 14. nu. 14. Suar. in Summa Bullarij in v. ordo. Filliuc. tract. 17. cap. 5. quæſt. 5. contra Bonac. de cenſ. diſp. 3. puncto 5. § 1. num. 2. Barboſa de Epiſcopo par. 2. Allegat. 16. num. 18. & ſeq.* vt etiam nos tradidimus *tract. 1. c. 10. q. 61. & tract. 4. c. 9. q. 73.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæſtionem dico, ſtatim ac Demetrius æs alienum Fabio ſacerdoti, ac creditori ſoluit, ipſam cenſuram abſque alia abſolutione ceſſaſſe. Sicut etiam ſuſpenſio cum illa particula lata, Donec ſatisfeceris, exhibita ſatisfactione extinguitur. Ratio reſolutionis eſt, quia ſicut prohibitio vltra prohibentis intentionem non operatur: ita ſuſpenſio ex intentione aliquid interdicentis, ad certum tempus facta, eo tempore elapſo, eſſe deſinit, & expirat. *Nau. cap. 27. nu. 161. Tol. l. 1. cap. 46. Suar. tom. 5. de cenſ. diſp. 29. ſect. 1. num. 1. & alij communiter.* Et ita vſu, & praxi in ſuſpenſione, & interdicto, non autem in excommunicatione receptum eſt; qui enim excommunicatione aliqua ligatus eſt donec ſatisfaciat, etiam facta ſatisfactione adhuc obſtrictus remanet. Idem *Bonac. diſp. 1. quæſt. 3. pun. 11. num. 10.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. quæſtionem reſpondendo ſic eam reſoluẽdam ducimus, matrimonium à Demetrio Sacerdote, & Parocho ſine licentia proprij Curati celebratum, inualidum eſſe, ſi quidem licentiã, quã ſacerdos ad celebranda matrimonia à proprio Parocho, vel eius vices gerenti, ab Epiſcopo, vel eius Vicario, aliiſque Prælatis quaſi Epiſcopali iuriſdictione fungentibus, habere debet, expreſſam eſſe oportet; qualis eſt facultas conceſſa ad aſſiſtendum ſpecialiter matrimonio, vel ad omnia ſacramenta miniſtranda, nam tacita non ſufficeret, qualis eſt illa quæ ex tolerantia, vel ratihabitione oritur. *Lapus Allegat. 86. Tuſch. in v. licentia. concl. 353. Menoch. de arbit. iud. l. 2. cent. 5. caſu 453. & conſ. 188. vol. 2. num. 7. Bonac. de matrim. q. 2. puncto 8. num. 11. Barboſa de Epiſcopo. par. 2. Allegat. 32. num. 136. ac conſ. 398. l. 4. nu. 15. contra Sanchez. l. 3. de matrim. diſp. 35. num. 15. Reginal. lib. 31. nu. 18. Coninch. diſp. 30. dub. 2. num. 31. Molf. ſ. tract. 4. cap. 8. nu. 63. Filliuc. tract. 10. de matrim. cap. 6. quæſt. 7. num. 319.*

Vnde ad hoc vt matrimonium coram alieno ſacerdote celebratum firmitatem obtineat, & tutiori via pergat, & ipſe Parochus à culpa, ac pœna ſit immunis, licentia proprii ſacerdotis, vt ſuperius dixi, præcedere debet, nec ſatis eſt vt poſtea ſequatur; vbi enim in aliquo actu licentia deſideratur, eam actum ipſum præire, & antecedere neceſſe eſt; nec poſt factum ratificatio ſufficit, quandoquidem etſi regulariter ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, *regul. ratihabitionem. de reg. iur. in 6.* attamen vbi lex, vel ſtatutum, corpoream præſentiã requirit, ipſa ſequens confirmatio ad actum valide conficiendum potis non eſt. vt ex multorum ſententia tradit *Tiraq. in legibus connub. gloſſ. 6. num. 31. & Barboſ. l. c. nu. 130 Lopez in ſcholijs ad Diaz c. 75.* Quod vero attinet ad pœnam, in quam Demetrius incurrit, ob id quod nõ ſibi ſubditos, ſine proprii Parochi, vel Ordinarii facultate, matrimonio coniungere auſus fuit, dico ſuſpenſionem ipſo iure contraxiſſe, ſic namque diffinitur in *Concilio Trid. ſeſſ. 24. de matrim. cap. 1.* Quod ſi quis Parochus, inquit, vel

alius sacerdos siue regularis, siue sæcularis sit, etiã si id sibi ex priuilegio, uel immemorabili consuetudine licere contendat, alteius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiù suspẽsus maneat, quamdiù ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. A qua tamen suspensionis censura non solum Episcopus, sed etiam eius Vicarius generalis, qui nomine Ordinarii, in iure comprehendi solet, cum unum tribunal cum Episcopo faciat, iure absoluere poterit. ut per *Sanchez. l. 3. de matrim. disp. 29. num. 5. & disp. 52. Sbrozziũ de Vicario Episcopi. lib 1. cap. 23. Tusch. v. Vicarius. concl. 186. Lazarum in can. qq. p. 1. quæst. 6.*

Ab ipsa nihilominus pœna, quælibet ignorantia etiam crassa saltem in foro conscientiæ eum excusare poterit, dummodo non sit ita densa, ut ingens sit temeritas, ut deducitur ex textu concilii ibi, ausus fuerit, ut bene probat idẽ *Sanchez. lib. 8. de matrim. Duard. in Bulla Cœnæ Domini. lib. 1. cap. 2. quæst. 5. disp. 48. nu. 7. Gutierez. de matrim. cap. 75. num. 16. & Lorca. disp. 33. de peccatis.* vbi late prosequitur pœnas iuris canonici, quæ sunt censuræ ecclesiasticæ, regulariter excusare, modo ignorantia non sit affectata de qua habetur in *cap. ideo. dist. 37.* & his sequentibus uerbis improbatur.

ADMONITIO pro sacerdotibus.

VT itaque ex præmissis apparet, imperitia sacerdotibus semper esse debet aduersa, quia cum per ignorantiam obcæcati aliis ducatum præstare cæperint, ambo in foueam cadunt. Vnde dicitur in *Psalmo* 68. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua; cum enim obscurantur illi, qui præeunt, ad ferenda onera peccatorum facile sequẽtes inclinantur. Elaborandum est itaque sacerdotibus, ut ignorantiam à se quasi quandam pestem abiiciant, nam licet seruus nesciẽs voluntatem Domini sui, & non faciens. dicatur vapulare paucis, non tamen hoc de omnibus intelligitur, ait enim *Apostolus 1. ad Corinth. 14.* Qui ignorat, ignorabitur, quod de eo intelligendum est, qui noluit intelligere ut bene ageret, hæc ibi. Licet autẽ regulariter ignorantia probabilis, siue iuris siue facti à peccato lethali excuset, cum actum inuoluntarium faciat, & ubi uoluntas nõn adest, actus humanus non censetur ex *D. Thom. 1. 2. quæst. 6. artic. 1.* Hinc peccatum dicitur recessus uoluntarius à regula diuina, teste *Tolet. lib. 3. Summa. cap. 1.* per consequens ipsa ignorantia ab excõmunicatione immunem reddat, cum cẽsura non contrahatur nisi mortalis culpa concurrat. *cap. nemo. 11. quæst. 3. Duard. l. c. li. 2. can. 5. quæst. 11. & can. 8. quæst. 4.* (vbi etiam per hoc resoluit Dominum vrbis impedientem deferentes victualia ad Romanam Curiam, vt in ipsius ciuitate ingenti penuria laborante in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini non incidere.) Nihilominus vt à retum sacrarum, humanarumq; legum ignoratione longius absint, quod mirum in modum ea in sacerdotibus, & animarum Curatoribus Deo displiceat, considerent quod *Concil. Tolet. 4. cap. 24.* & habetur *d. 38. cap. 2.* Ignorantia mater cunctorum errorum maxime sacerdotib. Deuitanda est, qui docendi officium in populo suscepetũt. Et sane doctissimus *Origenes hom. 2. in Leuit.* ait, Obseruãdum est, quod in peccato sacerdotis nõ addit legislator, quia per ignorantiam, aut non voluntate peccauerit, neque enim ignorantia cadere poterat in eũ, qui vt cæteros doceret, prouectus est.

Verum vlterius inest peccatum, & non leue in hoc, cum imperitus sacerdos, & imparatus pariter huiusmodi tamen in se magisterium suscepit. Docet hoc *D. Thomas,* quem omnes cõmuniter sequũtur, cum 1. 2. q. 76. art. 1. tradit, teneri quemlibet ea scire, quæ ad suum statum, & officium spectant, ita vt si quis huius cognitionis expers sit, eo munere, aut beneficio se abdicare teneatur. Vt propterea iure merito Apostolus Corinthios admonuerit, Videte vocationem vestram. *1. ad Corinth. 5.*

Nec solũ scientia confessarius, sed & prudẽtia elucere debet, *c. 1. & 2. dist. 39.* Est. n. prudẽtia uirtus ppria eius q alijs pest, & animas regit. teste *Arist. lib. 3. Polit. c. 3. & Menochio de arbit. iud. lib. 2. cent. 5.*

Qui alios guberna t, inquit quidam Sapiens, non debet esse ita mitis, & simplex, vt despiciatur, neque adeo tetricus, & austerus, vt odium in subditis concitet. Vera christiana politica est, vt sit simplex sicut columba, & prudens sicut serpens; cuius variam astutiam refert *Mangor. in monit. sac. monit. 16.* Sacerdos ait *Innocentius III. in cap omnis de pænit. & remiss.* sit discretus, & cautus, vt more periti medici, infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, & prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum. Deplorandus vere sacerdotum status est, cum consilio carent, & prudentiam in actionibus suis non adhibent, nã vtriusque defectus innumera in eis mala, creat, & extremam tandem ruinam accersit. exclamat *Besseus de sacerdotio. lib. 2. cap. 2.* Dissimulatio ad tempus est maxima prudentiæ pars in confessario. Vnde & *D. Gregor. in Past. par. 2. cap. 10.*

Quædam vitia etiam aperte cognita mature toleranda sunt, cum videlicet nondum opportunum tempus aduenit, vt aperte corrigantur. Morus arbor symbolum est prudentiæ, quod enim arborum postrema floreat, denotat quod vir prudens grauiora ne-

ra negotia,& omnia confilia confulto prorogat,neque ante tempus fefe effert, fed maturam occafionem,citra noxam,& periculum expectat. *Alciatus embl.* 110. *Turfell. in vita D.Xauerij. lib.*3.*c.*17. *& lib.*3.*cap.*15. *Vict. in notis ad Poff. de officio Cur. cap.*11.*arg.Sanchez.lib.*2.*de matrim. cap.*38. Confulantur quæ de hac materia fcripfimus *par.*1.*tract.* 5.*cap.*7.*quaft.*42.*& feqq.& c.*11. *quaft.*69. *& feqq.*

QVAESTIO XXIII.

An Parochus aduenam, & vagum in matrimonio cõiungens nulla adhibita diligentia, nec Superiore admonito, m. p. & in cenfuram inciderit, &c. An tale matrimonium valeat. Num fciens aliquod impedimẽtum fubeffe, poffit à celebratione matrimonij fe fubtrahere; & alteri facerdoti etiam extra fuam parochiam delegare. Vtrum cum ab Epifcopo fub pœna fufpenfionis lata fententia prohibitũ fit, ne vllus Parochus in vrbe degens, facultatem comedendi cibos in Quadragefima vetitos concedat, fi hanc licentiam puero feptenni, & alteri viro amenti dederit, in cenfuram incidat.

MArcus in quadam vrbe Parochus, Rochi peregrini, aduenæ,& vagi hominis, cum Aurelia vidua matrimonium celebrauit,cum tamen in indagandis impedimentis, debitam diligentiã non adhibuerit,& in primis,an forte priori vxore relicta viuẽte,aliam ducere velit,nec etiam facultatem huiufmodi matrimonio affiftendi, ab Ordinario obtinuerit. Qui quidem Rochus exiftimans Liuiam vxorem fuã in partibus adhuc viuere,cũ nihilominus effet mortua,cum hac fecunda matrimonium contraxit. Altera vice cum inter Carolum,& Valeriam per confeffionẽ fciret, dirimẽs impedimentum fubeffe, Ludouico facerdoti, vt extra propriam parochiam eos coniungeret,facultatem commifit, dicẽs fe ex iufta caufa, à talis matrimonij celebratione fubtrahere.

Quæritur Primo an Marcus lethaliter ob illam negligentiam deliquerit, & vllam cẽfuram contraxerit,& à quonam,& quomodo abfolui debeat. Secundo an Rochus valide tale coniugium inierit. Tertio an ipfe Marcus Ludouico concedens, vt extra parochiæ fuę fines, illi matrimonio affifteret, cõtra matrimonij leges, & confeffionis figillum peccauerit,& an coniugium illud fubfiftat.

Quarto tandem cum ab Epifcopo fub pœna fufpenfionis à diuinis ipfo iure incurrendæ,Parochis in vrbe exiftentibus interdictum fit, ne tempore Quadragefimæ,cibos vetitos comedendi licentiam concedere aufint, ipfe Parochus facultatem impendit,vt quidam feptem annorum puer, & alter vir amens,in fua Parochia habitantes,carnibus,& lacticinijs vefci poffent. Quæritur pariter an in cenfuram ab Epifcopo latam inciderit, & à quonam abfolui poffit?

I. Q. RESOLVTIO.

REfpond. Cum hic pro fundamentis, fuppofitis, & præuijs infpectionibus, alibi à nobis adductis, nihil occurrat, ad fingulas quæftiones breuiter refpondendo, quò ad primam dico, Marcum Parochum, qui Rochi aduenæ, & peregrini, matrimonio interfuit, non feruato Decreto *Concilij Trident.feff.*24.*de matrim.cap.*7. nempe non præmiffa debita diligentia,& licentia Ordinarij, lethali culpa animam propriam fauciaffe, cum præceptum in re grauiffima, & valde neceffaria violauerit. Item quia illud transgrediens graui pœna afficitur, parochus enim ob illam negligentiam, ab officio fuo ad triennium fufpenditur, vel ut rectius alii volunt, fufpendendus præcipitur. *cap.fin.ext.de cland.defponf. fic Sanchez. lib.*3.*de matrim. difp.*25. *num.*16. *Mol. fef.tract.*4 *cap.*9.*num.*6.*Filliuc tract.* 10.*cap.*6. *qu.* 5.*num.*212. *Bonac.de matrim. puncto* 8.*quaft.*2.*nu.* 6.*Chapenila de adminift.matrim.in neceff. quaft.*14.

Licet autem quidam fenferint, Parochum fufpẽfum,eo quod ecclefiafticas,& canonicas fanctiones de præmittenda debita diligentia,& de admonẽdo Ordinario, antequam vagi alicuius matrimonio interfit, ab ea fufpenfione ab Epifcopo abfolui poffe, per *cap.nuper.ext.de fent.excommun.* vbi communiter DD. fatentur, poffe Epifcopum, imo etiam confeffarium, ad audiendas confeffiones approbatum, abfoluere ab excommunicatione canonis abfolutionem minime referuãtis: tenendum tamen eft, Epifcopo integrum non effe, multo minus Confeffario, vel Parocho, ab ea fufpenfione abfoluere; illa enim prima opinio locum habere poteft, vbi quis à iure indefinite fufpenditur, nullo. f.termino defignato; fecus vbi terminus fufpenfioni adiicitur, vt hic contingit; cum .n. à iure tempus diffinitum fit, Epifcopus qui inferior eft, eam fufpenfionem relaxare non poterit. Quod etiam illa ratione cõfirmatur, quod Conftitutio illa. *cap.fin. ext. de cland. defponfat.* in Concilio Generali Lateranenfi eft edita, at Epifcopus in conciliari fanctione difpenfare nequit, vt communiter annotant DD. in *cap.etfi clerici.* §.*fin. ext. de iud.*& fic ex communi refoluit *Sanchez multos allegans. lib.* 3. *de matrim. difp.*52. addens ibi nec ei id licere Epifcopo ab ea triennali fufpenfione abfoluere (etfi eius minifterio imponatur, cum ipfo iure non incurratur) virtute Decreti *Concil.Trident.feff.*24.*cap.*6.*de ref.* quia ea fufpenfio per fententiam Iudicis incurritur, præmiffa cognitione de delicto, atque ideo hoc crimen ad forũ contentiofum iam deductum eft, in quo cafu nulla

facultas Episcopo conceditur. Quò fit ut facultas relaxandi suspēsionem, qua Marcus Parochus astrictus est, non ab Ordinario, sed ab Apostolica sede sit petenda. In cuius absolutione, formam tàm à iure, quàm à rescripto traditam, obseruare oportet. *Henriq. lib. 13. cap. 35 §. 3. Reginal. lib. 32. tract. 2. num. 47. & seq.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem ex præcitatis Doctoribus dico, hoc matrimonium non præmissa diligentia, nec Ordinarii licētia petita, valere, quia ad eius, ut dicunt, essentiam tantum præsentia Parochi, & duorum testium desideratur; quādoquidem ad eundem finem hæc diligētia pro uagis exigitur, ad quam ex *Concilii Tridentini* sanctionibus *de ref. matrim. sess. 24. cap.* 1. pro indigenis denuntiationes petuntur; sed his omissis, ut notum est, matrimonium sua firmitate non caret; ergo & illa diligenti, & accurata cautela prætermissa. Vt etiam docet *Henriq. de matrim. lib.* 11. *cap. 3. num. 3. Cened. in pract. & can. qq. lib. 1. quæst. 30. num. 68. & Gutierez. de matrim. cap. 65. num.* 15. *& cap. 67. num. 2. Reginal. lib. 31. num. 239.*

Sicuti etiam illudmet coniugium ualebit, si Rochus putans coniugem suam adhuc uiuere, cum tamen esset defuncta, cum secunda, nempe Aurelia contraxit, dummodo existimauerit, uiuente priore uxore (quod tamen reipsa non erat) secundam se ducere posse, quantumcunque id esse peccatum sciret, quia reuera contrahendi intentionem habuit, neq; aliud matrimonii impedimentum interuenit, cum prior uxor ex uiuis decessisset. Sed si tale quid se nō posse putauerit, utpote probe sciēs contractum cum secunda, prima uiuente, non esse matrimonium, tūc inualidum erit, quia illud non ineundi, sed tantum decipiendi animum habuisse censendum est, ex traditis per *Syluestrum v. matrimonium. 8. qu. 13. §. 5. Nau. c. 22. num. 56. eundem Reginal. l. c. num. 73.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. respondeo dicendo, Marcū, quidquid aliqui senserint, ex præscripto legum circa matrimonium latarum, sicut & Ordinarium, facultatem coniungendi sponsos in matrimonium, non solum in propria parochia, uerum etiam extra illā alteri sacerdoti concedere potuisse; & ratio illa communis affertur, quod tùm *Concil. Trident. d. c.* 1. alium sacerdotem ad assistendum matrimonio de licētia Parochi, uel Ordinarii, sufficere desfinit, nec ad propriam parochiam restringit: ergo sufficiens ratio assignari non potest, quare hæc limitatio contra fauorem, & ualiditatem connubii sit addenda: tùm quia hæc licentia litigiosæ, ac contentiosæ iurisdictionis actus non est, sed potius uoluntariæ, ac gratiosæ, quæ extra propriæ ditionis locum exerceri potest, ut per *Sanchez. lib. 3. de matrim. disp. 19. Gutierez. cap. 62. num. 10. Reginal. d. l. 31. num.* 180. *Coninch. disp. 27. dub. 2. num. 23. & dub. 3. num. 38. Bonac. de matrim. d. puncto 8. quæst. 2. num. 13.*

Non etiam Marcus sacræ confessionis sigillum proprie frégisse dicitur, cum illa uerba proferens, Iusta de causa ab huius matrimonii celebratione me subtraho, Ludouico sacerdoti facultatem impendit, ut extra propriam parochiam, Carolum, & Valeriam in matrimonium coniungeret.

Et licet grauissima sit inter Doctores disceptatio, an Parocho liceat notitia, & scientia uti, quam ex sacramētali confessione habuit, ad externam gubernationem, hoc est ut faciat, uel aliqua omittat, quæ aliàs non esset facturus, uel omissurus, aliis asserentibus id licere, quando absque periculo detectionis ipsius confessionis fieri potest, aliis contra negantibus, sed Parochum ex huiusmodi notitia ad actus externos dirigendos iuuari non posse, quādo confessio odiosa redderetur, & homines ab ipsa facile retraherentur: attamen uera resolutio est, Rectorem in sacramentali iudicio aliquod impedimētum cognoscentem, puta quod aliàs Carolus consanguineam Valeriæ in primo, uel secundo gradu coniunctam, turpiter cognouerit, teneri quidēcontrahere uolentem, de futuro peccato, & matrimonij inualiditate, in confessione cum bona gratia admonere, non tamen petenti, ut in facie ecclesiæ coniūgatur, suam operam negare, sed uel per se, uel per alterum præsentiam suam exhibere tenetur. Quod confirmatur ex doctrina de sacramētali secreto inuiolabiliter obseruando, quam ex instituto in *tract. 5. cap. 21. quæst.* 121. prosecuti sumus. Neque per illa uerba, Ex iusta causa ab huius matrimonij celebratione me subtraho, sigilli confessionis religioni detrahi uidetur, cum illa iusta causa ex uarijs rationibus, nominibus, & proprijs impedimentis, in externis, & humanis actibus, oriri possit.

Vnde ex hoc etiam necessario conficitur, matrimonium hoc legitimum censeri, & in utroque foro sustineri. Atque sic colligitur ex *Sanchez. lib. 3. de matrim. disput. 16. Gutierez. cap. 60. Bonac. quæst. 3. puncto ult. num. 13. & 14. Chapeuilla. quæst. 12. Lazar. in canon. qq. quæst. 2. sect. 17. & alijs.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. quæstionem respondēdo dico, Marcum qui contra Episcopi edictum sub poena suspensionis latæ sententiæ, prohibens ne Parochi in solutione Quadragesimæ, dispensare ualeant, præter grauem admissam culpam, in ipsam censuram incidisse.

incidisse. Si puer ille, cui carnes comedẽdi facultatẽ dedit, erat doli capax: & alter amẽs dilucidis interuallis gaudebat; si quidem per se loquendo, & præcisa consuetudine, quæ aliquando iurisdictionẽ tribuit, Parocho, aut alteri simili, aliquem legib. soluere integrum non est, cum supra ius commune potestatem non habeat; declarare tamẽ potest, an casus ut cum aliquo dispensetur, iusta, & sufficiens sit; sicut medico, confessario, uel alijs prudenti, ac probo uiro conceditur. Propterea optimo consilio in aliquibus diæcesibus institutum est, ut præsertim tempore Quadragesimæ, aliqui sapientia, & conscientia præditi uiri designentur, à quibus facultas uetitos cibos comedendi petatur. *Bonac. de legibus. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 2. *nu.* 5. *& disp. vlt. puncto vlt. nu.* 17.

Dixi autem si puer ille erat doli capax, &c. quia secus dicẽdum esset, si rõnis usu nõ potiretur: si quidem ex moralis philosophiæ principijs, subiectum legis est homo subditus, rationis capax; aliàs illi legis transgressio non imputatur, cum ad peccatum aduertentia, & consensus, requiratur, quæ rationis usum supponunt.

Quod procedere uidetur etiamsi puer septennium excesserit; De huiusmodi enim rationis usu certa regula in omnibus stabiliri nequit, cum in aliquibus acceletari, in quibusdam uero retardari experientia doceat. teste *D. Anton.* 3. *p. tit.* 14. *cap.* 13. §. 9. *& Barthol. ab Angelis dial.* 2. *de baptismo.* §. 34.

Atque huius positionis resolutio colligitur ex *Sanchez. lib.* 1. *de praeceptis. cap.* 12. *num.* 2. *& seq.* Eodem *Bonac. l. c. quæst.* 1. *puncto* 6. *num.* 4. *Molfes. tract.* 10. *cap.* 3. *num.* 36. *Filliuc. tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 4. *num.* 111. *Reginal. lib.* 4. *num.* 208. *Azor. p.* 1. *lib* 7. *cap.* 28. *quæst.* 3. *Sà in v. ieiunium. num.* 17.

A suspensionis tamen censura immunis Marcus esse poterit, si bona fide, puero illi, & alteri amenti putans non esse legi subiectos, licentiam carnes comedendi tribuit, cum, ut aliàs diximus, suspensio ut pote grauis pœna non nisi ob lethalem culpam contrahatur. *Suarez. tom.* 5. *disp.* 28. *sect.* 4. *Miranda in Man. Prælat. tom.* 2. *quæst.* 30. *artic.* 6. *Coninch de suspens. disp.* 15. *dub.* 3. *nu.* 24. Imo dato etiam quod in illam incidisset, cum nemini, ut supponimus sit reseruata, à Parocho, & à quolibet approbato confessario absolui potuisset *arg. cap. nuper. ext. de sent. excomm. Bonac. de cens. disp.* 1. *quæst.* 3. *puncto* 1. *nu.* 5. *Filliuc. tract.* 17. *cap.* 4. *num.* 70. contra *Sanchez. lib.* 3. *de matrim. disp.* 52. *& alios.*

MONITVM PRO CONFESSARIO.

MArco à Confessario objiciendum est, ignorantiam teste Boetio, miseros deuio tramite abducere, qui illud Senecæ non expendunt,

Inertis est nescire quid liceat sibi.

Vt propterea in *Concilio Tolet.* 4. *ca.* 24. legatur, Ignorãtiam cunctorum errorum matrem, maxime in sacerdotibus Dei uitandam esse, cum eis non liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obuiare. *cap.* 1. *&* 3. *dist.* 38. vt etiam superius admonuimus.

Item negligentiam, quæ ex *D. Thoma* 22. *quæst.* 54. *art.* 1. est defectus debitæ sollicitudinis, secundũ interiorem actum, in Prælato, & Rectore, graue esse delictum. *gloss in cap. vnum orarium. verbo neglexerit. dist.* 25 *& in c. fin. ext. de supplem. neglig. Prælat.*

Et regulariter latam culpam æquiparari dolo *l. quod Nerua ff. deposit.* Est enim lata culpa, cum aliquis aut verbis, aut officii ratione, bonam alicui fidem, & diligentiam in rebus præstandis, aut seruandis pollicetur, eamque fidei integritatem, aut diligentiam præmissam, seu muneri adiunctam, non præstat, sed inertissime negligit. *Tuschus v. culpa. concl.* 1092. *& v. negligentia. concl.* 32.

DE INTERDICTO.

QVAESTIO XXIII.

An Princeps, & Magistratus, qui contra ecclesiasticã libertatem statuta condiderunt, inciderint in Bullam Cœna Domini. An qui à Papa personaliter sunt interdicti, sacris intereßendo. m. p. &c. An populus qui interdicto locali causam non dedit, possit ibi, vel alibi sacra audire, &c.

RIchardus cuiusdam reipublicæ Præses, & caput, una cum toto eius Magistratu, & Senatoribus, personaliter à S. Pontifice interdictus fuit, & omnes ecclesiæ eius dominio subiectæ, interdicti censuræ suppositæ fuerunt, eo quod statuta ecclesiasticam libertatem, & immunitatem violantia condidit, & à Papa totius christianæ reipublicæ iusto moderatore iussus abolere noluit; legem namq; tulit, ut religiosis nisi usque ad certam summam, & determinatam quantitatem testamento à laicis relinqui non possit. Item ut clerici noctu contra sæcularia edicta arma deferentes, à laica potestate puniri possint. Quæritur Primo, an Princeps ille reipublicæ Superiorem non recognoscentis, inciderit in excommunicationem, quæ in Bulla Cœnæ Domini continetur. Secundo an interdictum ipse, & eius Officiales uiolantes, ut quia eo non obstante, sacris intersint, & sacerdotes celebrare cogunt, peccent mortaliter, & aliqua alia pœna afficiantur. Tertio an reliqui de populo, qui causam interdicto non dederunt, ac proinde ab eo immunes, possint in eorum ecclesiis, & alibi, sacramenta percipere, & diuina audire officia, & quænam in huiusmodi anfractibus sint boni confessarii partes?

Respond.

I. SVPPOSITVM.

RESpond. Suppono Primo libertatem ecclesiasticam, seu immunitatẽ ecclesiæ, nihil aliud esse, quàm ius quoddam generatim inhærens ecclesijs, monasteriis, piis locis, ecclesiasticisq; personis, utendi priuilegiis ipsis à Deo, ab homine ue concessis, tàm quò ad se, quàm quo ad res suas. Nam sicut libertas in communi est naturalis facultas eius, quod cuique facere licet, nisi quid ui, aut iure prohibeatur; ita ecclesiastica libertas est ecclesiæ facultas faciendi quodcunq; facere licet, quia per eam in plenitudine iuris sui lætatur, Hinc *Innocent. 3. in c. fin. tit. de rebus ecclesiæ non alien.* sic ait, Cũ laicis quāuis religiosis disponendi de rebus ecclesiæ nulla sit attributa potestas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, dolemus in quibusdā ex illis, sic refrigescere charitatem, quod immunitatem ecclesiasticæ libertatis quam nō tantum sancti Patres, sed etiam Principes sæculares priuilegiis multis munierunt, non formidant, suis constitutionibus, uel potius destitutionibus impugnare, &c. hæc ibi, Vide de his *Sayrum lib. 3. de cens. ca. 19. Vgol. super Bullam can. 15. Duard. l. 2. c. 15. q. 15. & 16.* Quippe ecclesia multis prærogatiuis à Deo concessis gaudet, ut potestate ordinis, & iurisdictionis, de spiritualibus disponendi, & iudicandi, ut decimæ soluantur, &c. A Papa habet, ut qui manus uiolentas in clericum inijcit, ecclesiastica censura percellatur, quod à sęculari Magistratu iudicari nequeat: quod in legatis ad pias causas duo testes sufficiant, & multa alia. Ab Imperatoribus etiam multa ecclesiasticis personis indulta sunt, quæ in iure ciuili sparsim continentur, ut quod quilibet, ecclesiæ, & ecclesiasticis personis libere donare possit: quod statuta contra ecclesiasticam libertatem, etiam à legibus ciuilibus infringantur, &c. Vnde qui statuta cōdunt contra huiusmodi priuilegia, quę ecclesiæ vniuersali à Deo, uel à Papa, uel ab Imperatoribus sunt concessa, in censuram Bullæ Cęnæ Domini incurrunt. DD. citati *Marta de iurisd. p. 4. cent. 1. casu 1. & 2. Genuens. in praxi Neap. c. 92. Sordus. cons. 301. Molfes. tract. 9. cap. 7. num. 35. Bellett. in Disq. cler. p. 1. tit. de exempt. cler. à stat. laic. §. 1. & alij.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundo præmittendum est, Pontificem, qui in terris uicem Christi gerit, potestatis plenitudine potiri, ita ut Christi, & Papæ, ut Doctores loquūtur, idem sit consistorium. Ad quem præcipue spectat, ius diuinum, & ecclesiasticam libertatem vsq; ad sanguinis effusionem tueri. *Innocent. in c. quanto. ext. de consuetud. Tuschus in v. Papa. concl. 50.* Vnde & Plutarchus in Numa, Pontifex, inquit, Maximus, interpretis Deorū, vatis, adeoque sacrorum enarratoris, Doctorisque loco est, non modo publicorum sacrificiorum curam gerens, sed priuata etiā inspiciens, ac ne quid pręter legitima fiat, prohibēs, docensq; quibus cuiq; rebus ad honorandos, exorādosq; Deos opus sit. A quo munere Papa abstinere nō debet, etiamsi aliquorum Principum inuidiam subeat, nam sicut simia speculum horret, & ubicunque potest, frangit, ne in eodem corporis sui turpitudinem cernat: Et ut Camelus limpidam aquam turbare solet, ne gibbum, quem gestare tergo nouit, videre cogatur: sic & mali ne uitia suam videant, & corrigantur, aduersus probos, semper bellū mouēt, vt Herodis aula in Ioannem Baptistam, &c. vide quæ diximus in *Comment. de hum. vit. Stat. p. 1. c. 4.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio supponēdum est, interdicere proprie idē esse ac prohibere, ne quid fiat, & generaliter Interdictum dicitur quælibet prohibitio, siue legalis, aut ciuilis, siue canonica, aut ecclesiastica, sed in præsentiarum angustius accipitur pro sententia iuris, uel ecclesiastici Prælati, prohibentis alicui diuina officia, sacramenta, uel ecclesiasticam sepulturā, in pęnam delicti, uel contumaciæ, siue illius, qui interdicitur, siue in pęnam alicuius alterius. Quæ prohibitio eam ob causam recte Interdictum appellatur, quod per ipsum diuina hominibus, qui eius vinculo cōstricti sunt, uel in locis, in quæ latum est, pro hibentur; & huiusmodi prohibitionē transgrediens alicuius actus ordinis exercitio, irregularis efficitur. Et secundum hāc significationem Interdictum una ex tribus censuris ecclesiasticis dicitur, ac diffinitur, ut sit ecclesiastica censura per sententiam iuris, seu Iudicis lata, sub certa uerborū formula, qua homini christiano, actiue, & passiue prohibentur diuina officia, & sacramenta, & ecclesiastica sepultura, in contumaciæ pęnam. In qua diffinitione dictū Primo est, censura, &c. tanquam genus immediatū, quo differt à cessatione à diuinis, quæ non est cēsura, sed tantum pœna, i. prætermissio quædam diuinorum officiorum. Cætera vero ostēdunt, quid per interdictum inhibeatur, & quo modo ab excommunicatione, & suspensione differat, nam ut in censuræ generaliter sumptæ diffinitione attigimus, Excommunicatio priuat usu sacramentorum, & consortio fidelium: Suspēsio impedit, ne quis ecclesiastica munia ex officio exercere ualeat: Interdictum uero prohibet, ne diuinis dum ipsa fiunt, interesse, aut in locis interdictis ea facere possimus. Dictum est etiam censura vt distinguatur, à pollutione ecclesiæ, quæ nec censura, nec interdicti nomen habet; quò fit ut in ecclesia polluta celebrās, irregularis non efficiatur. Quæ quidem ecclesia si consecrata sit, non nisi

per

per Episcopum proprium, uel alium de illius licentia, reconciliari potest, & hoc cum aqua ab ipso benedicta, & vino, cinerique admixta. Quam facultatem simplici sacerdoti delegare nequit, *cap. aqua. de cons. ecclesiæ. Vgol. de Episcopo. par. 2. cap. 29.* §. 8. Si autem ecclesia tantum benedicta sit, per simplicē sacerdotem sola aquæ lustralis aspersione, etiamsi ipsa aqua per Episcopum sacrata non fuerit, reconciliari poterit. *Barbosa. p. 2. de Episcopo. Allegat. 28. nu. 56. & seq.* Diximus per sententiam iuris, vel Iudicis, &c. ad innuendam causam efficientem interdicti, Ius enim uel homo, qui excommunicare, uel suspendere potest, eidem, & interdicendi facultas inest. Additum est homini christiano pro subiecto, & materia, nam & omnes illi, qui suspendi, uel excommunicari possunt, interdicto etiam subiacent, cum suspensio, & interdictum cum excommunicatione pari passu ambulent. Hinc etiam iniuste suspensus siue ab officio, sicut & iniuste interdictus ab ingressu ecclesiæ, uel excommunicatus, constito de iniustitia, quotidianas distributiones recuperat. Idem *Barbosa de Episcopo. p. 3. tit. 53. num. 175.*
At potest interdici Ciuitas, uel uniuersitas, quæ tamen excommunicari non ualet. Locus quoque interdici solet, qui à suspensione alienus est. Materia uero interdicti est culpa mortalis propria, uel aliena; nam licet excommunicatio, & suspēsio non nisi ob culpam propriam mortalem ferantur, Interdictum tamen etiam ob alienum delictum profertur, siquidem ad interdictum contrahendum alterius culpa sufficit. eo quod propter vnius, uel paucorum peccatū, tota ciuitas, uel prouincia, in qua innumeri innocētes reperiuntur, interdici potest. *c. si sententia de sent. excom. l. 6. reg. 23. de reg. in. in 6.* Dictum est sub certa verborū forma ad demonstrandā causam formalē interdicti, licet enim non sint determinata verba, sed quibuscunque verbis id significantibus ferri, eodem modo tolli possit: communiter tamen sic profertur, Nos propter talem causam, talē Principem, uel Magistratum, seu ecclesiam, uel ciuitatem interdicimus, &c. Et ex præscripto vsu sic tollitur dicēdo, Reuoco, relaxo, tollo, remoueo, &c. Et cum ab homine imponitur, cum expressa causa, & trina prius præmissa monitione in scriptis euulgari debet. *cap. medicinalis. de sent. excommun. lib. 6. cap. reprehensibilis ext. de appellat.* Sed ut supra de excommunicatione, & suspensione dictum est, licet hæc solemnia inferendo interdicto non seruētur nō tamen nullum, sed iniustum dicendum est, & consequēter seruandum. *Fed. de Senis. cons. 11. Suarez. lib. 5. de legibus. cap. 32.*

Tandem sub ecimus; In pœnam contumaciæ, ad planam faciendam causam finalem interdicti; fuit namque summopere necessaria hæc interdicti censura, pro recto ecclesiæ Dei regimine, ut ij qui obstinato sunt animo, & quibus excommunicatio ad eos compescendos non sufficit, cum in tàm grauis pęna sit ut alias censuras excedat, in sua obstinatione nō insordescerent. Hinc maxime decens fuit, ut ipsa ecclesia per supradictum interdictum sensum metoris, atque tristitiæ, qua afficitur, referret, & quasi totum populum in eum concitaret, qui eiusdem ferendi extitit causa, quò uel sic populi, & imperitæ multitudinis indignatione commotus, atque sacrorum silentio perterritus, resipisceret, & S. Matri Ecclesiæ obtemperaret, & audiens esset. *Sot. in 4. d. 22. q. 3. art. 1. Miranda in Man. Prælat. reg. tom. 2. q. 37. art. 1. Sayrus. lib. 5. de cens. cap. 11. & aly.*

IV. SVPPOSITVM.

QVarto supponendum, ut etiam in diffinitione innuitur, Interdictū in varias diuidi species. Primo, prout quoddā est ab homine, & quoddam à iure, ut de excommunicatione, & suspensione dictum est. Secundo in locale tantum, quando locus interdicitur, ut Ciuitas, Prouincia, uel omnes Ecclesiæ in ea existentes. Personale tantum, cum populus, collegia, clerus, &c. interdicuntur; locale, & personale simul, quando locus cum personis interdicitur. Tertio quodlibet istorū est iterum duplex, nempe generale locale, quando locus generalis, ut regnum, prouincia, Episcopatus, Ciuitas, à diuinis arcetur; vnde interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, religiosorum ecclesiæ, quæ aliàs sunt exemptæ, interdictæ censentur, ex quo ēt sequitur religiosos regulariter interdictum locale gñale seruare teneri. *Bonac. de cens. d. 5. pun. 1. n. 21.* Et est ēt generale interdictū, personale, qñ hominū vniuersitas interdicitur, etiamsi totus populus non sit in culpa, quandoquidem, ut dixi, ecclesia aliter Superiorum cōtumaciam cohibere non ualeret, nisi illorum populos à diuinis officijs excludendo, & tunc subditi parendo ob ecclesiasticam libertatem tuendam promerētur. Vbi tamen DD. aduertunt, interdicto populo, non intelligi interdictum clerū, & è contra, multo minus religiosos claustrales tribu otis adstrictos, nam nec interdicto clero, sub ea cēsura religiosi comprehenduntur, si quidem in fauorabilibus, non vero in odiosis, religiosi nomine clerí ueniunt, ex communi, teste eodem *Bonac. l. c. nu. 11.* Quarto quoddā est speciale, locale, cū aliquis particularis locus, ut aliqua ecclesia, interdicto supponif, & aliud est personale, speciale, quod singulares tantum personas comprehendit. *Nau. cap. 27. nu. 166. Tol. lib. 1. cap. 18. Val. tom. 4. d. 7. quæst. 18. p. 1. & 2. Sayr. lib. 4. cap. 1. Suarez. d. 32. sect. 2. Coninch. d. 17. dub. 1. Reginal. lib. 32. cap. 25. Miranda. l. c. artic. 2.* Interdici uero non potest Ciuitas, terra, vniuersitas pro debito pecuniario sine licētia Papæ, ex Constit.

Clem.

Clem.VII. post Bonif.VIII. Sicut nec pro delicto priuatæ personæ, sed pro crimine Domini, vel Magistratus, vel communitatis. *Zerula in v. interdict. p.2. Zypaus de iure Pont. lib. 5. de interd. num. 1.*

I. Q. RESOLVTIO.

QVibus omnibus sic suppositis, ad propositum casum sic respondendo dico Primo, Richardum, & alios suos Officiales in Bullam Cœnæ Domini incidisse, quia, s. impias leges, ecclesiasticæ libertati aduersantes tulit, cum etsi à Summo Pontifice sæpe admoniti, clericorum causas criminales iudicare, & statuta contra ecclesiæ immunitatem cōdere ausi fuerint. vt inter alios multa ad id cumulās tradit *Duard. super Bullam super can. 15. & 19.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico, eundem Principem, eiusquè Magistratus, cum sint personaliter interdicti, latam à Summo Pontifice censuram violātes, lethali culpà animas proprias sauciasse, cōtra enim ecclesiæ, & Summi Pastoris, diuinis intereffendo prohibitionem, in re graui fecerunt. Quinimo sacerdotes etiam cogendo in locis interdictis coram se sacra fieri, excōmunicatione Sedi Apostolicæ reseruata ligantur, vt habetur in *Clem. 2. tit. de senten. excommun. lib. 6. Nau. cap. 27. num. 104. Viual. de in. terd. num. 275. Tol. lib. 1. cap. 36. Suarez. d. 22. sect. 4. num. 27. Barbos. de Episcopo. par. 3. Allegat. 1. nu. 101. & alij.*

CONFESSARII PARTES.

PRopterea eorum confessarij officium erit, libere de his excessib. admonere, & acriter reprehēdere, cum meminisse debeat, se verbi Dei buccinatorē esse. Magnum profecto opus est Principum, & Magnatum conscientias regere, quod hominem non solum valde peritum, sed etiam prudentia, & animi fortitudine insignem requirit, & quod caput est, qui nil cupiat, nil ambiat, nil quærat, & nihil omnino quàm eorum salutem expetat. Quorum confessiones qui audire ambiunt, hoc ipso digni sunt qui repellantur, vtpote qui graui morbo laborāt: & quod miserabilius est, morbum suum non agnoscunt. Pro domo Dei tuenda quæso fortes sint, nec vanis humanis rationibus retardati, ab admonitionibus desistant, neque ab officio expelli timeant, quin potius gaudeant, si hoc illis acciderit, se à tam periculoso onere liberatos, vt Dominicus Sotus de se ipso dicebat, cum à Carolo V. se abdicauit: vt etiā aliàs aduertimus. *Bellar. de Princ. lib. 1. c. 6.* Vere *D. Cyprianus. lib. 1. ep. 2.* Nihil, inquit, appetere, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. Confessarius liber esse debet, in veritate aperienda, & cum opus est, pœnitenti quacunque dignitate pollenti absolutionis beneficium denegare. Talis tamen sententia debet à charitatis dictamine prodire, vt ipse pœnitens sentiat, salutis animæ causa fieri, & satius esse tunc contristatum abire, quàm deceptum. Correctio in spiritu lenitatis facienda, ita tamen vt, si necesse sit, vrat quidem, sed non exurat.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. dubitationem dico graui scelere se obstringere subditos, si in locis interdictis diuina officia audiant, & sacris intersint, cum in re graui, & seria, ad christianæ legis sacramenta, diuinaq; officia pertinenti delinquant, nisi inuincibili ignorantia excusentur, &c. *Suarez. d. 34. sect. 5. num. 4. & 5. Coninch. d. 17. dub. 3. Bonac. d. 5. p. 6.* quidquid dicat *Sayrus. cum Caiet. lib. 5. cap. 19. nu. 1. & Reginal. lib. 32. tract. 3. cap. 30. num. 42.*

Cæterum Ciues, & laici, qui culpabiles non existunt, & in eodem loco demorantur, sacra alibi audire, & sacramenta recipere possunt, & sacerdotibus pariter inde discedēdo integrum est celebrare, &c. *cap. si sententia. de senten. excommunicationis. lib. 6. Couar. lib. 2. var resol. cap. 8. num. 10. Vgol. de cens. tab. 5. cap. 30. §. 3.*

Si vero subditi vi vel metu, à Magistratibus ibi in locis interdictis sacra audire cogātur, ipsi à peccato excusantur, cum humanæ leges cum graui dispēdio obligare non intendant, nisi in christianæ religionis contemptū id facerent, quia tunc Deo magis quàm hominibus obtemperandum esset. *cap. Iulianus. 11. quæst. 3. vt dicam infra.*

Cap. XII.

QVÆSTIO XXIV.

An sacerdos, qui metu alicuius damni, coram Magistratibus personaliter interdictis celebrauit, & vi missam distulit, & sacramēta administrauit, m. p. & in aliquam censuram, vel pœnam inciderit? & quid de Magistratibus?

ALbertus sacerdos parochus, tempore generalis interdicti metu quodam compulsus, ne sibi, vel suis fratribus, & nepotibus, aliquod damnū à Ciuitatis Rectore, & Senatoribus, qui causa interdicti ferendi fuerunt, inferretur, in loco interdicto, & etiam polluto, coram eis celebrauit, & metu minisque adactus, missam vsque ad post meridiem distulit; baptismum, & penitentiam alijs administrauit, & matrimonij celebrationi, vt necessarius testis interfuit.

interfuit, Quæritur, an mortaliter peccauerit, & in pœnam aliquam canonicam inciderit, & quid de ipsis Magistratibus?

I. SVPPOSITVM,

Et interdicti effectus,

RESpond. Suppono effectus interdicti, siue personalis, siue localis, ad tria capita reuocari. Primus est priuatio vsus quorundam sacramentorum, vt Eucharistiæ, extra mortis periculum, in quo per modum viatici viurpari potest. Extremæ vnctionis, hoc enim vel pro eo articulo prohibetur, pro quo institutum est. Ordinis, nisi grauis sacerdotum penuria vrgeret, qui tempore necessitatis sacramenta conferent. *Roder. tom. 2. qq. reg. quæst. 109. artic. 1. Barbos. de Episcopo. p. 2. Allegat. 11. num. 24.* Baptismus vero etiam cum sacramentalibus ad eum ordinatis permissus censetur, vt proinde parochus etiamsi ipsius ecclesia particulariter interdicto supposita sit, aliam propinquam adire possit, vbi paruulum in sua parochia natum, cum solemnitate baptizet. Idem dicendum est de confirmatione, quæ est velut complementum quoddam status christiani, cuius professio est baptismus. Item vsus sacramenti pœnitentiæ conceditur, dummodo is, qui ad hoc sacramētum admitti vult, excommunicationis reseruatæ impedimento non detineatur, nam huiusmodi (nisi in mortis periculo versētur,) admitti prohibentur; & dummodo qui confessionem petunt, non sint illi, ob quorum culpam, latum est interdictum, aut qui eisdem in talis delicti perpetratione consilium, vel auxiliū dederint, &c. Quò fit vt particulari interdicto personali ligatus, sacramentum pœnitentiæ recipere non possit, quandoquidem tale interdictum non nisi ob propriam culpam fertur, &c. Est enim generalis regula à Confessario annotāda, si cēsura non sit alteri reseruata, illum posse ab ea, & à peccatis bene dispositum absoluere; sin autem reseruata sit, impediri quidem ab illius relaxatione, non tamen ab absolutione à peccatis, nisi ea sit maior excommunicatio, à participatione omnium sacramentorum excludens, aut interdictum personale, à quibus nihilominus in mortis articulo, aut vrgente necessitate vitandi aliquod graue scandalum, absoluere ei licebit. Tandem matrimonium, & in loco interdicto, & hominibus interdictis non prohiberi, verior asserit sententia, vt proinde illud licite contrahere possint, dummodo sint in statu gratiæ, & parocho illi adesse fas sit, &c. *Sanchez. l. 7. de matr. d. 8. Coninch. d. 17. dub. 2. nu. 48. Molfes. tract. 4. cap. 11. num. 13* contra *Suarez. tom. 5. d. 33. sect. 1. num. 51. Sayr. lib. 5. de cens. cap. 7. num. 42. Reginal. num. 28. & Bonac. d. 5. p. 2 § 3. num. 8. & alij.*

II. EFFECTVS.

SEcundus effectus interdicti est priuatio vsus officiorum, quorum nomine intelligitur missa, horarum canonicarum publica recitatio; aquæ, cineris, ramorum, candelarumque benedictio; supplicationes, funera, exequiæ, nuptiales benedictiones; & tandem illa omnia officia, quæ in ecclesia ab ipsius ministris tali modo fiunt, vt eadem tantum à clero ad illa specialiter ordinato, ac deputato, fieri possint, &c. vt per eundem *Suarez. l. c. sect. 3. num. 7.* Rigor tamen iuris antiqui de priuatione vsus officiorum tempore interdicti, quidquid sit de generali cessatione, restrictus, & temperatus est à Bonifacio VIII in *cap. alma mater de sent. excommunicationis.* vbi luse *Couar.* De qua re *Et Sayrus. l. 5. cap. 5. & 6. Reginal. l. 32. tr. 3. c. 18. Mirāda. tom. 2. q. 37. art. 8. Filliuc. de cens. tract. 18. c. 3. Coninch. d. 17. dub. 2. & alij.* Prædicatio tamen cum non alicuius ordinis, sed potius iurisdictionis actus sit, cuiuscūque interdicti tempore licita est; hinc ab Episcopo, etiam clerico, qui in sacris constitutus non sit, cōmitti potest. *Barbos. de Episcopo. par. 3. Allegat. 76. nu. 45. & seq. Nald. v. Prædicare. nu. 3.* Alij tamen talem facultatem clerico minoribus tantum initiato dare ad Papam spectare rectius sentiūt. De qua re *Et Reginal. l. 18. num. 120. Henriq. in Summa. lib. 6. cap. 28. §. 8. Roder. in collect. Priuileg. Bulla 29. sub Gregor. 13.*

III. EFFECTVS.

TErtius Interdicti localis generalis effectus est, quod per illud prohibetur, ne quis in eo loco sepulturam accipiat; quod non tantum in adultis, sed etiam in infantibus salutari aqua ablutis, locum habet, nisi priuilegium in contrarium habeatur, aut aliqui exempti sint, vt sunt clerici, qui interdictum seruauerunt. *cap. quod in te. ext. de pœnit. & remiss.* Attamen generali interdicto personali innodati ab ecclesiastica sepultura non excluduntur. Si quidem priuilegio Extrauagantis ad euitāda non tenemur cuiusquam personæ communionem vitare, siue in diuinis, siue in humanis, ac proinde nec in ecclesiastica sepultura, nisi sit nominatim interdicta. Quò sit vt Sacerdos sepeliens laicum generali personali interdicto affectum, nō peccet, nec in excommunicationem latam in *Clem. 1. de sepult.* incidat, nisi ille, qui sepultura donatur, sit specialiter, & nominatim interdictus, vt ab alijs vitari debeat; vt est communis DD. sententia. A quo personali, & particulari interdicto, ante mortem, si non erat reseruatum à quolibet Confessario absolui poterit, ob *cap. nuper de sent. excommun.* teste *Bonac. cum communi. de censid. 5. pun. vlt. num. 6.*

His

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic animaduersis, ad casum propositum respondēdo dico, Albertum in ecclesia interdicta, & humani sanguinis, vel seminis, effusione cōtaminata, celebrando, & alia non à iure permissa sacramenta administrando, culpam admisisse mortalem; si quidē iura per interdictum locale, uel personale, vsum sacramentorum, diuinorum officiorū, vel ecclesiasticæ sepulturę prohibentia, directè respiciunt clericos, tanquam eos, ad quos spectat circa talem vsum inuigilare, ne in eo aliquid contra intentionem ecclesiæ contingat, quæ illam ipsis tanquam ministris suis committit. Et quia, vt ex dictis cōstat, prohibitio circa grauem materiam versatur, obligationem sub mortali peccato ob violationem inducit; cum enim clerici serui Dei sint, Christi Domini sui legem defendere eos par est. Quippe ipsi clerici canibus multis nominibus comparantur, sed eo præcipue, quod sicut canis dominum suum diligit, eius domum tuetur, ac custodit, & ab hoc mortis discrimini se exponit; sic sacerdotes in Domini sortem vocatos pro eo facere oportet, &c. *Io. à S. Geminiano. lib. 5. de simili. cap. 98. Pierius in hierog. l. 5. in princ. Schol. ad Alciat. emb. 191.* Et licet à nobis sæpius repetitum sit, non solum metum mortis, verberum, & carceris, sed & amissionem rei familiaris legis humanæ transgressionem excusare, excipitur tamen, quando hoc in detrimentum christianæ fidei vergeret, vt quia populi inde scandalum, & offensionem sumerēt, suspicantes, ecclesiasticas leges, & censuras, præsertim à Papa Christi in terris vicem gerente latas, tanquam nullius valoris, non esse formidandas. vt communiter Scribētes sentiunt, & inter alios *Sot. lib. 1. de iustitia, & iur. quæst. 6. artic. 4. Val. tom. 2. d. 7. quæst. 5. p. 6. Sayrus lib. 3. cl. reg. c. 7. num. 31. & de cens. lib. 1. cap. 19. num. 42. Carbo lib. 7. de legibus. disp. 6. Bonac. de leg. d. 1. q. 8. p. 2. & alij.* Qui ideo inferunt à culpa cum sacerdotem excusari, qui per grauem metum, sine vestibus, & alijs iure canonicò requisitis celebrare cogitur, nisi commune bonum aliud postulet. Et Carthusianum, uel alium lege, aut voto abstinentiæ à carnibus obstrictum, non solum posse, sed etiam carnibus vesci teneri, si alij cibi sibi non suppetant, & euidentes conster carnes ad tuendam vitam illi necessarias esse, nisi scandalum actiuum, & datū interueniret, quod propriæ vitæ anteferendum est, &c.

II. Q. RESOLVTIO.

SEcundo dico præter culpam, Albertum in loco interdicto celebrantem, in interdictum ab ecclesiæ ingressu subinde incurrisse, quousque ad eius arbitrium satisfecerit, cuius legem violauit. *cap. e-is Il pisteporum. de priuileg. in 6. Suar. tom. 5. d. 31. sect. 2. Filliucius tract. 17. cap. 5. num. 99.* Insuper irregularitatis labem contraxisse, cum in eodem interdicto loco celebrauit, non tamen quatenus ibi in polluto loco rem diuinam fecit, vt Bonifacius VIII. *in cap. is qui.* his uerbis sanxit. Is qui in ecclesia sanguinis, aut seminis effusione, vel qui præsentibus maiori excommunicatione notatis, scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temeratie agat, irregularitatis tñ, cum id nō sit expressum in iure, laqueum non incurrit. Is vero qui sciēter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit concessum, eandem irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, &c. hæc ibi. *Azor. tom. 2. lib. 9. cap. fin. Barthol. ab Angel. dial. 5. de missa. §. 642.* Vide supra *tract. 4. cap. 15. quæst. 226.* At ex probabili aliquorū sententia, Non peccare videtur ille laicus, qui cum non sit ipse interdictus, audit diuina in loco interdicto, vel violato, nam cum ipso non auctore malum illud non fiat, melius est ut fructum ex illo malo vir bonus percipiat, quam quod abstineat, (nisi hoc esset clericorum fomentum ad ipsum interdictum nō seruandum) quandoquidem non quis semper dicitur alieno peccato cooperari, ac consentire, ex quo alicuius iniquitate ad peccandum parati vtitur, vt patet in petente mutuum ab eo, quē scit non absq; vsuræ labe mutuo daturum, & in exigente iuramētum ab infideli, &c. *Caiet. in v. interdictum in fine. Nau. cap. 27. num. 186. vers. 18. Nald. v. peccatum. num. 16. & v. interdictum. num. 3.*

Quo vero ad Rectorem, & Magistratus, qui minis, ac incusso metu coegerunt Albertum coram se celebrare, & missam differre, &c. dico præter illam, quæ continetur in *Clem. grauis. de sent. excommun.* si hoc in contemptum ecclesiasticarum cēsurarum errorem habentes in intellectu fecerunt, in excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini contēram incidisse. *Duard in Comment. super Bullam Cœnæ Domini. lib. 2. quæst. 1. cap. 32. num. 24.* In Prouincia autē Mediolanēsi *in Conc. Prou. 1. de his quæ pertinēt ad celebrationem missæ* à S. Carolo lata est excommunicatio contra eos, qui quodā imperio, aut contumelia, aut minis, aut vi coēgerint, vt Parochus gratia, uel metu cuiusquam, missam anticiperet, aut differat, aut cōcionem omittat, aut à missa inchoata desistat, seu initium repetat. Quæ censura, ait *Gambar. p. de cas. sibi reser. cap. 14.* Sæpe publicanda est propter nonnullos domicillos, uel in uillis potentes, qui sæpe in hoc labuntur. Porro certum est non licere ante auroram notabiliter, & post meridiem missam sine dispensatione celebrare, etiam si in ecclesia non interdicta, nec polluta celebrādum sit, ita enim Rubricæ Missalis præscribunt, & ecclesiæ consuetudo confirmat.

Munus

CONFESSARII PARTES, & documenta.

MVnus in hoc casu Confessarij erit, Albertum Parochum admonere, officio suo defuisse, cum tēporalis damni metu, coram secularibus Magistratibus, celebrauit, missam distulit, & sacramēta administrauit, &c. Nam ut ait *D. Thomas 22.q. 19.art.3.* Quamuis homo naturaliter effugiat corporis proprij detrimētum, & damna rerum temporalium declinet, non tamen propter ista à iustitia recedere debet, aliàs timor inordinatus dicitur, qui damnandus est. Et vere *S. Augustinus relatus in c. quisquis. 11. quaest. 3.* Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, itam Dei super se prouocat, quia magis timet hominem, quam Deum. Et sane certum illud apud omnes sapientes est, virtutem circa arduum, & difficile versari, proindeq; si quid praeclare homini in hac vita gerendum est, fortitudinis instrumento illi opus esse, quo impedimenta superentur, & extrema etiam pericula cum oportet, non formidentur. Hinc tàm frequenter sacras literas legimus illud populis inculcantes, Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Matth. cap. 10. Io c. 14.* Duo quippe, vt memoriae proditum est, tortores sūt humanae vitae, amor, & timor, ille studio obtinendi, hic metu amittendi. Vnde quò ampliora quisappetit, eò timidior, ne spe excidat, redditur. Si vero nihil sperat, nihil metuit, sublato hoc amoris immodici nexu, omnis illico trepedatio conquiescit, & summa securitas, equabilē illius & mentem, & linguam perpetuo reddit, ac comitatur. At, ut aliàs ex *D. Cypri an. lib. 2. ep. 2.* diximus, Nihil appetere, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est.

QVAESTIO XXV.

Superior monasterij qui non curauit à suis subditis obseruari interdictum ab Episcopo loci emanatum, quomodo peccauerit, & in canonicas poenas inciderit. An suspendere, & interdicere potuerit suum sacerdotem subditum, qui quendam laicum ab excommunicatione duelli, vi priuilegiorum absoluit?

CLemens vir regularis, & in Coenobio Praefectus, generale quoddām interdictum ab Episcopo loci emanatū non obseruauit, nec à suis subditis obseruari curauit, nam in sua ecclesia celebrauit, atque alios de caetu ad ibi rem diuinam faciendam induxit, & alios nempe laicos ad diuina officia audienda admisit. Item à missae celebratione, & communi in refectorio conuictu, Blasium Confessarium sibi subditum interdixit, eo quod virtute priuilegiorum Gasparem laicum absoluit, qui facta ad duellum prouocatione, ad locum constitutum se contulit, sed altero non comparente discessit. Quaeritur an peccauerit, & aliquam ecclesiasticam poenam subierit?

I. SVPPOSITVM.

REspond. Suppono, vt certum, & exploratum religiosos quantūuis priuilegijs munitos, & alias exemptos, ratione domicilij, vel habitationis in loco vbi resident, in multis Ordinario Episcopo subiectos esse, & ad aliquos actus ei subdi, & obtēperare debere. vt per *Mart. de iurisd. p. 4. casu 182. Vgol. de off. Epis. p. 1. c. 20. Piasecium. in praxi Epali. p. 2. cap. 3. tit. de visit. reg. Duard. in Comment. Bulla Caenae. lib. 1. cap. 1. quaest. 3. Campan. in diuers. iur. can. rub. 12. cap. 13.* Inter alia illud ad rem nostram pertinens est, ut censurae, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandāte Episcopo ab ipsis regularibus in eorum ecclesijs publicentur, atque seruentur, ut cauerunt Tridentini Patres *sess. 25. de regul. cap. 12.* Imo ex Clementis V. Constitutione *in Clem. 1. de sent. excommunicationis.* Religiosi etiam exempti non obseruantes interdictum per Sedem Apostolicam, vel loci Ordinarium positum, vbi à Cathedrali, vel matrice ecclesia seruatur, ipso facto excommunicationis sententia percelluntur. locorum enim Ordinarij procedere possunt contra eorum iurisdictionem turbantes, vel etiam impedientes, etiamsi sint exempti. *Innocens. in cap. 1. de offic. deleg. Roias de heret. p. 1. num. 555. Gambarup. de cas. res. casu 12.* Decet quippe in S. Dei Ecclesia, quae vnica est, & vnum Deum praedicat, atque colit, vnam fidem firmiter, & simpliciter confitetur, vniformitatem obseruare, & in Dei domo vnanimiter ambulare. Et par est, religiosos in curādis animis, concionando, confessionibus audiendis insistendo, & alia ad diuinum cultum spectantia peragendo, strenuos, ac fideles cooperatores se Episcopis praestare. ut dixi in *Comment. de hum. vita stat p. 1. cap. 23.*

Qua ratione eosdē regulares permittētes in suis ecclesiis, uel monasteriis, à ministris iustitiae secularis capi reos in eis existētes, nisi expressam habeant Episcopi licentiam, cum interuētu ecclesiasticę personę ab eo authoritatem habentis, secuta morte, uel mutilatione, in poenam irregulares effici statuit. Gregor. 14. in Bulla Incip. *Cum aliàs.* ut apud *Roder. in qq. regul. tom. 2. quaest. 50. artic. 3. & 5. Nal. v. ecclesia in fine, & v. immunitas.* Nam ad religiosos ut Episcoporum cooperatores spectat, curare ut sacrosancti Canones, & Pōtificiae Constitutiones obseruentur. Et quò ad ecclesiasticam disciplinam religiosi magis Episcopo, quam proprio regulari Prae

lato obedire tenentur. *Sanchez de praecep. lib. 6. cap. 1. num. 13. Chapel. de temp pestis. quaest. 17.*

II. SVPPOSITVM.

Secundo annotandum est, quod licet inter Doctores disceptetur, an priuilegia concessa regularibus ad celebrandum tẽpore interdicti, & ad admittendos ad diuina eodem tempore laicos, sint reuocata; pars tamen affirmatiua verior uidetur, quã constanter tuetur. *Nau. cap. 27. num. 190. & conf. 7. de priuileg. Garzias. de beneficijs. p. 3. cap. 2. nu. 278. & p. 3. cap. 8. num 87.* referens Illustrissimos Cardinales sic respondisse. *Vide Barbosam in remiss. ad Concil. Trident sess. 25. de regul. cap. 12.* vbi etiam negantis partis authores in medium profert. *Et Capp. in annot. ad Comp. Priuileg. Min. v. Interdictũ.* Item *Alex Peregr. in Compend. Priuileg. cler. regul. eodem verbo.* Illud certum est, de iure communi, religiosos teneri seruare interdictum, cui Episcopus ciuitatem subiecit, & dies festos colere, quos ipse Ordinarius colendos instituit, non ligari vero ieiuniis particulari Decreto in sua diæcesi præscriptis, intra cuius terminos monasteria sita sunt. *Azor p. 1. lib 7. cap. 30. quaest. 2. Bonac. de leg. d. vlt. quaest. 1. p. 6. num. 5. Piasecius in praxi Episcopali. p. 2. cap. 3. num. 47. Vgol. eodem tract. p. 1. cap. 20. §. 3.*

Illud quoq. est à DD. obseruatum, Priuilegium concessum religiosis alicuius instituti, ad illius ordinis moniales etiam extendi, in illis quæ ipsis sacris virginibus accõmodati possunt; siquidem moniales nomine religiosorum censentur, nisi in Priuilegio dicatur, viris religiosis. *Roder. tom. 1. regul. qq. quaest. 13. art. 2. Suar. de legibus lib. 8. cap. 10. nu. 7.* Nouissime uero Priuilegia concessa viuæ vocis oraculo ipsis religiosis reuocantur. ut per Bullam Gregorii XV. Incip. *Romanus Pontifex. Nald. v. Priuilegiũ. nu. 24.*

I. Q. RESOLVTIO.

His sic breuiter præmissis, dico Clementem, & suos subditos interdictum ab Episcopo latũ violando, mortalem culpam admisisse, in irregularitatẽ incurrisse, & in excommunicationem prædicti Clementis V. nemini tamen reseruatã incidisse. *Bonac de cens. d. 6. pun. 3. num. 9.* Nisi bona fide, & iusta prætensione excusentur, putantes v. g. se ob indulta priuilegia ad illud obseruandum non teneri. Cum negantem sententiam, quod .s. Tridentino Decreto specialia regularium priuilegia, ut pro suis festis, vel aliis certis diebus, interdicta seruare non teneantur, minime reuocata sint, multi graues Doctores tueantur. ut *Henriq. de excommunicatione, & interdicto. lib. 13. cap. 48. §. 1. Sayrus. lib. 5. de cens. c. 13. num. 24. Roder. tom. 2. qq. regul. quaest. 112. art. 1. Miraud. tom. 2. quaest. 37. art. 12. & alij supra relati.* Extra quem casum, eorum culpa aggrauatur ex statusperfectione ad quã tenentur; si quidem. *D. Thomas. 1. 2. quaest. 73. ar. vlt.* Peccatum ob personarum dignitatem ex quatuor augeri docte more suo scribit. Primo propter repugnantiam actus peccati, aut magnitudinem, ueluti si Princeps iustitiam uiolet, qui ponitur iustitiæ custos; et si sacerdos fornicetur, qui castitatem uouit. Secundo propter exẽplum, siue scãdalum, quia ut *D. Gregorius in Pastorali*, ait, In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia gradus peccator honoratur. Ad plurium autem notitiam peccata magnorum ueniunt, & magis homines indigne ferunt. Qua ratione Gerson doctissimus, ac pijssimus Theologus. *tom. 3 lib de vita spirit.* asseruit, silentii uiolationem, & similes leues transgressiones in senioribus religiosis, interdum grauia esse peccata, quia ratione exempli in Iunioribus scandalum generatur, ac regularis disciplinæ relaxationi uia aperitur, &c. Atque subdit, uerum est quod apud Salustium dicit Iulius Cæsar, In maxima fortuna minima est licentia: sic in maximis viris, uel ordine, uel sanctitate, uel gradu subleuatis, tanquam in aliorum exemplar positis, multa quandoque non licent, saltem in publico, quæ aliunde uel in occulto licerent. Quando autem religiosus seclusо scandalo, ex ignorãtia, uel infirmitate peccat, nec eius peccatum est contra uotum commissum, non ita notabiliter aggrauat, uel auget, ut necessario hæc circunstantia sit in confessione exprimenda. *Sanchez. lib. 6. de precept. cap. 4. num. 7.* Tertio ob ingratitudinem, quia omne bonum quo quis magnificatur est, Dei beneficium, cum enim ad statum perfectionis eleuatus sit, & pluribus maioribusquè beneficiis cumulatus religiosus, quàm secularis, quis non uidet maiorem ingratitudinem eum præseferre, cum ex contemptu delinquere censeatur? Ex quo fit vt regularis ex cõtemptu transgrediens regulã in his quę ex eius prę scripto ad perfectionem pertinent, mortalem culpã contrahat, quia id contemnit, in quod tendere tenetur, nempe in perfectionem, ut per *Caiet. 22. q. 184. artic. 5. & Nau. Comment. 1. de regul. num. 10. Duard. in Bulla Cæna Domini. l. 3. §. 8 quaest. 2. nu. 9.* vide *par. 1. tract. 7 cap. 36. quaest. 138.* Quarto quia facilius maiores possũt resistere peccaro, ut qui excedunt scientia, & uirtute. Vnde dicit Dominus. *Luc. 12.* Seruus sciens uoluntatem Domini, & non faciens, uapulabit plagis multis. Idem tamen *Angelicus Doctor. 22. quaest. 186. art. 10.* quem omnes sequuntur, ut *Azor. p. 1. lib. 4. cap. 20. & Platus de Bono status relig. lib. 3. cap. 24.* affirmat, religiosos ex alia parte minus peccare, quia minus libere, & uoluntarie delinquunt, nimirum, quia aut occasione incitati, aut animi perturbatione commoti labũtur. Item

minus uoluntariè peccant, quia renitente, & obluctante ratione, quod non debent, malum faciunt, cum tamen laici minus obſiſtente ratione liberius delinquant. Ex quo fit ut religioſi homines in peccatum lapſi, citius & facilius reſipiſcant, & ad ſaniorem mentē redeāt; cū nihilominus laici diutius mēte obſtinata, in peccatis perſiſtant, eo quod maiori uoluntatis affectu malis inhæreſcant, &c.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæſtionem breuiter dicimus, ſuppoſito Prælatos religionum, uel Generales, Prouinciales, & domuum Rectores, cenſuras ferendi poteſtatem iure ordinario habere, qua tamen in re propriæ religionis inſtituta, & vſus conſulenda ſunt. *Roder. in qq regul. tom. 2. quæſt. 69. art. 1. Miranda. tom. 2. quæſt. 35. art. 8. Sayr. de cenſ. lib. 1. cap 6. num. 13. Regnal. lib. 9. num. 123. Bonac de cenſ. d. 1. quæſt. 3 pun. 1.* Dicimus, inquam, Clementem Præfectum à miſsæ celebratione, & communi conuictu in refectorio ſuſpendere, & interdicere non potuiſſe. Blaſium confeſſarium ſibi ſubditum, eo quod Gaſparē pœnitentem ſuum (qui facta prouocatione ad duellum, ad locum conſtitutum ſe contulit, ſed altero complice non comparente diſceſſit) abſoluit, à pœna excommunicationis uirtute Priuilegiorum ſuæ religioni conceſſorum. Si quidem ei integrum fuit, talem abſolutionem impendere, cū certum ſit hunc caſum per Bullam Clementis VIII. Incip. *Sacra Congregatio.* religioſis non eſſe reſeruatū, & per cōſequens facultate potientes abſoluendi ab excommunicatione, excepta cauſa duelli iuxta Decretum Concilii Tridentini, & Gregorii XIII. quod pugnæ effectum ſecutū requirit, in præſenti caſu abſoluere poſſe. Modo tamen hæc facultas per Generale capitulum, uel ſupremum Præfectum non ſit ablata; quandoquidem Generalis aliquarum Congregationum una cum conſenſu capituli, uel maioris eius partis, declarare poteſt, vtrum abuſu alicuius conceſſionis abſtineri debeat; poſt quam quidem declarationem, illius religionis fratres illa conceſſione in poſterum uti nequeunt. ut per *Pereg. in Cōpend. Priuileg. Congregat. cler. regul. v. Priuilegium.* Et ut ait *Roder. in qq. regul. par. 1. quæſt. 9. artic. 2.* Capitulum generale alicuius religionis poteſt reſtringere, uel tollere aliis fratrib. Priuilegiorū vsū.

Atque ita prædictam reſolutionem colligere licet ex *Sanchez lib. 2. Summa. cap. 39. num. 18. Comit. in reſponſ. mor. lib. 6. quæſt. 18. Fillius tract. 15. cap. 5. num. 106. Graffio de caſ. reſer. lib. 1. cap. 7. num. 10. & conſ. 4. de homicidio. Bonac. de cenſ. d. 2. quæſt. 6 pun. 2. contra Pelleg. de duello. quæſt. 4. & q. 41.*

QVAESTIO XXVI.

An Epiſcopus generale interdictum contra clericos charitatiuum ſubſidium denegantes ferre poſſit. Vtrum interdicti à Iubilæi cōſecutione impediantur. Num eccleſiaſticam immunitatem violet ſi præcipiat ut homicida ab eccleſia ad quam cōfugit, extrahatur. Nunquid conſtitutio lata in filias ſpirituales ad turpia ſolicitantes, comprehendat ſolicitantes pueros per tertiam perſonam?

IVlius Epiſcopus, Primo clericos ſibi ſubditos charitatiuum ſubſidium denegantes, generali interdicto in ſua diæceſi ſuppoſuit. Secundo in quoſdam laicos, qui in Paſchate non ſunt confeſſi, neque ſacram Euchariſtiam ex chriſtiano more ſumpſerunt, nec ſuos filios pueros ad chriſtianam doctrinam ediſcendam mittere curarunt, perſonale interdictum tulit, & eos nominatim ab ingreſſu eccleſiæ interdictos, affixis in valuis eccleſiæ ſchedulis, declarauit: qui nihilominus ſic hac cenſura affecti, tempore anni Iubilæi, eccleſias in vrbe Roma pro eiuſdem Iubilæi conſecutione præſcriptas, viſitarunt, & die ſabbathi confeſſi ſunt, ac die dominico ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramento refecti. Tertio ſuis ſatellitibus mandauit, vt Bernardum, qui prope eccleſiā cathedralem homicidium commiſit, & poſtea ad eam confugit, caperent, & ab ea extraherent, atque in carcerem detruderent. Quarto ſub pœna ſuſpenſionis, & interdicti ipſo facto incurrendi, in ſynodalibus conſtitutionibus prohibuit, ne cōfeſſarij quocunque modo, vel loco, filias ſuas ſpirituales ad turpia ſolicitarent, Melchior ſacerdos puerum quendā quem ſemel in confeſſione audiuit, ſed nō abſoluit, per interpoſitam perſonam ad ſecum delinquendū tentauit. Vnde hæc quatuor quæruntur. Primo an hic Epiſcopus generale interdictum contra ſuos clericos charitatiuum ſubſidium præbere renuētes, infligere potuerit. Secundo an illi laici, qui interdicto innodati, eccleſiam pro Iubilæi conſecutione viſitarunt, & poſtmodum à confeſſario approbato abſoluti ſunt, ipſam plenariam indulgētiam ſint adepti. Tertio an cum præcepit, vt Bernardus ex eccleſia ad quam confugerat, extraheretur, eccleſiaſticam immunitatem violādo peccauerit. Quarto an Conſtitutio lata contra ſolicitantes filias ſpirituales locum ſibi vendicet, contra eum, qui per tertiam perſonam puerum, quem in confeſſione non abſoluit, ſolicitauit, & quid in praxi confeſſarius agere debeat?

SVPPOSITA, ET PRAEVIAE inſpectiones.

I. SVPPOSITVM.

REſpond. Suppono Primo charitatiuum ſubſidium eſſe moderatam quandam ſubuentio-

nem à clericis Episcopis suis ex rationabili causa debitam. Et dicitur charitatiuum subsidium quia cum charitate postulari debet: & quia ad subueniendum Episcoporum necessitatibus, à iure concessum est. *cap. cum Apostolus. §. prohibemus. tit. de censibus.* Prohibemus, inquit, ibi Lateranense Concilium, ne subditos suos talleis, & exactionibus, Episcopi grauare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniant, vt si manifesta, ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Cum enim dicat Apostolus, Nō debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs, multum longe à paterna pietate videtur, si Præpositi subditis suis graues existant, quos in cunctis necessitatibus Pastoris debent more fouere, hæc ibi. Vt proinde à tyrannide exactionibus grauandi clericos, exceptis iuribus Episcopalibus, in sacris Canonibus expressis, Episcopus cauere debeat. Hinc Tiberius Cæsar Publicanis, ac Præsidibus Prouinciarum, onerādas tributo Prouincias, & augēda esse vectigalia suadētibus, rescripsit, Boni Pastoris est, non oues excoriare, sed lanam duntaxat sibi retinere, tondere pecus, nō deglubere; solēt autem Principes oues deglubere eum grauiora onera subditis imponunt, quàm ferre valeant. Et Alexander Magnus cum quidam admoneret, longe plus vectigalium à ciuitatibus auferri posse, respondit, Olitorem odi, qui radicitus olera euellit. Vnde dicebat Basilius Imperator, Aurum adulterinum existimet Princeps, quod cum subiectorum lachrymis collectum est. *Tympius in Spec. Magist. p. 2. signo 91.*

Quæ autem sint episcopalia iura, habetur in *cap. conquerente. ext. de officio ord.* Videlicet obedientia, subiectio, reuerentia, institutio, correctio, reformatio, causarum cognitio, pœnitentiarum, & sacramētorum collatio, synodatici, seu cathedratici nomine duo solidi; quarta decimarum, quarta mortuariorum, visitatio, procuratio iuxta ecclesiæ facultates, charitatiuum subsidium, si manifesta, & rationabilis causa extiterit; & vltra ista iura Episcopus nil exigere debet. Quæ porro sint causæ charitatiuū subsidium petendi, tradit *Barthol. Bellenc. in tract. de charit. subsid. quæst. 14. Menochius lib. 2. de arbit. iud. casu 178. Genuens. in Man. Prælat. c. 77. Azor. p. 2. instit. mor. lib. 9. cap. 14. Tusch. in v. subsidium charitatiuum. concl. 766. & seqq.*

Vbi etiam illud obseruant, hoc subsidium non nisi à clericis beneficio donatis deberi, nec ab illis qui pauperes sunt, exigendū esse; q; sane tales dicuntur, quando præter decentem victum, & vestitum, aliud non habent, nisi occasione clericatus aliquid simul vltra victum perciperent, vt etiam notat. *Megal. l. 2. par. instit. confess. lib. 2. cap. 15. quæst. 2. & 3.* Omnesque concedunt, subditos clericos hoc subsidium sine causa denegantes, posse hoc nomine excommunicationis cēsura plecti, & Edictum proponi, vt infra tantum tempus non soluentes, ipso iure excommunicati sint: licet controuersum sit, an Episcopus generale interdictum apponere possit.

II. SVPPOSITVM.

Secundo præmittendum est, hanc vocem Iubilæum in lege Euangelica vsurpari ad illum annum significandum, in quo ex Apostolica largitione, plenariæ indulgentiæ, cum facultate casus reseruatos, & censuras absoluendi, super vota, vel iuramenta dispensandi, vel ea commutandi, sub plenissima forma conceduntur. Qui quidem annus prius fuit annus centesimus, nunc vero singulis vigintiquinque annis celebratur; licet verum sit Summos Pontifices ob varias rationabiles causas, huiusmodi indulgentias, in forma Iubilæi cum prædictis priuilegijs, etiam in alijs temporibus largiri solere. Dicitur autem Iubilæus à iubilando, quia illo anno tota respublica christiana animo, & corpore iubilat, & hilarescit, cum sarcina, & peccatorum ponderè exoneretur, & spiritualibus muneribus augeatur. *Graffius lib. 4. Decis. aur. cap. 15. num. 29. Molfes. tr. 7. cap. 26 num. 57. Sanchez lib. 4. de præcept. cap. 54. Filliuc. tract. 8. cap. 10. Benzon. de anno Iubilæi lib. 3. cap. 6. Nau. in Comment. de Iubilæo notab. 28. Zerula in praxi Episcopali. p. 2. v. annus Sanctus.*

Constat etiam ex veteri vsu eo tempore omnes indulgentias plenarias suspēdi, nec non facultates, & indulta absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, quibusuis ecclesijs, ordinibus, cōgregationibus, & c. concessis, ne populorum concursus ad vrbem retardaretur, aut ipsius anni Iubilæi celebritas cum animarum non modico detrimento minui, uel remitti posset: plus enim ut notum est, confert Iubilæus, quam plenaria indulgentia.

Hæc autem suspensio tempore illo Iubilæi præfinitur, vnde illo transacto, sine alia concessione, priores illæ gratiæ redeunt, & restitutæ censentur. At cū ad beneplacitum Sedis Apostolicæ suspenduntur, multis placet, etiam post elapsum annum Sanctum durare, vsque dum noua confirmatio à Summo Pōtifice subsequatur. *Zerula de Iub. & Indulg. l. 2. c. 19.*

REQVISITA ad Iubilæum.

Sex porro potissimum ad Iubilæum consequendum in genere præstanda sunt, vt tetigimus etiam aliqua supra. *tract. 5. cap. 6. quæst. 39.*

I. REQVISITVM.

Primo visitatio ecclesiarum, vt si quis si vult; in vigesimo quinto anno, in quo tempus sacrum illud

illud Iubilæi inciderit, Romam fe conferat, nifi ibi fuerit, & tanquam filius ad matrem, tanquam mẽbrum ad caput, vt riuus ad fontem, ficut flumen ad mare, deuotionis, ac pietatis causa, ad communem patriam, & mundi caput accedere debet; eft enim Roma omnium ecclefiarum mater. *l. Roma. ff. ad Municip. c. Beati. 11. quæft. 7.* Primo namque quatuor ecclefiæ per dies 30. continuos, vel interpollatos à Romanis, & incolis vrbis, deuote faltē femel in die, à peregrinis, & externis per 15. dies deuote vifitandæ funt. Quod quidem tempus tot vifitationum, ficut & cæterarum rerum, difpenfari, vel commutari folet, tùm immediate à Summis Pontificibus, tùm mediate per confeffarios, quos fibi quifq; in vrbe elegerit. Non eft tamen neceffe, vt tunc cum vifitat, in gratia cõftitutus fit, fed fufficit ut eius particeps fit cum vltimum opus perficitur: poteft enim quis deputatas ecclefias vifitare, & peractis vifitationibus confiteri, & facram Euchariftiam fumere, & tunc annum Iubilæi lucratur. Atque ita communi praxi recipitur. *Graffius. lib. 4. Decif. aur. cap. 15. num. 39. Tol. in Summa. lib. 6. cap. 27. Vinald. de Indulg. cap. 17. Zerola. l. c. §. 8. & de Iubilæo. cap. 12. quæft. 1. Filliuc. tract. 8. cap. 10. quæft. 5. nu. 258. Benzon. lib. 5. cap. 15. dub. 4.*

II. REQVISITVM.

SEcundo vt Iubilæum quis confequatur, debet preces pro fui, ac populi falute, ad Deum effundere, & cùm nulla certa forma precũ in Diplomatibus præfcripta fit, id totum pij, prudentis, ac cordati viri arbitrio relinquitur. Poterit autem fecreto, ac fubmiffa voce, quis orare: Imo fola mentalis oratio fatis erit, maxime cum ut ait *D. Hieronymus. in cap. cantantes. dift. 92.*

Non clamans, fed amans, clamet in aure Dei.

Vnde etiam *D. Auguft. epift. 29.* præcipue ad hoc orationis genus refpiciens dixit, Deus non colitur nifi amando.

III. & IV. REQVISITVM.

TErtio Iubilæum lucrari volens 4. & 6. feria, & Sabbato, ieiunium regulariter colere præcipitur, & quarto loco additur, vt eleemofynam boni viri arbitrio eroget, vnufquifque iuxta proprias vires. vt poft alios notat *Reginal. lib. 7. 187. & Molfef. tract. 7. cap. 16. num. 37.*

V. REQVISITVM.

QVinto peccatorum confeffio requiritur; qui tamen tantum venialium culparum labe afpergitur, cum fit in ftatu gratiæ, nec neceffariam materiam ad confeffionem habeat, pro Iubilæo confequendo ad illam non obligabitur. Quare fi quis in Quadragefima mortali crimine careat, nec de illo fit dubius, ratione ecclefiaftici præcepti ad ipfam confeffionem non aftringetur. Vnde ficut quando in Iubilæis ieiunium præfcribitur, ecclefiaftico more iniunctum intelligitur, ut fic fit ieiunãdum fit, ficut in diebus, in quibus ecclefia ieiunandum præcipit, ideft, tunc fumptionem lactacinij licitam effe, uel butiro, & lacticinijs uefci, ubi ufus hoc recipitur; fic etiam ubi confeffio præcipitur, intelligenda eft, ubi & quando neceffaria eft materia, nempe lethale peccatum adeft. *Nau. in Comment. de Iubilæo notab. 18. Suar. tom. 4. difp. 50. fect. 5. §. 8. Sanchez. lib. 8. de matrim. difp. 35. Henriq. lib. 7. de Indulg. cap. 23. §. 2. Benzon. d. lib. 5. cap. 15. dub. 6.* Licet tutiorem dicat effe fententiam ut intra tempus Iubilæi faltem aliquod ueniale confiteatur, ut tutiori remedio in gratia conftitutus, Indulgentiæ fructum acquirat.

Vbi aduertendum eft, quod fi in Iubilæo exprimatur, ut ante omnia fideles confiteantur, tutius effet, imo (ut multis placet,) neceffarium, ante alia opera Iubilæi confeffionem præmittere, ut ipfa opera, ob quæ indulgentia cõceditur, viua non mortua fint, fed Pontificis intentio non uidetur, nifi ut intra Iubilæi tempus, ante uel poft alias diligentias, confeffio tanquam res inter alias præcipua, ab eo qui poteft perficiatur. *Henriq. d. c. Benzon. d. decif. dub. 4. Filliuc. num. 258. Fernandus. p. 3. cap. 7. §. 8. num. 1. Bonac. de facr. d. 6. quæft. 1. p. 5. num. 10.*

VI. REQVISITVM.

SExtum requifitum eft communio cum circunftantijs in Bulla expreffis; & regulariter tàm in generalibus anni Sancti, quàm in particularibus Iubilæis, ieiunia, eleemofyna, vifitationes, &c. non ut principalia opera ad confequendam indulgentiam proponuntur, fed fumptio corporis Domini noftri Iefu Chrifti, & Papæ mens in eis innotefcit, ut ante facrofanctæ Euchariftiæ fumptionem, uel in ipfo triduo confiteri fatis fit; cætera uero ut proceffiones, feu fupplicationes, quæ fieri folent, non ita requirũtur, ut neceffe fit eis ad Iubilæum confequendum intereffe. Non ualentibus autem ob aliquod impedimentum Euchariftiam fumere, in aliquod aliud pium opus commutatio ab electo confeffario fieri poterit. *Henriq. lib. 7. cap. 10. num 8. Molfef. tract. 7. cap. 16. nu. 37.* Quod fi in Bullis facultas opera præcepta in alia commutandi non detur, clarum eft, nihil immutari poffe, cum indulgentiæ, & Bullæ tantum ualeant, quantum fonant. Hinc inter cõfeffionem, & communionem difcrimen patet, nam qui fola habet uenialia peccata, indulgẽtiam confequitur fi omiffa confeffione, Eucharistiam fumat, non

uero illam acquirit, si absque Eucharistiæ sumptione uenialia confiteatur. ut ex communi ait *Bonac. de sac. disp. 6. quæst. 1 puncto 5. num. 8.*

Vna cum indulgentia in forma Iubilæi duplex etiam potestas concedi solet. Primo singulis fidelibus etiam regularibus eligendi sibi confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui hac uice dũtaxat eos à reseruatis Ordinarijs locorum, uel Papæ in Bulla Cœnæ Domini absoluat, non tamen excommunicatos ab aliquo Iudice, uel suspẽsos, seu interdictos, uel ut tales nominatim declaratos, siue denuntiatos, nisi intra tempus Iubilæi satisfecerint, uel cum partibus concordauerint.

Secundo commutandi uota excepto uoto castitatis, & religionis, non tamen dispensandi ab ulla irregularitate etiam in foro conscientiæ, non obstãtibus quibuscunque; & sic habetur in Iubilæis Clementis V. & Pauli V. In alijs autem in posterum promulgandis, si quid innouatum fuerit, ex uerbis ipsius Bullæ petendum erit.

Explorati quoque iuris est, Primo indulgentiam Iubilæi in anno sancto toties & quoties acqri posse, sicut indulgentiam in tempus aliquod concessam uisitantibus aliquam ecclesiam pluries acquirere licet, hoc enim magis fidelium pietati fauet, & Priuilegium Principis nulli noxium, latissime interpretãdum est. Ex quo cõsequitur, posse quempiam pluries à casibus reseruatis absolui, & facultatibus uti, quæ in Iubilæo conceduntur, ut ex multis satis probabiliter deducit. *Benzon. dubio 23. & Filliuc. q. 7.* ubi tamen subdit. Aduerte, & si hæc probabiliter à Doctoribus dicta sint, hoc tamen mense Maij 1620. S. Congregat. Concilij declarasse, tãtum semel acquiri indulgentiam per Iubilæum, & semel tantum à casibus reseruatis absolui posse: quare huic declarationi standum erit.

Secundo non integrum esse, Iubilæum pro alio uiuo, uel pro mortuis sumere, nisi Papa id exprimat; & ex asserta aliquorum sententia posset viater in mortali existens, indulgentias animabus in Purgatorio existentibus lucrari si præscriptũ opus exequatur, quia satis est ut ipsæ animæ ipsarum indulgentiarum capaces sint. *Molfes. tract. 7. cap. 26. nu. 19. & 132. Nald. v. indulgentia num. 9. & aly.*

Tertio peccantem spe Iubilæum lucrandi, ad illum consequendum aptum esse, si de huiusmodi peccato doleat, & confiteatur, nam qui spe ueniæ peccat, non grauius delinquit quàm qui sine illa. Nisi tamen in Diplomate contrarium exprimatur, &c. *Benzon. dub. 24. Reginal. lib. 8. num. 34. Filliuc. q. 8. Molfes. tract. 7. cap 26. nu. 48. Graffius. lib. 1. Decis. aur. cap. 13. num. 59. Beia. p. 2. respons. casu 2. Grattanus de anno Iubilæi. p. 1. cap. 13.*

III. SVPPOSITVM circa ecclesiæ immunitatem.

Tertio præmittimus, christianorum templis, ecclesiastico, uel ut alijs placet, diuino iure, immunitatem concessam esse, ita ut delinquentes ad illa confugiẽtes per vim extrahi nequeant. Quæ assertio constat ex *cap. miror. cap. definiuit. cap. nullus. 17. quæst. 4. cap. inter alia. de immunit. ecclesiæ.* & ex Cõstitutione Gregorij XIV. Incip. *Cum aliàs,* & tradit *Decian. in tract. crim. lib. 6. cap. 25. Suarez. tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 8. Alex. Ambros. de immun. eccles. cap. 1. Bonac. de legibus. d. 3. quæst. 7. §. 2. Filliuc. tract. 15. cap. 6. quæst. 8. & aly.*

Addo quod etiam apud Ethnicos, cum eorum templa solemnitatibus, ac cærimonijs essent nobilitata, & in ipsis supplicationes fierent, & sacra pro populo celebrarentur, æquum visum est, ut eadem aliquo pacto à profanis ædibus discernerentur, & nulla melior visa est ratio, quàm siea immunitatũ beneficijs præmunirent, quæ, quantaué essent, edocet in primis Stranio seruus apud Plautum, qui ne ab hero Theuropide puniretur, ad aram confugiẽs, in Mustellaria dicit,

Ego interim hanc aram occupabo.

vt per *Germ. de sacr. immunit. lib. 1. cap. 15. & Tholos. in syntag. iuris. lib. 33. cap. 21.* Et innuimus supra *tract. 5. cap. 12. quæst. 77.*

Hoc autem immunitatis priuilegium competit ecclesiis Episcopi authoritate constructis, quamuis nondum sint consecratæ, uel benedictæ, nec in eis sacra celebrentur, modo diuinis obsequiis, & ministeriis deputatæ sint, ut quia Episcopus primum lapidem in his posuerit: tùm quia hæc materia fauorabilis est, ac proinde extendenda: tùm quia hæc loca ecclesiarum nomine censentur. Quo quidem priuilegio gaudent etiamsi pollutæ, aut interdictæ sint, quia pollutio, uel interdictum, ecclesiæ immunitatẽ non tollit, etiamsi intra limen clausuramquè ecclesiæ. i. intra lineam quam naluæ in liminibus attingunt, semen, uel sanguis effundatur. *Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 28.* Imo uel dirutæ sint, cũ loca sacra esse non desinant, modo Episcopi authoritate, sine spe reædificandi destructa non sint; nam sicut tunc indulgentiis priuantur: ita etiam priuilegii immunitatis iacturam faciunt.

Eodem priuilegio, & fauore monasteria, & religiosorum loca potiuntur. Item Hospitalia, & Oratoria Episcopi assensu fundata, & Seminaria, & huiusmodi, ita ut sacrilegium contra loci sacri reuerentiam, & immunitatem, committi dicatur, dum à fori sæcularis satellitibus delinquens capitur, qui fracto carcere, intra hæc, & similia loca se recepit, ut ex communi tradit *Bonac. l. c. num. 10. & Megal. 3. p. instit confess. l. 4. cap. 2 quæst. 2. Praxis Eccles. Neap. cap. 22.*

cap.22.nu. 10. Graffius p.2.conf.2. de immunit.eccles.

Et sane omnes fideles baptizati, immunitate gaudẽt, exceptis casibus in iure expressis; ex quo sequitur, ut interdicti, & excommunicati, ab illa non excludantur; si quidem censura interdicti, & excommunicationis, ingressu ecclesiæ materiali non priuat, sed formalis ad audiẽda, suel celebrãda diuina officia. Clerici uero ea non potiuntur, quia in sacris Canonibus, & in Bulla Gregorii XIV. solummodo de laicis fit mentio; quò fit ut ecclesiasticus Prælatus clericos è loco sacro extrahere possit, etiam in illis casibus, in quib. laici à Iudice sæculari educi ualent. præsumuntur enim semper in suis ecclesiis uersari, sicut religiosi in suis monasteriis, atque ita si in his locis à suis Prælatis capi nequirent, nunquam fe re eis liceret. Vt omittam etiam respectu laicorum Iudicum in propria persona immunes esse, ratione autem ecclesiasticorum non erat necesse, quia ecclesiasticum iudicium magis medicinale, quàm vindicatiuum censetur, nec ad sanguinis pœnam procedit, ut præcitati Doctores unanimiter sentiunt.

Hæc immunitas suffragatur, ac prodest in omnibus causis; tàm ciuilibus, quàm criminalibus, exceptis illis casibus, qui in iure exprimuntur. In Constitutione uero Gregorii XIV. octo hominum genera excepta sunt. Primo publici latrones. Secundo uiarum grassatores. Tertio agrorum depopulatores. Quarto qui homicidia, uel mutilationes in ipsis ecclesiis, uel cœmeteriis perpetrarint. Quinto qui proditorie proximum occiderint. Sexto, assassini. Septimo rei læsæ Maiestatis. Octauo quod idem cum superiore uidetur, in personam Principis insurgentes. Et quoniam ad prædictæ Bullæ formam omnia sunt redacta, & moderata, quidquid fit iuxta antiquiora iura, his expressis casibus stãdum erit. Et ibi decernitur, quod in casibus in quibus delinquens ecclesiæ immunitate non est tutus, Iudex sæcularis propria authoritate ab ecclesia extrahere nõ põt, sed licẽtia ab Episcopo dari dẽt, uel ab eius Officiali, seu Vicario, & cum interuentu ecclesiasticæ personæ ab eo authoritatem habentis, ad quos solos, & non ad alios inferiores, hanc facultatem impertire pertineat, nisi in casu quo ipse Episcopus requisitus illos reos tradere recusauerit. Quodquè prædicti laici delinquentes postquam ab Ecclesia educti fuerint, ad carceres ecclesiasticæ curiæ reponi debent, ut loci Ordinarius cognoscere possit, an tales rei huiusmodi delicta commiserint.

Et sane ad ecclesiam confugiẽtes, & immunitate gaudentes his priuilegiis potiuntur. Primo ut inuita ecclesia extrahi non possint. Secundo ut in ipsa ecclesia aliqua uis inferri nequeat. Tertio ut bonis suis, aut rebus quas secum in ecclesia tulerint, non spoliẽtur. Quarto ut non impediantur ne ii habeãt alimenta, & alia ad humanum uictum necessaria. Quinto ut quàmdiù in ecclesia sunt, ad mortem, uel corporalem pœnam damnari nequeant, & ære alieno etiam publico obstricti, uel etiam decoctores, etsi suspecti de fuga, inde extrahi non possint. Sexto ut per uim ab ecclesia abstracti eidem restituendi sint, & omne damnum illi, uel eius hæredibus illatũ Iudex restituere debeat. *Turrecrem. in cap. sacrilegium. 17. quæst. 4. & Valentia. 3. p. disp quæst. 15. pũcto 1. Bonac. l. c. §. 5. & 6.*

Porro certum est ecclesiasticæ immunitatis uiolatores præter alias pœnas temporales in excommunicationem incurrere; à qua tamen, ut communiori Doctorum sententiæ placet, Episcopus absoluere potest, facta restitutione, & satisfactione ab eo, qui in ipsam censuram inciderat, modo eam exhibere queat; nullibi enim hic casus Summo Pontifici reseruatus reperitur. ergo Episcopo, uel ab eo deputato, ab ea liberare integrum est: multo magis ei absoluere licebit, si delictum sit occultum. ex Decreto *Conc. Trid sess. 24. c 6. Praxis Neap. d. c. 22. nu. 4. & 12. Bonac. l. c. §. 6. Megal. d cap. 2. num. 34. & alij.* De qua re alibi etiam ex subiecta materia mentionem fecimus; contra *Mar. Anton. lib 3. resol. 15. Filliuc. num. 155. Mar. Italiun. de immunit. eccles. cap. 6. §. 2. num.* 31. tenentes esse Papæ reseruatam.

IV. SVPPOSITVM.

Quarto demum præmitto contra Confessarios filias spirituales tàm in confessione, quàm extra solicitantes, uaria iuris remedia tàm à Summis Pontificibus, quàm ab Episcopis Dei zelo præditis, esse excogitata, & ad usum traducta. Nam præter grauissimũ peccatum sacrilegii, quod ipsi sacerdotes perpetrant, non solum dignitatis honorem amittere debent, sed etiam vsq; ad uitæ suæ exitum iugi pœnitentiæ subiiciendi sunt. *cap. ad limina. cap. omnes. cap si quis sacerdos. 30 quæst. 1.* Et ut de hæresi suspecti per hæreticæ prauitatis Inquisitores puniri possunt, si in actu confessionis, paulo post, uel ante, uel etiam absque confessione in loco ad confessiones excipiendas deputato hoc fiat. Pius 4. in Constitutione. Incip. *Venerabilis frater. Diaz. in praxi crim. cau. cap* 82. vbi *Lopez. Roder. tom. 2. qq. regul quæst. 26 Pegna in Direct. Inq. p. 2. quæst. 56. Coriol. de cas. res. p. 1. sect. 2. art. 22. & p. 2. casu. 9. praxi Neap. cap. 81. Bellonus in tract. de his quæ incontinenti fiunt. lib. 1. cap. 176. Quar. in Summa Bullar. v. confessor. Molfes. tract. 7. c. 24. Riccius in praxi Bulla contra solicit. resol. 65 & seq. Sanct. de hæresi cap. 46. Naldus. v. confessarius nu. 26. Barbosa de Episcopo. par. 2. Alleg. 40. & alij multi.*

Et ut tàm impium, & nefandum scelus, quod nõ solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiã nominari debet, procul à sacerdotib. arceatur, ne pro

medicina

medicina uenenum, pro pane aspidem porrigant, & ex cœlestibus medicis infernales venefici, & ex patribus spiritualibus execrabiles animarum proditores reddantur. Gregorius XV. nunc sedens, Bullā illam Pij IV. innouans, & extendens in sua Constitutione. *Incip. Vniuersi Dominici gregis*. statuit, ut sacerdotes qui ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, siue ante, uel post, immediate, seu occasione, uel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue ut dixi, extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quocunque, ubi sacramentales confessiones audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibi confessionem audire, sollicitare, uel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis seuerissime puniantur. Ibique mandat omnibus confessarijs, ut suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, ut supra, solicitatos, moneāt de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs. Quod si hoc officium prætermiserint, uel pœnitentes docuerint non teneri ad denuntiandum, eos ijdem locorum Ordinarii, & Inquisitores pro modo culpæ punire non negligant.

Multorum etiam Episcoporum in hac parte desudauit industria, nam inter casus quos sibi reseruarunt, ut hic Bononiæ, adest quæcunque copula carnalis etiam tantum attentata, cum filia spirituali, uel cum parochiana, ut explicauimus in *Comment. de cas. reser. & p. 2. cap 4. casu. 3. sect. 3.* Et Neapoli Confessarii filias spūales siue in confessione, siue extra ad pdicta inducentes, uel solicitantes, ipso facto sunt reprobati, atq; licentiæ eis concessæ statim reuocatæ censentur. ut prosequitur. *Graffius. de cas. reser lib. 2. cap. 12. & cons. 1. p. 1. tit. de cognat. spirit.*

CASVVM, AC QVAESTIONVM resolutio.

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic præhabitis inspectionibus, ad quæstionum resolutionem deueniendo, quò ad primam quæstionem, qua quærebatur an Iulius Episcopus generale interdictum in suos clericos, charitatiuum subsidium subministrare renuētes, infligere potuerit, dico illum Episcopum, generale interdictum contra charitatiuum subsidium denegantes apponere non potuisse; nam pro nullo pecuniario commodo, absq; speciali Apostolicæ Sedis licētia, illud inferre licet, ut est textus. *Bonifacij VIII. in Extrauag. Prouide. de sent. excom.* Vbi pro rōne, quæ edicto causam dedit, adducit, quod sunt nonnulli Iudices nimis prompti ad proferēdas interdicti sententias, etiam in negotiis, quæ interdum plus ex cupiditatis, quàm ex charitatis radice, perspicuis indiciis procedere arguuntur. Quodque interdicti tempore diuina organa suspenduntur, & laudes, nec ecclesiastica sacramenta ministrantur, ut solent, tolluntur mortuis suffragia, præsertim per frequentē oblationem salutaris hostiæ; adolescentes, & paruuli rarius sacramenta participantes, minus inflamantur, & solidantur in fide. fidelium tepescit deuotio, hæreses pullulant, & animarum pericula multiplicant.

Atque sic resoluit. *Barth. de Belincinis in tract. de charit. subsid. q. 25. & Riccius in Praxi de charit. subsid resol. 87.* Vbi tñ *ex Calder.* & alijs excipiunt, nisi subditi illud soluere detrectātes fuissent propter hoc ab Episcopo excommunicati, quoniam si non obstante excommunicatione, in contumacia persistant, Episcopus illud generale interdictum infligere posset; quę tamen limitatio non placet ob expressam Pontificiam sanctionem, vbi supra relatam.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico, quod illi laici qui ob violata ecclesiæ pręcepta, interdicto innodati, vbi bis ecclesias visitarunt, & eleemosynas, ac ieiunium præstiterunt, Iubilęum consecuti sunt, si deinde tempore præscripto cōfessi sunt, & in gratia sanctissimam communionem sumpserūt; cum sufficiat prout dictum est, vt diuinæ gratiæ participes eo die sint, quo Iubilæum, seu indulgentia terminatur, ac perficitur. *Zerula ex communi in Praxi pœnit. cap. 10. quæst. 37. & in Praxi Episcopali. v. Indulgentia. §. 10. & DD. in 2. præludio citati.*

Et nulla fere dubitatio est tàm apud Theologos, quàm Iuristas, interdictum ab ingressu ecclesiæ sicut & suspensum posse priuatim in ecclesiam ingredi, atque ibi eo tempore, quo diuina non celebrantur, ipsas ecclesias, & altaria visitare, confiteri, & Iubilæum adipisci. ut per *Archid. Dominic. & alios in cap 15. cui. de sent. excommun in 6. & Benzon. lib. 5. cap. 15. dub. 29.* vbi ait, Licet quis etiam ab en interdicto non absolueretur, quod tamen non est in anno sacro Romę difficile obtinere, posset ecclesias visitare, ac confiteri, atque etiam à culpa absolui, priuatasque preces tempore, quo diuina non celebrantur, fundere, & sic fructum sacri Iubilæi acquirere. hæc ille.

Aduertendum tamen est, hos laicos in ea parte ab interdicto immunes esse, quæ doctrinæ christianæ officium spectat; nam licet parentum negligentiam in docendo filios, aut curando, vt in scholis orationem dominicam, symbolum fidei, & Dei præcepta discant, mortale peccatum esse valde probabiliter multi Doctores affirment. *Sà v. parentes. Reginal. cap. 20. num. 42. Sayrus. lib. 7. cl. reg. c. 7. nu. 1.*

Ex

Ex declaratione tamen sacræ Congregat. Cardin. Ordinarius non potest mulctis, & pœnis, etiam in casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ, pueros ad discendam doctrinam christianam cogere, etiãsi hoc fieri noluerint in oppidis, villis, & alijs locis extra Ciuitatem. Nec valet quod *Concilium Trident. sess. 24. de reform. cap. 4.* cauit, posse per censuras cõpelli, quia ibi de illorum cõpulsione loquitur, quorum interest eam docere, & non de compulsione puerorum, seu parentum ipsorum. Sicuti etiam non potest per hunc Concilij locum mulctis, & pœnis, etiam in causa notabilis negligentiæ, & contumaciæ, cogere populum ad audiendam missam, & sacram concionem in parochiali ecclesia. vt refert *Zerula in Praxi Episcopali. v. doctrina christiana. Barbosa in remiss. ad d. cap. 4. & de Episcopo. par. 3. Allegat. 76. nu. 38. & Ingolus. de Parochorum officio l. 3. c. 1. & 9.* Vbi subdit, Nihilominus Parochi sæpe admonere debent parentes, propinquos, tutores, & alios, quorum curæ sunt pueri commendati, vt eos mittant ad parochias omnibus diebus festis, vel saltem dominicis, ad doctrinam christianam addiscendam. Et vt facilius ad id peragendum parentes, & alij superius enumerati, inclinentur, post explicatam huius rei necessitatem, & vtilitatem, indulgentias, quas Pius V. Gregorius 13. & Paulus V. eis, qui huic pietatis operi cooperabuntur, concessit, publicabunt. Consentit. *Zerula. l. c. p. 2. in v. doctrina christiana. Vgol. de officio Episcopi p. 1. cap. 6. §. 2. Possen. de offic. Cur cap. 4.* At *Barbos. d. Allegat. 76.* ait, his temporibus prout in Hispania receptum est, Præsulem posse censuris subditos compellere, vt doctrinam christianam discant, & Parochos vt eam doceant, vt etiam ex multorum relatione tradit. *Campanil. in Diuers. Iur. can. rub. 11. cap. 14. num. 8.*

MONITVM, & documentum.

SAne omnes laici præsertim parentes cauere debent, ne curam spiritualis salutis sibi commissæ multitudinis, conditioni propriæ accommodatã negligãt, non modo quia vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo. *Eccles. c. 17.* sed spectato spirituali sui muneris fine, ad quem sine dubio tanto facilius inflectent, quanto religiosiores erunt, & probiores, cum pietas ad omnia vtilis sit. *1. ad Timoth. 4.* & ad *Ephes. 6.* Vos patres, inquit, educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini. Quibus addo, quod pios facere ideo in Rectoribus pietatis argumentum est, quia vnicuique producere innatum est sibi simile; idque verba illa Danielis docent. *cap. 13.* Parentes enim illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Docet sanctus Tobias filios à parentibus, secundum Dei timorem in puerili, ac tenera præsertim ætate instituendos esse. Sunt enim filij sicut arbores infirmæ, quales sunt hedera, vitis, & aliæ huiusmodi, quæ nisi alicuius parietis, aut ligni adminiculo de terra erigi nequeũt, quod si rectum est, ipsa quoque arbor recta, si obliquum, tortuosa producetur. Cum enim paruuli nihil fere in tenera ætate cognoscant, aliorum facile ductum sequuntur. Quare si rectus est pater, rectaquè filios doctrina imbuat, recte illi per viam virtutis incedent; quod si obliquus sit, & à virtutis semita deflectens, ipsi quoque ab eodem tramite declinabunt, & oblique succrescent. Quare Dauid *Psal. 111.* non sine causa dixit, Beatus vir qui timet Dominũ, potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur, hoc est filij rectorum, timentium nimirum Deum, recti ipsi ac potentes erunt. Vrsa, inquit *D. Ambros. l. 6. Exam.* fertur informes edere partus sed natos lingua fingere, atque in speciem sui, similitudinemquè formare. Non miraris in fera tam pij oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui speciẽ effingit, & tu filios tuos recte instituere similes tui non potes? *Iustin. in Tobiã. c. 1. Siluius Anton. Card. de liber. educ. l. 1. c. 4. Catec his. Rom. super 4. præcept. Mangos. in Monit. sacris Monit. 66.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. dubitationem respondendo, illud mihi dicendum videtur, Iulium Episcopum non peccasse, imo laudabiliter fecisse, cum Bernardum qui spe ad Ecclesiam Cathedralem confugiẽdi, homicidium in homine inimico commisit, ex ipsa ecclesia extrahi iussit, & in carcerem detrudi, nam etsi graues Doctores senserint, delinquentem prope tẽplum spe ad illud tanquam asylum perfugiẽdi, immunitate gaudere; tùm quia qui tempore iubilæi peccat, cum spe absolutionis obtinendæ, confitendo postea, illud consequitur, vt supra præmisimus; tùm quia ad casus in Bulla non expressos extẽsio non est facienda, in ea autem solum in ecclesijs, vel cæmiterijs, homicidia, vel mutilationes patrantes exprimuntur; atque ita cum *Suarez, & Deciano tenet Bonac. disput. 3. de legibus. quæst. 7. §. 4. num. 13.*

Contrariam tamen sententiam veriorem, ac in praxi tutiorem censeo, in ecclesia eum non esse tutum, quia prope ecclesiam delinquendo, sub spe, & fiducia illius immunitatis deliquisse videtur, quo casu ipsius immunitatis priuilegium cessare fatendum est. Et præsumptio hæc optima quidem ratione nititur, ne domus Dei spelunca latronum fiat, & ne hoc priuilegium, quod ob reuerentiam, quæ ecclesijs, & alijs locis sacris debetur, concessum est, ad malum tendat, & improbis hominibus delinquendi ansam præbeat, contra *text. in cap. est iniusta 23. quæst. 4.* Et hanc sententiam tuetur *Alciat. de præsumpt.*

*sumpt.reg.3. Menoch.lib.5.præsumpt.10. Ambros.de immunit.ecclesia.cap.5. Ricciusin Praxi var.resol. resol.*805. multos referens, & *Farinac. de carcer. & carceratis.q.28.n.*56.vbi refert.in una causa Panormitana sic Clementem VIII.Pont.Max.resoluisse.

IV. Q. RESOLVTIO.

QVò ad 4. quæstionem,illa resolutio mihi pariter producẽda videtur, Confessarium qui per interpositam personam, puerum filiũ suum spiritualem, extra confessionem ad turpia solicitauit, in suspensionem,ac interdictum ab Episcopo latum incidisse; nam quò ad primam partem,licet illud Decretum de solicitante loquatur, mandantem tamen puerum ad turpitudinem perpetrandam comprehendit; Ille enim facere dicitur,qui id agi iubet, & is damnum dat,qui præcipit damnum dati. *cap. qui per alium.de reg.iur.in 6.cap.fin.ext.de iniurys, de damno dato.*arg *cap.mulieres.de sent.excommun.* Vbi mandans clericum percuti, excommunicatus est sicut percutiens. Et ille loqui dicitur,qui sermonem suum per alium explicat, vt proinde verba rõtractus matrimonij per tertiam personam expressa, per se expressisse dicatur. *Gemin.in cap.fin. dist.*8. *Graffius.consf.*1.*tit.de cognat.spirituali*. arg. etiam *cap ex parte.ext.de restitut.spol.* Vbi remedium recuperandæ possessionis tàm contra spoliantẽ,quàm contra mandantem spoliari interponitur, & ratio illa à *Menoch.in tract.de adipiscen.possess. remed.*21. affertur, quod pœna contra agentem inflicta, contra etiam iubẽtem procedit; quem sequitur Riccius casum nostrum sic resoluens. *in Praxi Bulla contra solicit.resol.*65.

Si tamen fœmina in confessione, vel prope,siue in loco destinato,confessarium solicitet,& hic consentiat, harum Constitutionum pœnas non subit,si quidem in Bullis pęnæ non confessariis fornicariis, & sacrilegis, sed solicitantibus imponuntur,at hic confessarius non pœnitentem mulierem solicitat, sed eius libidini consentire dicitur.Et cum hic casus raro accidere soleat, ideo legis dispositioni non subiacet. *l.nam ad ea.ff.de legibus.* Et in Edictis argumentum à contrario sensu locum non habet.ex.*Bal de sua cap.cum omnes.ext.de constit.Riccius.resol.*67. *Sanct.d.cap.*46.*dub.*1.

Et quò ad 2. partem,etsi Constitutiones pœnas infligentes contra confessarios solicitantes filias spirituales ad turpia, de solis mulieribus passiue loqui videantur,nihilominus fatẽdum est,contra eos qui pueros mares ad nefandum crimen patrandũ prouocant,locum sibi vendicare;nam licet in pœnis regulariter non sit facienda extensio. *cap.in pœnis.de reg.iur.in* 6. Hoc tamen non habet locum quando eadem,& maior ratio militat,& eadem disponentis mens concurrit, cũ multo grauius sit flagitium, qđ cum puero, quàm quod cum muliere committitur. *cap. adulterij malum.* 33.*quæst.*6. Atque sic tenet *Graffius.d.consf.*1 *de cognat.spirit.num.*45 *Quaranta in Sũma Bullar.inv.confessarius. Roder.in qq.reg. tom.*2.*quæst.*27.*art.*3. *Riccius.l.c. resol.*66.*Molfes. tract.*7.*cap.*24.*num.*34.*Sanct.de hæresi.cap.*45.*dub.* 1.*Megalus.lib.*1.*p.*1. *Institut.confess.cap.*5.*nu.*32. Et huic sententiæ subscripsimus in *Comment.de cas. reser.p.*2.*cap.*4.*sect.*3. Vbi etiam *sect.*6. eisdem rationibus,quidquid sit de reseruatione, in qua specialis mentio fieri solet, annotauimus clericum luxuriæ causa cum brutis se fœde commiscentem, in pœnas à Pio V.in Constitutione. Incip. *Horrendum illud scelus* inflictas incidere, ex eodem *Roder.in Sũma.p.*1.*cap.*219. *& Quar.v.sodomia. Riccio in Praxi* contra *sodom.resol.*59.*Rolãd.vol.*1.*consf.*7.contra *Sanct.de Apostasia.c.*4.*dub.*2.*nu.*9. vide supra *tract.* 7.*cap.*28.*quæst.*115. Quò loci etiam *quæst.*114.resoluimus,Sacerdotem qui in has,vel similes pœnas incidit,non teneri statim se officio,vel beneficio abdicare, si hoc sine sua infamia fieri nequeat, cum lex naturalis de tuenda fama, omni iure humano potior sit,per ea quæ scripsimus supra *tr.*5. *c.*8.*q.*55.

Nec minus prædictæ nostræ resolutioni officere debet, quod Confessarius eius pueri confessionem audiendo,ipsum nõ absoluerit;dicitur enim filius spiritualis ille,qui peccata sua confitetur,licet absolutionis beneficio non donetur. *cap. ad limina.* §.*fin.*30.*quæst.*1. Et confessio sacramentalis dicitur ad sacrum seruandum sigillum obligans, modo sacerdoti tanquam Iudici,in foro pœnitentiali animo subijciendi se clauibus ecclesiæ fiat.ut per *DD.in c. omnis.ext.de pœnis.& remiss.*

Tùm quia dolus,& fraus nemini patrocinari debẽt.*cap.*1.15.*quæst.*6.Sed confessarius posset absolutionem denegare, ne pœnitens filius spiritualis fieret, & sic ecclesiasticas censuras eluderet, ergo dicendum est suspensionis, & interdicti pœnis affici. *Graffius.l.c.& de cas.reser.lib.*2.*cap.*12.*Riccius.l.c. resol.*68.

QVAESTIO XXVII.

An peccauerit mortaliter, & in interdictum inciderit Episcopus qui super Concilij Tridẽtini Decretis interpretationes edidit; & an eandem culpam, & pœnam subierit, cum quædam esculenta, & poculẽta munera in visitatione accepit. Quid itidem si cuiusdam hospitalis agrum inconsulto Papa alienauit, credens eius conditionem meliorem facturũ. Vtrum suspendere potuerit sacerdotẽ ordinatum sede vacantè dimissorijs à capitulo cõcessis.

SImplicianus Episcopus vir satis studiosus, & in ecclesiasticis sanctionibus versari solitus, quasdam

dam interpretationes super Cōcilium Tridentinū, ex catholicis Doctoribus sparsim desumptas, composuit, ac sine Summi Pontificis concessu in lucem edidit.

Itidem dum suam diœcesim ex eiusdem Concilij præscripto visitaret, præter solitam procurationem, quædam munera esculenta, ac poculēta, à quibusdam Parochis accepit. Tertio cuiusdam hospitalis domus uineam permutando, absque Pontificio assensu alienauit, certo credens eius conditionem meliorem facturum. Quarto Liuium sacerdotem, per duos annos à diuinis suspendit, eo quod sede vacante, dimissorialibus literis à capitulo concessis, ad sacerdotium absque causa sit promotus. Quæritur an in his quatuor casibus animam suam lethaliter sauciauerit, & in aliquam censuram inciderit.

I. Q. RESOLVTIO.

RESpond. Ad 1. quæstionem respondendo, suppono extare Pij IV. Constitutionem, quæ incipit, *Benedictus Deus*, in qua interdictum ecclesiæ latum est contra quoscunque Prælatos, qui sine Pontificia authoritate, audent super Decretis Concilij Tridentini, vllos Commentarios, Glossas, Annotationes, Scholia, aliudue interpretationis genus edere. Quod extenditur etiam contra præsumentes quocunque nomine, aut quæsito, colore, uel prætextu maioris corroborationis, aliquid statuere. Quā nihilominus sanctione non obstante, aliquorum doctissimorum virorum est sententia, prædictam Bullæ prohibitionem solum procedere in illis difficultatibus, & interpretationibus, quæ peculiari ipsiusmet statuentis, & legislatoris declaratione egent, non autem in illis locum habere, quæ ex iuris regulis, & Doctorum resolutionibus decisæ manent, quia aliter necessario pro decisione cuiusque dubij super aliquo Concilij Decreto excitati, & in ipsomet non decisi, reiecta iuris dispositione ad Sedem Apostolicā recurrendum esse dicēdum foret. Et omnem iuris interpretationem non esse prohibitam, sed illam tantum, quæ fit prout vnicuique libet, & ex proprio capite hauritur, ex eiusdem Bullæ procemiali ratione colligunt, quæ his verbis enunciatur, Ad vitandam præterea peruersionem, & confusionem, quæ oriri posset, si vnicuique liceret, prout ei liberet, in Decreta Concilij commentarios, & interpretationes suis edere. &c. Vt inter alios sētire vr. *Suarez. tom. 5. d. 23. sect. 3. num. 12. Reginal. lib. 20. num. 53. Bonac. de legibus. d. 1. quæst. 1. pun. 8. Barbosa in proemio ad remiss. Concilij Tridentini, & de Episcopo. par. 3. Allegat. 50. num. 133.* Vnde si Simplicianus Episcopus his rationibus ductus, bona fide suas interpretationes inconsulto Romano Pontifice edidit, tàm à culpa quàm ab interdicto immuni censeri posset; quandoquidem bona fides semper à peccato excusat, & vbi non est culpa, pœna non debetur. Et ut sæpius meminimus, Pœna imposita cōtra audentes, vel præsumentes, non incurritur ab eo, qui absque dolo, & contemptu aliquid agit, ut tradit *Cardin. communiter receptus in Clem. 1. quæst. 39. tit. de Priuileg.* Veruntamen cum prædictæ Bullæ repugnare videatur, quoscunque Commētarios, & interpretationes, super S. Concilii Decretis statuere; & difficultates, ac controuersias, si quæ ex eis ortæ fuerint, sibi tantum decidēdas, ac declarandas Apostolica Sedes reseruauerit, & communis Romanæ curiæ praxis ei faueat, credo iuste à S. Cardin. Cōgregatione eas supprimi, ac prohiberi posse; ut proinde ipse Episcopus in posterum maturo consilio agere discat, ne si quid inconsulto in rebus seriis faciat, pœnitendi postea cām cum malo aliorū exemplo hēat tot. n. Prælati pœnis digni sunt, quot aliis offensiones, & scandala præbent. *Castrens. lib. 1. consil. 40. 41.*

CONSECTARIA monita, & documenta.

SAne scribendi, ac componendi libros labor in ecclesiastico præsertim viro cōmendandus est, siquidem, ut quidam pius Scriptor tradit, Vnius ætatis sunt quæ fortiter fiunt, quæ uero pro publica (si tamen pro fine in ecclesiæ gloriam in rebus vtilibus, & seriis labor hic insumatur) vtilitate scribuntur, æterna sunt: Et Deo, ac Angelis gratissimū est, alios ad bona opera libris, & literarum monumentis, quæ perpetuo concionantur, incitare, & à malis retrahere. Hinc Franc. Pius Mirand. in vita Ioannis Pici patrui scribit, non longo post obitum Ioannis tempore, ipsius spectrum cuidam religioso apparuisse, eique dixisse, torqueri se expiatoriis pœnis, eo quod non satis diligenter, & fœcunde, talentum sibi à Deo creditum eruditionis, & ingenii, multiplicasset, &c. ut refert etiam *Mart. Delrius. lib. 2. Disq. Mag. quæst. 26. sect. 5. & Daur. in florib. expl. cap. 6. tit. 22 exempl. 8.* Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. *Eccles. c. 3.* Triplex namque nobis est mater, vna carnis, qua nos in hâc lucem edidit, quam honore afficere præcepit nobis Deus. *Exodi cap. 20. & Eccles. cap. 7.* Secunda est ecclesia, quæ in Christo per baptismum nos regenerauit. Quam etiam matrem qui honorat, colit, ac tuetur, quasi sibi thesaurizat, ac plurima bona sibi coacernat, & æternam salutem comparat. Tertio est B. Maria Virgo, quam Christus com munem generis humani matrem constituit, quam qui honorificat, thesauros sibi acquirit, plurima enim tùm corporalia, tùm spiritualia beneficia à Deo eius precibus, ac meritis, hominibus præstantur. Hinc

D. An.

D. Anselmus l. de excellentia B. M. V. ad Mariam, inquit, conuersus, & ab ea conspectus, impossibile est ut pereat. *Mangot. in Monit. Mar. Monit.* 1. vbi etiam refert, quod cum Rupertus Abbas Tuitiensis vir excellenti doctrina, ingenio tardior esset, precibusquè apud B. V. Dei matrem instaret, ut sibi à filio scripturarum intelligentiam impetraret, Mater illa gratiæ ei apparuit, denuntians eius preces à se auditas, tantumquè ei lumen impertitum iri, ut nullus eius ætatis doctrina ei æquari posset, tantum videret, ne id talentum in terram defoderet, sed strenue in Domini vinea exerceret; quod quidem ab illo abunde perfectum constat, nũquam ne deinceps à legendo, vel scribendo destitit.

II. Q. RESOLVTIO.

Secundam quæstionem breuiter pariter expediam, supponẽdo ab Episcopo vigilandum, & studendum esse, ne in visitatione, quæ est præcipuũ eius munus, magis destruat quàm ædificet, scandalum populo, & gregi præbẽdo, quod facile eueniet, si grauitatem, & modestiam non seruabit, si immoderatis sumptibus, grauis, & onerosus fuerit, si auaritiam sectetur, quærens quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. *Barbos. de Episcopo. p. 1. tit. 2. gloss.* 10. *nu.* 21. Ob id enim in iure cauetur, ut Episcopus in ipsa visitatione præter procurationem, ab ecclesijs nil muneris accipere possit, sub pœna maledictionis, & duplum intra mensem restituendi, & post mensem interdicti ingressus ecclesiæ; non obstante partium remissione. *cap. cum Apostolus. c. procurationes. ext. de censibus. cap.* 1. *§. procurationes. cap. exigit. eodem tit. lib.* 6. *Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 3. vbi hęc verba habentur, Visitationũ autem omniũ istarum præcipuus sit scopus, sanam, orthodoxamquè doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus, & admonitionib. ad religionem, pacem, innocentiamquè accendere: cætera prout locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere. Quæ ut facilius, feliciliusquè succedant, monentur prædicti omnes, & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoq. zelo, omnes amplectantur; ideoq. modesto contenti equitatu, famulatuquè studeant, quàm celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere. Interimquè caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquã graues, onerosi ve sint, ne ue ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa, pro visitatione, etiam testamẽtorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda, &c. Imo Episcopus uisitando, de proprio quando clerici, uel ecclesiæ Rectores pauperes sunt, & indigent, viuere debet. *Azor. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 22. *quæst.* 9. *Vgol. de officio Episc. p.* 2. *cap.* 49. *§.* 2. *Barbos. p.* 3. *Allegat.* 73. *nu.* 51. *& seqq.*

Vnde ex his ad quæstionis decisionem deueniẽdo dico, quod si hic Eps Glos. & Doctorum satoris aliquorum doctrinæ, & authoritati innirens, qui in *d. cap. exigit* dicunt, quod consulte facit uisitans, si ab omni munere abstinet, *cap. sunt nonnulli.* 1. *q.* 1. Nam ut ait, *Seneca de breuit. vitæ cap.* 11. Corruptiones plane, ac stupra, ut sic dixerim, æquitatis, ac iustitiæ sunt munera; cum enim aurum loquitur, nihil habent uerba uirium; attamen si modicum esculentum, uel poculentum amicitię causa accipiat, ira ut uerisimile non sit rãtum uirum ut est Episcopus, à recto deflexurum, nec dantem pauperiorem factu rum, etiamsi illud domum asportet, non habere locum pęnam illorum Canonum, si inquam exiguum sponte oblatum suscipiat, tuta conscientia retinere poterit, iuxta illud, Inhumanum est à nemine accipere, sed passim uilissimum, & omnia auarissimum. *l. solet. ff. de offic. Procons. & Leg.* Multa enim ab amicis ex animi beneuolentia dantur, alia dantur ita le uia, ut nulla possit esse corruptulæ suspicio, præsertim cum post factum porriguntur. *arg. cap. etsi quæstiones. ext. de simonia. Boerius. decis.* 153. *Menoch. lib.* 2. *de arbit. iud. cent.* 6. *casu* 517. *& de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 8. *Farinac. de var. crim. quæst.* 111. *art.* 9. *Tiraq. de iud. in rebus exig. num.* 83. *Zerula in Praxi Episcopali. in v. visitatio. §.* 6. *dub.* 1. *Cherub. schol.* 1. *ad Bullam.* 3. *Pauli.* 2.

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. quæstionem dico, quod si hic Episcopus Administrator, aliquorum probabilem sententiam secutus, vineam Xenodochij cum alia seculari permutando, absque alia iuris solemnitate. i. Pontificis assensu, alienauit, existimans, ac sibi certo persuadens, rem ipsi pro loco utilem futuram, tàm à mortali culpa, quàm à censura interdicti immunis erit, conformiter ad *Extrauag. Ambitiosæ. de rebus ecclef. non alien.* ut deducitur à *Quaranta in Summa Bullary in v. alienatio. num.* 34. *Mascardo de probat. vol.* 1. *concl.* 75. *num.* 7. *Mantica de tacit. & ambig. lib.* 25. *tit.* 6 *num.* 60. Vbi cum multis resoluunt, alienationem, uel permutationem, sine solẽnitate factam, si ecclesiæ utilis sit valere: nã cum forma iuris positiui prætermissa nulla sit alterius lęsio, & eorum adsit consensus, qui secundum naturale, ius, uel gentium, actum perficere debent, utique in

animæ

animæ toto sustineri posse probabiliter asserunt.

Verum quia hodie etiam in casibus à iure permissis, res Ecclesiæ, vel alterius pij loci, inconsultò Romano Pontifice, nisi iuxta formam d. Cōstitutionis alienari non possunt, & in praxi, & ex stylo curiæ cōtraria seruatur opinio, consultius erit vt Apostolicæ Sedis consensus petatur, quò alienationem ratam habeat. *vt per Riccium in praxi fori Eccles. decis.* 7. Nisi tamen sit rerum ecclesiasticarum inter se permutatio, quæ sola Ordinarij authoritate fieri potest. *vt per eundem Ricc. resol.* 77. *& Barbos. de Episc. Alleg.* 95. *l.* 5. *n.* 55. vide quæ diximus sup. *tract.* 9. *c.* 21. *q.* 66.

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. sic breuiter resp. Simplicianum non peccasse, nec in aliquam censuram incidisse, cum Liuium à diuinis per duos annos suspendit, vel suspensum declarauit, eo quod absque legitima causa, literis dimissorijs à capitulo sede vacante concessis ad sacerdotium sit promotus, aperta enim, & clara est sanctio *Trid Conc. sess. septima, cap. decimo, de reformat.* Capitulum sede vacante non nisi elapso anno à die obitus Præsulis posse dimissorias concedere, nisi ecclesiastici beneficij recepti, vel recipiendi occasione quis arctatus fuerit. Si secus fiat Capitulum contraueniens ecclesiastico subiaceat interdicto, & sic ordinati si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudeant, in maioribus verò, ab executionibus ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso iure suspensi. *Zerula in praxi* 1. *p. v. capitulum. Quar. in sum. Bulla. v. capitulum sede vacante. vers.* 14. *Riccius in praxi var. resol. resol.* 98. *Barb. de* Episc. *p.* 2. *alleg.* 7. *nu.* 12. Nam licet Capitulum sede vacante, ea omnia exercere queat, quæ iure communi ad ordinariam Episcopi iurisdictionem spectant, intelligitur tamē exceptis nōnullis speciatim à iure prohibitis. *Panin. de potest. cap. p.* 11. *Syl. v. capitulum.* §. 2. *Tusch. in v. capitulum concl.* 56.

Finis Tractatus Vndecimi.



ARTICVLI, QVÆSTIONES, ET CASVS super Irregularitate formati. Cap.I.

QVÆSTIO I.

Verum inducens socium vt alienam vineam furti causa intraret, irregularis fiat, si ille à vinea custode occidatur. Dans consilium ad homicidiū committendum, an illo secuto sit irregularis etiamsi consilium reuocauerit; an vi Iubilei dispensari possit; & num pensionis collatio ei facta valeat?



LVDOVICVS sacerdos Philibertum sociū, & clericū induxit, vt alienā vineam capiēdi vuas ad comedendū causa intraret, q ab ipsius vineæ custode occisus est. Item ad quoddā aliud homicidium consilium dedit, sed statim reuocauit, qua tamen reuocatione non obstante, occisio secuta fuit; & insuper mandatarius occiso 50. aureos surripuit, Quod quidem delictum cum occultum, & secretum esset, celebrare præmissa confessione non destitit, quippe qui in quodam sacello ex testatoris institutione, quotidie rem sacram facere tenebatur. Cū autem ab Apostolica sede Iubilæum emanasset, in quo cuilibet approbato Confessario facultas absoluendi à quacunq; censura dabatur, generalem confessionem fecit, & humiliter petijt, vt à quacunq censura, impedimēto, & inhabilitate, si qua detineretur, Cōfessarius ipse à se electus eum liberaret, quod ab eo factum est; postmodum nonnullis transactis diebus, pensio septuaginta aureorum in eundem à Papa collata est. Quæritur Primo, an Ludouicus in utroq. casu sit irregularis, & an illos 50. aureos restituendi obligationi obnoxius sit. Secundo dato quod sit irregularis, an ab hoc canonico impedimento vi Iubilęi liberari potuerit, cū tantum à censuris absoluendi facultas concedatur. Tertio an supposito quod id non licuerit, pensionis collatio ualida fuerit, & quid in vtroq. foro consulere ei debeat Confessarius?

PRAEVIAE INSPECTIONES.

RESp. si, vt quidam scire dixit, Turpe est ciuem Romanum Romanas leges ignorare, multo magis indecens, & à recta ratione alienum erit, vt superius significaui, ecclesiasticos viros ecclesiasticas leges nescire, & ignorare; quarum præcipuę sūt, quæ censuras, & irregularitatem annexam habent. Ideo harum inscitia vix à graui peccato Cōfessariū excusabit, siquidem vincibilis ignorantia eorū, quæ quis scire tenetur, secundū se lethalis est culpa, etiāsi nullum aliud delictum sequatur; ex quo fit consequens, ait, *Sayr l 1.cl.reg.c 9.nu.31.* Confessarios, Episcopos, Iudices, Medicos, &c. ignorantes, quæ ratione officii scire tenentur, mortaliter peccare, nā q status sui sunt, debite exequi nequesit, si ea ignorāt. *Felician.de irreg.in proemio.Pegna in 3 p.ad Direct. Inq.Comment.127.Ric.p.3 dec.cur. Neap.dec.234. Vgol.de irreg.c.35.§.3.nu.7.*

Et quamuis irregularitas ipsa ecclesiastica censura non sit, vt falsò nonnulli putauerunt, & à peccatis absolui possit, qui irregularitatis impedimento, sicut & interdicti, & suspensionis vinculis, irretitur; quò etiam fit, vt in ipsius irregularitatis dispensatione, cum occulta est, & Episcopi facultati per c. *liceat* comperit, maior subiectio quò ad aliquem dispensandum requiratur, cum sine ipsa sacramēta percipi possint, vt ait *Sanch.l.2.de precept.c.11.n.9. & Nald.in v.absolutio à pec.nu.9.* Ex quo etiam alij intulerunt *Conc.Trident.cap. 6.sessione* 24. hanc potestatē dispensandi in irregularitate, solis Episcopis indulgere, vt per seipsos exercerent, neque possent alijs delegare, sicut absolutionem à casibus reseruatis alijs demādare eis integrum est, eo quod aiunt, à peccatis, & censuris absolutio magis ad animarum salutem necessaria quàm dispensatio sit. *Mar. Alter in tract.de cen.tom.2. disp 8. de suspen. c.3.concl.4.Barb.de Episc.to.2. alleg.39.n.14.* (quæ tā opinio in praxi nō recipitur.) Etsi inq̄ irregularitas cēsura nō sit, &c. cum nihilominus ab his quis abstinere dēat, q̄ illi dū irregularis manet, prohibita sunt, eius materiæ cognitio tàm clericis iam creatis, q̄ alijs futuris, & Confessarijs, pro vtroq. foro admodū necessaria est, vt fatetē ēt *Sayr.l.6.c.1.post Maiol. de irreg.l.5.c.51.n.7.Polanc.in Direct.Cōfess.tit.de irreg.Benzon.de Iub.l.5 c.15.dub.29.* Et certè quicūq. muneris sui scientia destituitur, ēt prudentia agēdarum rerū regula eū destitui necesse est, qua qui caret, quantis necessariò se difficultatibus induat, nemo nō videt. Et cum nil stolidius sit quàm ignoratæ artis scientiam profiteri, vt si quis curationum ignarus medicum se venditet; ita omnium stolidissimum est, regendi animas, & conscientias extricandi artem præseferre, quam quis ignorat; neque.n. in vno errore stabit hoc malum, sed ad inextricabile errorum labyrinthum deducetur, qui infortunato, & infelici exitu claudetur. *Scrib.de medico relig.l.1. c.1.& 2.* Hinc illa Taciti sententia, Morum, animorumque prouinciæ, nisi sint gnari, qui de ea consultant,

tant, se & rempublicam perdunt.

Porrò alias animaduertimus, triplicem esse debere Confessarij scientiam, nempe Iudicis, medici, & Doctoris, nam vt Iudici quædam est necessaria ad sacramenti valorem, vt scilicet sciat formam absolutionis, & distinctionem peccati mortalis à veniali, saltem in genere. Ad licitum vsum, quinque in particulari scienda sunt. Primò differentia peccati mortalis à veniali non modo in genere, verum etiã in particulari in singulis præceptis, saltem cõi modo, & ordinario. Secundò species peccatorum, numerus, & circunstantiæ. Tertiò quæ dispositio sit in pœnitente necessaria, & quæ occasio ab eo declinanda. Quartò quodnam peccatum annexam habeat restitutionis obligationem. Quintò quod crimen reseruationem, vel censuram inuoluat. In cæteris sufficit, vt dubitare sciat, & peritiores consulere. Secundò tanquam medicus duo præcipuè scire debet, Primò regulas communes, quibus quis à præcepto, & à lethali culpa excusari potest, vt est ignorantia probabilis, inaduertentia, impotẽtia, leuitas materiæ, metus etiam grauis, vt infamiæ, vel mortis. Secundò quæ remedia cuiq. peccato curando, & in posterum cauendo adhibẽda sint. Tertiò quatenus Doctor est, quinq; eum callere oportet. Primò de sacramentis quid sint, quæ materia, quæ forma minister, & effectus. Secũdò in particulari de eius partibus, Tertiò de matrimonio, impedimẽta, tũ impedientia, tũ dirimentia. Quartò vsuram, & contractus. Quintò simoniam, & irregularitatẽ, propter ecclesiasticos. *Filliuc. tr. 7. c. 1. & seq.* Videtur quæ ãdiximus sup. *tr. 7. c.* 35. *q.* 135. Vnde pro huius casus propositi, & aliorum qui proponentur, totiusq. materiæ clariori, & faciliori notitia.

I. SVPPOSITVM.

PRæmitto primo irregularitatis nomen, si illius vim spectemus, generaliter regulę priuationẽ significare, irregulare namq. dicitur illud, quod minimè canonicum, hoc est sine regula, & contra ecclesiæ normam existit. Hinc olim canonici, qui in communi vitam ducebant, & propè ecclesiam habitabant, & D. Augustini regulã seruabant, canonici regulares, seu clerici regulares appellabãtur, ad differentiam illorum canonicorum, qui communẽ hanc viuendi regulam omittentes, simpliciter canonici, seu canonici sæculares nominantur. Vt aduerti in *Comment. de hum. vit. stat. p.* 1. *c.* 9. Sed ecclesiastico vsu, quem in præsentiarum sequimur, specialiter impedimẽtum ordines sacros recipiẽdi, aut susceptos exercendi significat; cum. n. Iuris Pontificij regulæ indifferenter quoscunque ad ordinum susceptionẽ, & vsum non admittant, ij qui tales non sunt, quales sacri canones esse volunt, irregulares. i. extra regulam appellantur, & impedimentũ hoc irregularitas nominatur. Cuius causa efficiẽs sunt sacri Canones, seu potius Summus Pontifex, qui ipsam irregularitatem induxit, vt propterea nulla adsit, nisi iure expressa. *Auila p.* 7. *d.* 2. *dub.* 1. & 2. *Sayr. lib.* 6. *c.* 1. *Filliuc. tr.* 19 *c.* 1. *Coninch. d.* 18. *dub.* 1. *Bonac. d.* 7. *pun.* 1. *c.* 1. *de sent. & re iud. l.* 6. *c. cum medicinalis.* §. *fin. & c. is qui de sent. excom. l.* 6. & alibi passim.

II. SVPPOSITVM.

SEcundò diffiniri irregularitatem, vt sit canonicum impedimentum, ex facto, vel defectu proueniens, quo quis ob decentem Dei cultum, ad ecclesiasticos ordines promoueri, & iam promotus in eisdem ministrare prohibetur. Dictum est primo impedimentum, quia irregularitas ex suo genere non est vinculum, vel censura, sicut est excommunicatio, suspensio, & interdictum; nec est sententia, vel pœna, vt est depositio, & degradatio, quæ in pœnã delicti infliguntur, & quibus clerici in perpetuum, & toto ordinum vsu priuantur: sed est inhabilitas quædam, nam licet multæ irregularitates non sine causa. i. propter indecentiam, vt ex bigamia, vel iusta occisione contrahantur, non tamen ex culpa nascuntur, & ideò propriè absolutio à censuris, vinculis, sententijs, & pœnis datur, at verò cum irregularitas tollitur, non absolui, sed dispensari dicitur. Quò fit, vt absolutus à censuris ab irregularitate liberatus non censeatur, cuius etiam dispensationis expressa mentio fieri debet. *Mar. Ant. l.* 1. *resol.* 112. *cas.* 73. Hinc clausula illa, Teque à quibusuis absoluentes, &c. irregulari nõ prodest, ac proinde collatio beneficij ei facta non valet; quamuis in collatione d. clausula ponatur. *Paris. de resig. benef. l.* 4. *q.* 3. *num.* 40. & *seq. & l.* 8. *q.* 7. *nu.* 112. *Sayr. l.* 2. *de cẽs. c.* 5. *nu.* 6. & *l.* 6. *c.* 2. *nu.* 22. *Gutierez. l.* 2. *can qq. c.* 5. *nu.* 94. Et quãdo in Iubilęis datur facultas a pęnis, & à censuris absoluendi, ea ad irregularitatem non extenditur. *Suar. tom.* 5. *de cens. d.* 1. *sect.* 3. *num.* 4. *Molf. tr.* 3. *d.* 80. *Zerula in praxi. episc. p.* 1. *v. irregularitas. Sanct. de heresi. & c.* 4 *dub.* 8. *nu.* 8.

Secundò positum est illud verbum canonicum, vt ostendatur, omnem irregularitatem non à iure diuino, sed à canonico, & humano, seu positiuo iure descendere, & numquam ab homine imponi, vt aliæ censuræ feruntur. &c. Vnde sequitur S. Pontificem in omni irregularitate dispensare posse. Tertiò diximus, ex facto, vel defectu proueniens, vt duo præcipua capita explicentur, ex quibus omnes irregularitates tãquam ex fonte manant, nimirum aut ex delicto, quod in præsentia vocatur factum, aut ex aliquo defectu. i. quæ absque culpa contrahitur. Quartò inserta sunt illa verba, quo quis prohibetur, vt eius vis, & proprius effectus innuatur, quia

per eam quis ad primam tonsurã, & ecclesiasticos ordines recipiendos, vel in illis ministrandum inhabilis efficitur. In quo indicatur etiam discrimen à censuris, & alijs sententijs, quarum finis est delinquentis emendatio, & ecclesiasticæ disciplinæ conseruatio; siquidem propriè irregularitas ecclesiastica exercitia impedit, quatenus sunt ordinum vsus, cum per se primo diuinorum reuerentiam respiciat, quæ in ipsorum ordinum vsu seruanda est. *Riccius 3. par. decis. cur. Neap. decis.* 294. vbi propter hoc resoluit, clerico irregulari non posse ab episcopo interdici, ne sacro faciendo, vel missæ inseruiat; hoc. n. non esse actum ordinis, euidenter apparet quod de his sit, quæ etiam per meros laicos exerceri possunt, vt quotidiana praxis docet. Hinc quintò adduci est ob decentem Dei cultum, nam clerici, & alij ministri, qui Dei obsequio mancipati sunt, & in fortẽ Domini vocati, sancti, & impolluti esse debent, iuxta illud *Leuit. c.* 21. Homo de semine tuo per familias suas, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, &c. quæ omnia sancti Patres ad animi, & corporis vitia referentes, ab ecclesiæ ministris abesse debere grauibus verbis ostendũt. *c. Hinc etenim. d.* 49.

Quæ quidem irregularitatis labes licet censura non sit, cũ tamen grauissima pęna dignoscatũ, qñ ex delicto consurgit, ex culpa veniali non incurritur, sed lethalem culpam supponit, *vt per Sot. l.* 5 *de iust. & iur. q.* 1. *art.* 9. *Salon.* 22 *q.* 64. *ar.* 8. *Sanchez. l.* 9. *de matr. disp.* 32. *nu.* 14. *Filliuc. tr.* 19. *c.* 1.

Et regulariter ad eam incurrendam actus debet esse consummatus exterius, non autem interius tantum. Tribus verò modis actus consummatus exterius absq. interiori dari potest. Primò quia voluntas interna desit, quæ actum illum voluntarium, & moralem efficiat, vt si furiosus, vel dormiens aliquẽ occidat. Secundò quia desit voluntas actum etiam inuoluntarium reddens, prout culpabilis est, vt si qs excommunicatus ex naturali obliuione excommunicationis celebret. Tertiò quia effectus cuius ratione irregularitas est imposita, nullo modo sit voluntarius, ac præuisus; vt si quis in venatione casu omnino inuoluntario hominem interficiat. Quò fit vt per peccatum externum quantumuis occultum, nec probari possit, contrahatur, vt de censuris etiam Doctores statuunt, satis enim est ad hoc vt humana lex illos punire queat, q exterius prodierint, &c. Exercens tamen externum actum cum ignorantia comitante ab incurrendis censuris, & irregularitate ex delicto proueniente excusatur, & etiam à restitutionis obligatione immunis est. Propterea occidens hominem, quem feram esse credebat, ratione homicidij, ad restitutionem nõ tenetur etiãsi homicidiũ illud cõmisisset, si illam esse hominem cognouisset, nam externa illa actio iniustitiæ malitiam non habet, etiamsi affectus sit iniustus. *Sayr. in cl. reg. l.* 2. *c.* 9. *nu.* 24. *Filliuc. tr.* 11. *c.* 8. *q.* 9. *Bonac. de cens. d.* 1. *q.* 3. *p.* 1.

III. SVPPOSITVM.

Tertio his congruenter suppono, irregularitatem, prout dictum est, in duas species diuidi, prout quædam absque culpa contrahuntur, quæ oriuntur ex aliquo defectu. Secundò aliæ ex proprio facto descendũt, quibus ob delictum quis afficitur. Et planius dicimus ex sex potissimum capitibus cõsurgere. Primò ex iniusto homicidio, quo etiam includuntur consilium dantes, mandantes, aut opem ferentes. Mãdans tñ homicidium in persona vnius si in alterius persona committatur, irregularitatẽ non contrahit, quam voluntarium homicidium parit. *Barbos. de Episc. p.* 2. *alleg.* 39. *nu.* 52. Secundò ex defectu perfectę lenitatis, vt ex iusta occisione, vt apparet in iudice, qui ob commune bonum aliquẽ reum morti addicit, & etiã in teste contra reum testimonium ferente. Tertio ratione defectus sacramenti, vt est bigamia ex secũdis nuptijs prouenięs. Quartò ob defectum animæ, vt infidelitas, heresis, Dæmonũ obsessio, illiteratura, &c. Quintò à corpore, vt defectus natalũ, ætatis, & vitiũ in corpore, ut caducus vel comitialis morbus, &c. Sexto ex delicto, vt ex cẽsurarũ violatione, & ordinum mala receptione, & eorundem exercitio, ex infamia iuris, vel facti. Addo etiã ex reiteratione baptismi, &c.

I. Q. RESOLVTIO.

Præludijs his sic notatis dico Primò, Ludouicũ Sacerdotem cum Philibertum clericum induxir, vt alienam vineã vuas surripiẽdi causa intraret, propter quod illẽ à vineæ custode interfectus est, licet grauiter, iniustè, & impiè peccauerit, irregularitatem non contraxisse, cũ homicidium illud præter intentionem, & voluntatem ipsius Ludouici cõtigerit; nam quamuis rei illicitæ sic inducendo operam daret, res tamen illa ex se homicidij periculosa non erat. vt tenet *Henriq. l.* 14. *c.* 15. *§.* 3. *Salon.* 22. *q.* 64. *ar.* 8. *cont.* 3. *Sayrus l.* 7 *de cens. c.* 6. *nu.* 26. *& alij contra Nau. in relect. de furto. n.* 24. Cuius opinio tunc solum vera esse poterit, cum inducens nouit tale furtum esse opus homicidii periculo expositum, & illo fine, vt ille morti exponeretur, imputabitur enim cum ex illa actione, & inducentis cõsensu mors sequatur, homicidium illud simpliciter, vt aiunt, volitum dicendum erit, &c. Secundò dico cum ob malum consilium pariter ad perpetrandũ homicidium datum, secuto effectu, præter restituendi

di obligationem, quam subiit, irregularitatem con traxisse, etiam si consilium reuocauerit, cum enim consilium in fauorem illius sit, cui præbetur, ipse consulens quasi veneno occidentis voluntatem infecit, vt proinde consilium retractare ei non sufficiat, sed oporteat importunis precibus, & contraria suasione conari, ne illud executioni mandetur; quod si hoc illi persuadere nequeat, eum, cuius homicidium consuluit, admonere in genere tenetur, vt sibi caueat, aliàs secuto effectu irregularis efficietur, nisi satis probabiliter reuocationem sufficere bona fide putauerit. *Sayr l.7 c 3.nu.4. & seq. Auila.p.7.dub 6.sect.2.dub.7.Pet.Nau.l.3.de rest. c.4.nu.27.Vgol de irreg c 16.Suarez.tom. 5.d. 40. sect. 3.n.13. Filliuc.tr. 20.c.2.q.3.quidquid. Bonac. cũ nõnullis alijs senserit.de irreg.d.7.q.4.p.8.n.20.* Restituendi aũt illos 50. aureos lege nõ astringiť, cũ furtũ illud, nec directè, nec indirectè, vt DD. loquuntur, ab ipso Ludouico sit volitum. Quod etiã hoc exemplo manifestum fit, vt si quis iusserit aliquam fœminam libidinis causa rapi, & mandatarius in raptu ipsam occiderit, mandator de hoc homicidio non tenetur, quamuis raptus reus, cum ipse raptus causa libidinis fiat, nec ad ipsius mulieris occisionem immediatè, nec per se dirigatur, licet per accidens ipsa mulier de medio sublata sit. *vt per Beiam par.2.resp casu 27. Regium casu 21. Azor.p.3.l.2.c.8 & resolutimus etiam sup tr.11.c 7. q* 8. Cõtrarium uerò quò ad irregularitatem incurrendam statuitur, siquidem alicui mandans, vt aliquem illicite verberet, quãuis expressè prohibeat, ne occidat, vel mutilet, ea labe afficitur, si mandatarius fines mandati excedens, illum occidat, quia in culpa fuit, & hoc euenire posse cogitare debuit. *c.is qui.tit.de homicid l.6.Sayr.de cens.l.7.c.2.n.7.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico, hoc irregularitatis impedimentum vi Iubilæi tolli non potuisse, cũ à censuris tantum absoluendi facultas data sit; siquidem quando in ipsius Iubilæi, vel Bullarum Apostolicarum forma, confessarijs à S. Pontifice potestas conceditur, vtiã casibus reseruatis, & censuris absoluere valeant, ad irregularitatem non extẽditur, nisi eius specialis mentio fiat, vt docet *Nauar. c.27.n.191.* quem cõiter Doctores sequuntur, ut ẽt p *Ricciũ. decis.* 534 Licet aliqui falso contrarium senserint. vt *Sot.in 4.d.22.q.3.ar.1.Medina.1.2.q. 96.art.4.Salon.& Arrag.2.2.q.64.art.8.*

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. dubitationem dico, quod quamuis irregularitas primario sub lethalis reatu culpæ hominem reddat inhabilem ad ordines, tùm suscipiendos, tùm exercendos, præsertim quò ad missæ celebrationem, nisi scandalum, periculũ uitę, aut infamiæ, seu alterius grauis damni vigeret; secundario tamen ad beneficium, & ius patronatus, vel pensionem obtinendam ineptum efficit, ita vt collatio irregulari facta ipso iure nulla sit, nec titulus acquiratur, neque etiam fructus suos faciat, etiamsi irregularem se esse ignoraret. *Riccius in praxi for. eccl. decis.* 185. Nec Episcopus dispensare valeret, vt excommunicatus valide, vel irregularis beneficium, vel pensionem recipiat, id.n. esset in iure communi contrarium prohibente dispensare, quod ei non licet. Posset tamen legem soluere; vt post relaxationem, vel dispensationem, valide illud retineat, quia id concedi videtur. *in c. postulastis exe. de cler. excõ. minist.* Sed neq. id puto Episcopum posse ex sacræ Pœnitentiariæ praxi, ad quam sæpissimè pro huiusmodi dispensatione recurritur. Nec Episcopi audẽt in his casibus se intromittere, &c. *Filliuc.tom. 1.tr. 11.c.7.q.10.nu 21 vide sup.tract 11.c. 10.q 22.§. officium.* Quam totam doctrinam ij diligenter aduertere debent, qui beneficia accipiũt, eo maximè quoniam in Apostolicis literis ab excõmunicatione, & alijs censuris absoluuntur, cum tamen de irregularitate nulla mentio fiat. &c. *Nauar conf. 44. de homic. Sayr.l.6.de irregul.c.1.nu.22. Auila de cens. de cens.p.7 d.1. Campanil.in diuers. iu.can. Rubr.10. c.11.nu.10.*

Cæterum quidquid sit de supra dictis, quò ad pensionem contrarium fuit resolutum, nempè clericum, vel sacerdotem homicidam, pensionis incapacem non esse, & ita censuit sacra Congregatio Concilij per hæc uerba, *Decretum Conc. Trid. c.7. sess.14 de refor.* vbi loquitur de incapacitate beneficiorum, in qua sunt homicidæ, non extendi ad pensiones. Quæ declaratio ex multis fundamentis, quę deduci possunt, difficultatẽ patitur, propter authoritatem tamen sacræ Congregationis ei standum erit, cuius declarationes necessariæ sunt, & vice legis fũguñt. Duplex nãq. est irregularitas, quædã ex defectu, & qdã ex delicto, illa sine pctõ incurri põt; hęc verò mortalẽ culpam supponit, at utriq. cõmune est, ut ad beneficia de nouo acquirenda inhabilem reddat, ita ut collatio nulla sit, receptis autẽ nõ priuet, nisi post latam sententiam; nomine autẽ beneficij pensio nõ continetur, atque in hanc sententia descendit. *Garzias de benef p.1.c.5.n.136 Suar. tom.5.d.44.sect.3.nu.39.Sà in v.homicidium.n.20. Riccius in d.praxi rerum fori eccles.decis.524.*

CONFESSARII MVNVS.

PArtes ergo Confessarii erunt, Ludouicum admonere, eum sui gradus, & dignitatis imme-

morem proprio officio defuisse. Quanta.n.charitate ardere deceat clericos, & sacerdotes, uel ex eo maximè patet, quod eius in terris vicemgerunt, qui animam suam pro ouibus suis sanguinem in ara crucis fundendo posuit. Item uiti nomen amittere, qui à uirturis tramite deflectit, non.n. uit dici meretur, nisi quæ uiti sunt fecerit, quandoquidem sacra pagina uiros uocare cõsueuit eos, refle D. Greg. qui uias Domini fortiter, & nõ dissolutis gressibus sequuntur.

Hinc illa lamentans D. Chrysostomi uox, Cum recalcitres ut asinus, ferias ut equus, luxuries ut mulus, carnem tuam impingues ut uitulus, rapias ut lupus, inuisceres ut sus, ira frendeas ut leo, pungas ut scorpio, uenenum ut aspis infundas, proximum ut uipera lædas, qualiter te hominem iudicabo, cum nullam in te reperiam charitatem? *Molius in Admonit Iud.p.1.nu 12.*

Item malo suo didicisse, quàm uerum illud sit adagium, Malum consilium consultori pessimum, in eos iactatum, in quorum caput recidit, quod aliis perperam consuluerunt. Quò spectant illi uersiculi,

Ipse sibi nocet is, alium qui lædere quæris,

Damna parans alijs proprio parat e pati dãna.

Cuilibet quidem licet consiliũ alteri dare, sed secundum conscientiam à iuribus informatam *Feder. de sen cons.197.* Hinc *D. Ambr.l.2.offic.c.12.* An, inqt, eum idoneum putabo, qui mihi det consilium, qui non dedit sibi? & mihi eum vacare credam, qui sibi non uacat? cuius animum uoluptates occupant, libido deuincit, auaritia subiugat, cupiditas perturbat?

QVAESTIO II.

Si urbis Gubernator edicat, ut quilibet sibi subditus denunciet, & capiat exules, utrum hac lege comprehendantur clerici. Et utrum irregularis sit Confessarius, qui ex denegata reo absolutione est causa, ut fateatur delictum, & ita capite puniatur. Bona fideicõmisso subiecta, an pro liberanda è carcerib. reo alienari possint: & an carcerato fugere liceat?

CHristophorus ruralis Parochus, ut obediret cuidam Legato, & urbis Gubernatori, qui publico edicto cauerat, ut quilibet exules proscriptos, & latrones, qui in suburbiis magnum damnum inferebant, denuntiare, & capere si posset teneretur, & cum audisset ex illis duos esse in domo cuiusdam rustici, ad conuocandos homines, qui illos caperẽt, propriis manibus nolam pulsauit: quò factum est, ut aduenientibus rusticis hominibus, Andreas, qui & si bannitus non erat, socium tamen ad furandum se aliis adiunxerat, sit captus, & ad carceres iustitiæ ductus Bernardus sacerdos cum ad audiendam huius rei confessionẽ esset uocatus, & uideret cum metu crucis, uel suspendii uelle ueritatem negare, nulla facta protestatione, se sanguinis pœnam non intendere, ei significauit, se nolle ipsum à peccatis absoluere, si Iudici legitimè interroganti admissa crimina aperire nollet; cum autem id se facturũ promisisset, eidem absolutionis beneficium impendit, qui postmodum à Iudice morti adiudicatus est, & laqueo vitam finiuit. Ex his tria quæruntur. Primò an illa denuntiandi exules lege etiam clerici comprehenderẽtur. Secundò an tàm Christophorus Parochus, quàm Bernardus Confessarius ob secutam Andreæ mortem irregularitatis labe sint affecti.

Tertio, an rectè consuluerit, cum Eugenio ob res alienum ex culpa sua contractum incluso in carcere dixit, ut se ab eo liberet, bona fideicommisso subiecta alienare posse, & tuta conscientia è carcere fugere ei licere.

I. SVPPOSITVM.

RESp. Suppono Primò clericis multa à iure prohiberi, nam inter alia, in sacris constituti quẽpiam laicum coram sæculari Iudice accusare non possunt: id quod summa ratione factum est, tùm quod Apostolicæ doctrinæ aduersatur, Nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus, tũ quod admodum à diuinis auocantur, præsertim quod accusatoris munus odiosum est, tùm etiam quod si cõtingat per accusatorem morte quem affici, vel membrum abscindi, irregularis efficitur. Atque eadem ratione idem de testimonio docendum est, si canonica ptorestatio nõ præmittatur. Nulla.n. vetustior irregularitas ab altari arcens à iure proposita fuisse repetitur, quàm ea, quæ ex homicidio consurgit. *Exod.c.21.Paralip.c.22.* Vnde & Ethnici ipsi à sacerdotio homicidas repellebant. *Maiol.l.5.de irregular.c.48. Innocent.in c.ad audientiam. extr. de homicid. Abb.in c.cum Petrus.ext. de accusat. Cou. in clem.1.p.2.§.5 de homicid. Iul. Clar.in Pract. crimin.l.5.§.fin.q.14. Diax.in pract.crim can.cap.99. Vgol.de irregul.c.6. Mascard.de probat.vol.3. concl. 1357.num.62. Riccius in decis. Cur. Archiep. Neap. decis.61. Sayr.l.6.c.18.nu.12. Filliuc.tr.19.c.9.nu. 247. Marta.de iurisd.cẽt.2.p.4.casu 136. Bonac.de irreg.d.7.q.4.p.2. Roder.tom.2.qq regul. q.11.artic.4. Bellet.p.1.disqu.cler.§.3.nu.4. Nald.v.testis. nu.17.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundò, vt aliquis irregularis efficiatur, requiritur, ut propinquam causam occisioni præster, nam in proposito casu propinqua causa dicitur, di-

ctum

ctum, vel factum sufficienter in mortem inde secutam directum, ita ex natura sua, vel ex intentione speciali operantis, in homicidium ledat; nam causa proxima occisionis est eius, qui ex officio, ut Iudex, uel actu ex se ordinato, ut testis, uel particulari intentione, ad homicidium concurrit, vt tradūt *DD. in c. de caetero ext. de homicid. & Nau. quem omnes sequuntur in c. 27. n. 211. Farin. in frag crim. p. 1. numero 5. Riccius decis. 528.*

III. SVPPOSITVM.

Tertio, *ex Vlpiano in l. congruit. ff. de off. praesid.* Cōgruere bono, ac graui Praesidi curare, vt pacata, atq. quieta prouincia sit, quam regit, quod nō difficile obtinebit, si solicite agat, ut malis hominibus prouincia careat, eosq. conquirat, &c. Ita enim probanda est mansuetudo, atque clementia in Principe, vt tamen reipub. causa seueritas adhibeatur, sine qua administrari ciuitas non potest. Quis nāq. ignorat, inquit Cicero, maximam esse peccandi illecebram impunitatis spem. Eam autem non tam ob offensas, quae Principis personā respiciunt, quāq. ciuilem politiam laedunt, publicamq. quietem interturbant, exerceri sapientes uolunt. Et Solonis celebre placitum est, duabus rebus rempublicam contineri, nēpè si boni ad virtutē praemijs incitenī, mali autem poenis coerceantur. *Aul. Gellius. l. 6 noct. Atticarum c. 11.* Et vt ait *D. Bernard. l. 4. de consid.* Cardinalis, qui legatione in gubernationibus sibi commissis fungitur, non debet marsupia exhaurire, sed corda reficere, & crimina corrigere, cuius sermo aedificatio, cuius vita iustitia, q. redeat fatigatus quidem, sed non suffarcinatus, simul glorians, quod nō curiosa, seu speciosa quaeq. terrarum attulerit, sed quod reliquerit pacem regnis, legē barbaris, quietē monasterijs, ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, &c.

I. Q. RESOLVTIO.

His sic praehabitis dico istum Parochum in irregularitatem incidisse, cum contra sui status leges criminalibus causis se immiscendo, propinquam causam mortis Andreae dederit, nec & si Gubernator iussisset, ut subditi omnes, exilio damnatos denuntiare, & capere tenerentur, clerici, vel homines Deo dicati, edicto illo comprehēdebātur, cū ab accusando, uel denuntiando, seu testificando ad publicā vendictam à iure canonico arceantur, super q. Legatus Summo Pontifice inferior potestatem nō habet. *c. cum in inferior. ext. de maior. & obed.* & vltra citatos *DD. firmant Farinac. in praxi crimin. de accus. q. 12. nu. 12. Beia in resp. cas. consc. p. 1. cas. 17. Clar. l. c. q. 24. num 9.*

II. Q. RESOLVTIO.

Ad 2. quaestionem dico, quod licet Parochus ab irregularitate ex defectu perfectae lenitatis consurgente, non excusetur, visum est siquidem ecclesiae, non posse cum Christi lenitudinem pro nobis occisi referre, qualem is, qui sacris ministrat, referre debet, qui etiam licitè occidit, vel opem praestat, seu assistit (licet clericus ex eo tantū irregularis non censeatur, quod homicidio interfuit, nisi de participatione constet. *Riccius decis. Cur. Neap. 34.*) homicida. n. est irregularis etiam si occultus sit, & infidelem, uel diffidatum exulem occidat. *Mastr. l. 5. de irreg c. 48.* & est communis Doctorum opinio.

Nihilominus Bernardus Confessarius ab hac irregularitatis macula immunis redditur, cum Andreae praecipit, ut delictum semiplene coram competente Iudice probatum fateretur, cum proximam mortis causam non praestiterit, sed tantum declarauerit, quid reus ex officio, & de iure facere teneretur. Quandoquidem se habuit sicut is, qui criminalem causam alicui committit, ut eam cognoscat, & iustitiae leges exequatur, quo casu irregularē nō fieri communis est scribentium sententia; esto cū suadeat, ut delictum furti commissum confiteatur, non tamen id speciatim persuadet, quò morti se objiciat, sed vt poenitentiae sacramētum valeat, &c. *Sayr. l. 6. c. 18. n 26. Vgol. de irreg. c. 16. nu. 12. Graff. cons. l. 1 de sent. excom nu. 26. Beia p. 1. c. 32. Regius. casu 48. Sa in v. irreg. nu 10 Bonac. q. 4. p. 1. Arg. Co mit. l. 4. respon. q. 3.* vbi resoluit sacerdotem cōsultū, an uxor scelesti, ac famosi furis, teneaī de suis bonis creditorib. ipsius mariti soluere, ut eū à laquei morte, cui Iudicis snīa addictus est liberet, si respōdeat non teneri, cum dotis suae iactura à morte eripere, etiamsi suspendatur, nō fieri irregularē; cum ille in Deum, in suam animam, & salutem, in patriam in liberos, in vxorem, propinquos, & amicos impius sit, ac communi paci aduersus. Ordo namque charitatis non praecipit, ut rem nostram familiarem pro alterius vita profundamus, si eius vita sit communis boni pernicies, & res familiaris sit habenti ad suam, & propriam uitam, existimationem, pudicitiā tuendam, & uirtutem colendam instrumentum necessarium. Nec sacerdos sua respōsione est talis necis causa proxima, sed remota, & ualde longinqua; proximę. n. causae sunt Iudex, & carnifex, ipsius furis maleficia, & satellitum studiū, qui comprehenderunt.

Neque ad effugiēdam hanc duplicem irregularitatem, protestatione aliqua opus fuit; ea nāq. tm̄ necessaria est, vbi quis, siue clericus, siue laicus, in causa criminali, ubi mors, membriue mutilatio interuenit, etiamsi iuste, accusat; cum haec labes etiam

sine

sine culpa contrahatur. *c. pen. de homicid. l. 6.* At clericus, vel laicus aliquē præmissa protestatione accusando, tunc demum ab irregularitate excusatur, si tria concurrant, primo vt ipsa protestatio non tacita, sed expressa sit, sic. n. exigit *tex. in d. c. pen.* aliàs in foro conscientiæ nō iuuat, vt de cōmuni testatur *Cou. in clem. 1. de homic. p. 2. §. 2. num. 24. Lopez. in addit. ad Diax. in praxi crim. q. 8. reprobato Tiraq. contrarium sentiente. in tract. de leg. connub. gl. 5.*

Secūdo vt pro suo proprio commodo, & interesse, vel suorum sibi coniunctorum, iudicium prosequatur, vel in crimē vocet, vt per *Nau. c. 27. n. 116. & Vgol. de irreg. c. 6.* Tertio vt ciuiliter ad rei, seu damni restitutionem, sed non criminaliter ad puniendum accuset, quia in isto casu protestatio nullo modo ꝓdesset, iuxta cōe placitum apud *Farinic. in fragm. crim. p. 1. §. clericus quamuis. num. 433. idem Fillinc. tr. 19. c. 9. n. 248. Comit. l. 6. q. 59. Bonac. de cens. disp. 7. q. 4. p. 2. nu. 12.* vbi etiam resoluūt Theologum sacerdotem, alteri in periculo vitæ, uel bonorum consilium dante, vt homines sibi insidiātes cum protestatione accuset, ac Iudici laico denūtiet irregularitatem non incurrere, quia si is cui consilium datur, ita operans illam effugit, etiamsi inimici mors sequatur, multo magis consulens.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dico Christophorum non rectū consilium Eugenio dedisse. cum dixit, salua conscientia el integrum esse, bona subiecta fideicommisso alienari posse, ut æs alienum iniuste contractum solueret, & se à carcere liberaret, nam licet pro solutione debitorum testatoris fideicommissum alienari possit, nam tanto minus in hæreditate esse dicitur, quantum æs alienum importat, & nemo suis creditoribus præiudicare potest; secus tamen est pro debitis grauati, secundum *gl. in l. filius familias §. Diui. vbi Bart num. 8.* communem esse dicit & ēt *Tusch. v. fideicommissum. concl. 283. num. 17. & 21.* Et ut respondit *Gionagn. l. 2. resp. 22.* licētia etiam cōcessa à testatore fideicommissum alienandi ex necessitatis causa intelligitur de necessitate accidentali, naturali, & legali, non de culpabili, quæ voluntarium principium habuit. & ob id si hæres, inquit, vel ex prodigalitate, vel inordinato victu, vel delicto, se in necessitatē posuit, ita vt graui aere alieno oppressus, carceri sit mācipatus, ex hac necessitate bona fideicommisso subiecta distrahere nequit, cum sibi hoc imputare debeat, nec suum factū alteri nocere queat, *vt latè per Menoch. l. secundo, de arbit. Iud. casu 282.*

Bene tñ quò ad illā partē hic Parochus cōsuluit, cū dixit, Eugeniū in carcere cōiectū se fuga eximere posse, si soluendo nō sit, quia cū reuera non hēat unde soluat, sententia illa, & condemnatio iniqua est, & tyrannica, & quæ subditum in illa mala mansione non obligat. Debet nihilominus habere aīum soluendi, quàm primum poterit. *vt ait Salon. 2. 2. q. 69. art. 4. concl. vlt. Sà in v. reus. Bonac. de leg. disput. 10. q. 3. pun. 2. nu. 13. & alij*

CAP. II.

QVAESTIO III.

An qui corruptam in vxorem duxit, & qui maleficio affectus est, sit irregularis, ita vt ad ordines, & beneficia promoueri nequeat. Illegitimus ēt an sit irregularis, & an quis teneatur credere matri asserenti eum non esse ex legitimo toro natum?

ISidorus cum Isabellam puellam à quodam procaci adolescente defloratam, ac corruptam, credens tamē esse virginem, in vxorem duxisset cum qua matrimonium consummauit, ea post aliquot menses vita functa, Lucretiam uiduam sibi in matrimonio coniunxit, quam tamen utpotè maleficio affectus nunquam cognoscere potuit, & cum ipsa quoque naturali mo bo uitam cum morte commutarit, post annum luctus cupiens clericalē statum assumere, consuluit suum olim confessarium iurisperitum, & generalem Examinatorem, prædicta narrans, & exponens matrem suam dixisse eum nō esse ex legitimo toro natū. Vnde petit, an aliquo impedimento detineatur, quo minus ad ordinis sacramentum promoueri ualeat, & ecclesiastico beneficio donari; qui ei dixit, duplex irregularitatis impedimentum obstare, quominus ad clericalem statum assumi queat, consulit & nunc præsentem animæ suæ medicum. Quæritur quid ipse confessarius ei respondere debeat?

RESPONSIO.

PRudenter Isidorus illud monitum exequitur, semper a sapiente consilium exquire. *Tob. c. 4.* talis quippe is Examinator ab Episcopo diœcesana synodo electus præsumitur, sic attestantibus Tridentinis Patribus, qui *sess. 23. c. 7.* sic aiunt, Episcopus autem sacerdotibus, & alijs prudentibus uiris peritis diuinę legis, ac in ecclesiasticis sāctionibus exercitatis sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestiget, & examinet, ut annotaui in *Comment. de stat. p. 1. c. 13. & supra trac. 1. c. 2. q. 6.* ubi Examinatorum conditiones expendimus.

SVP-

PRIMUM SUPPOSITUM.

SVppono Primo inter alias irregularitates, vnã ex antiquioribus, & ex Apostolorum decretis originem trahentem esse bigamiam, prout colligitur ex *1. Timoth. 3.* vbi prohibetur quis ad Dei ministerium accedere, nisi vnius tantum vxoris vir fuerit; quæ loquendi ratione non eos excludit, qui nullam omnino vxorem duxerint, sed qui plures, quàm vnam sibi adiunxerint, adeò vt necesse sit, vt vel nullius vxoris vir fuerit, vel vnius tantum. Cuius quidẽ irregularitatis impedimenti inducendi hæ redduntur causæ. Primo propter ordinis prærogatiuam, siquidem vt ait *D. Ambr. l. 10. ep. 82. ad Vercell. & refertur in c. qui fine. d. 26.*

Qui iterauit coniugium, culpam quidem nõ habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur sacerdotij. Secundò ob incontinentiæ argumentum, cum mortua uxore, nec una contentus aliam duxerit, ut propterea non possit esse uiduitatis, ac continentiæ adhortator, qui coniugia ipsa frequentauerit. Vnde *Valer. Max. l. 2. c. 1.* ait Romanos existimasse multorum matrimoniorum experientiam quasi cuiusdam intemperantiæ signum esse. Athanagoras in *Apolog. pro Christ.* Secundas nuptias vocat decorũ adulterium. Hinc & Martialis,

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est.

Vt proinde etiam sacri Canones quandam esse fornicationis speciem dixerint, post primas nuptias ad secunda uota transire. *c. hac ratione. 31. q. 1.* Et uir, qui secundo nubens nouercam inducit, quantum noceat, & quantum legibus aduersetur, ostendit *Tholos. in syntag. iur. l. 9. c. 26.* Ideò Sybaritis tulit olim legem Charundas, vt qui liberos habens defuncta prima vxore ad secunda uota conuolasset à consilio senatus, & patriæ submoueretur, numquã ab eo existimans patriã recta, ac salubria consilia sperare posse, qui liberis propriis male cõsuluisset, nam teste Menandro,

Nullum maius malum nouerca. vt propterea pro insigni malo nouerca accipi soleat, iuxta illud,

Ipsa dies quandoq. parens, quandoq. nouerca.

Viduas olim etiam male audisse legimus, nam & Hesiodus fratri suo suadebat, vt non uiduã, sed virginem in uxorem duceret, ratione adiecta, ut hanc instituere ad morum honestatem posset. *Stob. serm. 83.* Hinc ille,

Quæsitus iuuenis viduam cur ducere nollet?
In qua quis periit, non bibo, dixit aquam.

Tertia huius irregularitatis inducendæ ratio est, ꝙ bis coniugatus vnionem Christi Domini cum ecclesia sponsa vnica, apte significare non possit. *cap. Acutius. d. 26. & c. debitum. ext. de bigamis.* Hæc vero irregularitas ex defectu sacramenti proueniens ex duobus potissimum capitibus oriri potest, vnum ex vxorum multiplicitate, uel simul, uel successiue, simul. i. ut si idẽ uir eodem tempore plures uxores habeat, unam de facto, alteram de iure. Quæ quidẽ uxorum pluralitas quidquid olim licuerit, in Euangelica lege damnatur, ita ut contra tales tanquam de fide suspectos, & de sacramentis ecclesiæ male sentientes, Inquisitores procedere possint. *Masol. l. 1. de irregularitate. c. 33. nu. 11. Dominicus Lapus. in c. accusatus. §. sane. tit. de haret. in 6. Simancas. in cathol. Instit. tit. 40. Albert. de cathol. assert. agnosc. q. 23. Pegn. in 2. p. Direct. Inquisit. Comment. 81. Farinac. de heresi. q. 178. nu. 70 Menoch. l. 2. de arbitr. iud. cent. 5. casu 420.* vbi refert Caroli Regis Francorum egregium factum, quod alibi retuli.

Successiuè uero ita intelligitur, ut priori coniuge defuncta secundam ducat, &c. Quæ bigamia nunc licita est, iuxta illud *1. ad Corinth. c. 7.* Mulier si dormierit uir, cui vult nubat, tantum in Domino. *vt toto tit. ext. de secund. nupt. & c. apertant. 31. q. 1.* Licet de secundo nubente dicatur,

Qui capit vxorem defuncta vxore secundam,
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

DD. in c. nos. 17. q. 2. Ita ut etiam multi uoluerint, vxori usufructu legato, & post eius mortem. v. g. Ioanni, ipsa uxore ad secundas nuptias transeunte, esse idem, ac si mortua fuisset, quia si de hoc casu testator interrogatus fuisset, idem quod in casu mortis respondisset. *secundum Ioan. And. in Addit. ad Spec. tit. de secund. nupt. quam dicit esse communem Grat. l. 2. respons. 24 & Pet. Sanz. de disus. bon. p. 3. c. 11. nu. 91.* Et legatum uxori factum si caste vixerit, amitti si secundo nubat; nam communi usu attento, caste mulier uiuere nõ dicitur, quæ ad secundas nuptias transit. ut per *Felin. multos allegantẽ in proœmio Greg. num. 7. Euerardum in loco à vulgi opinionem. Tusch v. vxor concl. 400.* siquidem testatoris dispositio, & eius uerba à consuetudine, & communi usu loquendi regi debent, & cum eis se conformare ipsa censetur. *Ripa in c. cum* M. *Ferr. n. 39. c. 1. de constit.* Ad quod spectat illud vulgatum, Loquendum ut plures, sapiendum ut pauci.

Et Moribus antiquis præsentibus vtere verbis. Lapus in Addit. ad cons. Feder. de sen. 161.

Alterũ caput est ex eo, ꝙ licet uxor unica sit, nõ tamen sit uirgo, sed corrupta; ex quo duplici capite irregularitas contrahitur, cum in utraque perfecta sacramenti significatio desit. Sed bigamus si uocem ipsam proprie interpretemur, dicitur duarum vxorum uir, hoc est, qui duas habet, uel habuit uxores; licet etiam bigamus dicatur, qui nõ bis, sed ter, quaterue matrimonium contraxit. *vt per Ugol. de irre*

*irreg.c.56.Gomezius in tract.de potest.in seipsum. l. 1.c 16.*vbi etiam resoluit,ad mortem condemnato licere potius mortem eligere,quàm corruptā, uel meretricem in uxorem ducere;multa.n. incommoda,& scandala ex eo matrimonio timeri possunt; atque ibi refert lepide,cum quidam ad mortem duceretur,& uetula meretrix cum in coniugem petēs prosiliret,à circūstantibus de sua fortuna admonitum, ut ait, illā Megerā respexisse,ac mox dixisse, malle mori.

II. SVPPOSITVM.

HInc secundo supponendum est, tribus modis aliquem bigamum dici. Primo re,ut qui duas vxores carnali copula cognouit, modo matrimonium valide contraxerit,& illud consummauerit.

Secundò interpretatione,ut qui uiduam,uel aliam ab altero corruptam duxit, etiamsi uirginem esse crederet,uel qui cum uirgine quidem cōtraxit,sed cum ea se commiscuit, postquam ipsa adulterium commisit.

Tertiò similitudine uocatur bigamus, q. aliquo sacro ordine insignitus,uel solemni castitatis uoto astrictus,contrahit,& matrimonium etiam cū vna uirgine consummauit.*c.vlt.ext.de bigamis.Nauar.c.27.nu.195.Suar.tom.5.d.49.Sacrat.l.6.c.3.& alii apud Garziam.p.7.c.6.Molfes.tr.2.c.16.num.18.Reg.l.30.tit.2.c.8.*

Hanc vero irregularitatem non contrahit, qui minoribus ordinibus initiatus cōiugiū cū unica,& ea uirgine init,nullum enim datur ius, quo illa inducatur;nec ulla est irregularitas, nisi in iure exprimatur;attamen per huiusmodi matrimonium beneficium,uel pensionem,quam clericali titulo possidet,ipso iure amittit *Gigas de pens.q.54. Paris.de resig.benef.l.3.q.1.Azor.p.1.l.13.c.13.q.6.Sanchez.l.7.de matr.d 42.nu.4.Gutterez.c.97.Molfes.tr.6.c.3.num.54.*

III. SVPPOSITVM.

TErtio prænotandum est, Dei permissione dari maleficium ligaminis, idest superstitionem, qua uir,uel mulier arte Dęmonis perpetuo, uel ad tempus,ad copulam impotens redditur,id enim cōmuni Theologorum omnium, & iuris Pontificij professorum sententia receptum est,& ecclesiæ vniuersali praxi comprobatum, quæ huiusmodi maleficijs affectis,quæ multoties cum Dæmonum obsessione coniunguntur,post triennij experientiam, à matrimonio inito seiungit. Quamuis enim Dæmon ad varia veneficarum scelera præsto sit,suamque vim his libenter impertiatur, pro impedienda tamen matrimonij copula libentius his opitulatur, ac fauet,cum ex hoc hominum propagatio subtrahatur,quod ipse potissimū in votis habet, quò prædestinatorum numerus tardius expleatur, mutuus coniugatorū amor aboleatur,adulteria multa perpetrentur,& quandoq.aliquorum neces consequantur.Quod ueneficii genus omnium frequentatissimum,ligamen etiam antiquitus est appellatum,de quo Virg. *Eclog.*8. sic meminit.

Necte tribus modis trinos Amarylle colores,
Necte Amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.

Vide Delrium l.3.Disq.Mag.p.1.q.4.sect.8. Sanch.l.7.de matr.d.94.Reginal.l.31.sub nu.107. Codrinchium de morbis malef.l.3.c.5. Molfes.tr.4.c.10.nu.78.& tract.11.c.7.nu.161.

I. ASSERTIO.

HIs præludiis iactis dico Isidorum ob bigamiā cum prima uxore contractam, quæ ab alio corrupta erat,non posse ad ecclesiasticum ministerium admitti,nec aliquo beneficio,seu pēsione donari;sicut enim ordinis, sic etiam beneficii incapax est,cum quo solus Pontifex dispensare potest. Et sic sacra Congregatio Concilii declarauit his verbis, Episcopus authoritate sua ordinaria cum uiro subdito bigamo, dispensare non potest, ut primam tonsuram,& simplicia beneficia à se,vel ab aliis accipiat.Vnde Episcopus contrarium faciens lethalis culpæ fit reus,& licet ordinis collatio teneret, beneficii tamen titulus inualidus esset,& à collatione ordinis,quem bigamo contulit, ipso iure per annū suspensus est.*vt per Garziam p.7.de benef.c.6.& 13.& Molfes.tr.6.c.7.num.*28.Vbi aiunt, probabilem esse sententiam, Episcopo licere in minoribus ordinibus suscipiendis,& beneficio simplici obtinendo,& quo ad susceptorum ordinum usum dispēsare,hancque opinionem,ob multorum grauium Doctorum eam tuentium authoritatē,posse ad praxim traduci,ubi in illo loco sic esset vsu receptum.

II. ASSERTIO.

SEcundo dico,quod si cū maleficijs Dæmonum uexatio coniuncta esset,ex alio capite ab ordinum,& beneficii susceptione arceretur, ,uepe quod obsessus,uel energumenus foret, ac proinde à clero alienus à iure iudicaretur. Ad minores tamen facilè promoueri posset,si ex iudicio peritorum Physicorum,& Episcopi,à Dæmone liberatus censeretur. Maleficio nihilominus in solis genitalib. affectus, licet quò ad matrimonium inhabilis sit,non tamen est

est quò ad ordines inceptus cum ob eam causam ca ſtior ſit. *Sayrus.l.6.c.9 nu.14.Maiol.l 2.c.17.nu.6. Henrq.l 14.c.8.litera F.Ugol.de Irreg c.55.Bonac. d.7.q.2.p.2.nu.24.*

III. ASSERTIO.

Tertio dico,quod & ſi ad clericatũ promouendus ex legitimo coniugio, iuſtiſq. natalibus ortus eſſe debeat. *Deut.c.23.cap.presbyterorum,& ſeq.diſt.56.Abbas,& alii.in c.per venerabilem. ext. qui filii ſint legit.* Cuius rei illa ratio communiter affertur, tum quod fama ad ordines promouendi vacillare non debet, parentum autem incontinentia filios quodammodo commaculat,quia paternæ inhoneſtatis,& impudicitiæ imitatores eſſe ſolent, iuxta illud,

Sæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri,&c.

Tum quod experientia docet, illegitimos non eſſe ita morigeratos,ſicut ex legitimo toro progenitos, eo quod à parentibus non ita ſolicitè educari,& ciuilibus,chriſtianiſque moribuſq. imbui ſoleant. vt *per ſcribentes in c.fin.de fil.presbyt.l.6.* Et ſi inquam hæc vera ſint,attamen in actu practico filius nõ tenetur credere matri, filium illegitimum eſſe aſſerenti,ſi mater conceptionis tempore,cum viro,& marito ſuo habitabat,& per conſequens nec ab ordinum ſuſceptione,nec hæreditatis aditione ſe abſtinere debet,niſi ſolidis rationibus conuincatur,ut ſi vterq.parens idem affirmet,aut qñ mater probat maritum impotentem fuiſſe,aut eum toto tempore quo filius concipi potuit abfuiſſe.Quæ aſſertio procedit etiamſi ipſa mater cum iuramẽto,vel in mortis articulo ipſum eſſe illegitimum aſſerat. *Suarez. tom.5.d.50.ſect.4.nu.5.Reginal.l.30.n.78.Fillius. tr.19.c.5.nu.143.Bonac.de irreg.d.7.q.2.p.3.nu.5.* & alij.

QVAESTIO IV.

Vtrum rem paruam alicui furans ob quod illius domi nus præ nimia ira,& animi perturbatione moritur,ſit irregularis; An ſacramento confirmationis carens ordinari poſſit. Num qui latinam linguam ignorat,& qui hæreticus,ſed occultus fuit irregularis pariter ſit,ita vt ad ordines,& beneficia accedere non poſſit.

Leander adoleſcens 25. annorum, cum Vincentio nobili viro malum cidonium,& perſicum,quæ in horto ſuo habebat,& multum æſtimabat,clam ſuſtulerit,ob quod ille,cum hoc furtum deprehendit,tanto iræ furore correptus eſt,vt paulo poſt mortuus conciderit.Item cum ſacramento confirmationis careat,& linguã latinã perfectè nõ calleat,ſpes tamẽ affulgeat,vt ob ingenij ſui velocitatem in futurum addiſcat;& occultus olim hæreticus fuerit,cum per horam in ſuo cubiculo exiſtẽs pertinaciter ſenſerit,& externo actu ibi oſtenderit, Chriſtum in auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento non contineri,vult nunc prima tonſura, & ordinibus minoribus initiari,quæritur an ei aliqd obſtet, quominus tàm ad ordines,quàm ad aliquod beneficium accedere poſſit.&c. Nihil hic ſupponẽdum, vel præmittendum ſupereſt,cum fundamenta pro huius caſus deciſione peti poſſint ex his, q̃ de ſcientia clericis neceſſaria attulimus.*tr.1.c.19.q.45.& ſeqq.& de hæret.tr.7.c.1.q.3.& ſeq.& alibi.*

I. RESOLVTIO.

Vnde dico Primo, Leandrum à graui culpa non excuſari,cum Vincẽtio malum cidoniũ, ac perſicum, quæ in ſuo horto habebat,ſurripuit, quæ illum multum æſtimare, & ex illa ablatione magna moleſtia afficiendum eſſe probabiliter ſciebat,vel quia illi erant primorum arborum fructus, quas ille manibus ſuis cõſeruerat;uel qa illi fructus in eo loci multum rari extabant, ſiue etiã q amico ſuo cui multũ debebat,offerre,&donare ſtatuerat, ut cõtra aliquos reſoluit *Fauſt. de furto d.2.q.19. per ea q̃ alias tradidimus tr.5.c.7.q.49.& tr.7.c. 15.q.72.* Nihilominus facile ipſũ ab irregularitatis labe vindicarẽ,eo q furtũ hoc proxima,&ad mortem ordinata cauſa non cenſetur. Et ſi vero *Galen. lib.2.de cauſis ſympt c.5.* dixerit, neminem ex ira perijſſe,de motu iracundiæ ad extra intelligẽdus eſt,in quo ſpiritus, & calor ad externas partes ob uindictam refluit:non de motu ab intra,qui fit ſtatim ac recipitur obiectum diſplicens,moleſtiam,& contemptum pariens,ex eo namque homines adeo effrænes reddũtur,talemq.impreſſionem in cor recipiunt,ut ob ſpirituum in fonte vitæ ſuffocationẽ, in animi deliquium,& mortem ſubitam incidant. *vt per Tirillum de cauſis mort.repent.cap.10.vt per nos ſup.tradita tr.6.c.19.q.87.* Atq.hæc reſolutio colligitur ex *Bonac.de irreg.diſp.794 p.7.nu.29.*

Dico 2.quod licet prohibitum ſit ſacramentũ ordinis omiſſa confirmatione ſuſcipere, aliàs ex aliquorum ſentẽtia, lethalis culpa committatur, ſecũdum *Sayr.l.7.c.10.nu 42.ex Conc.Triden.ſeſſ.23. de reform.c.4.* Attamen *Suarez.tom.3.d 38.ſect.1. Nauar.c.22.nu.9.Coninch de ſacram.tom.1.q 72. ar.9. n.90 Reginal.l 28.nu.14.Molf tr.2.c.11.* & alij,tenent non eſſe peccatum mortale,quia Concilium verbum non habet,quod rigoroſum præcepiũ indicet, nec per eius omiſſionem in primæ tonſuræ, vel ordinum ſuſceptione irregularitatem contrahi,

cum

cum non sit in iure expressa, quidquid senserit. Mastiol. de irreg. l. 4. c. 12. nu. 9. vide sup. tr. 3. c. 2. q. 5.

II. Q. RESOLVTIO.

Dico 3 quod Leander nunc post *Conc. Triden. Decretum. sess. 23. de reform. c.* 14. irregularis erit etiam ad primam tonsuram, si legere, & scribere nescit, & ad quatuor minores, si saltem linguam latinam non intelligit, & ea ignorat, quæ ad suum munus spectant, ut illud rectè, & debito modo exercere, & explicare valeat; attamen, si iuuenis sit, bonæ indolis, expediti ingenij, ita ut spes adsit proficiendi, etiamsi hæc non calleat, & perfectè sciat, admitti ad hos minores, & beneficia posset. vt sentit *Archidiac. c. illiteratos d. 36. & Abb in c. cum in cunctis nu 4 de elect. Syl. in v. clericus l. 2. Graffius. l. 3. decis. c. 2 nu. 24. Gonzales super reg 8. cancel glos. 4. nu. 80. Bell. in Disq. cler. q. 1. §. 4 nu. 4. Garzias. de benef. p. 7. c. 7. num. 6.*

III. *Q. RESOLVTIO, & Documenta.*

Dico secundo, quod si iste Leander fuit omnino hæreticus occultus, etiamsi ob hæresim actu externo proditam, sed nemine audiente, hæresis labem contraxerit, & in excommunicationē inciderit, post absolutionem impensam à Confessario, qui absoluendi facultatem ab Inquisitore obtinuit, irregularis ex delicto, vel defectu debitæ qualitatis animę, censendus nō est, nec proinde ab ordinibus minoribus, & beneficio arcendus si vero pœnituit, ac resipuit, & errorem suum agnoscens in pœnitentia illi foro illum retractauit. *Sayr. l. 7. c. 12 nu. 16. Garzias. p. 11. c. 10. nu. 84. Henriq. l. 14. c. 4. §. 6. Regin. l. 30 tr. 2. nu. 193. Volfeſ. tr. 2. c. 16. nu. 24.*

Proinde Leander iste à Cōfessario intercætera admonendus erit, ne in posterum christianæ fidei mysteria curiose inuestiget. Quippe immiscēdum vinū cum lacte, vt ait sponsa in *Cant. c.* 5. humana s. prudentia, & sapientia per vinum designata, cū paruulorum simplicitate, quæ per lac innuitur, coniungenda est, vt de rebus captum nostrum excedentibus, quantum sufficit, inquiramus, & facile, certoq. quæ Deus proposuit, credamus. Vnde & Sapiens, *Prouerb. c.* 25 Mel, inquit, inuenisti, comede quod sufficit, &c. Nam licet salubre, & dulce mel sit, immodicè tamen sumptum uentriculum soluit, & ad vomitum prouocat: sic licet humano palato diuina mysteria dulcia sint, vt *David Ps.* 118. testatur, qui tamen de illis plus sumunt, quam stomacho intelligentiæ concoquere valeant, plus sapere volentes, quam oportet, quæ fidei lumine collustrati iam ante cognouerant, non raro amittunt, vsq. adeò à vera fide excedentes, variis insuper animi malis se immiscent. &c. *Iustin in Iob de sup. grad c. 1. vers.* 24. Recolendum est, quod alibi tetigimus, sacrosanctę Eucharistiæ mysterium non ratione, sed fide comprehendi posse, & vt loquitur *D. Aug. l. 21. de Ciuit. Dei c.* 7. In rebus miris summa credendi ratio est omnipotētia Creatoris. Et vt ait *Apost. ad Heb. c. x.* Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Ideo ex sententia *D. Greg. hom. 26. in Euang.* Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. *Simancas in cathol. inst. tit. 28 2. vide sup. tr. 4. c. 10. q. 89.*

QVAESTIO V.

Irregularem alterum faciens, puta eum sinistro oculo qui Canonis dicitur priuās, an ipse irregularis sit, ita vt habito beneficio priuari possit. An lunatico morbo laborans, & in naturalibus deficiens, irregularitatem contrahat, & quid si alicui consuluit, vt alterum percuteret, & ille cui consilium dedit occisus est?

Fabricius clericus in quadam rixa vulnus intulit in sinistro oculo Gaudentii, ita vt lumen amiserit. Secundo in natalibus deficiens, & in lunatico morbo laborans primam tonsuram, & simplex suscepit, quæritur, an hic sit irregularis, & ipso beneficio in vtroque foro priuari possit. Tertio cū Syluio suo amico consuluisset, vt ad defendendum honorem suum ob illatam sibi iniuriam, Gasparē in facie percuteret, ipse Syluius dū hoc perficere uellet, in congressu occisus est. Quæritur pariter an ex hoc capite irregularitatem contraxerit, & aliquam restituendi obligationem subierit.

I. Q. RESOLVTIO.

Resp. Ad primam partem propositi casus respondendo dico, eum non esse irregularē; falsa est enim illa quorundam regula, Si quis percutiendo alterum eum irregularē reddat, ipsum quoque eodem impedimento constringi, eo quod, ut ipsi aiunt, Alterum inhabilem percutiēdo facere, perinde est, ac si membrum illud abscinderet. Siquidē ad hanc speciem irregularitatis incurrendam non sufficit, ita membrū debilitare, & eneruare, ut ad ordinis usum ineptum fiat. Sicut etiam debilitans membrum alterius in ecclesia, non excluditur à beneficio immunitatis ipsius ecclesiæ, quia membrū debilitatum non desinit esse membrum; & licet quasi inutile quò ad opinionem reddatur, quò ad decorem tamen ualet; & in pęnis mitior est facienda interpretatio. *c. odia. de reg. iur. in 6.* Neque satis erit si alius ex percussione lædatur, & notabilem in facie

cie, vel alia corporis parte deformitatem cōtrahat, ita vt ille ob scandalum, turpitudinem, aut horrorē, promoueri nequeat, dummodo membrum abscissū non sit, cum penæ, ut dixi, restringēdæ sint, *& Clem. 1. de homicidio.* ad irregularitatem inducendam occisionem, aut membri mutilationem, seu abscissionem necessario requirat; proinde nec irregularis censendus est Fabricius, nec beneficio priuandus. *Nau. c. 27. nu. 207. Henriq. l. 14. c. 8.* § 4. *Sayr. l. 6. c. 15. nu. 7. Riccius in praxi fori ecclef. decis. 525. & in Praxi var. resol. resol. 66. & in 2 p. decis. cur. decis. 90. Vgol. de irreg. c. 44.* §. 7.

II. Q. RESOLVTIO.

QVò ad alia duo capita dico, illegitimos tàm ad ordines, q̄ ad beneficia, & pēsiones iure canonico irregulares, & ineptos esse, cuius rei triplex cōiter affertur ratio. Prima quia cū ordinati in quadam dignitate, & statu constituant, ideò ex quadā honestate claritas quędā in eis requiritur. &c. Secūdò ob sceleris paterni detestationem, nec per hoc filius patris iniquitatem portat, cum irregularitas & fine culpa oriatur. Tertiò quia tales plus quam alij paternæ incontinentię imitatores, & male morigerati esse solent, eo quod à parentibus non ita sollicitè sicut legitimi instituunt, *vt dictū est sup. c. 2. q. 3.* Et quamuis aliqñ hmōi uiri laudatę uitę, industrij, ac uirtute præditi reperiant, iura tamen ad ea, quæ ut in pluribus accidūt, adaptantur, *vt per Tiraquel. in tr. de nobilit. c. 15. & Card. Paleot. in tra. de notis, ac spuriis. c. 51. Ignatium in schol. ad Diax. c. 9. Sayr. l. 6. c. 10. Bellettū in Disq. cler. p. 1. §. 2. nu. 9. & 29. Garziam de benef. p. 1. c. 5. & p. 7. c. 2. nu. 120.*

Ab hac doctrina tamen excipitur, quando filij per subsequens matrimonium legitimi redduntur, nam ad omnia. s. ad ordines, beneficia, pensiones, feuda, fideicommissa, & alia preter Cardinalatum, ob Sixti V. prohibitionem, admittuntur. *vt ex cōi l. c. idem Garzias tradit. & Bursat. consil. 18. ac Menoch. vol. 3. cons. 227. Sayrus de irregul. l. 6. c. 10. Bellettus l. c. p. 1. §. 3.*

OBSERVATIONES.

IN hac vero irregularitate Episcopus cum ipsi illegitimi virtutum suarum splendore, natalium tenebras effugarunt, quò ad minores, & vnum beneficium simplex dispensare potest; at quò ad maiores, beneficium curarū, dignitates, & personatus, aliquem ab hac lege soluere ad S. Pontificem spectat. Sicut etiam licet professio in religione habilē ad sacros ordines faciat, non tamen quò ad Prælātiones, nisi Pontificia facultas accedat. *c. 1. de filiis presbyt. Lessius l. 2. c. 34. dub. 28. Sayr. l. 6. c. 11. nu. 8. & 14. Garzias p. 7. c. 2. nu. 48. Vasq. c. 3. de benef. §. 1. dub. 3. & 4. Molses. tr. 6. c. 7. nu. 18. Barbos. de Episcopo p. 2. Alleg. 45.*

Inter species etiam irregularitatis, quæ ad corpus referunt, eā à multis recenseri solet, quæ ex morbis contrahitur, quib. affecti sine periculo, ecclesiasticas functiones obire nequeunt, quales sunt lunatici, tùm quod hi vbi luna defectum patitur, vel crescit, ex medicorum sententia, furore aguntur; tùm quod lunatici species furiosorum sunt, & solum in hoc differunt, quod furiosi semper vsu rationis carent, lunatici vero aliquādo. Imò lunaticus morbus sæpe comitiali coniungitur, teste Sereno poeta,

Est subiti species morbi, cui nomen ab illa,
Quod fieri nobis suffragia iusta recuset, &c.

Vnde valde verendum est, ne si ij ad ordines admittantur, dum sacra faciunt, morbo eo correpti, uel a certa omittant, uel quippiam indecens agant quod scandalum præbeat.

Quò fit, ut Ethnicorum iure olim lunaticū mancipium pro maximè morboso haberetur; multo magis à diuino obsequio hoc arcere debet, præsertim, quod lunatici homines, leues inconstantes, futiles, versipelles, ac improbi esse solent, vt per *Maiolum in diebus canic. in v. fortuna ludubria. & de irreg. lib. 2. c. 15.* Quippe magna ratione etiam non modo ab antiqua lege, & beatissimis Saluatoris nostri Apostolis, sed ab illorum successoribus statutum est, ne in ecclesia Domini corpore viriati, & deformati, deseruiant, uel quod diuinis ministeriis tractandis impotentes aliquando sint, uel quod malus corporis habitus malam animi mentem præseferat. Vnde & *D. Hier. ad Fabiolam* in parentes inuehitur, qui deformes filias religionibus consecrant, cum indignū sit dare Deo, quod homo dedignatur. *c. fin. dist. 49. Menoch. de arbit. Iud. cas. 226. Tiraq. l. 2. connub. nume. 59. Lopez. in notis ad Diax. c. 17.* Nisi tñ magna deformitate homines notentur, ab ordinibus suscipiendis arcendi nō sunt, siquidē sicut sub sordida veste aliquando magna sapientia latet, ita sub illiberali corporis specie magna sæpe vis mentis, & virtutis elucet, cum non in fronte, sed in mente, formosæ virtutes sedeant. Vnde cum Lacedæmonij olim statuissent, vt claudus in regnum non admitteretur, at tandem senserunt, satius esse Regem quā regnum claudicare.

Maneat ergo Fabricium, quò ad vlnus in sinistro oculo Gaudentij inflictum, irregularem effectū non esse, ac proinde ab ordinis, & beneficij susceptione prohiberi non posse (sicut etiā irregularis non est, qui sinistri oculi uisiua uirtute caret, sed tanta ui in dextro pollet, ut sine deformi faciei conuersione, Canonem legere possint. ut ex cōi tradit *Barbos. de Epi-*

Episcopo par. secunda, Alleg. 42. numero 78.) Sed dicendum est ob natalium defectum, & lunaticum morbum, ab utroque repelli.

Et licet illegitimi thori labes per summum Pontificem, & Episcopum, eo modo quo diximus, abstergi possit, lunaticus tamen defectus nullo modo tolli posse uidetur, cum naturalia immutabilia sint, & ab humana potestate exempta. Quare frustra quoq; quæri solet, an si liberatus sit ab eo morbo, admitti ad ordines, & beneficia debeat, ex quo .n. à natura morbus hic est, nulla ratio apparet, quomodo nisi ex Dei miraculo curetur. Nihilominus per Romanam Rotam resolutum fuit, laborantem morbo caduco, uel alio simili, non esse inhabilē ad obtinenda simplicia beneficia, quia nō est delictū, dummodo talis morbus iudicio Episcopi deformitatem non afferat; secus quò ad beneficia ordinem sacrum requirentia. *Caputaq. decis. 236. Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 14. Suarez. tom. 5. d. 51. sect. 2. num. 18. Garzias. p. 7. c. 12. nu. 20.* Subdit tamen *Azor.* hæc verba, Si morbus capitis, uel corporis, deformitatē afferret, tunc nō solum esset irregularis ad ordines, sed etiā ad beneficia, quales sunt epileptici, furiosi, lunatici, & cæteri, qui morbo ita laborant, ut deformes sint. *ex gl. c. communiter. c. maritum. distinc. 34.* hæc ille.

III. *RESOLVTIO.*

AD 3. quæstionem respondendo dico, in Fabricium illud vulgatum, & repetitum adagium retorqueri posse, Malum consilium consultori pessimum, nam ex communiori, & veriori sententia, quā alibi retulimus. *tr. 10. c. 3. q. 5. resol.* 4. pro recuperando, uel tuendo honore, in foro poli, post acceptā iniuriam, nō licet percutere, uel occidere, hoc enim non est defensio, sed uindicta, *ut per Sayr. in claureg. l. 7. c. 10. nu. 29. & Less. l. 2. c. 9. dub. 12. Bonac. de cont. d. 2. q. ult. q. 1. p. 10. nu. 8.*

Quò fit, ut Fabricius Syluio consulens, ut pro suo honore tuendo, offensorem ense in facie percuteret, si Syluius occisus est, irregularis effectus sit, & omne secutum damnum restituere debeat; cum ex regula generali mandans, & consulens aliquem percuti, uel occidi, ex casu fortuito teneatur, si verisimiliter contingere potuit. Hinc Petrus. v. g. mandans, uel consulens, Ioannem vulnerari, & non occidi, si mandatarius tamen, uel consultus, percutiendo casu eum interimit, Petrus irregularitatis labe afficitur, & omne damnum ex occisione secutum resarcire tenetur, cum ex eius imperio, uel consilio periculoso mors prouenerit. Idem dicendum si cū uellet Ioānem percutere, uel necare, casu ab eodem se defendente occisus est, tenetur enim mandans, &c. de similibus casibus idem ferendum est iudicium. *ut per Barthol. à S. Fausto. d. 4. q. 58. Bonac. d. 7. q. 4. p. 7. nu. 17.*

CAP. III.

QVAESTIO VI.

Diaconus in casu necessitatis extremam unctionem administrans, aquam solemniter benedicēs, an fiat irregularis. Pensionem suo tempore non soluens an sit excommunicatus, & quid si in excommunicatione functiones exerceat, & sacerdotium suscipiat, &c. Sacerdos ad ratiocinia obligatus an celebrare possit?

MArius Diaconus in absentia Parochi sacramentum extremæ vnctionis cuidam laico ministrauit, & in ecclesia aquam solemniter benedixit, ac sacrauit. Item cum sexaginta aureorū pensionem Dominico Sacerdoti debeat, & præscripto tempore non soluerit, ad pēsionarii fauorem, ut morisest à Curia Romana contra eundem Marium lata est, excōmunicatio; deinde sui ordinis semel functiones exercuit, & postmodum sacerdotium suscepit, ac ter celebrauit, &c. Tertiò cum existens laicus, cuiusdam Principis Thesaurarius fuerit, & cuiusdā pupilli tutelam, eiusque negotia gesserit, & nunc dedolo, & perfidia sit ei lis mota. Quæritur an in his casibus aliquam irregularitatem contraxerit, & dato quod sic, quis in ea dispensare ualeat, quidque in huiusmodi casibus consulere debeat Confessarius?

I. *ASSERTIO.*

REsp. Istū Diaconū extremæ vnctionis administrationi se immiscendo, grauiter peccasse, & in irregularitatem incurrisse censendus est, et si per iuris ignorantiam hoc egerit. i. sciens se nō esse sacerdotem ministret; quātumuis ius hanc pœnā infligens ignoret, cum sacramenti pœnitentiæ, & extremæ vnctionis administratio sit proprius sacerdotis actus. ut constat. *ex Conc. Trid. sess. 14. can. 6. de sacr. pœn. & can. 4. de extrema unct. ut dixi supra tr. 4. c. 7. q. 53.*

II. *ASSERTIO.*

IDem dicendum est, cum superpelliceo, & stolā indutus, publice in ecclesia aquam benedixit; cū ipsius aquæ benedictio ad solum sacerdotalem ordinem spectet. (Sicut aqua sancta qua ecclesiæ pollutæ, & interdictæ reconsecrantur, seu etiam recōciliantur, non nisi ab Episcopo fieri potest, quod fit dum naturalis aqua cum uino, & cinere miscetur. *ex Innocentio. in c. proposuisti. & c. aqua. ext. de consecr. ecc. vel alt.* Et si quando ecclesia non consecrata reconci-

ciliatur, non est necesse, quod aqua per Episcopũ sit benedicta, &c. *Auila d. 7. dub. 4. & Barb. inf. cit.)* Et explorati iuris sit, ministrãtẽ in ordine, quo insignitus non est, irregularẽ effici. *c. 1. ext. de cler. non ord. ministr.* Atque sic ex communi opinione resoluit *Mar. Ant. l. 3. resol. 16. casu 2. Marc. Ant. Coluna, de aqua bened. sect. 2. cap. 5. Barb. de Episc. alleg. 28. Billetus in disq. cler. p. tr. 1. §. 1. num. 41.*

III. ASSERTIO.

QVò ad excommunicationem in eum latam, ob non solutam suo tempore pensionẽ, mihi dicendum videtur, ea non esse innodatum, etiamsi debito tempore non soluerit, nisi is cui pensio debetur, declaret se velle illum esse excommunicatum, vt ex stylo curiæ tradit *Parisius. l. 6. de resig. q. 2. nu. 138. Henriq. l. 13. de excõm. cap. 19. nu. 2. Phil. de off. Sacerd. p. 1. l. 3. cap. 7. Garzias p. 1. cap. 5. n. 582. & arg. Gallesius de obligat. ad formã carmera q. 3. & Marc. Ant. Gen. in prax. Neap. c. 117. Tollet. l. 1. cap. 9.* his verbis vtens, Stylus curiæ habet circa pensiones, nempè excommunicationẽ contra pensionarium non soluentem pensionem statuto tempore, latam in fauorem eius, cui soluitur pensio: tali tempore elapso non censeri incursam, nisi ille, cui debetur, declaret se velle illam esse incursam: & si decedat ante declarationem, vel soluatur pensio, vel fiat concordia, seu pensionarius moriatur, non censetur incursa, quia pœna sic videtur apposita in gratiam eius, cui soluenda est pensio, vt ipso tacente, non sit is qui non soluit excommunicatus, nec aliam pœnam incurrat. hęc ille. Hinc proinde sequitur, sui officij functiones exercendo, & Sacerdotium suscipiendo, ac celebrando, &c. in irregularitatem nõ incidisse; Illa enim canonica assertio; Omnis excõmunicatus excõmunicatione maiori, vel suspensus, vel interdictus, si diuina obit officia, actum ordinis sacri quem habet, solemniter exercendo, si scienter, vel scire debens id præstet, intelligitur quando reuera, & à parte rei quis est censura aliqua irretitus, & sciens hæc agit, secus si non esset, etiamsi erronea cõscientia deceptus se aliqua illarum innodatũ esse existimaret, cum ipse supra se talem sententiam ferre non potuerit, licet quãdiù illa durat, se æque ac excommunicatũ gerere debeat, aliàs ob intellectus errorẽ delinqueret, *& c. Sayrus l. 7. cap. 9. de irreg. & de suspens. l. 9. cap. 7. nu. 4. Henriq. l. 2. de pænit. cap. 7. nu. 2. Vict. de excomm. nu. 9. & alii cõmuniter.* Si autem Marius irregularis factus esset (q̃ negauimus) tunc si res occulta foret, ab Epõ, Vicario, vel Pœnitẽtiario in foro conscientię dispensari posset etiã extra suam diœcesim. Posse enim Episcopali iurisdictione fungentem, dispensandi potestatẽ exercere, in irregularitatibus, & inhabilitatibus erga subditos suos extra diœcesim, & verba illa *Conc. Trid sess. 24. cap. 6.* in diœcesi sua, referri ad posteriorem partẽ illius textus, in quo facultas absoluendi à reseruatis Episcopis conceditur, contra nonnullos resoluunt. *Suar. to. 5. de cens. d. 41. sect. 2. num. 10. & Sanchez l. 2. cap. 11. nu. 12. & alii.*

IIII. ASSERTIO.

QVod verò ad illam q. spectat, qua quærebatur, an Marius, qui tam publica, quàm priuata negotia laicus gessit, & cui nunc post Sacerdotium assumptum de dolo, ac perfidia quæstio mouetur, iure, ac tuta conscientia celebrare possit, & alias sacerdotales functiones, ac munia obire, Dico ex eo capite illũ ea exercere non posse, quod ratiocinijs reddendis sit obligatus, quæ tùm publica, tùm priuata sunt: publica enim ratiocinia sunt ea quæ ex reipublicę administratione, priuata vero quæ ex rei priuatæ actione descendunt. Vnde publica ratiocinia ea dicuntur, quæ Thesaurarij, & publici Depositarii, & qui vectigalia noĩe reipubl. vel Principis exigunt, & cęteri, qui publica officia gerunt. In quorum album referuntur etiam officiorum rationes, quæ authoritate quidẽ publica sunt, vtilitate vero priuata, cuiusmodi sunt rationes, quæ à tutoribus, vel curatoribus reddẽdę sunt, id quod locum habet, vel Principis tutela non sit, nam hęc munera publica sunt, vt habetur in *Instit. Ciuil de excusat. tut. vel curat.* Atque sic colligitur ex *cap. 1. extr. de oblig. at. ad ratiocin. & cap. 1 & 2. ext. ne clerici, vel monach. secul. negot. se immisc.* Proindecum de dolo in vtraque administratione post sacros ordines susceptos sit ei lis mota, dignus est suspensione, vel depositione, etiamsi vt aliqui volunt, postea in causa vinceret; & si fraus, vel perfidia intertenisse deprehendatũ; & Episcopus id nouerit, nullo petente, ex proprio munere, eum tamquam criminosum, infamẽ, & scadalum præbenẽ, repellere potest. *Diax. & ibi scholiastes in Praxi. crim can. c. 20. Vgol. de irregul. tab 1. c. 58. & Maiol. l. 2. c. 11. Suar. to. 5. d. 51. sect. 3. Sayrus lib 6. de irreg. c. 14. nu. 6 Fillit. tract. 19 cap. 7. q. 6. Bonac. eodẽ tit. d. 7. q. 1. pun. 4.*

QVÆSTIO VII.

An qui meretricem rapuit, & in vxorẽ duxit, illa defuncta possit ad ordines promoueri, an cum possit, clerici percussioni non obsistens, incidat in excommunicationẽ. Et an datum pro iniurta remissione retineri possit.

STephanus Scholasticus cum insignis cuiusdã meretricis impuro amore flagraret, vt procotũ ac

ac riualium simultates, & rixas declinaret, illam rapuit, & in quadam Ciuitate ritibus, & institutis ab Ecclesia praeceptis, à Parocho loci vbi morabatur seruatis, matrimoniū contraxit. Illa iam defuncta, vellet in clericali statu diuino obsequio se mancipare. Item cū facile prohibere posset ne Fabricius suus contubernalis, Curatū in cuius iurisdictione, & parochia habitabat percuteret quodam tū odio, quo ipsum Parochū psequebatur, nō obstitit, imò ne postmodum Fabricium percussorē in iudicio apud Episcopum accusaret, & vt iniuriam remitteret decem aureos ei dedit. Quaeritur an ei aliquod irregularitatis, vel censurae impedimentum obsistat, & an Parochus illud datum pretium tuta consciētia retinere queat?

I. SVPPOSITVM.

REsp. suppono primo inter alia multa delicta, ob quae homines ab ecclesiasticis ordinibus suscipendis, & susceptis exercēdis arceri solent, esse infamiā, quando quidē ex iuris regula, Infamibus portae dignitatum patere non debent; ac clarum est, ecclesiasticum ordinem honorem, ac dignitatē esse. *cap. infamibus de reg. iur. in 6. cap. 1. de oblig. ad ratiocin. c. admittūtur. d. 54. l. officiales. C. de Episc. & cler.* Infames autē in hac materia dicuntur quorum nomen moribus & vita, est reprobatum; sicut è conuerso fama est illaesae dignitatis status, vita, ac moribus comprobatus, & in nihilo diminutus. *gloss. in cap. infames. §. porrò. in v. infamia 3. q. 3. & in c. vestra. in v. notorium. extr. de cohabit. cler. & mul. Reginal. l. 3. tract. 2. n. 194. Suarez. tom. 5. disp. 48. Garzias p. 7. de benef. c. 8.* Hinc notorij aleatores, & sodomiae vitium & crimen exercentes, non solum ab ordinibus, sed etiam à beneficiorum susceptione tamquam infames arceantur, cum praeter clericatum, legitimum torum, aetatem, & scientiā, vitae, ac morum honestas in promouēdis ad beneficia necessaria sit. *cap. graue nimis. ext. de praeben. Concil. Trid. sess. 24. de refor. c. 12. Ricius in decis. Cur. Neap. decis. 133.*

II. SVPPOSITVM.

SEcundò supponendum, duplicem esse infamiā videlicet iuris, & facti. Infamia iuris est primò cum quis delictum committit, cui à iure infamia irrogata est, vt est apostasia à fide, raptus mulierū, duellum perpetratum, matrimonium cum duabus eodem tempore contractum, matrimonium etiam cum meretrice initum, lenocinium, &c. Ad quam tamen incurrendam requiritur, vt factum maiori parti viciniae, vel collegij, vel loci, in quo quis degit, notorium fit. Hucq; nonnulli ex illegitimo toro natos referunt, qui quadam infamiae nota à legibus inuruntur (& si innocenti filio parentis delictum poena esse non deberet) & interdū moribus & erudítione, ita liberi nothi proficiunt, vt digni, sint, qui ab hac infami natiuitatis labe eximantur. Sic enim apud *Euripidem in Androm. actu. 3.* exēplo arguit Peleus,

Licet nothus sit certè saepe numero
Arida satio fertile, & pingue vincit solum,
Multiq; spurii praestant legitimis.

vt per Cardin. Palaot. in tract. de notis, & spuriis c. 55. & Greg. Thol. in Syntag. Iur. p. 2. l. 10. cap. 4. vt propterea à Doctoratus gradu iure non arceantur, vt patet in multis insignibus Doctoribus, fine quibus ius nostrum esset obscurum, vt de Bart. Io. And. Spec. Ias. & aliis innumeris; q. n. non deliquit puniri non debet, & ei qui in crimine non est, dignitatis portae claudendae non sunt. Et licet Sixtus V. seueram cōstitutionem cōtra nothos, & spurios ediderit, illam tamē mitigauit Greg. XIV. & pene ad ius cōmune reduxit in sua Bulla incip. *Circumspecta.* teste *Graffio l. 4. decis. aur. c. 27. num. 58. & Sayr. de cens. & irregul. l. 6. c. 11 nu. 4.*

Secundò infamia per diffinitiuam Iudicis sententiam contingit, cum. s. quis à Iudice de aliquo crimine infamiam inferente damnatus est, vt de graui furto, &c. *Barb. p. 2. de Episc. alleg. 43. n. 14.*

Tertio cum delinquens, & reus delictum suum in iudicio confessus est.

Nec solum per iuris infamiam irregularitas inducitur, uerum etiam per ignominiosam alicuius artis professionem, quae hominem vilem, & indignum reddit, qui ad ordines, beneficia, & alia ecclesiastica munera promoueatur, qualis est ars histrionis, mimi, tabernarij, fullonis, &c. Verū tū est huiusmodi artes solum in his hanc labem producere, qui illas exercuerunt, non vero in ipsorum prole procedit, modo ipsi filii aliunde indigni non efficiantur, iuxta *gl. communiter receptam in c. quoniā vetus. 24. q. 1.* Si quidem vera nobilitas non ex sanguine, & carne, sed ex animae virtute, formā, & characterem accipit, ex *Baronio tom. 8. anno 610.* Apostolicus ordo hoc comprobat, ac tot Pontificum, & Episcoporum numerus, qui vilibus parentibus nati dignissime sacerdotio, & sacris muneribus functi sunt. *Maiol. l. 3. de irregul. c. 2. Reginald. l. 30. tr. 2. nu. 197. Fillsuc. tom. 2. tr. 19. c. 8. num. 230.* & alij communiter.

Infamia facti accidit, cum aliquod publicū crimen committitur, quod apud graues, & honestos viros infame censetur; quae per actum contrarium, & per mutationē uitae tollitur; hinc qui per trienniū

bene

bene vixit, mutatus præsumitur. *Riccius in decis. Cur. Neap p. 2. decis. 159. Henriq. de irreg. l. 4 c. 5. num. 3. Suarez. d. 48. sect. 1. nu. 29. Bonac. de irreg. q. 3. p. 1. Molfes. tr. 6. c. 8. & alij supra citati.* Vbi notandum est, Prælatos religionum, & regularium fere omnium ex Pontificiis priuilegiis posse cum suis subditis dispensare, qui inhabilitatis, seu infamiæ cuiuscunque maculam contraxerit; idcirco vnusquisque sui ordinis facultates scrutari debet, & si in casu contingenti religiosus subditus ad suscipiẽdos ordines accedat, Ordinarius loci sibi psuadere debet, illum à suo Præfecto, & Superiore prius legitime dispensatum fuisse, de cuius licentia ordines suscepit, & à quo legibus illum soluere poterat, &c. *Nald. in v. infamia. nu.* 1. & alij communiter.

RESOLVTIO.

HIs iactis præcognitionibus dico, Stephanum irregularitatis notam subiisse, non quidem quatenus meretricem rapuit, nam solius mulieris honestæ raptus ordinariis pœnis obnoxius est, *ex Sanchez. l. 7. de matrimon. d.* 12. *nu.* 23. inter quas à *Concil. Trid. sess. 24. de refor. mat. c. 6.* infamia præcipuè numeratur; idque eo magis, quod cũ ipsa meretrix sui iuris sit, nulla uis in ea abducenda illata est, uerũ sponte, aut etiam precibus delinita, cum amatore suo discessit; sed quia eam, ut pote infamẽ, in matrimonio sibi adiunxerit, & bigamiam quoque contraxerit: nam quamuis meretricem ducens in uxorem, maximam peccatorum indulgentiam consequatur (siquidem egregium misericordiæ opus est, peccantem corripere, eumque à malo ultæ statu abducere. *cap. inter opera. ext. de spons. Clar. in praxi crim. §. fin. q.* 98.) nihilominus eam in coniugium assumens, bigamiç labe aspergitur, quæ à solo summo Pontifice aboleri potest. *c. maritum. d.* 33. vt supra de hac irregularitatis specie animaduertimus. *c. 2. q. 3. vide Sayr. de irregular. l. 7. c.* 11. *Bonac. l. c.* & quæ de raptu annotauimus. *tr. 7. c. 24. q.* 106.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. quæstionem dico Primo, Stephanum in excommunicationis censuram incidisse, quæ ei obstat etiam quominus ad ordines promoueri possit, nam ut ait *Clemens III. in c. quanta. de sent. excom.* Ne solos violentiæ huiusmodi auctores aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes, & consentientes, pati poena plectendos catholica condemnat authoritas, eos delinquentibus fauere interpretans, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare. Qui textus præcipuè intelligitur de illo, qui non impediuit, cum ex iustitia impedire teneretur; nam qui non obstat cum possit, & ex officio, seu iustitiç legib debet, in excommunicationem latam in *c. si quis suadente Diabolo.* 14. *q.* 4. incurrit, cum illi percussio imputetur, sicut reliqua damna illi ascribũtur. Tales autem qui ex iustitia, obsistere astringuntur, sunt. v. g. Officiales, Superiores, eorum ministri, patres, tutores, curatores, heri, magistri, parochi, & similes. Et è contra filij, pupilli, subditi, inferiores, famuli, parochiani, & huiusmodi. *vt per Sayr. l. 3. 4. & 7. c. 4. de cens. c.* 26. *Bonac. d. 2 q. 4. p.* 3.

Secundò dico curatum pro remissione iniuriæ sibi illatæ, & iudicialis actionis condonatione posse tuta conscientia retinere sibi decem aureos à Fabricio donatos; nam pro ipsius iniuriæ relaxatione pecuniam accipi posse, ex communi. tradit *Couar. l. 2. var. resol. capit. decimo, & Carbo. de rest. q.* 14. Cum tamen clerici, & Sacerdotes, turpia lucra sectari non debeant, & à qualibet auaritiæ suspicione abesse, non laudabiliter fecit iste Parochus cũ pro temittenda in iudicio iniuria, pecuniã accepit, sed cõsultius fuisset post Fabricii submissionem, & veniæ petitionem, omnia gratis, & christiano corde condonare, & pacate uiuere. Quippe remittere iniurias excelsi, & generosi animi est. Hęc est victoria christiana, dicebat Ioannes Gersõ, iniurias, & iras non iniuriis, & ira, sed mansuetudine, & misericordia uincere, & eum imitari, qui etiã in cruce positus dixit: Pater ignosce illis. &c. *Carbo. de Pacific. c.* 51. *vide sup. tr. 6. c. 24. q.* 112. *& seqq.*

QVAESTIO VIII.

Nunquid Parochus qui temere, & nulla adhibita diligentia, aliquem puerum rebaptizat, p. m. & irregularis fiat: & an si matrimonio contrahendo astitit, illud validum sit. An sciens in confessione alicui necem parari, possit de hoc in genere eum admonere?

ROmulus sacerdos Parochus, cum ei quidam paruulus baptizandus ab obstetrice oblatus esset, nullo adhibito delectu, in ecclesia solemniter cũ hac cõditione tacita illi baptismũ administrauit, Si nõ es baptizatus, ego te baptizo, &c. & postmodum cuiusdam matrimonii celebrationi ut testis authenticus astitit. Quæritur, an m. p. an factus sit irregularis, & an matrimonium ualeat?

Secundò cum per indirectam viam in sacramẽto confessionis intellexisset, quoddã Francisco mortem intentare, ipsum in genere admonuit ut sibi caueret, in sacramẽtali. n. iudicio sibi significatũ esse, necẽ ei parari: Cum autem ipse Franciscus de hoc Antoniũ suspectum haberet, præuenit, & clam de medio

medio sustulit, ac necauit, quæritur an ob hoc officium peccauerit, & ob hanc rationē irregularitatē contraxerit, & ad aliquam restitutionem teneatur.

I. Q. *RESOLVTIO.*

RESp. Primo, Quamuis in Catechismo ad Parochos edito *cap. de baptismo in fine* habeatur, nunquam fas esse sub conditionali forma baptismū alteri ministrare, quàm ei de quo, re diligenter perquisita dubium relinquitur, an baptismū rite perceperit, administranremq. se sacrilegio contaminare, & in irregularitatem incurrere, verior tamen, & cōmunior DD. sententia tenet illos, qui tale quid bona fide fecerint, quantumuis ob indebitam diuini ministerij executionem à mortali peccato non excusentur, ab irregularitate tamen ex iteratione baptismi prouenienti immunes esse, quia tunc baptismus de facto nō iteratur; nam qui iterum salutari abluit aqua, vere nisi posita conditione baptizat, quæ proinde actum cessare facit, & actus agentium vltra eorum intentionem non operantur. In foro vero consciētiæ etiā si à lege, vel canone aliquid expressum requiratur excepto casu *c. fin. de homicid. in 6.* sufficit illud in mente concipere, siquidem Deus cor respicit, contra *Tiraq. in legib. connub. glo.* 8. *n.* 205.

Atq. hanc sñiam tuetur. *Nauar. c.* 27. *nu.* 246. *Tol. l.* 1. *c.* 7. *Vgal de irreg. n.* 42. *Henriq. l.* 14. *c.* 4. *n.* 4. *Suar. in* 3. *p. D. Thomæ d.* 31. *sect.* 6. *dub.* 4. *&* 5. *Reg. l.* 30. *tract.* 2. *nu.* 176. *Bonac. d.* 7. *q.* 3 *p.* 3. *Contra Sayrum l.* 7. *c.* 8. *& Ignatium Lopez. in scholijs ad praxim crim. Diax. c.* 18. *& Corrad. in qq. cas. consc. q.* 37. *Vgol. de irregul. c.* 35. *§.* 3.

Nec obstat Rom. catechismi autoritas, qa irregularitas nisi in iure expressa sit, non incurritur, nec Tridentini patres ibi ius cōc cōdiderūt, &c. Quidquid sit de vtraq. opinione (quę probabilis est) mul tis placet, hanc irregularitatē non contrahi, nisi ut dicūt, rebaptizationis delictū sit publicum, quò fit, ut qui occultè hoc fecerit, nulla Epi dispensatione indigeat, qui in oībus irregularitatibus ex occulto delicto descendentibus *ex c. liceat*, dispēsare potest; sed verius tenendum Episcopali dispēsatione opus esse. *Filliuc. tr.* 20. *c.* 6. *q.* 5. *vt ex communi tradit Bonac. l. c. & Barbos. de Episc. p.* 2. *alleg.* 39. *num.* 36. quam impendere potest etiam si incurratur ab aliquo publice baptizante, dummodo nesciatur an q baptizatur, antea ipsa salutari aqua sit ablutus.

II. Q. *RESOLVTIO.*

QVò ad matrimonium celebratum dico illud validum esse, etiamsi daremus illum fuisse irregularem, & illi astitisse, cum sit verus Parochus, nec illud ministerium sit actus ordinis, q ei inhibitus sit. Imò nō solū ipse Parochus suspēsus, excommunicatus vitandus, & irregularis matrimonio assistere valide potest, sed etiam alteri facultatē assistendi concedere ei licet, cum sit actus muneris parochialis administrationis, à quo ipse Curatus propter solam irregularitatem non est prohibitus. *ita Suarez. tom.* 5. *d.* 40. *sect.* 2. *nu.* 26. *Coninch. de matrimonio dub.* 2. *d.* 27. *nu.* 24. *Reginald. l.* 31. *nu.* 177. *Riccius. decis.* 243. *Sanchez. l.* 3. *de matrimonio d.* 21. *nu.* 4. *Gutierez. c.* 62. *nu.* 23. *Bonac. q.* 2. *p.* 8. *nu.* 20.

III. Q. *RESOLVTIO.*

TErtię quæstioni respondendo dico, Romulum imprudenter quidem, & peccaminose egisse, cum mortem Francisco intentatam, quam in cōfessione intellexit, eidem vel in genere manifestauit, siquidē ex veriori sentētia, ut sæpe alibi à nobis scriptum est, confessor circa ea quæ in confessione audiuit, ita se gerere debet, ac si nihil in ea percepisset, nec ullo modo notitia in ea comparata ad externā gubernationem uti potest. ut diximus supra *trac.* 1. *c.* 5. *q.* 21. *& tr.* 5. *c.* 21. *q.* 122. *& tradit Lazar. de monit. ex cōi. sect.* 2. *q.* 17. *& Molfes. tr.* 7. *c.* 23. *nu.* 52. & alii cum resoluunt, Confessarium per sacramentalē confessionem, qua. s. quis ecclesiæ clauibus se subiecit, scientem aliquem occidendum fore, neque etiā generalibus verbis admonere debere. Ab irregularitate porro & restituēdi obligatione hic Parochus immunis erit, cū per accidens, & remotam in homicidium causam, nec ex sui natura directam, in occisionem Antonij influxerit. *arg. Sayr. l.* 7. *de censf. c.* 5. *nu.* 15. *& Azor. p.* 3. *l.* 2 *c.* 8. *notab.* 5. *Bellet. in Disq. cler. p.* 1. *§.* 1. *nu.* 4.

QVÆSTIO IX.

Qui dubitans an esset irregularis, ecclesiasticum beneficium accepit, an p. m. & collatio inualida sit, & nūm impediatur ne Confessarius eum à peccatis absoluere possit?

SIluerius Sacerdos dubitans an ob quædam incaute prolata verba, aliqua ex parte ad quoddam homicidium perpetrandum influxerit, & aliàs accusauerit quendā laicum de quodā delicto, facta protestatione, quod pœnam sanguinis non intendebat, qui tamen morte adiudicatus fuit: sæpius celebrauit, & in tali dubitatione ecclesiasticum beneficium accepit. Quæritur an lethaliter deliquerit, aliquam aliam irregularitatem incurrerit, & an collatio beneficij ualida sit, & nū ista irregularitas impediat ne Confessarius eum à peccatis absoluere valeat?

RE-

R E S O L V T I O.

RESp. sic distinguendo respondeo, aut dubium est iuris, nempe quia irregularitatem à iure in eo casu statutam esse non constat, & tunc in neutro foro hic irregularis censendus est, ex citato sæpius *c. is qui. de sent. excom. l. 6.* Aut dubium est facti, puta quia certum est irregularitatem esse iure in eo casu inductam, at dubium est an hic in eundem met casum inciderit, & tunc etiam in foro tàm interno, quàm externo irregularis iudicandus erit, vt expressè deciditur *in c. ad audientiam, & c. pen. cit. de homicid.* Quod cum iustum sit, nec falsæ præsumptioni innitatur, instar cuiuscunque iustæ legis in vtroque iudicio obligat, præsertim in speciali casu homicidij, de quo loquuntur, vt si quis leuiter aliquē percusserit, & alij post eum ita ceciderint, ut mors sit secuta, primus percussor dubitare debet, an neci causam dederit, si quidem licet in dubio non præsumatur delictum, neque pœna inducatur, secus tamen est ad obuiam eundum delicto, & animæ periculo, quia vbi agitur an sit delictum vel non, in dubio pro culpa, vt tollatur, inclinandum est. vt notant *DD. in c. inuenis. ext. de spon.* Et vt ait *Clemens III. in d. c. ad audientiam*. In dubiis semitam debemus eligere tutiorem. *Tusch. in v. peccatum. conclus.* 193. *Corrad. q.* 352. *arg. Graffius de arbit. Confess. cap.* 5. vbi dicit, quod licet Confessarius nō teneatur de singulis peccatis determinare an lethalia sint, quando tamen dubitat, an ita sit, debet pro mortali culpa pœnitentiam iniungere; nam etsi in alijs benigna facienda sit interpretatio nihilominus in his, quæ Dei honorem, & animæ salutem concernunt, tutior pars est accipiēda. Verumtñ vbi qs dubitat an aliqđ peccatū sit reseruatum, à reseruatione exemptum iudicandum est, quia cum sit odiosa verba strictè sūt accipienda. *Suar. tom.* 5. *d.* 4. *sect.* 6. *nu.* 5. *Henriq. l.* 6. *de pænit. c.* 26. *nu.* 7. *Sanch. de precept. l.* 1. *c.* 10. *nu.* 74. An autem sic absoluens peccet, & in aliquā censuram incidat, videatur *Vgol. de Episcopo. p.* 2. *c.* 37. *n.* 3. *Florem. de cas. reser. p.* 1. *c.* 5. §. 3.

At in alijs euentibus probabiliter etiam asserere possumus, nec in dubio iuris, nec dubio facti, quempiam irregularem censendum esse, nec esse necessario tutiorem partem sequendam, cum pacifica possessioni omnia iura faueant. *l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. cap. cum sunt. eodem tit. l.* 6. *Suarez. tomo* 5. *d.* 40. *sect.* 5. *Sanch. l.* 1. *de præcepis. c.* 10. *nu.* 47. *& seq. Coninch. disput.* 18. *dub.* 2. *Reg. l.* 30. *tr.* 2. *n.* 12. *Sayr. l.* 6. *de cens. c.* 6. *Vgol. de irregul. c.* 66 *Bonac. d.* 9. *q.* 1. *p.* 4. *contra Garziam, & alios quos refert. de benef. p.* 7. *c.* 2. *nu.* 18.

I. A S S E R T I O.

VNde dico, Primo Siluerium cum in probabili dubio facti se irregularem reputare debéret, tàm celebrando, quàm beneficium recipiendo, ante obtentam dispensationem, mortali culpa se cōtaminasse, nempe in re sacra, & valde graui contra ecclesiæ præceptum agendo. Attamen ob huiusmodi peccatum, nec noua irregularitas, nec alia canonica pœna incurritur, cum imposita à iure non inueniatur. *Nauar. c.* 27. *nu.* 194. *Suarez. d.* 40. *d.* 2. *Henriq. l.* 14. *c.* 5. *nu.* 2. *Sà in v. irregul. nu.* 7.

Licet quò ad accusationē illam cū protestatione factā de irregularitate timere nō dēat, cū hoc iure concedatur, dummodo illum laicum reum in sua, vel suorum consanguineorum causa, de iniuria, vel damno illato, in ius vocauerit, & modo Episcopi vel Vicarij facultas accesserit. *c. prælatis. de homicid. l.* 6. *Sayr. de irreg. l.* 6. *c.* 18. *num.* 10. *Riccius.* 2. *p. decis. Cur. Neap. decis.* 61. *&* 136. *Vgol. de officio Episcopi. p.* 1. *c.* 12. §. 4. *Mascard. de probat. vol.* 3. *concl.* 1358. *& Marta. de iurid. p.* 4. *cent.* 2. *casu* 128. *numero.* 2.

Vnde aduertēdum, quod clericus nec accusare, nec testimonium ferre coram sæculari Iudice potest, nisi sui superioris. i. Episcopi, uel Vicarii Generalis licētia interuenerit, & causa nō criminalis, sed ciuilis existat. *c. quamquam.* 14. *quæst.* 2. *Farinac. de testibus quæst.* 61. *numero* 83. Venia autem per ordinarium clerico in huiusmodi danda, sub tali forma concedi deberet; Conceditur licentia N. clerico accusandi, vel deponendi in curia sæculari in tali causa, dummodo non deponat super articulis cōcernentibus criminalitatem, Infamiam. &c. put Neapoli, & Bononiæ seruari testatur. *Belles. p.* 1. *disqu. cler. tit. de clerico teste* §. 2. *& Riccius in decis. cur. Neap. decis.* 61. vbi idem in monachis, & regularibus statuūt. Licet si tàm clerici, quàm religiosi contrarium agerent, & in causa ciuili, absque sui proprii superioris licentia testificarētur, eorum testimoniū nihilominus valeret, sed à suis superioribus puniri possent,

II. A S S E R T I O.

SEcundò dico, cum, vt alias retulimus, irregularitas primò hominem inhabilem reddat ad ordines tùm suscipiendos, tùm exercendos, præsertim quò ad missæ celebrationem, nisi scandalum aliqđ vrgeat, secundariò autem eum beneficiis priuet, hoc est ineptum ad beneficium obtinendum reddat, ita vt collatio nulla sit, &c. ipsum Siluerium dictum beneficiū retinere non posse, nec fructus suos facere, si in tali dubio existens beneficium accepit;

cum

cum.n.mala fide ad illud accesserit, nihil unde excusetur uidetur habere. Licet aliquibus videatur, quamuis in dubio homicidij censeri debeat irregularis, ad hunc effectum, ut à celebratione abstineat, & tutiorem partem eligat, non tamen vt beneficio spoliatus sit, vel alia pœna puniatur, &c. Si autem nihil hæsitans, sed bona fide putans se minime irregularem esse, beneficio ipso sit donatus, censeo collationem validam esse, merito iudicans meliorem esse tunc possidentis conditionem. *Reginald. l.30. n.3.c.2.nu.8.Sayr.l.1.cl.reg.c.13.nu.24.*

III. ASSERTIO.

Tertiò dico, quod sicut irregularitas priuationem iurisdictionis annexæ beneficio in neutro foro non inducit, atque ideo Parochus irregularis pro sua ordinaria iurisdictione, alicui approbato ab Episcopo potestatem audiendi confessiones suorum subditorum impertiri possit: sique ipsemet confessiones excipiat, absolutio disposito impensa valida sit, Ita irregularitas sacramentalem absolutionem non impedit, neque per hanc illa tollitur, quandoquidem illa non est peccatum sed impedimentum dispensatione tollendum. Cæterum quãuis non sufficiat irregularem à peccato absolutum esse, sed ab irregularitate liberari debeat, vt vel ordines suscipere, uel susceptos exercere valeat; attamen cum ex occulto peccato prouenit, nemo tenetur se prodere, & infamare, aut ad obtinẽdã dispensationem mortis periculo se exponere. *ex Nau. quem omnes sequuntur c.27.nu.239. Sà in v. censura nu. 4. Reginald l. c. nu.14.* Quis vero in irregularitate ex delicto descendente dispensare valeat, vide quæ ex *Conc. Trid. sess.24.c.6.* attigimus superius.

Vide etiam *Sayr. de irregul. l.7.c.13. Vgol.c.62. Roder. in qq. regul tom.1.q.61.art.9. Beiam.p.4.resolu. casu 37. Sanchez.l.8. de matrimon. d.2. num.13. Marc. Ant. l.3. resol.16. Riccium decis.518.* & alios ybi cõmuniter tradũt, episcopum, eius Vicarium, & etiam Pœnitentiariũm, in foro pœnitentiali episcopali facultate pollentem, posse in irregularitate occulta dispensare, etiamsi illa sit quam contraxit se tuendo, non tamẽ cum moderamine inculpatæ tutelæ. *vt per Barbos. in remis. ad Conc. Trid. sess.14. de reform. c.7.* Atque religiosorum Prælatis integrum esse suos subditos ab eodem canonico impedimento liberare, sentiunt *Roderici. Beia. & Sanch. l. cit.*

QVÆSTIO X.

An quis sine parentum consensu religionem ingrediendo, & comitialem morbum superioribus religiosis celando, mortaliter peccet. An medici pariter de eodem morbo falsum referendo, lethali culpa se obstringant. Num professio sic dolose, & ab ære alieno grauato emissa valeat, & casu quod valida non sit, nunquid ille clericalẽ vitam degere queat, & ad maiores ordines ascendere. Hæres certus de voto mixto à defuncto emisso, sed dubius an illud adimpleuerit, an adimplere teneatur?

Marinus cum morbo comitiali laboraret, illũ Superioribus interrogantibus, scienter subticendo, & inconsultis proprijs parentibus, quandã religionem ingressus est, in qua sane post expletũ annum, professionem emisit; cum autem duobus transactis annis, ipsiusmet religionis Patres eum tali funesta ægritudine detineri animaduertissent (si quidem amor, tussis, ignis, morbus, & dolor, abscondi nequeunt) illum ex cætu iuxta religionis statum expellere decreuerant, & re ipsa præstitissent, nisi duo periti, sed parum pii medici, falso persuasissent, huiusmodi morbum comitialem non esse, & facili ratione remedium adhiberi posse. At cum clarioribus argumentis, hoc vitium in Marini corpore deprehendissent, post quinquẽnium, & lustrum, ex religione, sine Episcopi, & parentum consilio, & authoritate, eiecerunt, nunc sic expulsus cum minoribus ordinibus sit initiatus, ad subdiaconatũ promoueri vellet. Ex qua facti scire hæ dubitationes insurgũt. Primo an Marinus absque parentum cõsensu, & talem morbum celãdo, religionem ingrediendo, lethaliter peccauerit. Secũdò an pariter illi medici sic mentientes, mortifero scelere se obstrinxerint. Tertiò nũm professio tàm in foro externo, quã interno sit nulla, maxime cum non solum hoc morbo laboraret, sed etiam ære alieno à patre suo iniustè contracto cuius hæres est, grauatus deprehensus sit. Quartò nunquid casu quod non valeat, nũ in sæculo clericalem vitã ducere queat, & ad maiores ordines ascendere; præsertim cum vouerit se vinũ nõ biditurum, ieiunio enim stomacho cyathos haurire solebat, ex quo excessu caducum morbum, & apoplexiam induci, rei medicæ periti asserunt. Et cum mortuo patre, in eius hæreditate successerit, & certus sit eundem parentem defunctum votum de æde Lauretana inuisenda, & de elemosyna decem aureorum illi offerenda, vt filio sanitatem impetraret, emisisse, quærit an votũ illud adimplere teneatur?

RESPONSIO.

Cum hic nihil pro fundamento, & præuijs inspectionibus supponendum occurrat, breui uia ad propositi casus, & anniexarum quæstionum resolutionem deueniendum duxi.

I. Q.

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. quidem dubitationem, omissis suppositis, currenti calamo ne eundem lapidē sæpius reuoluamus, dico, Marinum non peccasse, si in religionis ingressu parentum consensum nō adhibuit, siquidem statuendum est ex communi Theologorum sententia, quò ad religionis ingressum, nullam parentibus obedientiam deberi, vt ex *D. Th. 2. 2. q. 104. art. 5.* colligunt, qui in his, quæ ad corporis naturam pertinent, omnes homines pares esse affirmat, atque in huiusmodi rebus, nec seruum esse inferiorem domino, nec filium patre, ut sunt quæ vel ad corporis necessitatem, vel ad prolem gignendā pertinētsex quò ille effici vult, nullam esse rationē, cur vllus cogi posit, vt ex alterius etiam parentis arbitrio, uel matrimonium ineat, vel ut se cōtinentem seruet. Si tamen ait idem Doctor. *l. c. q. 189. art. 10.* sit aliquod speciale impedimentum, puta infirmitas corporis, vel onera alia, qualia sunt debita, vel aliqua alia similia, in his requiritur deliberatio, & consilium cum his de quibus speratur quod prosint, & non impedianr. In quo sanè casu ipse Marinus tā periculosa, & noxia ægritudine laborās, culpam, paternum consilium omittens, contraxisse vī.

Nec dubium quin ipse etiam propriam conscientiam grauiter sauciauerit, cum hunc morbum religionis Superioribus de impedimēto interrogantibus, sciens celauit; hoc enim exprimere tenebatur, cum contra substantiale religionis institutum militet, & probabiliter timeatur fore, vt toti cætui dānum sit allatum, siquidem generaliter loquendo quando ad alicuius delicti punitionem non proceditur, sed ad obsistendum detrimento, ex tacito, uel expresso impedimento subsecuturo, interrogatus fareri tenetur, aut à re intēta desistere, quamuis occultū sit. *vt per Sanchez. l. 4. de praeceptis. c. 16 n. 35.*

II. Q. RESOLVTIO.

AQuo delicto, vt 2. q. respondeam, supradicti medici non excusantur, cum religiosis patribus retulerunt, morbum quo Marinum detineri ferebatur, non esse comitialem, sed alium, qui facilè sanari poterat; nā medicus iuridice de aliquo morbo rogatus, si id quod testificatur, falsum, & à veritate alienum esse existimat, & in re graui, vt alicui amico morem gerat, mentitur, capitale peccatum admittit, & coram Deo fit reus. Lycurgi enim fuit lex, eatenus amicis, & familiaribus obsequendum, & auxiliandum, quatenus Deus, & propria cōscientia non lædatur. Et sanè qui boni ac probi medici nomen vere consequi studet, ad demonstrādam veritatem, ardentem, & erectum esse debere scriptum reliquit Hippocrates, qui cum sobrietatem *l. decēti orn.* in medico plurimum laudasset, huic sociam, quam perpetuo coleret, veritatem adiunxit. Et Galenus eius amantissimus interpres, & assectator *l. de opt. med.* ipsum Hippocratem honestum, ac bonū virum fuisse scribit, eo quod non honoris, & gloriæ, sed veritatis amator extiterit. *Codrōch. de Christ. ac tota med. ratione l. 1. c. 38.*

Porro Marini morbum quo opprimitur, & corripi aliquando licet raro soleat, esse comitialem, & caducum, non postremi ordinis medici senserunt, omnes n. conueniunt, indicia morbi caduci esse, quod homo subito concidit; & spumis os circumfluit; & de hoc fama erat, idemque aliquoties iam alijs cōspicientibus, quàm clam noctu semotis arbitris accidit, & aperte test bus ad hoc inductis est comprobatum. Insuper apud artis professores in confesso est, in hoc morbo tantam esse capitis, ac mentis breuē contractionem, vt aut hominem celeriter absumat; si recens, ac vehemens supeuenīat, aut si leniter eū aggrediatur, familiaritate quadam, usque ad ultimum vitæ exitum comitetur, ac propterea insanabilis censeatur, præsertim si hydropisi admisceatur. *Celsus l. 3. c. 22.* vbi expresse tradit huic morbo cū natura sua insanabilis sit, nullum posse accommodari remedium, & cum sequitur *Menoch. l. 6. de praesump. praesump. 44. vt et per Matolum de irreg. l. 2. c. 16. Vgol c. 54. §. 1. Ricciū in praxi var. resol. resol. 538. Sayr. l. 6. c. 9.* Nec omitto olim etiam Ethnicis sacerdotibus caprinam carnem quò ad esum vetitam fuisse, quia Plutarchus in *Problem.* tradit capras cæteris animantibus magis epilepsiæ tentari, ob meatuū angustiam, (quam vocis tenuitas arguit) atque eodem insanabili morbo eos facile capi, qui caprinis carnibus vescuntur.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. dico, professionem quam Marinus in monasterio emisit, inualidā esse, nā *in c. 10. Constitutionum* eius religionis, in quam ingressus est, hæc uerba habentur.

Nullus insuper, ac similiter, nec aliquis nouitius ad habitum seu professionem recipiatur, nisi conditiones requisitas habeat, ut per tonsorem, seu chirurgicum super secretis eius infirmitatibus diligenter visitetur. Et nullus recipiatur, nisi etiam talis primitus super lepra, seu contagioso morbo aut incurabili, tàm in propria, quā parentū persona existente, ac super legitimis impedimentis religionis ingressum impedientibus interrogetur, cum expressa capitulari protestatione; quod si forsan contrarium reperiretur, ex nunc, prout ex tunc, eiusdē nouitij professio

fessio cẽlebitur irrita. Et quod talis professio sit nulla, si religio Pontificio statuto muniatur, vel suo à Papa confirmato, quod professionem prædicto modo emissam infringat, tenet *Roder. tom. 3. qq. regul. q. 17. art. 9. & Sanchez. tom 2 de precept. l. 5. c. 4. nu. 60.* Et cum duplex sit professio, nempe expressa, quę verbotenus fit, in manu Prælati potentis, vt dicunt religioni incorporare; & tacita quando nouitius anno probationis expleto, in nouitiatu sciens, & volens professorum habitum assumit, Superiore, & fratribus scientibus, eum non esse professum, & consentientibus, ut prout cupit, tacite profiteatur. *Roder. l. c. ar.* 1. Idem *Sanch. l. c. c. 3. nu.* 13. vbi ait post *Conc. Trid sess. 25. de reg. c. 15.* rarissime contingere vt valide fiat, & aliqui per illud eam esse sublatam asserunt. Et si expressa professio non ualet, neque etiam tacita valebit, quia in contractibus pars est virtus taciti, & expressi. *l. cum quid ff. si cert. pet.* Ac ex defectu consensus, qui absque dubio in profitente, & recipiente requiritur, inualida redditur. *vt per Abb. & Innoc. in c. porrectum. ext. de reg.*

Nec obstat Decretum *Concil. Tridẽt. sess. 25. de regul. c. 19.* vbi determinatur, quod quicunque regularis prętendat se per vim, & metum, ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum, à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.

Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad monasteriũ redire cogatur, & tanquã apostata puniatur. &c. De qua materia, & intellectu, vide eundem *Sanchez. l. 7. de matrim. d. 37. Roder. tom. 3. qq regul. q. 17. art. 16. & seq. Mirandã in Man. Prælat. tom. 1. q 30 ar. 1.*

Non inquam hæc dispositio negotium facessit, quia de solo profitẽtis subiecto loquit̃, qñ. s. quis diceret professionẽ nullã ex ui, metu, aut factã ante ætatẽ debitam, aut simili causa, ut in vestibulo illius loci habetur, ex cuius inspectione disponentis mens colligitur; si quidem professio ex huiusmodi causis inualida nullitatem, ut Doctores loquuntur, intrinsecam significat, quæ profecto non apparet, nõ pręsumitur, & suapte natura latet, cum in voluntate consistat, nec tractum successiuum habeat, quæ intra quinquennium ex ratihabitione expressa, uel tacita ratificari potest. At quod quis comitiali morbo corripiatur, incapacitas in persona, & nullitas actus ex regulę statutis consurgit, & inualiditatis causa perdurat, id est morbus, qui, vt dixi, insanabilis habetur. Et hæc exceptio ad monachos omnes, & ad religiosum ordinem spectat, eius. n. interest, ne hac labe, & contagione infectus inter regulares viros coaptetur, tùm propter eorum statuta, quæ facile cluderẽtur, tùm etiam ob turpitudinem, & horrorem, morbi, ecclesiasticam personam, & Deo sacram afficientis, cuius causa nullus, q eo contaminatus fuerit, ad ordines promoueri potest. Vnde ex hoc etiam cõficitur, Pręfectum ordinis, cum Fratrum, & Discretorum consilio, absq; Ordinarij authoritate, ad expulsionis sententiam deuenire potuisse, quando quidem Generalibus, ac Prouincialibus (qui de iure diuino, & Pontificio priuilegio, in suos subditos iurisdictione potiuntur, & ab Episcopis regulariter exempti, in regularium causis ordinarij sunt Iudices) cum consensu maioris partis Capituli, eiectio monachi à religione conceditur. *Roder. tom. 1. q. 30. ar. 16. & 17 to. 3. q. 11. ar. 2. Ghisler. de Iudice regul. c. 9.* & alij communiter.

Et sicut in religionis ingressu, ut supra supposuimus, patris consensus necessarius non fuit, ita ẽt quando Marinus egressus est, & à patribus religiosis eiectus, eo minime opus fuit. *arg. reg. omnis res. ext. de reg. iur.* Nam sicut in matrimonio carnali diuortium inconsulto, ac renitente patre fit, quando coniuges separantur, nullumque ipsum coniugium rẽdditur, ita propemodũ in dissolutione matrimonij spiritualis, eadem ratio militare uidetur, ut circumscripto patris consensu, etiam eo non uocato, expulsionis Marini sẽtẽtiam Sup ior ferre potuerit. Et quamuis filiusfamilias sine consensu patris in iudicio esse non possit, id tamen Primo non procedit, quando Iudicis officio in spiritualibus præsertim experitetur. Secundò in causis summarijs, & extraordinariis, & executiuis. Tertio quando nil ipsi patri saltem primario quæritur. Quartò ubi filius paternæ potestati non subest; quæ omnia prę posito nostro casui accommodãtur: in primis. n. in rebus spiritualibus uersamur, & in causa, quæ ex Superioris officio definienda erat, sumus in iudicio summario, summaria namq; & compendiaria causa dĩ, qñ in ordine religioso contra regulares agitur, nec quidquam patri principaliter quæritur, ita ut religiosi patres quò ad Marini genitorem dicere possint, quò ad te liberas habemus ædes, & tua nõ interest de iure nostro quærere; & denique vt notum est, filius per religionis ingressum à patris potestate liberatur. *§. filius familias. tit. In Bit. Quib. modis ius pat. potest. sol. vbi Doctores notant. Sanchez. tom. 2 de præcept. l. 5. c. 5. nu. 29.*

Quod uero spectat ad impedimentum æris alieni à patre suo iniuste cõtracto, dico ex hoc capite inualidam professionem non reddi; nam licet Sixtus V. in sua Cõstitutione anni 1587. inhabiles ad professionem reddiderit, ita vt professio nõ valeat, eos

eos, qui ingenti ære alieno supra facultatum vires grauati fuissent, illud tamen Decretum Clemēs 8. in alio Motu proprio quò ad hoc moderatus est, teste *Roder. in qq regul. tom. 3. q. 10. art. 4. & 5. & Sanchez. l. 4. de preceptis. c. 19. nu. 21. & l. 5. c. 4. nu. 61.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. respondendo illud nobis resoluēdum videtur, supposito Marinum ob professionē inualidam iuste ex religioso cætu per sententiam expulsum esse, absque alio Pontificis Decreto, clericalum statū assumere potuisse, & in eo in sanctitate, & iustitia sub Episcopo vitā transigere, iuxta tradita per *Nau. de regul. cons.* 73. nisi canonicū impedimentum, idest ipsa irregularitas obstaret, qua quis ad ecclesiasticos ordines promoueri, & in eis iam promotus ministrare prohibetur. Quæ quidē, vt alibi notauimus, cum ex quinque capitibus con surgere conspiciatur, nempe ex defectu sacramenti, ut est bigamia. Secundò ex defectu animi, vt infideliras, hæresis, inscitia, &c. Tertiò ex defectu corporis, vt illegitimi, & corpore viriati, ac energumenis, maleficio affecti, morbo comitiali laborantes. &c. Quartò ex defectu perfectæ lenitatis, ut est Iudex uel iuste aliquem morti adiudicans. Quintò ex delicto, vt iniuste occidendo, vel cēsuras violando, vt cum quis excommunicatione, suspēsione, vel interdicto irretitus, celebrat, & huiusmodi; cum inquam hoc canonicum impedimentum ex his fontibus fluat, explorati iuris est eos, qui caduco morbo vrgentur, irregulares esse; imò non posse ad ordines promoueri, quāuis iam sani effecti sint, semelque tantum eo correpti fuerint; idque tum propter huius ægritudinis horrorē, tū ob periculū de nouo, & iterū in eā incidēdi; nā & si demus, ut ēt aliquib. placet, morbum istū haud quāq; insanabilē esse, asserentibus quēcunq. iuuenē eo laborārem, mutatione maximè ætatis, temporū, locorū, & victus, liberari posse; nihilominus vt tutiorem illam snīam amplectendam sentio, ordinum susceptorum exercitium retinere non posse, qui illo afficitur: multo magis nefas esse eisdem ordinibus, tàm minoribus quàm maioribus initiari, ex vulgara illa ratione, Multa post factum permitti, ac tolerari, quæ antea prohiberentur; atque ex illo probato eloquio,

Turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes. vt per *gl. Archid. & alios in c. communiter. dist.* 33. Quinimò nonnulli, inter quos est *Maiolus de irreg. l. 2. c. 16.* arbitrantur, impedimentum ex hac ægritudine proueniens, ad successores patiētis illud extendi, ea ratione confirmantes, quod hic morbus hęreditarius est, & ad prolem transfunditur; nam & *Quint. l. 5. Instit. orat.* scribit, argumenta sæpè à persona, & genere esse ducenda; siquidem similes parentibus suis, ac maioribus filij plerumque creduntur. Hinc Diogenes cū ebriū in foro uidisset, illius, inquit, pater ebrius erat. In quam sententiam Martialis miratur, quod ebriosi filia aquam biberet, cū inquit,

Miror, quod Bassi filia potat aquam.

Qua rōne Lacedæmonij statuerant ne quis ebrius vxorem cognosceret, ne ebriosos filios generaret,

Addit tamen Maiolus hoc locum non habere, cum Epi lōga temporis intercapedine ꝓgenie hūc morbum nō passuram cognouit, ita vt probabiliter iudicare possit ad promotionem non habilem fore, At ipse cum *Campanilio in diuers. Iu. Rub.* 11. *c.* 17. prolem ab ordinibus suscipiendis, vel exercēdis nō arcerem si quidem; & podagra hęreditario quodāmodo contrahitur, & nihilominus nemo affirmare id ausus est in ea laborārib. modo futuræ ęgritudinis nulla signa præcesserint. Qua in re multum Episcopi iudicium, & arbitrium valere negandū non est. Non tamen omnes qui supradicto morbo affligūtur, generatim initiari prohibentur, sed tantum sacris, non minoribus ordinibus, ex Episcopi dispensatione īsigniri, *vt per c. clerici dist.* 33. vbi Nicolaus Pontifex à Dæmonibus obsessos ad superiorem sacri regiminis gradū ascendere inhibet. Cuius quidem Canonis verba illa sacri regiminis, non minores ordines, sed sacros tantum complecti annotat ibi *Archid.* Maiol. *l. c. nu.* 12. & *Campan. nu.* 176.

Vnde si ad hos ascendere non prohiberetur, votum de nunquam bibendo vinum ei non obstaret, huiusmodi enim voto non contrauenitur sumpto vino in prima vel secūda Missæ ablutione, cum ad id ecclesię præceptū obliget. *c. ex parte. ext. de celebr. Mis.* Et illud mitius interpretari debemus. ne sit contra communem ecclesiæ morem, quo sacerdotes in ipsa ablutione vino, & aqua vtuntur; si quidē in quauis promissione semper superioris auctoritas excepta intelligitur. *c. quemadmodum. ext. de iureiuran. Vgol. de irregul. c.* 53. §. 2. *Azor. p.* 1. *l.* 11. *c.* 20. *q.* 7. *Sanch. de precept. l.* 4. *c.* 11. *n.* 43. *Bonac. de legib d.* 4. *q.* 2. *pun.* 6. *nu.* 11.

CONSECTARIVM MONITVM.

SEd antequam propositi casus resolutioni finem imponamus, & ad 5. quæstionis decisionem descendamus, illud etiam obiter silentio inuoluendū non uidetur, eorum cadauera, qui hoc morbo laborantes, ut mortui concidere solent, non esse à Parochis statim sepelienda. Vnde ne in re grauissima peccare contingat, ab aliquibus prudentibus Episcopis in synodalibus Constitutionibus sancitur, vt nullius mortui corpus terræ mandetur, nisi horis sal

tem

tem 17. exactis postquam expirauerit, uel tandiù super terram inhumatus custodiatur, donec de illius vita spem nullam esse certissime constiterit. Quod si morbi alicuius repentini violētia quispiā oppressum fuerit, non ante 24. repentini euentus horam in sepulchrum inferatur. Siquidem accidisse aliquādo compertum est, quorundam sopitos vi morbi sensus, cum penitus extincti crederentur, interiectosq; spatio refectos, & recreatos esse. Sic etiam *Leuinus Lemnius l. 2. de occultis naturæ c. 3.* lege sancitū esse debere profert, ne libitinarij, vespilliones, ac vi les cadauerum funeratores, festinātes eos, qui extincti corporis speciem præbere videntur, loculo includant, qui comitiali morbo, apoplexia, aut veri strangulatione (de mulieribus loquendo) corripiuntur, cum in his interdum anima delitescat, quæ rursus corpus spiritu, vitaque imbuit. Nec tàm virorū, quam mulierum exempla desunt, qui mortui crediti excitati sunt, vel qui elati, ac in sepulchro conditi, vel superuixerunt, vel strepitu, ac maximo clamore, frustra tamen exire, tentarunt, vt ex cadauerum diuersa positione, ac situ postea manifeste patuit, quorum nonnulla recenset, *Dominicus Terilius in tract. de causis mortis repent. sect. 6. cap. 2.*

V. Q. R E S O L V T I O.

AD 5. q. dico, Marinum q; certo scit, patrē suū quò ei sanitatē impetraret, votum emisisse de æde Lauretana visenda, & ei 10. aureorū eleemosyna offerenda, sed dubitat, an votum illud executioni mandauerit, teneri non ex vi religionis, sed ex quasi contractu quatenus est reale adimplere, tùm quia possesio stat pro voto, & de ipsius executione dubitatur; in dubio autem possidenti fauēdum est, tùm quia etiam in foro externo soluere cogeretē, cū non constet solutionem à defuncto factam esse, ergo etiam in animæ iudicio ad illud adimplendum adigēdus est, cum idem ius sit fori externi, & interni, quādo illud in falsa pšumptione nō fundatur. vt tradit *Sanch. l. 4. de præcep. c. 15. n. 45.* Votum autem personale soluere non tenebitur, quale est votum Lauretanæ peregrinationis; nam principaliter personale est, quatenus primario personalis actio per ipsum vouentem adimplenda promittitur, & accessorie est reale, in quaintum perigrinatio sine expensis suscipi nequit. Aliquando vero est æque principaliter reale, & personale, vt est hoc uotum, quo eius pater vouens eius sacri templi peregrinationē, eleemosynam eidem faciendam promittit. Cęterū Marinus, nec votū principaliter psonale, & accessorie reale, nēpe Lauretanæ ædis uisitationē, nec sumptus qui in itinere faciendi sunt, præstare astringetur; siquidem materia voti personalis est actio, seu officium ipsius vouentis, & sumptus itineris accessorij sunt, quę omnia ad hæredes trāsmitti non solent, *Suarez to. 2. de relig. l. 4. c. 11. n. 6. Less. c. 40. dub. 10. Sayrus l. 6. cl. reg. c. 7. dub. 6. Azor. p. 1. l. 11. c. 15. q. 15. Sanchez l. 4. de præcep. c. 15. n. 26. & seq. Bonac. de legib. d. 4. q. 2. pun. 5. §. 2. & 3.*

Maneat ergo resolutio, Confessariū non debere absoluere Marinū recusantē implere reale votū, q; patrē suū emisisse certo nouit, sed recordari nequit, an illud adimpleuerit, quia excusatio dubia certam obligationem non tollit. Sicut etiam regulariter facere debet cum eo, qui in vtramque partem probabiliter dubitat, an aliqua alia certa obligatione sit astrictus, siue quia incertū est, an lex qua ipsa obligatio imponitur, recepta vnquam fuerit, aut an cōtraria consuetudine sit abrogata; siue etiam quia, meminisse non potest, an eidem obligationi iam satisfecerit, quādo quidem in morali materia absolute non debet antequam in inquirenda veritate diligentia sit adhibita, quæ si detegi nequeat, dubitatioque perseueret, pœnitens tamquam obice sublato per ignorantiam inuincibilem à peccato excusātem, ab absolutionis beneficio arcendus non est, si dubitatio probabilis sit an lata lex vim obligādi habeat; quæ cum est dubia non censetur sufficiēter ad obligationem publicata; secus si dubitatio sit de legis adimpletione, cuius uis obligandi certa est, &c. *Reginel. in Praxi cas. cōsc. p. 1. q. 7. De qua re uideatur Sanch. de præcp. l. 1. c. 10. n. 34. & seq. & Bonac. de leg. d. 2. q. 4. pun. 7. nu. 17. & seq.*

CONSECTARIVM MONITVM.

HIc tamen illud obiter non omittā, ad hoc vt humana lex vim obligandi habeat necessariū esse, vt iusta, & rationabilis sit, & sufficienter in præcipuis prouinciis locis promulgata, vt ad subditorū notitiam perueniat; licet quo ad ecclesiasticā, & Pontificiam legem, magis communiter DD. cōueniant, vt publicatio Romæ facta sufficiat, quia cū sit caput mundi, vbi Christi Vicarius residet, penes quem Regum, Principum, Episcoporum, & Rebublicarum Oratores, & Actores degunt, facile Dominos suos de huiusmodi lege certiores facere possunt, *Molf. tr. 9. c. 8. n. 38.* Veruntamen vt ait *Carbo. de legibus l. 3. disput. 9.* contraria nihilominus sententia probabilitate non caret, scilicet Pontificias leges nisi aliter statuant, nō obligare nisi à promulgatione, quæ in prouincia facta sit, cū Pontifex, quādo aliquem inhabilē reddere vult, addere soleat, ex nunc, uel ex tunc. Et sanè subdit ipse, ad omnem difficultatem amputandam, expediret si Papa curaret, ut communes leges per Episcopos saltem in singulis vrbibus promulgarentur.

Mauri-

QVÆSTIO XI.

An ob quodlibet peccatum lethale religiosus professus ex religione eiici possit. An iniuste eiectus ab Episcopo ordinari queat. Num monasterium ad alimenta, & expensas extra casum factas teneatur. Nunquid auferens alteri digitum, & brachium debilitans, sit irregularis, & illa irregularitas per professionem tollatur. Et quid de uoto peregrinationis in sæculo emisso?

MAuritius regularis uir, & in Diaconatus ordine constitutus, cum duos libros quibus p suo usu indigebat, ex cõi bibliotheca sine Præfecti sui licentia extraxisset (à qua quidquam auferri sub pœna excommunicationis à Generali Præposito prohibebatur) Raphael Prouincialis eum excõmunicatum publice in monasterio denuntiauit, & in carcere per duos menses detinuit, & acri pœnitentia, ieiunij panis, & aquæ, ac flagellationis, in eum animaduertit. Cum uero ob huiusmodi grauamen nocte quadam ex cœnobio exijsset, ut Generalem adiret, & ad eum appellaret, sequenti die eiusdemmet Prouincialis Præfecti iussu, in uia captus est, & paulo post ab ipso cum quatuor seniorũ Patrũ cõsensu, est à religione eiectus. Qui cum nũc apud Andream in uicina vrbe clericali habitu indutus moretur, & eius sumptibus alatur, ad sacerdotium promoueri petit. Et cũ in mentem suam uenerit, quod cũ olim in seculo degeret, manuario tormento explosо, Iulio, quo cum inimicitiam gerebat, digitum abstulit, & brachiũ omnino debilitauit, ita ut suo officio fungi nequeat, nũc dubitat, an tunc in seculo aliquam contraxerit irregularitatem, quę per religionis ingressũ nõ sit sublata. Necnon ambigit an olim uouerit D. Iacobi de Gallęcia peregrinationem. Quæritur Primo an iure expelli potuerit. Secundò an si initiari cupit, aliquod irregularitatis impedimentum obstet. Tertio num si postmodum ad proprium monasterium redierit, Andreas alimenta, & expẽsas pro eo factas, ab ipso cœnobio repetere possit. Quarto quærit an pprofessionẽ in religione emissam, irregularitas si qua suberat ex digiti amputatione, & brachij debilitatione alteri facta sit ablata, & uotum illud commutatum. Et quid Confessarius consulere debeat?

I. Q. RESOLVTIO.

REsp. Supposito regularibus Prælatis tanquã Pastoribus tres potissimum qualitates inesse debere. Primo ut uigilent. Secundo subditos prudenter corrigant. Tertio pabulo doctrinæ, & uitæ exemplo pascant. Subditis uero, utpote spiritualibus ouibus, tres pariter conditiones necessarias esse. Primo innocentiam. Secundo patientiam. Tertio obedientiam. De quibus scripsimus in *Cõment. de hum. vita stat par. 1. c. 22. & 23.* Dico Raphaelẽ Prouincialem, & Patres illos Consultores, grauiter peccasse, & proprias partes male impleuisse, cum Mauritium ex illa causa, quod duos libros ex communi bibliotheca ob suum usum extraxit, tam acrẽ infixerũt pœnã, & eum tã male accipientes, postmodũ ex religiosi ordinis caula eiecerũt. Primò. n. meminisse debebãt, excõicationis censuram, ex tã leui causa ferendam non fuisse, cum aperta sit sanctio. *Conc. Trid. sess. 25. de refor. c. 3.* Quamuis excõicationis gladius neruus sit ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos ualde salutaris, sobrie tamen, & magna cum circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, ac leuibus de rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutẽ, ut admonuimus *sup. tr. 11. c. 6. q. x. & c. 8. q. 19.* ubi ẽt tetigimus excõicationes ad incutiendum tantum terrorem ferri non debere. *c. 6 q. 8.* aduertimus, illa uerba, quę sub pœna excõicationis à Superiore proferuntur, ad terrendum potius proferri, quæ à Doctorib. excõicationes cõminatoriæ dñr. Prudentis Præsulis est se benignũ, ac placidum erga oues sibi concreditas ostendere, & in corripiendo, uel castigando cum opus est, dulcoris radios exerere, iuxta illud Apostolicum præceptum ad *Gal. 6.* Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos q spirituales estis, huiuscemodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Ex ueteri adagio, oleum, & salem emere oportet. Vbi Manutius Superioribus corrigentibus dictum esse, ait, ut magna prudentia correctiones erga subditos adhibeant, nec. n. solum mordere, & siccare, uerumetiam humectare, & linire debent, ut de ministro Sacramenti Pœnitentiæ dicitur in *c. cũs. ext. de pæn. & remis.* Nam si Pastorum dignitas, & auctoritas misericordiæ, ac benignitati non innitatur, meram tyrannidem sapit, & tolerari à nemine potest. ut ait *Besseus, Hilaretus, & Staplet. in Domin. 2. post Pascha. Fulgos. de fact. & dict. mem. l. 8. c. 10.* & nos innuimus in *Commẽt. de hum. vita stat. p. 2. c. 23.* Et ut suprà *ex Arist. l. 8. Ethic. & Valẽz. cons. 5.* dixi, Patris imperium apud Persas tyrannicum erat, eo quod filiis suis, ut seruis uterentur. Monasteriorum Præfecti Abbates dicuntur. i. Patres, ut admonerentur, in gubernandis fratribus, non dominos, sed patres se præstare debere. *Arg. D. Bernard. serm. 23. in Cant. & D. Hier. epist. 14. ad Celant.*

Quieto imperio nil potentius, concitatum uero ut multum habet impetus, sic minus uirium, citius

contemnitur, facilius frangitur. Hinc Symbolum illud, Extorquet quies: & illud, Blandum imperiũ imperiosũ. Sicut ignis nõ igne, sed aqua extinguit; ita mansuetudine nih l est violentius, plus sæpe mo nendo, quàm turbulente minando, proficitur: In blando vis, teste Ausonio, latet imperio. Duorum librorum, quibus hic religiosus indigebat. è cõi loco extractio, tantum exitium, & tantam cladẽ non merebatur. Nam inter alia, quæ proprietati dant causam est indigentia, al qui, .n. magis cum aliqua culpa, aliquid habere volunt, quàm indigere, etiãsi libri sint, cum religiosis maxime studium cũ libris competat, quorũ scienti, scriptis, & prædicatione, mundus illuminatur, fides augetur, & religio defenditur. *clem. exiui. de verb. sign. clem. dudum. de sepul. Abb. cons.* 63. Ideo Prælatorum partes sunt curare, ut necessarij libri subditis de cõi quatenus fieri potest, administrentur. *Arg. Act. c.* 4. ibi, Diuidebatur singulis, sicut cuique opus erat. & *Humbertus in c. 16. reg. D. Aug. Valent. tom. 3. d.* 10. *q.* 4. *pun.* 3.

Secundò apud omnes constitutum est, ad hoc, vt quis iuste è monasterio eijciatur, & habitu priuetur, tria necessaria esse. Primò vt talis eiectio pro. pter grauia crimina fiat, ob quæ de iure communi essent ad mortem damnandi, perpetuo carceri mancipandi, vel in perpetuum, seu ad tempus ad triremes relegandi, vel ex alijs delictis inobediẽtię, & contumaciæ, grauioribus, non autem pro quocũque lethali peccato hoc fiat. Secundo vt sit corrigibilis, qui est quando Primo in criminibus perpetratis perseuerat, atque ideo de eius emendatione desperatur. Secundo quando ter monitus non desistit. Tertio si assignatum pœnitentiæ locum fugiendo, & vt dicunt, apostatando deserit. Tertio, vt eiectio seruatis seruandis fiat. i. causa cognita, & per sententiam diffinitiuam cum consensu Assistentiũ, vel Discretorum, à Superiore potestatẽ habẽti. & c. *Nau. cons.* 50. *de regul. Graff cons.* 5. *de reg. & lib.* 3. *decis. c.* 5. *nu.* 82. *Sanctarel. de hæresi & apostasia. c.* 4. *dub.* 1. *&* 2. *Coriol. de cas. reser. cas.* 2. *p.* 2. *n.* 21. *Sanchez l.* 6. *de præcept. c.* 9. *n.* 4. *Azor. p.* 1. *l.* 12. *c.* 16. *vbi q.* 3. ait. Stando in iure communi, tñ huiusmodi incorrigibiles esse eijciendos, & iure peculiari, & instituto religionum à Sede Apostolica approbato; ob multa alia posse professum expelli: qđ ius etiam decernit penes quos expellendi potestas resideat.

Verum in Decretis *S. Congreg. Conc. Trid. Sãct. D. N. Vrbani Papæ VIII.* iussu editis, quæ incipiunt sacra Congregatio, salubriter institutum est, ut in posterum è religionibus nullus legitimè professus eijci possit, nisi sit uere incorrigibilis, uere aũt incorrigibilis minime censeaĩ, nisi non solũ ea oĩa cõcurrant, quę ad hoc ex iuris cõis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & cõstitutionibus cuiusque religionis etiam à sede Apostolica approbatis; verumetiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia in carceribus probetur.

Proindeque vnaqueq. religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autẽ anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato, in sua peruicacia perseuerauerit, ne pestiferæ contagione plurimos perdat, tamquam morbida pecus, ac putre membrum eijci randem possit, sed ab ipsomet Generali tñ de consilio, & assensu sex patrum, ex grauioribus religionis, in singulis capitulis eligendis, tùmque non nisi instructo secundum eorum stylum, & constitutiones, processu, & plenè probatis causis expulsionis, ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea tñ usq. ad primum generale Capitulũ celebrãdũ, si quẽpiã ex iustis, & necessarijs causis expellere oporterit, eiectio à Generali cũ consilio, & assensu sex Patrũ, ut supra, fieri possit, quos idem Generalis eligere debeat intra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione, seruata tamẽ in reliquis forma superius præscripta. Sic vero eiecti, quandiu ad religionem non redierint, in habitu clericali incedant, atq. Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, & Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. *c. hac ibi.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. respondendo dico, quod licet Apostatæ à religione ex multorum sententia sint irregulares, vt proinde durante eo statu, ad ordines admittendi non sint. vt per Maiol. *l.* 5. *c.* 34. *Vgol. de irregul. c.* 36. *§.* 4. *Henriq. l.* 13. *c.* 39. *nu.* 1. *Bonac. de irregul. d.* 7. *q.* 3. *p.* 7. uel ut alij rectius sentiunt, apostata solum irregularis efficiatur ratione excõicationis in quam ordinarie ob religionum priuilegia incurrit. teste *Santarello de apost. c.* 3 *dub.* 1. *nu.* 16. *&* 19 Et sacra Card. Congreg. in d. decr. iussu Vrbani 8. edito sanxerit, ut eiecti extra religionem degentes perpetuo sint suspensi ab ordinum exercitio, sublata Ordinarijs locorum facultate, dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi; Attamen Prima assertio de proprie apostatis intelligitur: at qui ex suo monasterio exit, ut ad superiorem Præfectum ob iniustum grauamen de cuius iniustitia constat, se conferat, apostata non est, nec in cẽsuram aliquã incidit. per ea qui habet *Bald. in c. ad nostram. de appellat. Azor. par.* 1. *l.* 12. *cap.* 11. *q.* 7. *&* 8. *Sanchez de præcep. l.* 6. *c.* 8. *Nauar. in Comment.* 3. *de reg. nu.* 61. *Quar. in sum. Bullar. in v. monasteria, & conuentus. Duard. l.* 2. *can.* 1. *q.* 17. *Molfes tr.* 7. *c.* 20. *num.* 36. *Sanct. l. c. c.* 3. *dub.* 1. *nu.* 10. *Roder. tom.* 1. *qq. regular. q.* 29. *ar.* 1. *& q.* 30. *ar.* 3. *Coriol. de cas. res. par.* 2. *casu*

3. vt etiam scriptum reliquimus in *Comment. de human. vit. stat. p. 1 c. 23.*

Secunda verò præceptio in illis religiosis solum locum habet, qui iuste à religione sunt eiecti; quando. l. ut sup. dixi, eiectio facta est ob grauissima crimina, & ab ipso Generali cum uoto decisiuo Diffinitorum, & causa cognita. Quæ conditiones in nostro casu deficiunt. Proinde resoluendum est, nisi ad monasterium redire volens à quo iniuste expulsus est, accipiatur, & ei ius fiat, à loci Episcopo, vel Ordinatio, cuius iurisdictioni, & obedientiæ subest, absque irregularitatis labe (nisi aliud obstet) ad sacerdotium promoueri posse. *Nauar. cons. 84. de reg. Vgol. de Pot Episc. c. 26. §. 1. Barb. p. 2. alleg. 4. n. 21.*

Porro prædicta S. Congr. Card. religionum Superiores serio admonet, ac per Iesu Christi uiscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, ac mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut fratrum suorum animas ferè in profundum malorum delapsas lucrentur, antequā grauissimum, atque extremum expulsionis remediū experiatur. Idque eo magis quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & officij sui immemorum Prælatorum regimine peribunt, D. N. Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorūdem Prælatorum manibus requisiturus sit. *c. fin. ext. de regul.* cuius textus dispositionem, suæ Beatitudinis authoritate innouandam esse eadem Congreg. censuit, ac præterea declarauit, eam Constitutionem in his quoque locum sibi uendicare, ac seruandam esse, qui iuste, diffinitiue, ac iuris ordine seruato, expulsi fuerint, ut. s. annuatim eos requirant, ac cogant, ut ad monasterium reuertantur, dummodo tamen in huiusmodi expulsis euidens sit spes emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his literis concedendis sacra Congregatio onerauit.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q resolutionem descendendo dicimus, Andream, qui panni spatiū Maurino religioso in domo sua alimenta præbuit, & multas expensas erga ipsum ægrotum fecit, posse ea omnia et si ille ad caulam redierit, à monasterio iure repetere, quia cum eum iniuste expulsum admittere, & alere teneretur, Andreas, qui ipsum aluit, & cætera necessaria præstitit, dicitur vtiliter cœnobij negotiū gessisse. *Surd. de alim tit. 6. q. 19. nu. 18. Sanch. l. 6. de praecept. c 9. nu. 9.* Quod tamen intelligunt dummodo ex alijs non appareat, q̄ donandi animū habuerit. *arg. Nauar. cōs. 4. tit. de iure iur.* Donatio uero in dubio non præsumitur, nisi res inter coniunctas personas sit acta: ideo si mater filium ab hostibus redemerit, animo donandi fecisse creditur, & si non administrans, neque bona filiorum habens, alicui ex filijs alimenta præbuerit, animo, & mente illa largiendi id egisse censetur per *l. 1. C. de neg. gest. Dec. cons. 628. Alciat. de præsum. reg. 1. præsump. 32. Menoch. de arbit. Iud casu 88. nu. 29. Nau. l. c.* & alii.

Ex quo infertur, monasterium teneri ad alimēta, & expensas, dum de iniusta expulsione litigat, & officio Iudicis restitui petit. Et prædictorum ratio est, quod professio est contractus reciprocus, quo religiosus se religioni ad in illa perseuerādum obligat, & è contra religio se se ad illum retinendum astringit, & ad eum tanquam filium tractandum, dū ipse iustam expulsionis causam non dederit, ut proinde professus, contra ius, & iustitiæ legem eiectus, monasterium compellere possit, ut ipsum admittat, alimenta percipiat, & expensas omnes soluat, &c. *Idem Surd. de alimentis tit. 6. q. 35. nu. 6. Molina tom 1. de iustit. disp. 140. Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 35. nu. 21. Boer. decis. 324 n. 5. Ioseph. Ludou. decis. 46. nu. 4. Simon. de Pret. de interp. vlt. volunt. lib. 5. dub. 2. nu. 12. & seq. Sanct. de hæresi, & apostasia. c. 5. dub. 2. nu. 19. & c. 6. dub. 1. nu. 10. & seq.* vbi etiam resoluit, huiusmodi religiosum iniuste expulsum, bona quæ extra cœtum forte acquisiuit, illi acquisiuisse, cum. n. à uotis absolutus non sit, & culpa Prælati iniuste sit eiectus, monasterium in omnia eius bona ius habet. Cum delictum personæ cœnobio nocere non debeat. *reg delictum. de reg. iur. in 6.*

IV. Q. RESOLVTIO.

QVartæ q. resolutionem afferēdo dico: Primo, In controuersiam olim uersum, an irregularitatem cōtrahat, qui alteri digitum absciderit, uel aliquo modo abstulerit. quidam. n. asserunt, cum in irregularitatem incidere, quippe qui alterum mutilauerit, cum digitus sit corporis pars, ac proprio ministerio fungatur, digitis namq. scribimus, depingimus, musica instrumenta pulsamus, & alia pleraque humanæ uitæ perutilia facimus. Quæ sane consideratio mihi in mentem reuocat, q̄ legi apud *Tympiū in mensa Philosophica c. 23.* olim natum esse in suburbanis Comburgi Oppidi puerū masculum, absque ullis brachijs, qui prouectior factus, omnia manuum officia pedum digitorū subsidio obibat; si quidem illorum digiti oblongiores erant, & ad quasuis res apprehendendas apti, ut procul intuentibus manus uiderentur, ita natura defectus suos alijs muneribus compēsante. De quo quidam medicus, & poeta, hoc epigrammate lepide sic lusit,

Mira fides, pedibus dextre facit omnia Thomas,
Cui natura parens brachia nulla dedit.

Oo 2 Namq.

Namq. bibit pedibus, pedibus sua fercula sumit,
Voluit & his libros praeparat his calamos.
Quin & literulas pede tam bene pingere nouit,
Artifices superet grammata ducta manu.
Omnia nempe potest vigilans industria, quodque
Natura ipsa negat, proficit ingenium.

Sed ad rem nostrã redeundo, alij negant abscindentem alteri digitum irregularem fieri, ob eam rationem, quod digitus in iure non corporis pars, sed potius alterius partis nempe manus particula censeatur. Esto irregularis fit is cui amputatus est, si hostiam contrectare non potest, vt de eo ita testatur *Couar in clem. si furiosus.par. 3.nu 8.de homicid. Vgol. de irreg.c. 4.§.5. Azor.p.1.l. 2.c. 11. Sayrus de irreg. l.6.c.15.num.13 Filliuc.tr.19.c.9.nu.235. Bonac. d.7.q.4.p.8, Reginal l 30.tract. 2. num. 91.* Certe cum quaestio haec de re poenali sit, haec secunda opinio, vt pote benignior, & communior, & in praxi receptior, praeferenda est, iuxta regulam iuris, quae habet, Poenas, & odia sunt restringẽda. Et ut alias aduertimus, in conflictu opinionum, si commodè fieri potest, semper pro aequitate contra rigorem pronunciandum est. *Natta cons. 136.nu.10. & cons 452. numero 43. Menoch.cons. 421.nu.319.*

Secundò dico, quod sunt etiam qui sentiant, eũ irregularitatis pena, vel labe affici, qui alterius mẽbrum ita debilitat, ut inutile, & ineptum ad suum ministerium, & ordinis vsum efficiat, quamuis non amputauerit. *Arg. Abb. in c. inter corporalia. extra de translat. Episc.* vbi tradit paria esse, ecclesiam nõ habere Praelatum, & habere, sed inutilem, ac inhabilẽ. *Iason in l. quoties ff. qui satisd. cogan.* vbi scribit non habere maritum, & habere sed inutilem, paria censeri, vt proinde eius vxor iuris fictione uidua dicatur. *vt notat Bald in l. vlt. C. ad l. Flau. de plag. & Alex. l. 1. cons. 104.* Quod dictũ *Andr. Sicul. in tract. de potest. Card. in vlt q. 1. par.* eleganter dicit esse notandum pro statuto Bonon. disponente, vt in uidicatum causis Iudex aequitatem sequi teneatur. Res etiam haec ad penam pertinet, & iura aperte constituũt, nullum in irregularitatem incurrere, nisi id fuerit iure expressum, ideo haec secunda opinio magis praxi, & Doctorum supra adductorum calculis comprobatur. Vbi etiam tradit, quò ad irregularitatem, mutilationẽ in iure homicidio equiparari *ex c. in Archiepiscopatu. de rapt. & clem. 1. de homicid.* Episcopum tamen in membri etiam uoluntaria detruncatione, si occulta sit dispensare posse, cum in ea. *Conc. Trid. sess. 24 de refor. c. 6.* nihil innouauerit. *Nau. c. 27. nu. 194. Tolet. l. 1. c. 88. & 89. Marc. Ant. Genuen. in praxi Neap. c. 67. nu. 9. Roder. tom. 1. q. 99. regul. q. 24. art. 10. Miranda in Manual. Praelat. tom. 2. q. 8. art. 11. Garzias de benef. par. 7. c. 11. nu. 30. Campan. in diuers. iur. can. rub. 11. c. 23. nu. 143. Suar. tom. 5. d. 44. sect. 2. n. 4. & sect. 4. n. 35. Reginal. l. 30. tr. 2. nu. 91. Coninc. tom. 2. d. 18. dub. 8 Bonac. de cens. d. 7. q. 4. p. vlt. n. 11. Barb. de Episcopo. par. 2. alleg. 39. nu. 49. Sanchez. de precept. l. 1. c. 10. num. 49.*

His ergo sententijs mitioribus, verioribus, ac magis communibus adhaerendo *iuxta tradita sup. tr. 5. c. 9. q. 60.* vera resolutio est, Mauritium, qui ante ingressum religionis plumbea glande in Iulium inimicum explosa, ei digitum magnum detruncauit, & brachium prorsus debilitauit, irregularitatẽ non contraxisse, ita ut nec in dubio facti, neq. iuris, se irregularem reputare debeat. Qua quidem si affectus fuisset (quod non est) per religionis ingressũ, & professionem deleta non esset; licet n. inter praerogatiuas, quibus religio gaudet, illa numeretur, ut omnem irregularitatis maculam antea contractam tollat, & abstergat, *c. cum deputati. vbi gloss. & DD. ext. de iud.* hoc tamen de illa intelligitur, quae in iure exprimitur, ea nimirum quae ex defectu nataliũ prouenit, eò quod quispiam illegitimus sit, ea, nãq. ipso iure p religionis professionẽ cessat, ita ut absq. alia dispensatione professus ille ad omnes sacros ordines, non autem ad dignitates, promoueri possit, *c. 1. ext. de filijs presby. Sanch. de precept. l. 5. c. 5. n. 9. Vgol. de irreg. c. 63. §. 1. Suar. de cens. d. 41. sect. 1. Coninc. d. 18. dub. 14. n. 109. Sayr. l. 7. c. 13. Regin. l. 30. tr. 2. n. 18. Filliuc. tr. 20. c. 10. q. 1. Bonac. l. c. pũ. 2. & alii.*

Porro facultas dispensandi cum illegitimis ad officia, & dignitates, in multis Congregationibus tantum penes capitulum generale residet; & lege solutus circa inferiorem dignitatem, puta quod alicuius domus Rector, vel Praepositus esse possit, circa maiorem dispensatus non censetur, vt v. g. quod Prouincialis, vel Generalis Praefectus esse queat, nisi expressa mentio fiat, per *Cappuc. l. c. & alios.*

Nihilominus Generales Praefecti aliquorum religiosorum ordinũ, põtificiis priuilegiis gaudent, ut in foro conscientiae, quò ad irregularitates, cum suis subditis in omnibus dispensare valeant, etiam in casibus Summo Pontifici reseruatis, sin homicidio, in membrorum obtruncatione, & in enormi sanguinis effusione, dummodo factũ horum trium notorium non sit *Compend. Priuileg. Mend. in v. Dispensatio, vbi Cappuc. notat Roder in qq. regul. tom. 1. q. 24. ar. 1. & seqq. Miranda tom. 2. q. 8. art. 12. & seqq. Beia par. 4. q. 37.*

V. RESOLVTIO.

AD 5. q. respondemus, quidquid sit de illa quaestione, an qui dubitat nũm vouerit, uotum seruare teneatur, uel petenda sit dispensatio, alii .n. affirmant, alii ueto negant, ut dictum est, *sup. par. 1. tr. 7. c. 11. q. 54.* Mauritium ad votum seruandum non teneri, quod de peregrinatione ad D. Iacobum

de

de Gallæcia suscipienda se olim in seculo emisisse dubitat;aperta est.n. iuris diffinitio, omnia vota in seculari vita facta, per professionem in religione emissam commutari,& extingui, vt constat in *c. scriptura.ext. de voto.vbi Abb.*& alii hoc notant,*& inc. peruenit el 2.ext. de iureiurando. D. Tho.in 4. d.* 38. *q.* 1. *art.*4. *quæstiunc.*4. *ad* 2. *& in* 2.2. *q.*88. *art.* 12. *vbi Caiet & Arrag. Azor.p.* 1. *l.*11. *c.*17. *in fin.& c.* 19. *q.*21. *Sylueſt. v. votum.* 4. *q.*7. *Tab. v. votum.* 4. *q. vlt. Sanch. l.*5. *de precept. c.*5. *nu.*43. vbi resoluit, omnia vota, siue personalia, siue realia, & iuramenta, soli Deo emissa, quæ voti rationem induunt, nec p illa ius tertio acquiritur, ipso iure p religionis professionem commutari.

CONSECTARIVM MONITVM.

SCiendum est.n. plurimas solemnis professionis prærogatiuas,& priuilegia à DD. recenseri, quorum

I. RELIGIONIS PRIVILEGIVM.

PRimum est, quod per votiuam professionem plena omnium peccatorum condonatio obtinetur, ut propterea SS. Patres eam secundum baptisma appellent;sicut.n. hoc præteritas culpas ex opere operato, primam gratiam conferens delet, ita hæc criminum pœnas in Purgatorio correspõdẽtes, virtute maximæ satisfactionis, quæ in excellentissimo opere continetur, abstergere solet. *D. Bernar. in tract. de precept. & dispens. in fin. c. quis aliquando §. his. de pœnit. d.* 1. *c. admonere.* 33. *q.*2. *Azor. p.* 1. *l.* 12. *c.*5. *q.*11. *Platus de bono stat. relig. l.*1. *c.*13. *Roder. in qq. regul. tom.*2. *q.*87. *ar.*1. Cum tamen hæc professio sit opus hominis, nil, ut dixi, ex opere operato habens, non idem effectus ei sicut baptismo tribuitur, ut in lethali culpa emissa, postea ipsa sublata reuiuiscat. *Nauar. de Indulg. notab.*20. *num.*17. *Azor. l. c. q. xi. Sanch. l. c. nu.* 5. vbi ex veriori sententia resoluit, hanc pœnarum condonationem nõ obtineri quoties professio renouatur, sed solum prima vice, qua emissa est. *Tab. v. nouitius in fi. contra Bustum in suo Rosario p.*2. *serm.*27. *§. sed fortius.* Multum nihilominus eam renouare prodest, extant.n. exempla D. Francisci, & Gertrudis, & aliorum, sacrorum votorum nũcupationem instaurantiũ. &c.

II. PRIVILEGIVM.

SEcundum professionis priuilegiũ est, quod per eam filiusfamilias à patria potestate liberatur, eo quod omnino in Abbatis, vel Superioris manũ transeat, & subinde se, bonaq. sua Deo dicet, ita ut de his testari nequeat. *Auth. ingressi. C. de sacrosan. eccles.* Ideo filius professus patri vsumfructum non acquirit: iura tamẽ suorum hæredum, seu ut dicũt, ius suitatis retinet, ut. s. patri ex testamento, & ab intestato, sicut filius suus. i. in potestate existens, succedat. *Feder. de sen. cons.*35. *Tusch. in v. professio. cõclus.*83. *Oinot. in instit. Ciuil. §. filius famil. Institut. quib. mod. ius pat. potest. sol. Ang. Sylu. & Tab. in v. patria potestas. Mol. tom.* 1. *de iust. d.*140. *Sanchez. l. c. nu.*30. *Cou in c. quia nos. ext. de test.* vbi patriæ ptãtis exceptionẽ intelligũt in onerosis, secus in fauorabilibus. *arg. reg. quod ob gratiam. de reg. iur. in* 6.

III. PRIVILEGIVM.

TErtia votiuæ professionis prærogatiua est, ut ea ante patris mortem emissa, præteritam filij profitentis ingratitudinem aboleat, ob quam hęreditate priuari poterat. *c. fin.* 19 *q.*3. *Vasquez. c.*6. *de testam. dub.*5. *nu.*69. *Molin. tom.* 1. *de iust. d.*176. *Roder. tom.* 1. *qq. reg. q.*13. *ar.*3 *Molfes. tom.* 1. *de cõsuet. Neap. p.*5 *q.*12. *& de cont. tr.*13. *c.*12. *nu.*180. *Abb. l.*2. *cons.*27. *Tusch. l. c. & v. ingratitudo. concl.* 133. *& v. ingressus. concl.*134. *Bonac. de leg. d.*6. *q.*1. *pun.*6. *§.*3. *Sanch. l. c. nu.*32. & alij communiter.

IV. *PRIVILEGIVM.*

QVarta est, ut omnem irregularitatem ex illegitimo toro ortam deleat, ita ut illegitimus per monasterii ingressum, & professionis nuncupationem, legitimus quò ad ordines, non tamen quò ad dignitates, ut dixi, efficiatur. *c.* 1. *de fil. presbyt.*

V. *PRIVILEGIVM.*

QVintum priuilegium, quo solemnis professio gaudet, est, ut pręcedens matrimonium ratũ dirimat;nam religionis fauore matrimonij rati uinculũ, ita alterius sponsi professione dirimitur, ut alter in seculo manens omnino sit ab eo solutus, & ad alias nuptias libere conuolare possit. Quæ asserrio de fide est, & ab ecclesia, summisque Pontificibus diffinita, ut per *c. dispẽsatum.*27. *q.*2. *c. decreta. eadem Extrauag. Antiqua, tit. de voto. c. ex publico. de conuers. coniug. Cõc. Trid. sess.*24. *de matr. can.*6. Sic.n. Apostolus Paulus, D. Teclam ante consummatum matrimoniũ ad perfectiorem uitam uocauit, teste *Ambr. l.*2. *de virg.* Et D. Alexius, ac D. Cæcilia à nuptiis ad sanctiorem statum transierunt. ut per Surium in eorum uita. *Sanchez. lib.*2. *de matr. d.*18. & alii communiter.

VI. *PRIVILEGIVM.*

SExta prærogatiua pro nunc annumeratur, ut in ipsam professionem omnia uota, & iuramenta Deo in seculo facta, ut superius diximus, commutentur. *c. scriptura. ex. de voto.*

Irregularitas quibus modis tollatur.

CVm autem irregularitas in vniuersum loquendo, tribus modis tollatur, Primo p baptismũ, per quē illa potissimum aufertur, quæ ex proprio delicto consurgit. *c. denique d. 26.* Secundo per professionem eo modo, quo diximus. Tertio per dispensationem quæ præcipuè penes summum Pôtificem residet, necnon apud Episcopum, qui cum suis subditis dispensare potest, in irregularitatibus ex occultis delictis prouenientibus, ea excepta, quæ ex homicidio voluntario, aut ex delicto ad forum contẽtiosum deducto descendit. Et subditorum nomine regulares etiam exempti ueniunt, modo eum Prælatorum consensu seipsos illi subijciant. *Suar. tom. 5. d 45. tr 2. nu. 12. Filliuc. tr. 20. c. 10. q. 6. num. 271. Reginal l. 30. nu. 29. Bonac. d. 7. q. 5. p. 1.* Tertio cum eadẽ authoritate Superiores regularium per sua priuilegia potiantur, qualis, & quāta hæc sit, & vsquequo extendatur, ea consulenda sunt. *Roder. in qq. regular. tom. 1. q. 24. ar. 1. 2. & seq.*

QVÆSTIO XI.

Qui matrimonium ratum contraxit, an sacros ordines suscipere possit: matrimonium ratum an per præcedentem fornicariam copulam consumetur. An itidem consummatum dicatur, si ex parte viri, in vase fæminco non sit facta seminatio. An cum possit quis fugere, inuasorem nihilominus occidit, sit irregularis?

VIncentius cũ esset ex illegitimo toro procreatus, & Philibertus eius pater, Liuiam suam famulam, ex qua illum susceperat, in matrimonio sibi coniunxisset, Eugeniam in vxorem duxit, eum ea tamen matrimonium non consummauit, cũ qua ante coniugium se fornicarie commiscuit. Et Theodorum ipsiusmet Vincentii fratrẽ consobrinũ eũ ea rẽ habuisse, sed non seminasse intellexit, vult nunc clericalem statum assumere, & ad id voto etiam se obstringit, quæritur an ei aliquod canonicũ obstet impedimentum, & quid Confessarius ei consulere debeat. Item cum in vicino oppido soleret sericũ, & pannum emere, vt in propria vrbe carius negotiando venderet, & vectigalia defraudando, cum in fraude, & dolo deprehensus ab exactoribus baculo esset in capite percussus, & fugā arripere posset, Fabium vectigalium exactorem, & percussorẽ gladio interemit. Quæritur an etiam ex hoc capite irregulatitatem aliquam contraxerit.

Supposita, & Præuiæ inspectiones.

REsp. Pro huius casus faciliori, & vberiori resolutione, ad memoriam reuocandũ est, quod alibi supposuimus, matrimonium esse legitimum indissolubilem contractum, inter virum & fœminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas, & confertur gratia sanctificans. Quæ diffinitio, vel descriptio non solum matrimonio, ut est ciuilis contractus, verumetiam vt est sacramentum conuenit. Cuius quidem causa efficiens est mutuus coniugum, & voluntarius consensus, per uerba, vel signa de præsenti expressus. Materia, ipsæ personæ, & earum exteriores actus, quibus corporum traditio fit, & recipitur. Forma, ipsa coniugum verba, quibus internum consensum exprimunt. Minister sunt ipsi contrahentes uerba proferentes. Quibus ex Concilii Tridẽtini præscripto, *sess. 24. de refor. matr. c. 1.* proprius Parochus, uel alius de ipsius facultate, & licentia, necessario accedere debet, ut cũ duobus, uel tribus, seu pluribus testibus, consuetas in ecclesia solemnitates adhibeat. Cuius effectus est gratia, ut quis eo legitime utatur, item prolis legitimæ procreatio, ac educatio, & indissolubile uinculum. Quod postmodum in duas potissimum species diuidi solet, prout quoddam est ratum, quod utriusque coniugis consensum de præsenti, in facie ecclesiæ, nempe coram Parocho, & testibus formatum est, nec tamen adhuc carnalis copula superuenit, & proculdubio verum matrimonium est, quandoquidem ex vulgata iuris regula, Nuptias non cõcubitus, sed consensus facit. Consummatum est qñ corporalis coniunctio accessit, & opere completum est, cum. s. uir in fœmineo vase seminauit. Et omnes conueniunt, quacunque seminis effusione extra naturale uas, non consummari, at quacunque arte semen recipiatur intra idem naturale uas, absque illius penetratione consummatum, & perfectum fieri, quia in copula generationi sufficiens est, per eāq. sponsi vna caro efficiuntur. ut per *Sanch. l. 2. de mat. disp. 21. Gutierez. c. 54. Graffius cons. 22. de sent. excom. Molfes. tr. 4. c. 6.* & alios.

Primum. s. ratum tantum per professionem in religione, ac p Sũmi Pontificis dispensationem dissoluitur. Secundum vero uidelicet consummatũ, morte unius coniugis dirimitur, uel si de communi consensu, ambo in religionem ingrediantur, ibiq. professionem emittant. Vnde.

II. SVPPOSITVM.

SEcundo notandum est, post contractum matrimonium, sed nondum consummatum, duorum mensium spatium ad deliberandam de ingressu religionis à iure concessum fuisse, quo tempore uterque alteri coniugi petenti debitum negare potest, & etiam altero inuito, ad religionem conuolare. Elapso vero bimestri, peccat postulanti debitum

non

non reddendo, nihilominus si eo tempore trāsacto, religiosum ordinem ingrediatur, & ante consummatum matrimonium profiteatur, ualidam professionem emittit, & antecedens matrimonium dissoluitur. Nam quantumcunque temporis à matrimonio contracto sit transactum, modo non sit consummatum, siue iure, siue iniuria, id contigerit, utraque pars ius habet religionem ingrediendi, modo quā primum potest, id faciat, siquidem iura absolutè hanc facultatem concedunt. *vt patet. c. 7. & 14. de conuers. coniug.* & tantum statuunt illos duos menses, ut coniux ad consummandum coniugium, vel ingrediendum religionem cogi possit, non autē vt postea in eam se recipere integrum non sit, *vt per Sanch. l. 2. d. 24 n. 37. Gutierez. c. 54. num. 19. Coninch. disp. 26. dub. 4. nu. 49. Bonac. d. 3. p. 4 num. 4.* Ex quibus sequitur, alteri in seculo manenti licere cum alio contrahere, si coniux cum quo prius matrimonium inierat, religionem est ingressus, & ante coniugij consummationem professionem emisit. Secundo matrimonium ratum, & non consummatum per solemnem professionē Equitum militariū S. Io. dissolui, etsi in cōiu non uiuant, cum, ut alias diximus, quò ad hanc partē, & alia multa dicantur religiosi. Tertio connubiū ratū, & non consummatū non dirimi per consecrationem alterius coniugis in Episcopum, aut per sacrorum ordinū susceptionē, hoc. n. priuilegium professioni tantum in religione factæ concessum est. *vt per DD. supra citatos, & Reginal. l. 31. nu. 38. Molfes. tr. 4. c. 6. nu. 32. Filliuc. tr. 10. c. 2. num. 62.*

III. SVPPOSITVM.

Tertiò præmittendum, illegitimos filios. i. qui extra legitimum matrimoniū procreati sūt, irregulares esse, & à iure tàm ab ordinibus, quàm à beneficiis arceri. *c. cum in cunctis. c. innotuit ext. de elec. c. fin. ext. de filiis presbyt.* nam cum ordinibus, & beneficiis insigniri in quadam dignitate, & eminenti statu præ alijs constituantur, & honoris prærogatiua decorentur. ut per *Tiraq. de nobilit. c. 9.* Ideo honestatis iure claritas quædam in eis requiritur, quæ sane non parum ex uitiosa origine obscurari conspicitur, ut proinde nisi cum his dispensetur, honoribus, ac dignitatibus, ut infames, & indigni iudicentur. Et tanto est eorum dispensatio difficilior, quanto eorum origo turpior. Vnde illegitimus non dicitur absolute filius, nec de familia, domo, seu parentis cognatione, nec arma, & insignia parentum defert, neque suā iura eis succedere potest. ut per *Pal. in tr. de nothis, & spur. c. 58. & seq. & Holchot. sup. sap. dect. 42. Tiraq. l. c. c. 15.* Qua ratione fit etiā ut si v. g. Petrus in p̄sentia diceret Ioannem esse spurium, iniurio aīo eū cōpellans, etiamsi defectus quē obijcit esset publicus, lethaliter peccet, ob contumeliam contra Ioannis honorem illatām, cum spurij nomē apud gentes ignominiosum cēseatur. *Pal. l. c. q. 64. Bonac. de cont. d. 2. q. 4. p. 2.* vnde Plutarch. *de lib. educ.* hortatur eos qui liberis operam dare uolunt, ut legitima ineant matrimonia, ne alioqui ab aliis carpi, ac notari possint, quod ex inconcessis orti sint natalibus, &c.

Secundò causa est ob sceleris paterni detestationem, nam & apud Æthnicos, ut ab illicita copula se retraherent, seque iustis nuptiis homines alligatent, ex quibus prolem legitimam susciperent, sancitum, & obseruatum erat, ut filiis illegitime natis, etsi absque sua culpa labē contraxissent, dignitatū, ac munerum portæ non paterent; cum. n. amor descendat, nec vllus amor uincat paternum, parentes magis in damnis filiorum, quàm in propriis terrentur. *l. isti quidē m. ff. quod met. causa.* vt egregio facto ostendit Carolus Magnus *apud Menoch. l. 2. de arb. Iud. cent. 3 casu 270. Barb. de off. Episc. p. 3. Alleg. 51. num. 171.*

Nec per hoc filius patris iniquitatē portare censetur, qā irregularitas sine peccato contrahi potest. Et licet Iuristę dicant, pęnam suos debere tenere auctores, & illa sit vox Domini apud *Ezech. c. 18.* Filius iniquitatem patris non portabit, hoc nihilominus fallit in originis peccato, quod ab Adam descendit, & ad omnes transiit; & quò ad pęnas temporales, in quib. vnus p̄ alio ex causa puniri solet, & filius ex delicto patris. *c. si habes. 24. q. 3. Gem. l. 8. de can. & leg. 57. Holchot. l. c.* Vnde & statutū q̄ stantibus filiis masculis, fęminas à successione repellit de naturalibus non intelligitur. *Tiraq. in l. si vnquā. num. 48. C. de reuoc. donat.* Et dicimus immunitatem, uel exemptionē patri ob numerum 12. filiorū concessam, tunc demum locum habere, si iusti, & legitimi sint. *vt per Bald. in l. 2. n. 7. ff. de excus. tut. & Palaot. de nothis, & spur. c. 32. n. 4.* In quo casu d. exemptio durat, ac p̄seuerat, licet ipsi iusti filii moriantur. ut per *Dec. & Cagnol. in l. in omnibus. ff. de reg. iur. Arg. Genuens. in Pract. eccles. q. 33.*

Tertia ratio cur illegitimi ab ordinibus beneficiis repellantur, est quia tales plusquàm alii ut plurimum paternæ incontinentiæ imitatores, & male morigerati esse solent, eo quod à parentibus non ita solicite sicut legitime nati instituuntur. *c. si gent. dist. 56.* Nam etsi sua cuique mens est diuino creata arbitrio, plerçque tamen sunt animi uires, quę simul cum corpore à parentibus in filios transfunduntur, ut propterea (quod alibi attulimus) uere dixerit ille,

Sape solet filius similis esse patri,
Et leuiter sequitur filia matris iter.

l. quod si nolit. §. qui municipia ff. de aedilit. edicto, & in l. quisquis. C. ad l. Iul. Maiest. Abb. in c. venerabilē. ext.

ext. de elect. Tholos. l. 11. c. 3. cap. 4. Tiraq. l. 5. connub. Et Theognis eleganti figura protulerit,

Nõ etenim è squilla rosa nascitur, aut hyacinthus,
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

Et mali corui malum ouum. Huius autem Philosophi, ut obiter hoc dicam, tanta fuit doctrina, & authoritas, ut eius scripta velut oraculi vicem obtinuerint. Cum illis tamen illigitime natis viris, qui propria virtute, ac bonis actibus paternam culpam in se ipsis abstergunt, pluresq. legitimo toro procreatos moribus, ac meritis antecellunt, ac reipublicæ se vtiliores reddunt, talis iuris asperitas liberaliter tẽperari solet. Vnde cum illegitimis ex quacunque, dam, nata copula genitis, si sint honestæ vitæ, ac virtute præditi, meritisq. illis suffragentur, Episcopus ad minores ordines, & beneficium cura carens dispensare potest; nam ad maiores ordines, & curata beneficia Põtificia dispẽsatione opus est; & hodie p Papam dispensatur cum illegitimis ad obtinenda quæcunque beneficia, preter dignitates, ac canonicatus in Cathedralibus, ac principalem in collegiata. *vt per Garziam p. 7. de benef. c. 2. nu. 48. & seqq. & Barbosam p. 2. de off. Episc. Alleg. 94. n. 19. & seqq.*

Atque quod de illegitimis clare notis dicitur, de expositis etiam statuẽdum est, cum ipsi quorum parentes ignorantur, ex illegitimo toro nati, ac ꝑinde irregulares cẽsendi sint. Quæ sententia cum articulus valde controuersus sit, probabilior, & in praxi tutior est, nam per multos annos, quibus Pœnitentiarii munere functus, sum, uidi, & ex animarum Rectoribus intellexi, solum ex fornicaria, & in concessa copula natos exponi, pauperes autem summa egestate laborantes, nunquam quidquam tale fecisse de filiis ex legitimo coniugio genitis; & ex legali positione, fortissima est præsumptio, quæ ex cõsuetis, & communiter accidentibus desumitur. Cõtraria aũt opinio locum habere posset. Pº in profanis dignitatibus, non in ordinibus suscipiẽdis, quibus initiandi euidenter probare debent, se ex legitimo matrimonio natos. Secundo vbi sciiur corũ parentes legitimos esse. Tertio postquam ipsis ordinibus insigniti sunt, tunc. n. ob authoritatem DD. qui contrariam sententiam amplexi sunt, ab usu ordinum non excluduntur. *Ugol. de irregular. c. 44. §. 7. Bonac. de cens. & irreg. d. 7. q. 2. p. 4. nu. 10. cõtra multos relatos à Barbosa de Episc. alleg. 51. nu. 148.*

IV. SVPPOSITVM.

QVarto præsupponendum uidetur filios ex inconcessa copula, natos tribus potissimum modis, legitimis natalibus restitui.

Primus legitimandi modus.

PRimo per subsequens matrimonium, nam sic restitutus, ac legitimatus, uere ac proprie legitimus dicitur, etiam si matrimonium illud ratum tantum, & non cõsummatum esset, & inter senes, ac in mortis articulo constitutus matrimonium cõtrahatur, ita ut absque aliqua dispensatione ad ordines, & beneficia ecclesiastica, ac quascunque dignitates etiam Episcopatus (præter Cardinalatum ex Constitut. Sixti V. *Incip. Postquam.*) promoueri possit, & in feudo recepto pro se, & filiis legitime natis, ac etiam in emphyteusi succedat. *Gratian. in Forens. discept. c. 218. Tusch. v. legitimatio. concl. 229. Arismin. tit. 49. Pereg. de fideicom. art. 24. Sayrus de cens. l. 1. c. 10. num. 13. Suar. tom. 5. disput. 50. sect. 5. Azor. p. 3. l. 2. c. 14. q. 14. Campan. in diuers. in. Can. Rubr. 11. c. 43. nu. 127. Menoch cons. 16. & 799. Bellett. in Disq. cler. p. 1. tit. de discipl. cler. §. 2. n. 25. & seqq Barbos. l. c. Alleg. 1. nu. 33. Clarus in §. feudũ q. 88. Tiraq. de iure primog. q. 34. Surd. decis. 319. Mol. de iust. tr. 2. Disp 172. Giouagn. l. 1. respon. 59.* Vbi tamen in primis ad hoc, ut filius illegitime natus natalibus restituatur, & per subsequens matrimonium in omnibus, & per omnia legitimus habeatur, illam conditionem communiter exigunt, ut tpe generationis, quo filius est genitus parẽtes matrimoniũ inter se cõtrahere valeiẽt, si consensus affuisset: secus. n. esset, si aliquo impedimẽto distringerentur, quo minus congium inire possent. Hinc. n. filii nati ex coitu fornicario, etiam domi minime cohabitante concubina, per subsequens matrimonium legitimi fiunt, quia inter concubinam, & uirum generationis tempore illud contrahi potuit; sicut etiã filius, v. g. susceptus ex nouitio, uel nouitia intra annum probationis, per subsequens matrimonium legitimus fieret, quia tempore conceptionis parentes inter se coniugium inire poterant. E contra autem qui ex copula incestuosa puta ex affinitate, vel consanguinitate sciẽter geniti sunt, & postea Papa dispensat, ut per illam dispensationem parentes cõiugali fœdere iungantur, filii legitimi natalibus nõ restituuntur, siquidem conceptionis, uel natiuitatis tempore, parentes ipsi ad iuridice matrimoniũ contrahẽdum apti non erant. Ex qua regula, ut regia claui, in hac materia multæ particulares resolutiones deduci possunt. ut per allegatos DD. ex communi tradit *Sayr. l. c. nu. 15. & seqq.*

Secundus legitimandi modus.

SEcundo quis per Principis rescriptum legitimus efficitur, est. n. talis legitimatio ius, quo filius extra legitimum matrimonium natus fit habilis ad omnia ea bona, à quibus iure scripto, ciuili, seu canonico, repellebatur. *c. per venerabilem. ext. qui filij sint*

fint legit. Vnde Papa, qui est supremus Princeps, & in temporalibus, & spiritualibus superiorem non recognoscit, & alij seculares Principes, qui in temporali iurisdictione nemini subduntur, ut est Imperator, Rex, & alij id genus Principes, & liberæ ciuitates legitimis natalibus restituendi ius habent. Et quidem Summus Pontifex quò ad omnem ordinē, beneficium, & ecclesiasticam dignitatem, & alios spirituales actus, imo a d bonorum parentum successionem, & ad cæteros legitimos sæculares actus in terris Ecclesiæ temporaliter sibi subiectis, ut dicunt legitimare potest. At Episcopo, ut diximus supra, licet tantum legitimare, seu dispensare ad minores ordines, & beneficium simplex. Per dispensationem vero Imperatoris, vel Principis, seu Domini secularis regalia iura habentis, quò ad dignitates, & temporales hæreditates habilis solummodo efficitur. Et communis est resolutio, clericum per Principem secularem legitimum effici, uel dispensari nō posse, cum laicus in clericum iurisdictionem etiam uoluntariam exercere non possit: quare facultas legitimandi Campegiis Comitibus Bononiensibus concessa, ratione ecclesiasticarum personarum non eis competit, sicut nec à Principe seculari legitimati ad ordines pmoueri possunt. *Seraph. p. 1. decis. 5. Marta. voto 57. Bellet. p. 1. disq. cler. §. 3. & 5.* Videātur de hac materia *Summulariȳ. in v. legitimatio. Palaot. de noth. & spur. c. 57. Azor. p. 2. l. 2. c. 14. Sayr. de cens. l. 6. c. 11. Tusch. v. legitimatio. conclus. 218. Gratian. in forens. Discept. c. 218. & 496.*

Tertius legitimandi modus.

TErtio loco defectus natalium per religionis ingressum tollitur, & omnis irregularitas ex inconcesso, & illicito toro prouenieus, quò ad omnes ordines suscipiendos, vel, ut alijs placet, etiā suceptos, non tamen quò ad dignitates per professionem in approbata religione emissam purgatur. *glos. & DD. in c. 1. & fin. de fil. presb. Sanchez. l. 7. de matrim. disp. 8. num. 4. & de praecep. l. 5. c. 5. num. 9.* Quod adeo ucrum est, vt monasterium ex persona filii illegitimi, uel spurij, in religionem ingressi, eius patri ab intestato succedat. *Riccius in praxi var. resolut. resolut. 636.* Neque obstare videntur Sixti V. Constitutiones, Prima quæ incipit *Cum omnibus*, & altera Incip. *Ad Romanum*, quibus inter alia cauetur, ne illegitimi ex certo inibi damnato toro, vel complexu, ad quamcunque religionem, neque ad habitum, aut regularem professionem, sed tantum ad habitum cōuersorum, aut famulorum in monasteriis admittantur, quia easdem sanctiones ad terminos iuris reduxit, & moderatus est Greg. XIV. in sua Bulla, quæ incipit *Circumspecta*. Quæ moderatio fuit etiam approbata in Institutionibus super acceptione, & educatione nouitiorum in monasterijs designatis, Clementis 8. iussu editis, ut habetur apud *Quar. in v. Monasteria.* Vnde protestiones contra formam prædictarum Constitutionum factæ valide sunt, eo modo quo sm ius cōe, & iuxta sacros canones subsistissent, quāuis Superiores illas nō seruantes, & contrariū faciētes, pœnas ibi contentas contrahant, quæ sunt excommunicatio maior Summo Pontifici reseruata, & priuatio omnium actuum legitimorum, & officiorum ordinis, & omnium graduum, atque dignitatum, & inhabilitatio ad ipsas in posterū obtinēdas, *Mirā. in Man. Pralat. to. 1. q. 19. ar. 3. & tom. 2. q. 2. art. 1. Bcia p. 4. casu 18.*

Verum per religionis professionem, nō deletur, ut dixi, irregularitas ex natalium defectu consurgē, quò ad dignitates, & præfecturas obtinendas, ucs curatum beneficium acquirendum. Atque idem de Moniali statuendum est, ut ob defectum natalium in Abbatissam elegi nequeat. Et solus Pontifex seclusis religionis priuilegijs l. cut in uiris religiosis, ita etiam in hoc dispensat. Fr subiunximus seclusis religionis priuilegijs, siquidem hodie omnes fere religiosi facultatem habent, qua cum huiusmodi ad omnes dignitates, & officia religionis dispensare valent. ut notat *Sayr. l. 6. de irregul. c. 11. nu. 4. & Sorbus. in Compend. Priuileg. Mendic. in v. Dispensatio nu. 12. Roder. in qq. regul. tom. 1. q. 13. ar. 6. vsq. ad 24. & in 2 p. summa c. 29. nu. 12. & Pereg in Compend. Priuil. Cōgr. cler. reg. in v. Dispensatio.* Quib. ēt addo Primo ex *Marc. Ant. Genuen. in pract. eccles. q. 258.* Monialem illegitimam, seu eius monasteriū, posse petere legitimam in bonis paternis, & dicere testamētum nullum, cum filio legitimo, & naturali post emissam professionem æquipararetur. Ex quo etiā sequitur posse eam patri prodesse quò ad immunitates, et ratione numeri filiorum competentes: nā licet religiosus, uel religiosa, mortua reputetur, attamen quo ad fauorabilia, viuere censetur.

Secundo obseruo eum, qui nulla illegitimitatis, ut aiūt, īfamia fuerit inustus, sed legitimus sit habitus, etiam in præsentiarū legitimū præsumi, & iudicari debere, nisi aliud ostendatur, ac probetur. *c. transmissa. c. peruenit. ext. qui fily sint legit.* In foro uero interiori, suæ conscientiæ relinquendus est. *c. mulieri. ext. de iureiu.* Vnde si ad actū admissus sit, in quo requiritur ut legitimus sit, put ad ordines, beneficia præfecturam, vel aliam dignitatem, nec de suis natalibus ulla laboret infamia, tunc in dubio ex legitimo toro natus, nisi aliud constet, præsumēdus est. Quò fit, ut ad Doctoratus gradum assumendus nō sit grauandus, ad iurandum super natalibus, & cominus ad id probandū, si diffamatus nō sit: nam cū ex illicito concubitu geniti manci, & imperfecti quodammodo censeantur, quid absurdius esset,

quam

quàm illam in dubio coniecturam facere, per quā natura non omnino munus suum impleuisse uideatur? *Capella caut.* 118. *Mascard. de probat. volum.* 2. *concl.* 1382. *Menoch. lib.* 6. *de præsump. præsump.* 54. *Paleot. de nothis, & spur. cap.* 20. *Vnald. in addit. ad Candelab. aur. c.* 18. An autem officium aliquod, vel administrationē volūtarie postulās pādere teneatꝫ p oprios occultos defectus, vel parentum, uel generis sui, qui officio illo indignum reddunt, ut puta, quia promouendum ex legitimo toro natum postulet, videatur *Salon.* 22. *q.* 63. *ar.* 2. & *Nald. v. officiā. temporale n.* 3. vbi resoluunt non teneri illos prodere, si ipse nō postulet, sed elector à seipso illi offerat, cum ius retineat ne de occultis infametur, cui renūtiare censetur, cum illud officium libere, ac sponte venarut.

CASVS, ET QQ. RESOLVTIO.

HIs sic pūijs inspectionib. habitis ad ꝓpositarū qōnū resolutionē deueniēdo dico. Primo qđ

I. ASSERTIO.

VIncentiō nil obstaret, quo minus clericalem statum assumere posset, quatenus ex illegitimo toro est procreatus, cum per subsequens matrimonium, ut supponitur, legitimis, & iustis natalibus sit restitutus. Multo magis ei integrū esset, in religionem ingredi, cum religioso statui indultū sit ut non obstāte matrimonio rato, cuius illum assumere liceat. *c.* 1. *in extrauag. tit. de voto.*

Quod si susceptio sacri ordinis hac etiam prærognitiua gauderet (quod tamen ueritate caret) nil officeret, quod Vincentius cum Eugenia antequā cū duceret, tem turpem habuisset, & eam cognouisset: siquidem matrimonium non per copulam præcedētem, quę fornicaria est, sed per subsequentem matrimonialem, & coniugalem consumatur. *Henriq. l.* 11. *de matrim. c.* 8. *nu.* 8. *Sanchez. l.* 2. *d.* 21. *num.* 12 *Gutierez. c.* 54. *num.* 25.

Ex ultra etiam parte impedimentum non afferret, quod consobrinus ipsius Vincentii cum Eugenia carnalē copulā habuisset, si in vase fœmineo ex parte viri non esset facta seminatio, siquidē ad hoc, ut affinitas ex copula oriatur, necessario requiritur, ut virile semen muliebre vas subintret, vt propterea ex ueriori, & communiori sententia resoluatur ex matrimonio rato, & non consummato, non affinitatem, sed potius publicam honestatem produci. Vnde concludendum videtur, Vincentium cogendum esse cum ipsa Eugenia in sancto coniugio manere, nec posse clericalem statum assumere, ei tamen integrum esse religionem ingredi, etiāsi sponsa aliquod damnum in existimatione apud homines passura sit; ius namque bimestre tempus concedit, ut sponsi non consummate matrimonium eis liceat, & ad religionem migrare, & tamen eo tempore moraliter loquendo, oscula, & tactus contingere solent, ex quib. sponsa non leuem iacturam ad alias nuptias cōtrahendas subit, & eo detrimento minime obstante, quia sponsus suo iure utitur, in religiosum ordinem ingredi potest.

Non crederetur autem in foro externō sponso, qꝫ ad sponsam accessit, asserenti se minime seminasse, quia in propria causa testis est, & cum frequenter seminatio contingat, ea à communiter accidēribus præsumitur. In foro autem conscientiæ in quo pœnitenti pro se, & contra se standum est, ei fides adhibenda erit. teste *Sanch. l.* 1. *num.* 8. & alijs cōiter.

II. ASSERTIO.

NOn etiam votū ab eo emissum de ordinibus sacris suscipiendis officere poterit, ut à matrimonio rato discedere queat, lex. n. priuata quā Vincentius sibi per votum imposuit, iuri publico, & cōmuni præiudicium afferre nequit, & uotum sicut & iuramentum regitur secundum naturam actus, cui apponitur. Hinc testatori, ut aliàs diximus, integrū erit, aliud testamentum condere, & primum nō obstante iuramento, & uoto reuocare, cum de natura ultimæ uoluntatis sit ut usq. ad ultimos cineres deambulatoria sit. *Tusch. v. iuramentum. concl.* 506. & *v. Testator. concl.* 151. Et in omnem euentum fas est Episcopo super illud uotum dispensare; nam licet nullus Prælatus quantacunque potestate fulgeat, pter Rom. Pontif. dispensare possit in quinque iuramentis, seu uotis, nempe perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis in Hierusalem, ad limina Apostolorum, & ad D. Iacobum Compostellæ, ut habetur in Extrauag. incip. *Etsi Dominici. tit. de pænit. & remiss.* Quibus olim adiungebatur uotum uisitandi gloriosam Aedem D. Mariæ Lauretanæ, quod tñ usu receptum nō est. Quæ quidem quinq; uota, qui sine facultate commutare, aut in eis dispensare ausus fuerit, nunc saltem ex stylo curiæ, excommunicationēm Papalem non effugeret. *argum. eorum, quæ tradimus in prima Comment. parte, præsertim tr.* 5. *c.* 9. *q.* 60. & *in seqq. quæ scripsit Filliuc. tr.* 29. *c.* 8. *q.* 14. *num.* 170. quæ sane uota nunquam in generali etiam in Iubilæo comprehenduntur, nisi in specie concedantur. *Molf. tr.* 1 *t. c.* 15. *nu.* 137.

LIMITATIO.

ETsi inquam hæc uota, uel iuramenta soli Pontifici, sint reseruata; hæc tamen positio, & resolutio in multis casibus non procedit. & Primo si hæc in pœnam fiant. v. g. Iuro, seu uoueo me tali lusu non lusurum, uel tali peccato me non peccatu-

rum,

rum, q si secus fecero, religionẽ igrediar, aut in Terram Sanctã ibo, &c. quia ea solũ uota ac iuramẽta proprie S. Põtifici reseruantur, quæ, ut morales Theologi loquuntur, simpliciter, & absolute sũt religionis, & castitatis volitę, & pegrinationis desideratæ, qualia pœnalia non sunt, ut ex cõi asserit. *Arag. 22. q. 88. ar. 12.*

II. LIMITATIO.

SEcundò excipitur in voto castitatis, si detur vrgens causa, seu grauis necessitas, quæ necessariã esse dispensationem in tali voto suadeat, prout qñ magnum incontinentiæ periculum vrgeret, nec Papa facile consuli posset; aut quia graue periculum esset in mora: nam etsi inferior legem superioris tollere, aut moderari non possit. *c. cum inferior. extr. de maior. & obed.* hæc tamen regula fallit, cum vrgens subest causa, nec superior adiri valet. *Sanch. de mat. disput. 40. num. 7. Reginald. l. 3. nu. 201. Molf. tr. 4. c. 12. num. 31. Barbosa de off. Episc. p. 2. alleg. 37. nu. 8. & 9.* vbi de cõi resoluit, Episcopum ex legitima causa posse cum eo dispensare, qui post simplex castitatis votum, matrimonium ratum contraxit, ut coniugale debitum reddere valeat, etsi. n. contrahendo letthaliter peccauerit, & adhuc si velit, uotũ adimplere ei liceat, ẽt inuita, ut supra diximus, coniuge, religionem ingrediendo, nihilominus ad id non tenetur, quia formalem religionis ingressum non vouit. Sicuti etiam eadem ratione ei integrum est aliquem lege soluere, ut debitum petere valeat, q post consummatum matrimonium, castitatis votum nũcupauit; quamuis iste defuncta uxore, iure matrimonium contrahere nequeat, cum Episcopus absolute in perpetua castitate non dispenset, sed ut tantum coniugali iure uti possit.

Multo magis Episcopo licet in uoto non contrahendi matrimonium, & non fornicandi, aut abstinendi ab aliquo actu venereo, &c. dispensare, quia hoc non est votum perfectæ castitatis, & in uoto assumendi ordinem sacrum, quia nec hoc est perpetuę castitatis uotum, sed assumendi statum, in quo illa tacite promittitur, ut est cõe DD. placitum.

III. LIMITATIO.

TErtio supra affirmata assertio limitatur, ut nõ procedat, quando de firmitate alicuius uoti summo Pontifici reseruati dubium extaret; licet. n. dubitatio sit talis, ut uouentem ab obligatione uoti non excuset, si namque excusaret, dispensatione opus non esset, attamẽ Episcopo in tali uoto dispensare integrum esset: cũ. n. dispensationis reseruatio sit odiosa, & in veris uotis intelligenda sit, utique in dubijs, Episcopi, uel ab eo potestatem habentis hæc legis solutio sufficiet. ita *Suarez. l. 6. de voto. c. 26. nu. 6. & Sanchez. l. 4. c. 40. nu. 26. Molfes. tr. 1. c. 15. nu. 140. Sà in v. Episcopus nu. 35.* Et quamuis multi regulares Cõfessarij Mendicãtes, & ẽt illorũ participatione gaudẽtes, vi priuilegiorum in votis, & iuramentis eorum, quorum confessiones audiunt dispensare ualeant, non tamen in reseruatis Episcopis iure speciali manũ apponere illis fas est. *ex Suarez. l. 6. de voto. c. 26. nu. 16. Roder. in qq. regul. q. 63. art. 6. Barbos. l. c. alleg. 37. nu. 14.*

Hæc ergo maneat resolutio, cũ per sacrũ ordinẽ matrimonium ratũ non dissoluatur, Vincentium cũ Eugenia coniuge permanere cogendum esse, & ad abundantiorem cautelam, Episcopum super uotũ emissum sacros ordines suscipiẽdi dispensate posse.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. qu a quærebatur, an cum Mauritius à Fabio vectigalium exactore inuasus, fugere posset, ne tamen notam aliquam subiret, illum ense interemit, an inquam, sit irregularis? suppositis his, quæ in *1. par. tradidimus. tr. 7. c. 20. q. 95.* Dico Irregularitatis labem contraxisse eum, moderamen inculpatæ tutelæ excessisse supponatur; quod quidem ille non seruare dicitur, qui inuasorem suũ occidit, quando fuga non sibi ignominiosa, aut clamore, uel aliter se defendere potest quàm occidendo; mors enim illi iuste ad culpam imputatur; siquidem non est nobilis, & illustris persona, cui turpe, & ignominiosum censetur, insequenti terga uertere. ut per *Viuald. de irreg. ex homicidio volunt. nu. 218. Vgol. de irreg. c. 29. c. 13. Sayr. l. 6. c. 17. Suarez. d. 46. sect. 1. nume. 7. & alios apud Bonac. eod. tit. d. 7. q. 4. p. 6. & de cont. d. 2. q. vlt. sect. 1. p. 8.* Porro certum est illum iniuste egisse, ac charitatis leges violasse, cum iustæ uectigalia pro mercibus imposita defraudauit. Licet qui ab eo iniuste defraudante emit, nec peccauerit, nec ad restitutionem teneatur; cũ onus gabellam soluendi non emptori, sed uenditori incumbat. *Reginald. l. 10. nu. 383. Idem Bonac. de cõtr. d. 2. q. 9. pun. 1. nu. 9.* & alij communiter.

QVAESTIO VI.

Pœnitens, qui virtute Iubilei facultatem habet eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, an possit Confessariũ eligere, qui ab Episcopo alterius diœcesis sit approbatus. An absolutiones, & dispensationes facta valida sint. Et nunquid talis sacerdos in aliquam censuram inciderit, & irregularitatem contraxerit. Nũ in Ecclesia polluta celebrãs irregularis fiat, & beneficii simplicis collatio in eã facta valeat. &c.

REmigius sacerdos in Theologia, & iure Canonico Doctor, ad audiendas confessiones Ro-

me admissus, cũ ad quędam negotia sua conficiẽda Bononiam, vbi non est approbatus, se contulisset publicata ibi quadam Indulgentia Iubilęi instar à Summo Pontifice concessa, qua ampla facultas eligendi sibi confessarium idoneum, & approbatum, impertitur, qui à quibuslibet casibus sedi Apostolicæ reseruatis, & in Bulla Cœna Dñi contentis absolueret, & in oĩ irregularitate ex delicto occulto prouenĩeti, excepta illa, quę ex homicidio voluntario descendit, dispensare valeret, multorum cõfessiones ab amicis rogatus, & in confessarium electus excepit, à reseruatis absoluit, & ĩ quodam voto à Demetrio emisso de visitandis liminibus Apostolorũ dispẽsauit, necnõ in quadam irregularitate ex defectu lenitatis descendente, etsi an hoc sibi liceret, tunc ambigeret, cum de facultate super votis impensa, à Bulla nulla mẽtio fieret. In patriam reuersus, reque cum petitis communicata, iuxta illud Tobiæ monitum, consilium semper à sapiente require.

Primo dubitat an Bononiæ pęnitentiæ sacramentum legitime administrare potuerit, & an absolutiones, & dispensationes datę valeant. Secundo nunquid in aliquam censuram inciderit, & quę nã sit. Tertio cum multoties celebrauerit, an irregularitatẽ contraxerit. Quarto in quodam castro eiusdem diæcesis in quadam colligiata ecclesia, ob sanguinis effusionem polluta, vt populus in die festo missam audiret, celebrauit: vtrum pariter eandem irregularitatis labem subierit; & an Canonici illius ecclesiæ in diebus, in quibus ob hanc violationem diuinis officijs nõ interfuerunt, quotidianas distributiones lucrentur? Et quinto an simplicis beneficij collatio nunc illi facta sit valida, amittatq; aliud, qđ iampridem antequam hic casus illi contingeret, obtinuerat.

Supposita, ac prænotiones.

I. SVPPOSITVM.

RESp. Suppono Primo ex more inter alia quę in ministro sacramenti pęnitentiæ desiderãtur, vt alias annotauimus, iurisdictionẽ, vel ordinariam, uel delegatam necessariam esse, quarum altera nisi Cõfessarius muniatur nihil agit, est.n. sacramentum nullum, perinde ac si à laico fieret absolutio, vt testatur *Conc. Trident. sess. 14. c. 7. can. 9.* Iurisdictionem ordinariam, ex alibi à nobis adductis ille habere dicitur, cui ex proprio officio animarum cura incumbit, & in foro pęnitentiæ est iudex, ut est proprius sacerdos, idest Romanus Pontifex, qui est generalis totius catholicæ ecclesiæ Pastor, & Episcopus in suo Episcopatu, & Parochus in sua Parochia. Delegatam vero illi habere dicuntur, qui nõ iure proprio, & sic ratione Prælaturæ, aut parochiæ, sed ex ordinariorũ delegatione illam consequũtur; siquidem omne iudicium natura sua ẽxposcit, vt Iudex in eum quem absoluit, vel condemnat, iurisdictionẽ habeat. Cum ergo Christus in sacerdotes ligandi atque soluendi potestatem contulerit, nihil aliud egit, quam illos Iudices in hoc sacramẽto cõstituere, & per cõsequens ut illos absoluerẽt, vel cõdemnarent, qui illorum essent subditi, vel ordinarie, vel per delegationem; vel per voluntariam subiectionem, vt est in venialibus culpis, vel lethalibus aliàs tamen legitime confessis, & ecclesiæ clauibus subiectis. vt ex cõmuni tradit *Graffius l. 1. decis. aur. c. 17. Regius. in resp. cas. consc. casu 161. Molf. tr. 7. c. 14. num. 45.*

Hinc consequenter deducitur, vt approbatus ab vno Episcopo in vna diæcesi, in alijs dięcesibus admissus, & approbatus non censeatur, vt uerius, & communius illi docent, qui declarationem S. Congreg. referunt, quæ sic habet, Congregatio Concilij respondit, approbatum ab aliquo, quàm à Valẽtino Episcopo in diæcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario, cum enim diæceses sint distinctę, & necessario, ut vidimus, Iudex ordinarius vel delegatus pęnitentis esse debeat, vtique ad id idoneus reputari, & approbationem ab Episcopo pœnitentis habere eum oportet. late per *Beiam p. 4. respons. casu. 20. Molfes. l. c. num. 67. Quar. v. cõfessor. Filliuc. tr. 7. c. 9. q. 11. num. 261. Barbos. p. 2. de offic. Epis. alleg. 25. num. 15.* ubi hanc sententiã tutiorem & ipsi dicunt, non tñ contrariã reijciendã esse, videlicet sufficere approbationem ab Episcopo confessarij, vel sacerdotis factam. Quãdo vero aliq à summo Põtifice ad audiendas confessiones vbiq, locorũ admissi sunt, aliud examen, vel alia cõmendatio non requiritur, cum ipsi, vt DD. loquũtur, sit oĩum Ordinariorũ Ordinarius. Hinc est ut ꝑ sbyteri Cõgregationis Oratorij ad confessiones audiendas approbati, extra Vrbem à locorum Ordinarijs examinari non debeant, quibus sufficit eorum licentias Romæ habitas præsentare. Atque idem dicendum de alijs religiosis, qui eisdem priuilegiis gaudent. *Quar & Molfes. l. c. Pereg. in compend. Priuileg. cler. regul. v. absolutio §. 9. Nald. v. confessarius num. 39.*

II. SVPPOSITVM.

SEcũdo suppono ex à nobis aliàs traditis, multa esse iure ꝓhibita fieri in loco sacro, seu in ecclesia, q̃ si fiant, sacrilegia esse censentur, & ad tria capita reuocari possent. Primũ est vti ecclesia tanquã cõi, & vulgari loco ad actum profanum in ea exercendum. Secũdo eiusdem Immunitatẽ violare, extrahendo, v. g. aliquẽ ex ea, ad q̃ tanquam ad asylum confugit. Tertio actum in illa committere, per

quem ipsa polluatur. Vnde quò ad hoc postremum caput dico ecclesiam in multis casibus pollutam dici. Primo quãdo sanguis hoĩs viuẽtis iniuriose intra ecclesiam effunditur *c. proposuisti. extr. de cõsecr. eccles. vel alt. c. ecclesiis. dist. 68* Nõ sufficit autem effusio sanguinis è naribus, aut ob lapsum lapidis, vel regulæ de ecclesia cadentis, nec satis est vt per furiosum, ebrium, vel carentem vsu rationis fiat, sed effusio iniuriosa esse debet, quę in magna quantitate fiat, & in se lethalem culpam inuoluat, grauem, & publicã percussionem cõtineat. *Coninch. q. 83. ar. 3.*

Secundo per voluntarium homicidium in ecclesia perpetratũ, licet sanguis non effundatur, vt quia ibi suffocatur, vel suspenditur *gloss. in c. 1. de cons. eccles. vel alt. l. 6.* Nomine autem ecclesiæ quo ad hũc effectum sola ecclesia consecrata, aut benedicta intelligitur, quo nomine etiã capellæ intra eam cõstitutę cõprehẽduntur, imo etiam porta, si intra limẽ, clausuramq. ecclesiæ homicidiũ committatur. *Sanchez de mat. l. 9. d. 15. num. 28.*

Tertio per voluntariam, & manifestam, seu publicam seminis effusionem in ipsa ecclesia factam, vt per *Sayr. cens. l. v. c. 16. Suarez in 3. p. disp. 8. sect. 4. Squillant. de obligat. cler. par. 5. num. 88. & seq.*

Quarto loco templum pollui dicitur per sepulturam excommunicati denuntiati, vel alicuius infidelis salutari aqua non abluti. vt per *D. Anton. 3. p. tit. 12. c. 6. §. 3. Syluest. & Tab. in. v. consecr. Tol. l. 5. c. 8. Nall. in v. ecclesia. nu. 19.*

Circa quam templi violationem aduertendum est, si consecratum fuerit, à proprio Episcopo aqua ab ipso sacrata, vel benedicta, cum vino, & cinere admixta, reconciliandum esse. Si vero ecclesia non consecrata, sed tantum benedicta fuerit, à simplici sacerdote per aquæ lustralis aspersionem recõciliari potest. *Auila de cens. d. 7. dub. 4. Marta. de iurid. p. 2. c. 17. Barbosam l. c. Alleg. 28. num. 57.* vbi aduertunt in hoc postremo casu non esse necessarium, vt aqua sit per Episcopum benedicta, vt ecclesia in pristinum statum restituatur, contra *Toles. l. c.* Non desunt tamen qui probabiliter opinantur, si pollutio ecclesię hodie. v. g. accideret, & post octo dies ad totius diœcæsis notitiam deuenerit, si inibi interim fuerit celebratum, alia reconciliatione opus non esse, quandoquidem vnica rãtum celebratione ecclesia reconciliata dicatur. *Alphons. de Cast. l. 2. de lege pæn. c. vlt. Marta l. c. in fine. Henriq. l. ix. de sacr. missæ. c. 27. n 6. Auila. l. c. d. 7. dub. 3. Sà v. ecclesia. n. 19.*

RESOLVTIO CASVS, ET Q.Q.

HIs sic præiactis ad primam casus quæstionem respondẽdo dico, Remigium virtute Indulgentiæ, vel Iubilei in aliena diœcesi eligi nõ potuisse, vt à casibus reseruatis Demetrium absolueret, & minus vt super illius votum Papæ reseruatum dispẽsaret, ac proinde dicendum videtur, impẽsas absolutiones super peccatis, & dispensationem super uotũ, vel illius commutationem, nullius esse valoris, hęc enim clausula in Bulla posita, vt Cõfessarius nisi approbatus eligi non possit, sicut inferi non cõsueuit, nisi post Concilii Trid. sanctionem, ita iuxta terminos approbationis requisitæ intelligi debet, quę in eo *sess. 23. c. 11.* exprimitur, quia priuilegia, & Bullæ in materia odiosa secundum ius commune interpretanda sunt: iam autem Confessarii approbatio in eodem concilio præcipitur, vt ab Episcopo illo fiat, cuius pęnitens absoluẽdus subditus est. A qua quidem approbatione, nec Doctores, neque in alia facultate laurea insigniti, etiamsi regulares sint eximuntur. vt per *Suarez tom. 4. disp. 25. lect. 4. Mirandam. tom. 1. Man. prælat. q. 45. ar. 9. Barbos. Alleg. 25. num. 26.* Vnde quod est ad 2. q. responsio.

II. Q. RESOLVTIO.

PRæter lethale delictũ quo se obstrinxit, cũ defalcultate ambigens super votum dispensauit, vel illud commutauit, in excommunicationem etiã summo Põtifici reseruatam, ex multorum sentẽtia, nisi ignorantia, vel obliuione talis pœnæ appositæ excusetur, incidit. vt per *Sanchez l. 4. de præcep. c. 8. num. 23.* Licet. n. *Sixtus V. in Extrauag. Etsi Dominici. c el. 2. tit. de pęnit. & remiss.* aduersus eos solum excommunicationis sententiam ferre cernatur, qui virtute facultatum ab ipsomet cõcessarum vota sũmo Pontifici reseruata commutare audent: iam tamen vsus, & praxis obtinuisse videtur, vt hæc censura ab illis etiam cõtrahatur, qui absque alia sibi cõcessa facultate, ea commutant, vel super his dispensant, vt propterea dicendum sit, sicut de aliis excõmunicationibus, ex solo curiæ stylo constat eas incurri, vt de ingredientibus monasteria, etiam si nõ prætextu priuilegiorum, de absoluentibus à casibus Papę reseruatis, de absoluentibus ab excommunicatione ob extractionem frumenti, & aliorum, & similibus, eodem modo hunc casum cõprehensum esse. *arg. Filliuc. tract. 29. c. 8. q. 15. n. 17.*

Itidẽ q̃ attinet ad dispẽsatione irregularitatis, qua Honorius quodã Iudex afficiebat, dico nõ potuisse cũ eo dispensare, nã nec confessarius virtute Iubilei cõcedentis facultatẽ dispensandi desuper irregulariter ex delicto occulto descẽderẽ, illa excepta, quę ex voluntario homicidio oritur, nec etiam Episcopi virtute *Concilij Trid. sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 6.* dispensare possunt in homicidio iniusto volũtario, qđ directa voluntate occidendi committitur, vel iusto q̃ culpa caret, sed irregularitatẽ inducit, qual e est,

Pp quod

quod Iudex iuste iudicando, vel proximum iure defendendo, vel miles iuste præliando patiat; siquidē prædictum Iubileum confessarijs, & Tridentinum Concilium Episcopis concedit facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto prouenienti, excepto homicidio voluntario, sed prædictæ irregularitatis labes nō ex delicto, sed ex homicidio iusto volito descendit, ppterea illam abstergere, ac tollere ad solum Romanum Pontificem spectat; & passim plerique Doctores testatur, totius orbis cōsuetudinem hanc esse, vt irregularitatis huius dispensatio à Romana sede petatur. *Nauar. cons. 39. de hmicid. Graffius l. 1. decis. aur. c. 13. nu. 37. Vgol. de irreg. c. 33. §. 1. Zerula in Praxi Epis. p. 1. in v. irregularitas vers. 8. Garz. de benef. p. 7. c. 11. n. 39. Bonac. de irreg. d. 7. q. 4. p. vlt. num. 2. contra Barbos. & alios quos refert p. 2. de Episcop. Alleg. 39. nu. 47. & Campanilium in diuersorio Iuris canon. Rub. 12. c. 23. num.* 138.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3 q. dico Remigium ab irregularitatis labe immunē nō esse, si sciēs, vel dubitās se esse excōicatum, rem sacram facere præsumpserit, qñquidē generalis est regula, excommunicatum, seu excommunicatione maiori irretitum, suspēsum, vel interdictum, si diuina officia exerceat, solēniter actum ordinis sacri, quem habet, obeūdo, irregularem effici, si scienter vel scire debens id præstet, nisi ratione necessitatis, vel scandali vitādi excusetur *c. 1. de sent. excom. l. 6. c. 1. de sent. & re iud. l. 6.* dixi Primo scienter, quia hæc irregularitas ex delicto violandi cēsuras descendens, ob contemptū cōtrahitur, ideo q ui sine dolo, bona fide, & earum cōtēptu celebrat, irregularis non est. *Sayrus l. 7 de cens. c. 9. num. 1. Sanchez de mat l. 9. disp. 32. num. 17. & seq.* Dictū est 2. si diuina officia, &c. vt intelligantur actus ordini clericali annexi, quales sunt Sacramenta administrare, missam celebr-e, Epistolam, vel Euāgeliū legere, aquam benedicere. *Mar. Ant. l. 3. var. resol. resolut. 16.* 3. Adiunctum est verbum solemniter, vt excludātur actus, qui & à laicis exerceri possunt, nā tunc hæc officia solemniter fieri dicuntur, quādo à clericis illis vestibus, & cæremonijs exercentur, quę ex officio, & ordine, quē habēt, eis cōpetunt. Quarto posita sunt illa verba, actum ordinis sacri, quamuis enim nonnulli velint, irregularitatem hanc solemni exercitio minorum ordinū incurri; Alij tñ verius docent, tunc solum contrahi, dum actū ordinis sacri solemniter quis explet. *Suarez tom. 5. d. 42. sect. 4. num. secunda, Pilliuc. tract. 20. cap. 7 q. 8. & 11. Sayr l. 17. cap 10. Bonac. d. 7. q. 3 p. 6.* Quinto illa verba subtexuimus, nisi ratione necessitatis, quon'am quoties ob urgētem necessitatē, vel immunēs scandalum, vel naturalem obliuionē, vel ob aliā causam, à mortali culpa quis excusatur, ab irregularitate etiam liber, & immunis est, quæ cum grauis sit pęna, non nisi ob lethalem culpam, cum ex delicto oritur, incurri censetur. *Bonac de cens. disp. 7. q. 3. punct. 6. num. 1. Molfes. tr. 2. c. 9 num. 14.* At in eūm tuenium intigium est Episcopo, & alteri ab eo potestatem habenti dispensare in irregularitate, ab excōmunicato prouenientę, quando excommunicatio est occulta, licet celebratio manifesta sit, oportet, n. non solum factum esse, publicū, sed publice sciri esse delictū, ad hoc vt hæc facultas per Concil. Trid. concessa, ab eo eximatur. Sicut etiam ei licet in irregularitate dispensare, quā quis exercendo ordines quos non habebat, contraxit, vt scilicet in susceptis functiones obeat, ac alios suscipiat, modo delictum sit occultum. *Barbos. de potest. & offic. Episcopi p. 2. Alleg. 36. num. 27. & 43. Cāpan. Rub. 7. c. 5. num. 2.*

IV. Q. RESOLVTIO.

QVartæ q respondendo dico Remigium, qui in ecclesia publice violata celebrauit, aut ibi diuina officia peregit, nisi vrgente necessitate, de licētia Episcopi id fecerit, lethali scelere se obstrinxisse, irregularem tamen, aut suspensū non esse factū, qñquidē pollutio ecclesiæ censura non est, proinde in ea celebrans irregularitate nō afficitur. *c. is. qui. de sent. excom. li. 6. Azor. p. 2. l. 9. c. v. q. 6. & idē Barb. de cōi testans. l. c. alleg. 28. num. 54.* Violator tñ incurrisset in casum reseruatum in illis locis, vbi ecclesiā polluens reseruatione afficitur, vt de Mediolanensi diœcesi testatur *Bonac. de matr. q. 4. puncto vltimo, num.* 25. modo delictum publicum esset.

V. Q. RESOLVTIO.

QVintæ etiam dubitationi respondendo dico, canonicos licite quotidianas distributiones percipere, dum ecclesia in qua celebrare consueuerunt, polluta, & violata est, siquidem per eos nō stat ne diuina officia in choro persoluantur, cum eis assistere soliti sint, sed modo ob facti impotentiā interesse nequeunt, eo quod in ecclesia polluta diuina officia celebrari iura vetent. vt per *Monetam 2. quot. distribut. q. 16. nu. 29. & eund. Bonac. de hor. cān. disp. 2. p. 2. §. 6.*

VI. Q. RESOLVTIO.

AD sextam pariter q. dicimus, quod licet iuxta communem, & tutiorem sententiam, inualida sit collatio beneficij Remigio irregulari facta, vt pro-

vt proinde licet occulta sit irregularitas, illud beneficium dimittere teneatur, & perceptos fructus restituere. vt per *Sayrum l. 6. c. 2. num. 21. Suar. tom. 5. disp. 40. sect. 2. num. 19. Contneb. disp. 18. dub. 1. n. 6.* Non tñ illud ex quolibet amittere delicto, vel priuari censetur, q ante irregularitatem obtinuit. *c. ex literis de excess. Pral. c. fraternitati de cler. excommunicato minist.* Et ratio est quia lex pœnalis semper est intelligenda quò ad pœnam per sententiam ferendam; & nullum ecclesiasticū ius reperitur, qđ ipso iure beneficijs irregularem priuet. *Auila de cēs. p. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 4. Garz. de benefic. p. 11. c. 10. num. 47. Molfes. tr. 6. c. 8. num. 20. & tr 9. c. 14. num. 41. Filliuc. tr. 19. c. 2 q 4. num. 68. Squil. de olligat. cler p. 6. num. 18. & seq. arg. Zerula in Praxi Episcopali in. v priuatio.* Notandum tamen, quando titulus inualide ob irregularitatem, vel inhabilitatem ei collatus fuit, quę per Episcopum tolli poterat Episcopum sublata illa inhabilitate, ipsum titulum confirmare non posse, si collatio ad Pontificē pertinebat; hęc enim, vt aiūt, teualidatio per eum fieri dēt, cuius est primo beneficiū conferre. Si nihilominus iusta causa subsit, vt si esset vir bñmeritus, & ptorati one sui status indigens, & cui sine scandalo, vel infamiæ nota, vix beneficium deserere liceret, aut si ob paupertatis onus, Romam confugere non posset, ex tacito, & præsumpto Summi Pontificis cōsensu, & quadam epicheia fas esset Epo titulum reualidare. *arg. c. 7. de cler. excom. minist. teste Henriq. de excommunicat. c. 12. & Less. l. 2. c. 34 dub. 22. n. 122. contra Filli de. tom. 1. tr. 11. c. 7. quast. 10. num. 25.* Æquitas. n. quę sepr ob oculos Iudicis esse debet, est, iustitia pensatis omnibus circunstantijs dulcore misericordiæ temperata, quod intellexit, qui dixit, Ipsæ etiam leges cupiunt vt æque regnatur. Et Deus, & Ecclesia nos ad vix possibile, & nimis difficile obligare nō intendit. *Iason in c. placuit C. de iudi cijs. Tusch. in v. aquitas. conc. 3 10. Suarez de legibus l. 6. c. 7. & 8. Roder. in qq. regul. tom. 3. q. 64. art. 2.*

QVAESTIO XIV.

An si clericus prima tonsura initiatus, rem habendo cum fœmina cōiugata causa sit, vt intempestiuus partus ederetur, & ipsa mulier à marito occideretur, duplicis homicidij reus sit. An sit excōteatus, & irregularis ita vt nec beneficiū, nec pensionem obtinere possit. Dispēsatio presbytericidæ simpliciter dicentis, se hominem occidisse, an sit nulla?

Tiberius clericus prima tonsura initiatus, cum Appolloniæ fœminæ vterum octo mensium gerenti se commisceret, cum ea re habēdo, causa extitit, vt illa intempestiuum partū licet uiuum ederet. Et cum Octauianus eiusdem Apolloniæ maritus delictum hoc sciuisset, eam de medio confestim sustulit, & occidit.

Quæritur an Tiberius sacrilegij, & duplicis homicidij reus sit, & an in aliquam censurā inciderit, ac ad ordines minores promoueri possit, & ecclesiasticam pensionē obtinere. Item cum inimicitiā gereret cū Thoma laico, noctu putās eū occidere, ignorans Baptistam sacerdotem plumbea glande explosa interemit.

Quæritur pariter an cum sit irregularis, & petenda sit à Romana curia dispēsatio, presbytericidij sit facienda mētio, vel potius in libello, & supplicatione exprimere sufficiat se hominem interemisse.

I. Q. RESOLVTIO.

QVod de impudica muliere dicit Sapiens *Prouerb. c. 5.* nimirum ipsius commerciū, ac cōsuetudinem, primum iucundam esse ac suauem, verum ad extremum absynthio amariorem inueniri, hoc ad omnes mundi voluptates, quæque in Deo minime sitæ sunt, non inepte referri potest, unde ut alibi scripsimus, scite monebat Aristoteles, voluptates non uenientes, sed abeuntes inspiciēdas esse, hoc est non id spectandum, quàm suaui quodam sensu animos ptimum mulceant, sed quàm acerbū tandē aculeum figant, ut etiam considerat D. Chrysostomus *concione 4. de Lazaro.* Quippe cōscientia est illa Nemesis, siue Adastria, quam Antiqui fabulātur, cuius pœnas nullus effugere potest. Hinc illud Tranniia pud Plautum.

Nihil est miserius quàm animus sceleris conscius.
Et Horatius è cōtra magnam censet esse felicitatē.
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Decianus in tract. crim. l. 2. c. 12. Nau. in Man. in pelud. 7. num. 26. & in princ. de pœnit. dist. v. Tusch. v. conscientia. concl. 742. Holcot. super sap. c. 17. lect. 191.

Vt autem ait *Bellarm de sep. verbis Domini l. 1. c. 1.* qui eligit adulterium, uel aliquod aliud malum facere, nūquam eligeret, nisi ad bonum delectationis, uel lucri, quod in illo est attenderet, & nisi oculos mentis ad malum turpitudinis, & iniustitiæ, quę ipsi malo insunt, clauderet, ita ut omnis, qui peccat, hoī similis sit, qui ex alio semetipsū in fluuiū præcipitare cupiēs, ante oculos claudit, ac postea semet in flumen proiicit; sic omnis qui male agit, lucem odit, & praua ignorantia laborat, quę non excusat quia uoluntaria est.

Quæ sane doctrina quàm vera sit, in casu nostro cernere licet, siquidē Tiberius cęco amore captus, qui impeditam hominis rationem tenet, non aduertēs quò tēderet, sed sola passione ductus, in tam

turpia scelera præcipitatus est, cui postmodum extincta voluptate, tàm amarus pœnitentiæ stimulus successit. Vnde dico, cum turpiter cum Apollonia côiugatam tem habuit, graui adulterij crimine se contaminasse: huius enim criminis iniquitas maxima uocat *Iob. cap. 31.* Et inter cætera facinora, quibus Deus vehementer irascitur, adulterium tenon est, vt videre est apud *Lact. de ira Dei c. 22.* Nec mirum cum adulterium quoddam veluti vitiorum agmen secum trahat, & sit scelerũ seminariũ. Hinc maritorum, & vxorum cędes, & ipsorũ adulterorũ pericula, qui passim in adulterio deprehensi misere interimuntur. ut per *Tiraq. l. 13. connub. nu. 26. Menoch. de arbit. iud. l. 2. cent. v. casu 419. Diax. in prax. crim. can. & ibi Lopez c. 186. Mascar. de prob. vol. 1. concl. 57. Tusch. v. adulterium concl. 271.*

Attamen non cum ex parte sua sacrilegium cômisisse dicendum est, siquidem sacrilegium quatenus est luxuriæ peccatum pro illicito concubitu, cũ persona Deo per votum dicata patratur. Vt primo cum quis moniali professæ commiscetur, quia persolẽne votum Deo consecrata est. Secũdo si mulier cognita, uel uir cognoscens, simplici castitatis uoto sit astrictus. Tertio si religiosus professus quodlibet carnis peccatum cômittat. Quarto si sacerdos, Diaconus, vel subdiaconus, aliquod turpe perpetret delictum, cum & ij solemni continentię uoto sint ligati. *Molfes tr. 8. c. 8. num. 200. Bonac. de mat. q. 4. pun. Ho ultimo num. 3.* Non autem clericus prima tonsura, vel minoribus ordinibus initiatus, sacrilegiũ cũ Deo non sit per votum dicatus, côtrahere cẽsetur, & si Lopez. lc. cũ nonnullis aliis, flagitiũ hoc in adulterio à quolibet homine committi asserat, cum matrimonii sacramentum violetur, & ob id sacrilegii pœnam adulteris indicendam esse.

II. Q. RESOLVTIO.

QVò vero ad duplicis homicidii notam dico Tiberium non esse proprie abortus, & homicidii reum, cum hoc non intenderit, nec proximã causam ad illũ efficiendum directam præstiterit, si quidem voluntate, & proposito maleficia distinguuntur, & intentio operi nomẽ imponit. *c. cũ voluntate. ext. de sent. excom. Nau. in cõment. de finib. n. 27.* vbi ẽt ait ex Aristotele, eũ qui furatur vt adulteret, magis esse adulterum, quã furẽ. *arg. c. de occidendis 23 q. 5. & idem Nau. conf. 19. tit. de homicidio.* Ex quo etiam consequi videtur, quod licet abortum facere dicatur, qui efficit vt intẽpestiuus partus edetur, quia idem est nõ nasci, & ita immature nasci, vt viuere nõ possit. ex *Aul. Gellio l. 3. Noct. Att. c. 16. Fulgosio conf. 69. Tiraq. in l si vn. unquam vers. susceptit. num. 206. C. de reuocan. donat. & Gutierez in prax. qq l. 2 q. 100. num. 5.* Nihilominus tam à cẽsura lata a Sixto V. in Bulla Incip. *Effrenatam*, & temperata à Greg. XIV. in const. incip. *Sedes Apostolica*, quàm ab irregularitate immunis censetur, cum rem cum Apollonia habendo abortum, & fœtus animati occisionem non intenderit. Nam pœna imposita contra præsumẽtes, vel aliquid facere audentes lata, eos non comprehendit, qui absque dolo, & intẽtione illud vetitum agunt. *Card. in clem. 1. q. 39. de priuil.* Et ut *in d. conf. 19. ait Nau. & Beia ex communi sententia. p. 1. responsf. casu. 17. Regius. casu. 42.* ad incurrendam irregularitatem nõ sufficit quod causa remota extiterit, sed oportet, vt propinqua, & ad actũ directa fuerit. Sicut in simili resoluũt DD. leuiter vulnerantem irregularem non fieri, si vulnerẽ illo affectus, ex intemperãtia, uel medici incuria periit, prout de communi testans. ait *Bonac. d. 7. q. 4. p. 7. num. 16.* & rationem afferunt, quod uulnus illud non causa mortis proxima, sed remota censeri.

Secus aũt esset si Tiberius cũ ea grauida fęmina saltasset, uel alios actus noxios, & piculosos gessisset, ita ut actio illa valde propinqua fuerit, & materia quasiper se patens, & ludus illicitus, nec debita diligentia adhibita, ne abortus sequeretur, nã tunc saltem irregularitatem non effugisset. *c. sicut ex literarum. vbi DD. & de homicidio Graff. ius. l. 2. Decis. c. 63. num. 25. & Vgol. de irregul. c. 22. num. 6. Suar. tom. v. disp. 45. sect. 6. nu. 11. Bonac. l. c. puncl. 7. nume. 22. Nau. conf. 48. de homicid.*

III. Q. RESOLVTIO.

QVod autem homicidii, quod Octauianus in personã vxoris, ob adulterium cum Tiberio perpetratum commisit, reus non sit, & per consequẽs, etiam irregularitatis labem non contraxerit, hinc cõstat, quia homicidium illud præter ipsius Tiberii intentionem, remote, & per accidens est à marito commissum, de his aũt quæ per accidẽs sũt ratio à iure haberi non solet. *l. si quis necc causam. ff. si cer. pet* modo tñ non temere, sed caute, adulterium perpetrauerit, diligentiamque adhibuerit ne vir delictum illud scire posset, neque vxorem in flagranti, vt aiunt crimine, deprẽhẽdere. &c. *Filliuc. tr. 20. c. 5. q. 4. num. 141.*

Proinde resoluendum videtur, quod licet de iure, & stylo curiæ irregularitas licet occulta hominẽ beneficij, ac clericalis pensionis incapacem reddat. & consequenter illa labe affectus inualide ea recipiat, nec retinere possit, nisi obtenta dispensatione, ipsum beneficium, vel pensionem sibi ab eo qui potest, denuo conferri curauerit, vt ex côi. idẽ *Bonac. l. c. disp. 7 q. 1. puncl. 4. num. 6.* testatur, attamen cũ ex allatis supponamus Tiberium ab irregularitatis impe-

impedimēto immunē esse, tā ordinis, q̄ beneficij, & pensionis capacem esse fatendum erit. Cæterum si de ea dubitet, vt animū trāquillum reddat, ad cautelam dispensationem à sacra Romana Pœnitentiaria petere debet, cum in dubijs securior pars sit accipienda. *c. iuuenis. ext. de spons. c. ad audientiam. ext. de homicid.* ubi cōis resolutio habet eum qui dubitat, an irregularitatem contraxerit, debere se irregularem iudicare, licet Iudex coram quo accusaretur, in dubio eum absoluere teneatur. *c. cū sunt iura. de reg. iu. in 6. Nau. consf. 46. tit. de homicid. & in c. si quis necandi. de pœnit. dist. 1. arg. quod tradit Decian. in tract. crim. l. 3. c. 12.* vbi differens an dānum ex leui culpa illatum quis in foro conscientiæ resarcire teneatur, varijs relatis sententijs, hoc in animi proprij iudicium conijcit, si enim se culpabilē, & negligentem se fuisse interius sentit, cum leuem noxiā agnoscere difficile sit, restituere eū par erit, quandoquidem, ait, Christiani nomine dignus nō est, qui synderesim suam cōtemnit, cum ipsa sibi sit testis, & Iudex. Vndè, & *Filliuc. l. c. n. 42.* inquit, qđ licet homicidij occasio sit ualde remota, & p accidens, ac præter intentionem, mors sequatur, ante factum tamen, hoc est ante receptos ordines, nemini consulerem, vt absque dispensatione, se huiusmodi periculo exponeret, eos videlicet cum irregularitate recipiendi.

Porro de pœna abortum sciēter, & dedita opera procurantis, vel ad id consilium dantis, videndus est. *Farinac. tom. 2. praxis crim. q. 122. Steph. Quar. in summa Bullarij. v. abortus. Sayr. l. 3. de cens. c. 35. Graffius l. 2. decis. aur. c. 63 Peregrinus de immunit. c. 7. num. 7. & quæ nos tradidimus supra tract. 7. c. 19. q. 67. & seq. & de cas. reser. p. 3. casu 6.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. breuiter respondendo dico, quod cum absque dubio sit, Tiberium irregularitatis labē contraxisse, cum putās occidere Thomam laicū, Baptistam sacerdotem, ex ignorantia, communi luce priuauit (licet secus esset quo ad percussionē absque secuta morte. *c. si vero. de sent. exc.*) & necessariò sit à Romana curia petenda sit dispensatio, quæ tamen difficile obtineri solet, si homicidiū ex proposito sit commissum, homicidij qualitas in supplicatione, & libello exprimenda non est, nec aliàs gratia inualida foret, non explicando id, quod de iure nō aperiendum erat, nempe sacrilegium in sacerdotem ignoranter perpetratū, vt est communis DD. sentētia, ex notatis *p scribētes in c. super literis. ext. de rescriptis. Bonac. d. 1. q. 2. par. 5. & Salas de leg. d. 20. sect. 15. dub. 4.*

QVAESTIO XV.

Episcopus an non professum oculi sinistri vi carentē ordinās peccet, & in censuram, irregularitatēque incidat. An reliquias sancti nondum canonizati publice exponere queat, & diem festum in eius honorem instituere. Vtrum supra numerū possit puellam aliquam in monalium monasterium admittere. Numquid monialem 40. annos non agentem, & illegitimam Abbatissam creare valeat, itemque statuere, vt vltra triennium in officio permaneat. An eum ordinato per saltum dispensare valeat?

GRegorius Episcopus, Primo Simonē regularem non professum, & visiua virtute in sinistro oculo carentē, sacro Subdiaconatus ordine initiauit. Secundo reliquias cuiusdam sancti antiqui, nondum tamen in sanctorum numerum relati, vel vt dicunt, canonizati, publice exponi iussit, solēnesque preces ad eū porrigi permisit, atq; diem festū in eius honorem coli præcepit. Tertio mandauit vt Dorothea puella in quoddam monasterium sacrarum Virginū admitteretur, illum excedēdo numerum, qui vel ex proprijs cœnobij redditibus, vel ex cōsuetis elemosynis cōmode sustentari posset. Quarto in eodem loco Franciscam nondum 40. annum agentem, & illegitimam, ac natalium defectum patientem, simul cum sororum cōuentu, in Abbatissā, vltra tres annos, elegit, ac creauit, & post in officio transactum triennium, & amplius, eam cōfirmauit.

Quinto cum Anastasius subdiaconatus ordine esset initiatus, & absq. Diaconatus susceptione, & inscio eodem Gregorio, ad sacerdotium esset promotus, & in eo celebrauerit, re ad eius aures plata, cum ipso misericorditer dispensauit, tàm ut omissū ordinem susciperet, quàm vt in suscepto nempe sacerdotio ministraret, ac vt bñficiū obtinere posset.

Quæritur an in his quinq. casibus lethalem culpam contraxerit, & etiam an in aliquam cēsuram, & irregularitatē inciderit, actūq. irritū fecerit? &c.

SVPPOSITA, ET PRAENOTIONES.

I. SVPPOSITVM.

REsp. Suppono Primo ad ordines rectè suscipiendos multas conditiones requiri: nam Primo (prę̄ter baptismū, qui ad essentiam ut clarū est, exigitur) confirmationis character prærequiritur, ita vt illum omittere tàm Episcopo ordinanti, quàm ipsi ordinato venialis saltem sit culpa. *Barbosa. de cōmuni atte stanis. de Episcopo. par. 2. alleg. 2. num. 15.* Secundò debita intentio ordinē suscipiendi, & Deo seruiendi, non autem tantum secularem forum declinandi

clinandi. *ex Concil. Trid. sess. 23. de refor. c. 4.* Tertio legitima ætas, nam aliàs ordine sacro ante debitam ætatem initiati, suspensione, donec à Papa absoluantur, afficiuntur, ex Bulla Pij II. Incip. *Cum ex sacrorum, ut per Quar. in sum. Bull. v. ordo. Bonac. de ord disp. 8. q. 1. pun. 5. nu. 12.* Quarto morum probitas Episcopi iudicio, de qua bonum testimonium initiandi habere debet. *Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 5.* Hinc Episcopus improbæ uitæ homines ad ordines admittens, nullamq. in hoc, aut paruam diligentiam adhibẽs, lethaliter animam suam sauciat, *c. pen. de ata. & qual. Archid. in c si qui. 1. q. 1. Tol. l. 5. c. 4. Sixtus V. in Bulla incip. Sanctum. Sayrus. de cẽs. l. 4. c. 12. num. 29. Marc. Ant. Gen. in Man. Past. c. 55.* Quinto sufficiẽs sciã ad cuiuscũq. ordinis vsum. *Cõcil. Trid. d. sess. 23. c. 11.* Quę qdẽ ita necessaria est, ut si absque illa Episcopi ad ordines promoueant, & consequentur si Examinatores, per quos eos iudicare debent, illos approbent, mortaliter peccent; cũ in re grauissima Conc. Trid. præceptum violent, & indignis ordines conferant, ut est cõis DD. sensus. Sexto ut sacri ordines statutis ab ecclesia temporib. recipiantur. *c. 3. de temp. ord. Conc. Trid. d. sess. 23. de refor. c. 8.* Septimo, ut non tantum, in maioribus, sed etiam in minoribus ordinibus temporum interstitia seruentur. Idem *Conc. c. 11.* Octauo ad sacros ordines euehendis titulo opus est, *sess. 21. c. 2. de reform.* Et triplex est. Primus bñficij. Secũdus patrimonij, vel pensionis. Tertius paupertatis, quo tãtum regulares professi ordinantur, ut patet in Const. Pii V. Incip. *Romanus Pontifex*, vbi sine professione ordinati ipso facto suspensi sunt, & ita ordinũ susceptorum actus exercendo, irregulares fiunt. Et ipse Episcopus sic conferens per annum pariter à collatione ordinum, quos contulit, suspensus est. &c. *Sayr. l. 4. de censur. c. 12. nu. 21. Bonac. d. 3. p. 5. §. 2. nu. 6.* Nono requiritur, ut ordinandus sit in gratia, & cũ debitis uestibus ad ordines suscipiendos accedat. Decimo necesse est, ut ordinandus nullo canonico impedimento detineatur, nẽpe ut nõ sit aliqua cẽsura irretitus, cum censura non solum ordinis susceptione, sed etiam iurisdictione priuet, hinc collatio beneficij facta ab Episcopo, uel eius Vicario, notorie excommunicato, non ualet, imo sic conferendo irregularis fit. *Brozius de Vicario. lib. 3. q. 17. Barb. de Episcopo. p. 3. Alleg. 54. num. 147.* Item irregularis esse non debet; sic .n. v. g. spurius & ille q debita mẽbrorũ integritate caret, à iure arcetur. *c. hinc etenim. d. 49.* Vnde etiam apud Ethnicos lege cautum erat, ut sacerdos integer esset, & tanquã mali ominis res erat, si perfecti corporis non esset, ut tradit *Plin. l. 7. naturalib hist. c. 28. Lopez in scholiis ad Diaz. c. 17. idem Barb. alleg. 10. num. 12. Tiraq. l. 2. connub. n. 39.* De his omnibus uideatur *in 1. p. tract. 1. & 2.*

II. SVPPOSITVM.

Secundo suppono ex *Conc. Trid. sess. 25. de inuocat. sanct.* Nulla ad Episcopo admittenda esse noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbãte; qui simul atq. de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in cõsilium Theologis, & aliis peritis uiris, ea faciet, quæ ueritati, ac pietati consentanea iud cauerit.

Non tamẽ ei facultas adimitur, informationes, ut dicunt, miraculorum faciendi, cum in hoc munere, & actu, tria aduersa considerari possint. Nempe beatificatio, per quam uir pius defunctus, beatus, ac cęlestis patriæ ciuis, declaratur. Secundo canonizatio, per quam sanctorum numero publice quis ascribitur. Tertio informatio. Primus, & secundus actus summo Pontifici reseruatur. *c. 1. & 2. de reliq. & ven. sanct. & c. 1. ead. ti. l. 6.* Vbi gl. quinque rationes adducit. Primo quia causa est de maioribus. Secundo, quia miracula fidei attribuuntur. Tertio quia sacræ Scripturæ dubitationes ad Papæ declarationẽ spectant. Quarto ne in infinitum numerus fiat, & fidelium deuotio uilescat. Quinto ne per aliquorum Episcoporum simplicitatem, uel negligẽtiam, quis pro sancto habeatur, qui re uera non est. *Azor. p. 2. l. 5. c. 6. Mascard. v. canonizatio. conclus. 261. Tusch. eodem v. concl. 41.* Potestas aũt examinandi miracula, & uitam in sanctos referẽdi, Epo competit. *Mar. Ant. l. 1. var. resol resol. vlt. casu 42. Barb. p. 3. alleg. 97. Gen. in Prax. Neap. c. 60.* Siquidem sup miraculis, quæ ad beatificationem, & canonizationem alicuius requiruntur, testes diligentissime examinãdi sunt. Nec sufficit aliquem de uno miraculo, & alterum de alio deponere, sed requiritur utuirtutum, ac miraculorum frequentia à pluribus testibus probetur, ut per Innocent. III. in Bulla incip. *Quia pietas*, ubi agens de canonizatione D. Homoboni, dicit duo requiri, nempe opera pietatis in uita in numerum sanctorum ascribendi, & miracula post mortẽ perpetrata, ut petiã *Mascar. v. miraculum. concl. 1060.* Et nõ probant, nisi etiam rationem reddant, quia hæc naturæ uires superant. De quorum conditione est, ut non solum præter consuetudinem, ordinem, & ipsius naturæ facultatem accidant, sed etiam ut subito in instanti, & perfecte fiant. *D. Thomas. in 3. p. sum. q. 44. ar. 3. Gen. l. c. & Zerula in Praxi Episc. p. 1. v. miraculum. Io. Franc. Paninus. in relatione facta pro D. Bonan. par. 2. ar. 1. ut habetur in 2. p. suorum operum. Cassaneus. in catalog. glor. mundi. p. 3. cons. 49. Malnet. in tract. de canonizat. sanct. dub. 3. & Rocha eod. tract. c. 38.*

Hinc sequitur, quod licet aliqui senserint, sacrosanctam ecclesiam in sanctorum canonizatione errare

rare posse, quia aiunt, hominum testimoniis, quæ falla esse possunt, uti solet, contraria tamen sententia tanquam uerior magis, ac omnino cõprobanda, ac prædicanda, à Christi fidelibus tenenda est, eo potissimum ratione, quod ecclesia in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, in errorem labi nõ potest, vti omnia concilia sanciunt, & Catholicorum vniuersalis schola docet: canonizatio autem, & miraculorum probatio, inter maiores causas adnumerantur, & ipsa miracula, tam diligenter examinata, rem euidenter credibilem faciunt, ita ut qui in hac re asserere auderet, summũ Põtificem errare posse, si non hæreticus esset, ut aliqui tenuerunt, saltem ue lut ualde temerarius per ecclesiasticos Iudices puniẽdus foret. *Melchior Canus de locis Theol. l. 5. c. 5. Azor. p. 2. l. 5. c. 6. q. 5. Bellarm. tom. 1. de Beat. sanct. l. 1. c. 9. Vinald. in Cand. aur. p. 3. c. 17. Felyn. in c. venerabili. ext. de testib. Tusch. in d. v. canonizatio conclus. 41. Syln. v. canonizatio. Reginald. in Direct. Inquis. p. 2. cõment. 42. Cou. l. 1. var. resol. c. 10. Roccha de Canoniz. sanct. c. 39. Cherub. in Appẽd. ad Adrian. 6. Const. 5.* & alii communiter.

III. SVPPOSITVM.

Tertio supponendum est. *c. 1. § sane. de stat. reg. in 6. Conc.* Trid *sess. 25. de reg. cap. 3.* Pio V. in Const. Incip. *Circa Pastorales officij*. Gregor. III. in sua, quæ Incipit. *Deo sacris* diuisim præcipi, in monasteriis tàm uirorum, quàm mulierum illum tantum numerum religiosorum, ac religiosarum consti tuendum esse, qui ex propriis monasteriorum reditibus, uel ex consuetis eleemosynis, pro modo, & facultate loci, commode sine penuria sustentari ualeant. *Bellarm. de gemitu columba. l. 3. c. 6. Vmbert. in reg. D. Aug. c. 19.* Siquidem ex Philosophi sñia, sine necessariis impossibile est uiuere, & uita sine uictu non est uita. Et rerũ inopia, ad multa indigna perpetranda impellere solet. *Eccl. c. 27.* & *Prou. c. 30.* Multa sunt, ait *Lact. Firm. l. de ira Dei. c. 20.* quæ ad peccandum irritant, ætas, violẽtia, egestas, occasio. Ex quo est illud Sillii Italici

Sceleri proclinis egestas. Vt propterea etiam *Philemon Comicus apud Stob. serm. 94.* dixerit, inopiam in perpetrandis malis promptam esse. Hinc *Plato in 8. de Republ.* Perspicuum est, inquit, qua in ciuitate mendicos uideris, in ea fures, crumenarum sectores, sacrilegos, & omnium huiusmodi malorum opifices latitare.

Adde quod religiosorum status debet esse à secularibus curis liber, at necessariis ad sustentationẽ deficientib. ualde illis implicanẽ, quò eadẽ, quę necessaria sunt, comparare valeant. Insuper magnum æs alienum mutuo ad alendos religiosos, ac religiosas conflare cogentur, quod postea soluendo nõ erunt, ac proinde creditoribus iniuria, & damnum irrogabitur. Præterea regulares mares non ita libere spiritualia munia, cõfessiones excipiendo, & conciones habendo, obire poterunt, cum eleemosynæ per importunitatem extortæ hanc libertatem impediant. Et tandem moniales turpi virorum familiaritate vtentur, necessitate quærendi victus instigante. *Nauar. de red. eccl. q. 1. monit. 62. Roder. tom. 2. qq. regul. q. 48. ar. 1. Quar in sum. Bull. in v. monasteria monialium. Zerula in praxi Episc. p. 1. v. moniales. Azor. p. 1. l. 13. c. 9. q. 1. Campan. in diuers. iur. can. Rub. 12. c. 16. num. 17. Sanch. l. 7. de praecep. c. 23.* Vbi etiam tradit qualiter peccent Prælati religionum peculio habendo causa dantes, plures admittendo, quàm qui ex monasterii redditibus aut consuetis stipibus sustentari valeant; Et quomodo hæc Decreta vsu sint temperata.

Vtrum vero cum expletus est numerus personarum religiosarum, quæ ex annuis redditibus monasterii ali possunt, aliqua sufficienter dotata, cum sua dote supra illum numerum admitti queat? affirmãt *Nauar. l. c. & Suar. tract. 3. de relig. l. 4. c. 9. num. 17. Reginal. l. 23. nu. 194.* resoluentes textum *Cõc. Trid.* cum similibus, intelligendum esse prohibere ne qñ plures fœminas monasterium sustentare nequit, quàm in eo iam sunt, aliæ sine dote monasterii expensis alendæ non admittantur. Quibus fauet consuetudo optima legum interpres.

An etiã moniales vitalitios redditus, uel census habere possint, quos de more parentes eis assignare solẽt? Dico quod si Superior, & Abbatissa, seu Præfecta eis permittit, ut pro suis necessitatibus, illis utantur, & in necessarios, ac honestos usus insumant, tuta conscientia uti poterunt. Sed nullatenus alteri de eis dare etiam intuitu eleemosynæ licebit. *Syluest. v. religio §. 6. num. 7. Nauar. de reg. Comment. 1. nu. 12. Cherub. schol. 1. ad Bullam 3. Bened. XII. Miranda de Monial. q. 9. art. 1. & 2. Ioannes de Cruce. de statu relig. l. 1. c. 3. dub. 2. Beia p. 4. respon. casu 17. Sanch. l. 7. de pracept. c. 22. Barb. par. 3. alleg. 103.*

IV. SVPPOSITVM.

Qvarto supponendum uidetur, ex sanctione *Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 7.* Abbatissam, seu fœminarum, & sanctimonialium Præfectam, nõ debere esse minorem 40. annis, & quę post expressam professionem, octo annis laudabiliter uixerit; aut minimum si & alia commode haberi non possit, quæ trigesimum annum excesserit, ac quinque saltem annis post professionem in religione recte vitã transegerit. ut etiam tradunt *Roder. tom. 1. qq. reg. q. 15. art. 3. Miranda de Monial. q. 6. art. 4. Zerula in*

Praxi

Praxi Episcopali. par.1.v. Abbatissa. Azor. p.1.lib.13. c.10. Garzias *de benef.par.7.c.4.num* 71. vbi ait qđ illi 40. anni qui in eligenda in Abbatissam requiruntur, debent esse completi, licet alij dicant sufficere, si sint incepti, ex regula, quod tempus, seu dies incepta in fauorabilibus pro cōpleta habetur, præsertim quando tempus est per annos designatum. *l. qua ætate. ff. te stam. Pars f. de resig. benef l.12.q.8. num.26. Sanchez l.2. de mat.q.24.nu.22. Nald. in v. annus num.6. & v. tempus num.*3. Addit idem Garzias non posse Episcopum, vel Nuntium in ea Abbatissæ ætate dispensare, cum inferior superioris legi derogare nequeat. *c. cū inferior. ext. de maior. & obed. arg. Tusch. in v. Abbatissa. concl.26.*

Cæterum hæc 40. annorum ætas in Monialium Præfectis, ideo statuta, ac requisita videri potest, quia ętatis maturitas ad tàm graue munus necessaria fit: ętas autem 40. annorum, vt ait Dionysius *l.2. Rom. Antiq.* prudentiæ, experientiæ, vt solidę doctrinæ tribuitur. Et vt tradit *Aristoteles l.7. Polit.c.6.* tunc potissimum mens, & intellectus viget, vt etiā obseruauimus *in comment. de stat par* 1.c.24. vbi etiam tetigimus quænam sit eiusdem Præfectæ potestas, & iurisdictio, de qua post nos videatur. *Sāch. l.6. de præcept. c.* 1. *Nald. v. Aabbtissa.*

Nec solum hęc competens ætas in ea exigitur, sed etiam necesse est, vt ex legitimis natalibus sit orta, nam quamuis illegitimę fœminæ ad religionem sicut & illegitimi mares admitti possint, à Pręlatura tamen arcenda est; siquidem Abbatissa vero dignitatis & Præsulatus officio fungitur in omnibus illis, quorum fœmina capax esse potest, eo vel maxime, quod eadem ratio, quæ in masculo, in ea militet, nempe timor imitationis paternæ incontinentiæ *glos. in.c. fin. de filiis presb. l.6. & in c. si quis cum militibus 6.q.*1. Vnde, *& Virg. in Bucul. eclog.*1.

Sic canibus catulos similes sic matribus ædos.

Cuius auctoritate *Columella lib.*3. rei rusticę, nihil, inquit, dubium, quin ipsa natura sobolem matri similem esse voluerit, in idque alia quędam scribit, & ad vineta etiam trahit; ut late prosequit *Tiquel. l. 5. connub.* Qua etiam ratione aliqui dicunt viduam in Prælatā eligi non debere, quia esse non potest cōtinentiæ efficax adhortatrix, quæ, vt aiūt, per matrimonium naufragium fecit, &c. Virginū tamen monasterium viduas, vt priuatę moniales fiant, recipere nō prohibetur. *Nald. v. Virgo. nu.*10. *Barb. de Episcopo par.3. Alleg.* 192. *nu.*67. Solus autem summus Pōtifex seclusis religionis priuilegijs, in his sicut cum religiosis viris dispensat. At Generales, ac Prouinciales Præfecti ordinū Mēdicantiū ad dispensandum cum monialibus sibi subditis priuilegio gaudent, vt nō obstāte illegitimitatis vitio Abbatissæ officio fungi valeāt, vt per. *Roder. tom.*1. *qq. regul. q.*13. *art.*22. *& Sanchez de præcep. l.*1. *c.*5. *num.*20. *& Nald. v. Abbatissa num.* 2. & alios.

V. SVPPOSITVM.

QVinto illud etiam præmittendum duximus, ex *Bulla Greg.*13. *Incip. Exposcit debitū.* sancitum esse, vt nulla monialium Præfecta possit in ullo officio persistere, nisi ꝑ triennīū, nec vnquam confirmari valeat, nisi ad tantundem temporis vacauerit, & tunc accedente cum̄ gratum suffragio sāctimonialium.

Nam Apostolica sedes religiosarum pijs precibus inclinata, videns Prælatas esse in sorores dominantes, & cum austeritate eis imperare (vt in maribus etiam Præfectis multoties cernere licet. Est.n. ut alibi dixi, Aristotelis sententia *l.8. Ethic.c.*10. Patris imperiū apud Persas esse tyrannicū, eo quod suis filijs, vt seruis vtuntur) prudenter statuit, vt Abbatissæ minime perpetuæ, sed temporales essent. *Roder. tom.1. qq. regul. q.16. art.1. Mirād. de Monial. q.7. art.9.* Quippe *ex Cicer. ep.1. ad v. Frat.* Nihil est tam deforme, quàm ad summum imperiū etiam naturę acerbitatem adiungere. Scite Gaspar Slichius trium Cæsarum consiliarius, optare se dicebat Reges, & Principes aliquando priuatos, & pauperes fuisse. Nec enim satis miseretur, qui nunquam fuit miser, nec alteri obtemperauit. *Æneas Syl. de gest. Alph. c.*33. Magistratuū calcei olim apud Romanos fibulis eburneis, lunæ imaginem referentibus muniti fuerunt; vt rerum humanarum admonerentur, modo feliciter, statim cōtrario cursu fluctium, vicissitudinem, cauere, ac prudenter ponderandam, neque solo potentię nomine, magnos spiritus sumendos esse; luna enim cum iam clarissimam cādoris speciem præfert, iterum cōsenescens obscuratur. Et ut ait Catul. apud Dionem, Imperandi, parendique vicissitudo, fastuosas mentes, glorięque cupidas reprimit, neque nimia potentia inebriari sinit.

Porro Præfecturas tā in maribus religiosis, quā in fœminis non debere esse perpetuas, sed vicissim distribuendas, ex varijs iuribus tradidimus in *Comment. de hum. vita stat. part.1. c.*22.

I. Q. RESOLVTIO.

HIs sic pro suis principijs, & fundamentis iactis, Primæ quæstioni resolutorię respondendo dico, quod dum quæritur an Gregorius Episcopus Simonem regularem nondum professum, & virtute visiua in sinistro oculo carētem, ad Subdiaconatum ordinando, lethaliter peccauerit, & an aliquam censuram, & irregularitatem, cōtraxerit, dico in-

co inquam, cum si scienter hoc fecit propriam animam mortifere sauciasse, & in suspensionē à collatione illius ordinis per annum incidisse, & per cōsequens si ord nem à quo est suspensus, temere exercuit, irregularitatem contraxisse, vt patet in *Constit. Greg. 13. Incip. Romanus* in illis verbis, In virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pęna interdicimus, ac prohibemus, ac contrafacientes per anum à suspensione talium ordinum suspēdimus. Siquidē, vt ai bi aduertimus, quando nam lex ecclesiastica sub mortali obliget, colligitur Primo ex legislatoris mente in re graui. Secundo ex verbis præceptiuis, iubemus, prohibemus, &c. Tertio ex graui pœna spirituali, vt sunt censuræ, excommunicatio, suspensio, & interdictum, & ēt temporali vel corporali, vt pœna mortis, vel mutilationis, exilij priuationis publici officij, amissio multorū bonorum, ut 100. vel 50. aureorum: & si aliqui probabiliter sentiant pœnam pecuniariā, vel fustigationis, si contemptus desit, mortalem culpam non inducere, præsertim quando transgressio est ita secreta, vt nulli morali periculo transgressor exponatur. *Bonac. de leg. d. 1. q. 1. pun. 7. d. 4. Molfes. l. 9. c. 9. num. 32.* Dixi vero supra, si scienter hoc fecit, quia vt ait. *Sayrus l. 4. de cens. c. 12. num. 29.* Episcopus, qui debitam diligentiam adhibuit, quominus aliquem minus habilem, aut defectum patientem, ordinaret, pœnas iuris non incurrit, puta si quis ordinandus cum falsa informatione accedat. Sicut n., ipse Papa, vt homo per falsos testes decipi pōt, & vt ait, male informari, ita etiā Eps in errorē induci, quę deceptio ei ad culpam ascribēda nō erit, modo prius debita ac morali diligentia vsus sit, timidæ. n. & incertæ sunt humanæ prouidentiæ. *Sap. c. 9.*

Quò ad posteriorem partem dico, quod Simō carens uirtute uisiua in sinistro oculo, siue canonis si tāta ut in dextero polleat, ut sine deformi faciei conuersione canonem legere possit, irregularis non erit, & consequēter Episcopus eū ordine insigniēs à culpa immunis erit. *Nau. c. 27. num. 199. Tol. l. 1. c. 57. & seq. Fellinc. tr. 19. c. 9 q. 4. num. 167. Reginal. l. 30. num 49. Belletus in Disq. cler. de uit. corp. §. 7. num. 29 Barbosa de Episcopo. Alleg. 42. num. 31. Sayr. de cens. l. 6. c. 8. num. 8.*

Si autem ille defectus irregularitatem, pareret, ut quia usū, & ordinis exercitiū impedit, uel notabilem deformitatem gigneret, Episcopo super ea dispensare nō liceret, sed Apostolica sedes esset cōsulenda, ut est commune scribentium placitum.

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. qua quærebatur, an peccauerit Gregorius Episcopus, dum pi juiri nōdum ab Apostolica sedę inter sanctos relati reliquias approbauit & publice colendas exposuit, dico eum à graui culpa non excusari, cum nullo modo Episcopo liceat, reliquias etiam Sctī antiqui, nondum in sanctorum numerum cōptati, approbare, nec eas publice uenerandas exponere, neque festum pro eius cultu instituere, probatur in *c. fin. ext. de reliq. & uen. sanct.* quatenus habet, reliquias denuo inuentas publice absque summi Pontificis facultate non esse adorandas. Quę decisio ex Concil. general. Later. desūpta non est ablata per *Conc. Trident. sess. 25 de inuocat. sanct.* Si tamen de nouo alicuius sancti rel quiæ inuentæ sint, qui iam pridem sanctorum catalogo adscriptus fuerat, etiā publice coli possunt prius tamen Episcopo recognoscente, & approbante.

Cultus vero priuatus alicui nō canonizato, qui cum opinione sanctitatis ex longo tēpore, &c. obijt, adhiberi pōt, ut pura priuatim eius reliqas adorare, & uenerari, se eius precibus commendare, eius imaginem pingere, &c. iuxta Decretū S. *Cōg. Card. iussu* Vrbani VIII. editum *Incip. Sanctissimus. D. N.* ut annotauimus infrà in *art. cōcionat. & Episcop.* Quod si à summo Pontifice esset beatus declaratus, Breue concessionis, & forma declarationis attenditur, à quibusnam possit diuinum officium in eius honorem recitari, & quodnam sacrum in die eius obitus celebrari, nam certa regula in hoc tradi nequit. *Sanch. de præcept. l. 2. c. 43. num. 10. Azor. par. 1. lib. 9. c. 8. q. 8. Bellarm. l. 1. de sanct. beat. c. 10. Molfes. tom. 2. ad cōs. Neap. cons. 45. & in summa tr. 11. c. 6. n. 51. Barb. de Episcop. par 3. alleg 97.*

III. Q. RESOLVTIO.

TErtię q. ppositę, an Gregorio Episcopo licuerit Dorotheam in illud monasterium admittere ultra consuetum munerum, qui ex proprijs reditibus, uel consuetis eleemosynis, sustentari possit, mihi respondendendum uidetur, lethiferam noxā cōtraxisse, cum sacrorum Canonū, & Pontificiarū Cōstitutionū transgressor fuerit, ut cōstat ex *Nau. in c. Statuimus num. 57. 19. q. 3. Zerula in Praxi episcopali par. 1. v. moniales. §. 6. Sanchez l. 7. de præcep. c. 23. num. 3. Barbos. par. 3. de Episcopo Alleg. 98. nu. 3.* Qui aiūt, Ordinarios locorum sub pœna peccati mortalis ad id non faciendum obligari.

Nihilominus alicubi praxis prædicta iura, & prohibitionem in hūc sensum interpretatur, vt non plures nouitiæ sine dote recipiantur, ita vt postmodū monasteriorum expensis sustentari debeāt, adeo vt causa esse possit, vt clausura, & regularis obseruantia tātopere præcepta, vix, aut nullatenus cōseruari queat, p vt diximus in 3. suppositio: cui interpretationi cōsentit ēt *Nau. de redit. eccles. q. 1. monit. 62.*

&

& Miranda de Monial.q.8.art.6. Et quamuis iure antiquo.*c.1.§ fane.de statu regul.in 6.* Professio monialis recepta in monasterio non Mendicantium ultra earum numerum,&c.irrita esset; hodie tamen hoc Decretum quò ad hoc locum non habet, cum usu compertum sit,plures sæpe admitti, nec vnquã nostris temporibus auditum sit,nedum illam irritari,sed nec eius ualorem in controuersiam uetti.ut per *Sanchez.l.c.*

IV. RESOLVTIO.

Quartæ q.satisfacimus dicendo, hunc Episcopum in lethalis culpæ reatum incurrisse,cũ Franciscam nõdum 40.annum agentem, & illegitimam,in Abbatissam sciens elegit,cum aliam his defectibus carentem,&etiam idoneam,in eodem monasterio huic muneri præficere poterat; & præter hæc,ab eo gesta non valere, saltem ex eo capite,quod defectum in natalibus patitur,nam attento iure communi,& seclusis religionum priuilegijs,vt illegitimus (aliàs irregularis) in religione, uel extra illam Prælatus fiat,Pontificia exigitur dispensatio. *Graffius l.4.decis.c.27.nu 54.* Quod constat ex *c.1.ext.de fil.presbyt.* Ibi Prælationes nullatenus habeant,quæ dictio reddit actum contra gestum nullum.ut per *Gloss. Imol.& Card,in clem.2.in v nullo modo.de ata,& qualit. Sanch.l.6.de precept. c.5.nu 17.* Et certum est, dispositionem legalem,et pœnalẽ,loquentem de masculis,ad fœminas quoq; extendi,cum eadem ratio militat.ex *Dec. & Cagn. in l.fœmina ff.de reg.iur.vt idem Sanch.ibi num.19.* Atque ea quæ de religiosis uiris disposita sunt, censeri etiam de monialibus constituta, quò ad ea, ut aiunt,proportionabilia.*c.fin.vbi Abb.nu. 5. de stat. monach. Roder.tom.3.qq.regul q.52.art.6. Cherub. n schol ad Bull 46.Clem.8.*

Dico pariter mortifero flagitio,ac scelere se obstrinxisse,& actum nullum fecisse, si data opera ipsam Franciscam ultra triennium Abbatissam creauit,& confirmauit,cum aperte Greg.XIII.Constitutionem violauerit,quæ ut supra præmisimus,sanxit,ut Præfecta nullo modo possit in officio, nisi per triennium persistere,nec vnquam cõfirmari ualeat, nisi ad tantundem temporis uacauerit,&c. *argum. idem Sanchez lib.6.de matr.disp.32.nu.7.Mirand. de monial q.7.art:9.*

Quippe iniustum est ut una semper ad gubernacula sedeat,cui æquales semper sentinã exhauriant. Hinc Nilus Abbas in *tract.de nimis diuturna Præfect.* Tradunt,inquit,rerum naturalium obseruatores, gruum triginta dies commune auium agmen ducere,deinde alteri idem munus tradere.Qui nũc gregi tuo præest,ambitiosus, imperandique cupidus,ut audio,expleto de more iam anno ministerii sui,non permittit,ut alius regendi munus,curamq; suscipiat. Et quid dicemus ad hæc? hæc ille. *Vt ostendimus in Comment. de hum.vita stat par.1.c.22.*

V. RESOLVTIO.

Ad 5.q.dum quærebatur an Gregorius Episcopus dispensare potuerit cum Anastasio, qui per saltũ, omisso Diaconatu, sacerdotium suscepit, &in illo celebrauit, ac beneficium accepit. Dico q cũ idem Anastasius ab executione suscepti ordinis suspensionem contraxerit, & administrando irregularis sit factus, eum lethalis culpæ reum effectum fuisse, licet reuera sacerdotalem characterẽ receperit,quia per se ex inferiori charactere nõ dependet; atque ita Episcopum dispensare non potuisse cum hoc ad solum Pontificem spectet. *ex c.1. de cler.per salt.promoto,& ex Cõc.Trid sess.23.de ref. c.14. Sayr.l.4.de cens.c.14.nu.26. Filliuc. de cens.tr.17.c.5.nu.92.* Vnde cum beneficium ei suspenso, & irregulari sit collatum,dicendum est prouisionem ad eius fauorem factam non subsistere. ut p *Garziam p.7.c.14.nu.3. Flam.Paris l.4. de resign.q.2.nu.100. Barbos.p.2.de Episc.alleg.47.* Addit uerò *Filliuc.l.c post Suarez.tom.5.de suspen.d.31.sect.1. nu.59.* qđ si quis suscepisset per saltum episcopatũ, hanc suspensionem non incurreret, quia Episcopi in generalibus suspensionibus nõ cõprehenduntur; si tamen sacerdotalis ordo prætermissus esset,consecratus non remaneret, quia Episcopalis character essentialiter sacerdotalem non alios requirit.

CAP. IV. QVÆSTIO XVI.

Vtrum Sacerdos vẽdens triticum ei,quem scit ex statu Ecclesiastico exportaturum.p.m.& in excõicationem,& irregularitatẽ incidat. An dubius in fidẽ sit hæreticus & si amico mentalem illam dubitationem pandat,excommunicatione innodetur in Bulla Cænæ Domini contenta. Parochus peregrinans sine Episcopi licentia,an p.m. Et num sine commendatitijs literis celebrare possit. Et quid de Æditu is quibus sub pœna suspẽsionis prohibetur ne sacerdotes peregrinos,absq. dictis literis celebrare permittant. Pœnitentiarius Episcopi an ab occulta hæresi, & ab alijs casibus occultis Papæ reseruatis absoluere,& super irregularitate dispẽsare valeat. Vtrũ absoluens à casu de quo dubitat, an sit summo Pontifici reseruatus,p.m.& incidat in censurã in Decreto Clementis VIII. latam. An ei,qui per annum in excommunicatione perstitit,valeat absolutio data à Papa in impetratione beneficii ad effectum gratiæ consequendæ?

Alphonsus Parochus v.g. Imolensis, triticum quod sibi, & suæ familiæ superfluum ex suæ eccle-

ecclesię prædiis collegit, Andreę v.g. Mutinensi rei frumentariæ negotiatori vendidit, sciens quod inde extrahens in alienam ditionem delaturus erat; bisque sic celebrauit, aquam consecrauit, & cuiusdã matrimonii celebrationi interfuit. Nec non cum rē sacram faceret, de ueritate sanctissimi Eucharistiæ sacramenti statim post consecrationem se dubitasse fatetur; & postmodum eo die, cum Alberto Theologo, & amico suo conferendo, hanc internam dubitationem prodidit. Cum autem Mediolanũm D. Caroli sepulchrum ex pietate visitaturus, sit profectus, & sine cõmẽdatitiis, vel dimissorialibus, ut vocant literis, ex sua vrbe discesserit, postmodũ domũ reuersus Michaelem suũ Parochianũ, & nobilem uirum, qui legerat quendam librum de Astrologia iudiciaria tractantem, dubius an per hoc Pontificiã excommunicationem contraxisset, in sacramentali confessione absoluit, & postea bis celebrauit. Tandem Blasio clerico, qui ob non solutam quandam pẽsionem Geminiano, excommunicatus fuerat, & per annum in illa censura insorduerat, petenti an cũ à Papa collatũ ei fuerit beneficium cum clausula, Teque absoluentes, &c. ualeat collatio, valere respondit. Nunc de multis dubitare contingit. Primo an illud frumentum sic vendẽdo lethaliter deliquerit, & in excommunicationis censuram à Paulo Quinto, & Gregorio Decimoquinto, in suis Constitutionibus latam inciderit, irregularitatem contraxerit, & an illud matrimonium valeat. Secundo an ambigendo de augustissimi Eucharistiæ sacramenti veritate, hæresim commiserit, & censura in Bulla Cœnæ Domini contenta sit innodatus. Tertio nùm sine testimonialibus literis sacrum faciendo m.p. & Aeditui, quibus sub suspẽsionis pœna prohibetur, ne aliquem absque illis celebrare permittant, pariter culpæ rei fiant, & suspensionis censuræ subiiciantur. Quarto nunquid tàm ab his peccatis, & censuris si in eas incidit Alphonsus, absolui possit à Pęnitentiario, v.g. Mediolanẽsi, si in eum Archiepiscopus in foro conscientiæ, omnẽ suam authoritatẽ transtulit: Et pariter an in irregularitatibus, si his affectus est, ab eodem dispensari queat. Quinto an cum absoluerit à casu, de quo anceps, & dubius erat, an Summo Pontifici reseruatus esset, lethali culpa se obstrinxerit, & in excommunicationem inciderit in Decreto Clementis VIII. latam, & cum postea rem sacram fecerit, vtrum in irregularitatẽ inciderit. Sexto an recte responderit Blasio interrogãti, nũ ualeat collatio beneficii, &c.

I. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q prænotionibus omissis, resolutorio stylo more nostro respondendo dicimus, quod etsi Alphonso integrum sit sine negotiationis nota, uel necessitate non prematur, res quas ex Ecclesię fundis percipit, vẽdere, & alienare, ut uinum, oleũ, frumentum, poma, ligna, & alia. *vt per Steph. Quar. in summa Bullarii in v. vectigal. §. similiter. & Vgol. de off. Episcop. c. 13. §. 16. Tusch. in v. negotium. conclus. 38.* Non tñ illi uendere frumentum ei licuit, quem illud extra Ecclesiasticum statum delaturũ sciebat: hoc enim prohibitum est per Bullam Pauli V. Incip. *Inter grauissimas curas*, & hoc quidẽ quò ad frumentum, blada, legumina, & oleum, sed quò ad alia ad grassiã, ut uocant, & annonam, pertinentia, temporales pœnas instaurat, ut latius in eodem continetur. Nouissime uero Greg. XV. in Constit. Incip. *Romani Pontificis prouidentia*. statuit excommunicationem, & censuras eos non incurrere, qui frumenti, & alias huiusmodi annonæ species extra statum ecclesiasticum in certis casibus extrahunt. *vt per Nald. in v. extrahere. n. 5. & 6. & Filliuc. tom. 1. tr. 15. c. 6. nu. 157. & seq.* & nos tetigimus *sup. tr. 10. c. 1. q. 1.* Quò fit ut non solum lethalem culpam committant, & in prædictas pęnas incidant; illi qui per se extrahunt, uel extrahi curant, sed ẽt qui huiusmodi iniustæ actioni, quoquo modo cooperãtur, uel qui illis uendunt, quos extracturos sciunt; siquidem facientes, & consentientes, pari pęna constringuntur. *c. 1. vbi gl. & DD. ext. de off. deleg.* Hinc sequitur, Alphonsum, qui sic excõicatus aquam consecrauit, & spõsis benedictionem solemniter impertiuit, cum isti sint actus ordinis, irregularitatẽ contraxisse. Secus si tanquam testis authenticus tantũ matrimonii celebrationi astitisset. *Suar. tom. 5. d. 11. sect. 3. n. 24. Bonac. de irreg. d. 7. q. 3. p. 7. & de matr. q. 2. p. 8. n. 21. Sayr. de censl. l. 5. c. 14. nu. 26.* Proinde certum est, matrimoniũ illud ualere, cum Parochus ob censuras, uel irregularitatẽ, uerus Parochus esse non desinat.

Aduertendum tamen circa prędictam Bullam à Romana Pęnitentiaria referri, Illos tantum in excommunicationem incurrere, qui extrahũt, aut extractionẽ iubent, non eos qui uendunt, ẽtsi emptores extracturos sciant. arg. doctrinæ, quam tradit inter alios *Sanch. l. 1. de precept. c. 7.* Quæ relatio si uera est, quidquid sit de peccato, à cẽsura, & irregulariter excusare poterit: sicut etiam huius pęnæ appositæ ignorãtia ab ea ex cõi sentẽtia, eximere solet. contra *Cherub. in schol. 2. ad Bullam 12. Pauli V.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dico, quod licet ex vulgato axiomate, dubius in fide infidelis sit, & hereticus, is .f.q deliberate, non magis ad unam, quàm ad alteram partem mentem applicat. *c. 1. ext. de heret. vbi glos.*

&

& DD. scribentes aiunt, quod ubicunque aliquid credendum proponitur, semper firmitas, & simplicitas exigitur, illa ad dubitationem excludendam, hæc ad repellendum errorem, requiritur, nam titubatio, & error in credendis fidei aduersantur. *c. 1. de Summa Trinit. & fide Cathol. l. 6. Clem. 1. eodem tit.* Vnde D. Athanasius in regula fidei post enumeratos, & explicatos fidei eiusdem articulos, subdit dicens, Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit. Et S. Bernardus ad hæc respiciens dicebat, Fides ambiguum non habet, & si habet, fides non est. *August. de Ancona. de potest. Papa. q. 48. art. 1. Pegna in schol. ad Direct. Inq. p. 2. Comment. 1. Sanch. l. 2. de precept. c. 7. Sanct. de haresi. c. 1. dub. 3. Farin. de haresi. q. 178. §. 4. Duard. in Bulla Cænæ l. 2. can. 1. q. 23.* Attamen ut in censuram in Bulla Cœnæ latam de fide dubius incidat, necesse est ut aliquo actu externo, interni erroris sufficiēter, ut dicunt, manifestatiui, quod in mente habet, prodat, cum ecclesia de occultis non iudicet. *c. erubescant. d. 32.* Quæ nihilominus assertio duobus potissimum modis limitatur. Primo in eo, qui mentalem hæresim in sacramentali cōfessione propalauit; quādoquidē hic actus eo ipso, quod in confessione fit, non solum ex sui natura bonus est, sed etiam extra humanum iudicium uersatur, & propterea in censuras, & pœnas in hæreticos constitutas, quis non incidit. Secundo excipitur in eo, qui hæresim mente conceptam recognoscens, coram Inquisitore confiteretur, uel alicui Theologo fideli amico ad eum consulendū detegeret; aliàs hæretico pure mentali, ut præuiis remediis conuerteretur, & ad sanam mentem rediret uia præcluderetur, *Sanch. l. c. c. 8. num. 19. Duardus in Comment. ad Bullam Cœnæ Domini. l. 1. Can. 1. q. 24. num. 24. & seq. Sanct. l. c. c. 3. dub. 2.* Vnde cum dubius in fide quinque modis dicatur. Primo subreptitia tentatione. Secundo imperfecta adhæsione. Tertio voluntaria hæsitatione. Quarto ueritatis dilucidatione. Quinto pertinaci defensione, resoluitur, quod etsi Alphonsus, ut supponitur, tertio modo sciens & uolens animo deliberato, nec dubitationi resistēs, hæsitauit. v. g. an in venerabili Eucharistiæ sacramento sit uere. & realiter corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi, hæreticus formaliter sit censendus; non tñ iuris pœnas subiit, si tantummodo Alberto Theologo amico suo consilii, & auxilii capiendi causa, hanc suam mentalem hæresim manifestauit. Secus si ore, uel scripto, nemine audiente, uel uidente, illam expresserit, excommunicationem. n. non effugeret, cum ille actus tantum per accidens occultus sit, ut est cōis DD. consensus.

Confessarii partes, & Documenta.

Propterea ijdē aduertūt Confessarios dēre pœnitentes interrogare, an suam illam internam hæresim signo aliquo, & si occulte, prodiderint, ut sciant, an in cēsuram Papæ reseruatā inciderint. ut ēt obseruat *Nau. in c. cogitationis. nu. 10. de pœn. d. 1. & Vgol. in 1. clauf. Bulla Cœna Domini. §. 1. nu. 19.*

Quippe periculosa multum est circa sacratissimę Eucharistiæ sacramentum curiosa cogitatio; cū. n. ibi multa sint, quę sensui repugnant, & contra naturalem rationem militare uidentur, facile Dæmon tentandi occasionem arripit, hęsitationes excitat, ac falsas persuasiones īgerit, quibus animum dubiū reddit. *Bisfold. de tentat. c. 6. Bozzius de signis ecclesia. tom. 2. c. 1. & seq.* Proinde contra huiusmodi suggestionem, animi constantia agendum, & ut admonet Apostolus ad *Rom. 12.* Captiuādus est ītellectus iugo fidei, ad obsequiū Christi, ne plus sapiat, quā oportet. Firmiterque tenendum, Dubitationes circa credibilia ex subitanea, seu subreptitia tentatione prouenientes, nec hęreticum aliquē constituere, nec hęresim sapere, quia frequenter contra uoluntatem accidunt; imo qui se bene in fide confirmat, & huiusmodi motibus resistit, meretur; sicut ille, qui carnis stimulis, aut aliis prauis cogitationibus reluctatur. ut per scribentes *in d. c. 1. ext. de haret.* Consulantur quę in *1. p. egimus tr. 7. c. 1. q. 8. & sup. tract. 12. c. 2. q. 3. resol. 3.*

III. Q. RESOLVTIO.

Ad 3. q. dicendum nobis uidetur, Alphonsum non leui culpa implicari, si absque sui Antistitis licentia, & commendatitiis literis longam peregrinationem susceperit; hoc. n. clerico, uel sacerdoti animarum curam habenti à Iure interdicitur. in *§. interdicimus. in Auth. de Episc. & cler. & in Concil. Landicen. cap. 42. c. non oportet. el 1. de conf. el 5.* vbi dicitur, Non oportet ministrum altaris, nec quemlibet clericum, præter iussionem Episcopi, ad peregrinandum proficisci. *Benzon. de Iubil. l. 5. c. 15. dub. 15. Sanch. l. 4. de precep. c. 25. nu. 44.* ut pariter aduertimus *in Comment. de hum. vita stat. p. 2. c. 27. & sup. tr. 11. c. 7. q. 13. supp. 3.* Et cauetur etiam in *Concil. Chalced. 13. vt habetur in c. 7. dist. 71.* ut extraneo clerico extra ciuitatem suam sine commēdatitiis literis proprii Episcopi nusquam penitus liceat ministrare. Necnō in *Conc. Agathens. c. 27. relato in c. 3. 20. q. 4.* his uerbis, Monachum sine Abbatis sui, aut permissu, aut uoluntate, ad alterum monasterium commigrantem nullus Abbas suscipere, aut retinere præsumat, sed ubicunque fuerit, Abbati suo auctoritate Canonum reuocetur. Item clericis sine cō

menda-

mendatitijs literis Epi fui, licentia non pateat euagandi. Concordat. *c. fraternitati. ext. de cler. nō rej.* & *Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 16.* & *Bulla Sixti V.* pro religiosis peregrinantibus. Incip. *Cum de omnibus.* vt apud *Roder. tom. 2. q. 121. ar. 1.* (Vbi illud obiter obseruādum videtur, quod ex *D. Thoma in 4. sent dist. 20. art. 5. q. 2. tradit Benzon. de Iubil. lib. 5. c. 15. dubit. 16.* his uerbis, Dico præcise loquendo, maioris perfectionis esse, religioso obseruare regulam, quam peregrinando indulgentias acquirere per illam. n. premiū essentiale vitæ æternæ meretur, quod præstat remissioni cuiuscunque pœnæ etiā Purgatorij. Idē ex Greg. Nysseno docet *lib. 6. c. 1.*) Hinc *Reginal. l. 29. nu. 41.* Tantopere est, inquit, curæ Ecclesiæ, ne quis perperam tanto missæ ministerio se ingerat, vt nec debite ordinatum, & carentem impedimento, velit ad illud admitti, in aliena diœcesi, sine commendatitijs sui Ordinarii literis. *ex Concil. Trid. sess. 22. de euitand. & obser. in celebrat. missas. & sess. 23. c. 16. de reform.* Quamquam tamē nec admittens, nec admissus incurrit aliquam irregularitatem, quia nulla talis in iure expressa est. *c. is qui. de sent. excom. in 6.* Atque ita docet *Nauar. cons. 1. de cler. peregr.* vbi habet etiam quod clericus peregrinus faciens iustam fidem de sua ordinatione possit admitti ad secreto celebrandum: eundem tamen clericum à negligentiæ commissæ peccato non excusat, in eo quod commendatitias literas sibi non procurauerit. Notat quoq. *Roder. l. c.* ex Bulla Sixti V. ex illis verbis, vel nisi cognitus sit ijs, &c. Quod religiosi cogniti bene possunt recipi à Prælatis, etiamsi literas commendatitias secum non deferant. Et si supradictæ literæ amittantur, sufficit ꝙ testimonium proferant ipsas amissas fuisse. Cōsentit *Sà in v. missa. nu. 53. & Riccius par. 1. decis. Cur. Archiepis. Neap. decis. 150.* vbi resoluit, illis amissis debere à celebratione arceri, nisi per indicia, & testes, ipsa amissio, & cōsequenter qualitas sacerdotis probetur. Nam vt subdit, qui celebrauerit missam, absque licentia, erit ipso facto suspensus, quæ sub pœna sto in synodo Neapolitana imposita est. *Et in praxi fori Eccl. decis. 748. post Nald in v. missa. nu. 35.* asserit ex Card. Congreg. Episcopum prohibere posse ne exteri sacerdotes in ecclesiis regulariū celebrēt, & eos sequitur *Barbosa de Episc. p. 2. alleg. 22.*

Vnde ex his concluditur, & si absq; sui Epi venia, & commendatitiis literis, peregrinationem suscipiendo forte Alphonsus à lethali culpa si possiuionē, vel bonam fidem, sine dolo, & contemptu, id egerit, excusari potuerit, dummodo alium sacerdotem approbatum, qui munus suum, dum peregrinādo abfuerit, integre præstet, reliquerit; ab ea tū celebrando difficile admodū immunis erit; cum Ordinarius loci, vbi rem facere debet, sub suspensionis pœna ipso iure incurrendę Aedituis, & Sacristis id prohibuerit, quam ultra peccatum non effugient, si Antistite inconsulto, celebrare permiserint. Cum. n. grauis cēsura, qualis est excōicatio maior, aut suspensio, qua alicui graue opus, seu officium interdicitur, nō nisi ob mortale peccatū feratur, sequitur ex tali censura legem sub lethali culpa obligare. *Bonac. de leg. d. 1. q. 1. p. 7. §. 4. nu. 30.* Et cū nō celebrantes, sed ministros, & sacellis præfectos suspensio tantum afficiat, licet rem sacram faciendo male faciat, ab irregularitate tamen Alphonsus liber erit, per ea, quæ tradit *Nau. in d. cons. 1. tit. de cler. peregr.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. responsionem afferēdo dicimus Primo tenendum, posse Alphonsum absolui à Pœnitentiario Mediolani ab hęresis peccato, quo de veritate sanctissimi Sacramenti dubitando, se implicuit, si tantum eum Alberto Theologo conferendo in externum actū eā prodidit, perinde. n. habetur, ac si per se, occulta, ac mentalis foret, quam nō modo ab Epis, quibus pœnitens subest, sed ēt à quolibet Confessario per suum superiorem approbato, si confiteatur, ac pœniteat, & resipiscat, sicut à quolibet alio peccato non reseruato, absolui posse constans profecto est scribentium sententia. Siquidem, ut supradictum est, hæretici pure mentales, neque excōicationi, neq. aliis pęnis contra hæreticos statutis subiacent, cum ecclesia interiores actus non iudicet. *Suar. tom. 1. d. 21. sect. 2. Sayr. de cens. l. 3. c. 4. n. 21. Sanchez. l. 2. de præcept. c. 8. Barb. de Episc. par. 2. alleg. 40. Sanct. c. 3. dub. 1. nu. 9.* Si vero alio modo illam hæreticam labem derexisset, verius, & receptiori opinione dicendum, non solum à Pœnitentiario, sed nec ab Epō, licet occulta sit, per *c. licet. sess. 24. de reform.* absolutionem impendi non posse. Cum facultas Epis in illo capite concessa, quidqd sit de irregularitate, super quam multi uolunt Episcopū per *d. c. liceat.* dispensare posse, quò ad absolutionem ab hæresi, & cæteris casibus in Bulla Cœnę Dñi contentis, sit per ipsam Bullam reuocata. ut per eundem Barbosā de communiori sententia in praxi testantē. *l. c. nu. 24. & seq. & Sanct. l. c. c. 5. dub. 1.* Quinimo ipse Alphōsus esset būficio priuatus. *c. cū secundum. de hæret. in 6.* requireretur tamen sententia declaratoria, ante quam ipsius beneficii possessionem non amitteret. *Farinac. de hæresi. q. 189. §. 6. nu. 80. idem Sanct. c. 33. dub. 1. n. 3.* Sicut ēt declaratoria sententia opus est ad hoc ut debitores ab obligatione ad hæretici fauorem facta, sint liberati, eiq. soluere non teneantur. *Azor. tom. 1. l. 8. c. 13. q. 2. Sanch. l. 2. de præcept. c. 24. nu. 8. Idem Sanct. c. 37. dub. 3. & Farin. §. 5. nu. 64. Bursat. l. 1. cons. 14.*

Qq Si

Si vero excõicationem Summo Pontifici ex vsu reseruatam ob extractionem frumenti, eo modo, quo sup. in 1. resolutione explicauimus, incidisset, & si casus occultus foret, ui ipsius Cōcilij ab ea liberare prædicto Pœnitentiario integrum esset: nam potestas de qua ibi agitur, cum Episcopis quò ad suos subditos concessa sit, subditorum nomine, sub dicto Decreto, vagi homines, scholastici, mercatores, aduenæ, extranei, & peregrini in cuius diœcesi reperiuntur, comprehendi dicuntur; siquidem ex generali ecclesiæ consuetudine, seu interpretatiua propriorum Prælatorum voluntate, omnes aduenę sūt tanquam incolæ, & subditi Episcopo, in cuius diœcesi tunc moram trahunt, quò ad sacramenta pœnitentiæ, & eucharistiæ suscipienda, & consequenter quò ad absolutionem, ab excommunicatione, quæ ad supradicta sacramenta præexigitur. *Suarez. tom. 4. de pœnit. d. 30. sect. 2. Sanchez. de precept. l. 2. cap. 11. nu. 8. Garzias de benef par. 11. c. 10. nu. 139. Zerula in praxi Episcopali. v. Vicarius.* §. 18. *Duardus. in Bulla Cœnæ Domini. l. 3. §. 2. q. 11. nu. 19. Henriq. in summa l. 13. c. 20. §. 5. Bonac. de cens. d. 1. q. 3. p. 2. nu. 5. Barbosa. de Episc. p. 2. alleg. 39. nu. 5.*

Imo addo quod si delictū sit, alicubi ubi scilicet commissum est publicum, at in eo loco, in quo absolutio petitur, sit occultum, licet *Suar. l. c. nu. 2. & Bonac. nu. 3. & Sanch. c. 5. dub. 6. nu. 26.* velint, non dici occultum, atque adeo *Conc. Trid.* facultatem ad illud non extendi; nihilominus alij oppositum satis probabiliter dicendum existimant, videlicet quod si in loco ita distanti publicum, & notum sit, ut spes non subsit fore; ut ad illum locum deferatur, occultum ibi, ubi absolutio petitur, dicatur, ac proinde Episcopi facultati in eo Decreto concessæ subijciatur. Sic *Auila de cens par. 2. c. 7. d. 1. dub. 1 t. concl. 3. Sanch. l. c. nu. 20. Duard. n.* 10. & retulimus supra *par. 1. tr. 5. c. 5. q. 3 t.*

Porro quò ad irregularitatem, quam Parochus iste contraxisset, si in censura celebrasset, uel aliqua alia sacra munia administrasset, resoluendum uidetur, Pœnitentiarium Mediolanensem non posse dispensare, etiamsi ex delicto occulto proueniat, & ēsi supponamus suum Ordinarium in eum omnem suā authoritatem in conscientiæ foro iure transtulisse; (Dixi iure, quia ut alibi à nobis est scriptum. Ne; Pœnitentiarius frustra constitutus videatur, cum non desint Confessarii, ad quos diœcesani accedant, par est vt Vicarius in spiritualibus cōstituatur, quò Episcopi, à censuris, & casibus ei reseruatis absoluat, ex causa uota commutet, & in his dispenset, ac in impedimento petendi debitum, & in irregularitatibus ex occulto delicto, excepto homicidio voluntario, prouenientibus, dispensationem causa mature cognita impendat; prout obseruasse D. Carolum Borromeum, refert *Zech. de off. Epis. .6. n. 19.*) Nā quò ad rē nrām licet pdicta absolutione casuū reseruatorum, & censurarum, in sacramentali Confessione pro foro conscietiæ, uera sint: nihilominus in irregularitatis dispensatione obtinenda, requiritur ut Episcopus in eum, cui illam confert, ordinariam iurisdictionem habeat. *Garz. p. 11. c. 139. Barbosa. l. c. nu. 6.* vbi etiam infert, hanc dispensandi potestatem extra quoque diœcesim posse a proprio Episcopo erga suos subditos exerceri; nam uerba Cōcilii *d. c. 6.* ibi in diœcesi sua, ad posteriorem illius capituli partē referuntur, in qua Episcopo facultas à reseruatis casibus absoluendi conceditur, ex ea ratione, quia Episcopus dum in sua diœcesi existit, potest cum suo subdito in aliena ditione commorante extraiudicialiter dispensare, cum hæc dispensandi iurisdictio in absentem explicari queat. *ex Suar. de cens. d. 41. sect. 2. nu. 10. & 15. Sanch. de precept. l. 2. c. 11. nu. 12. Bonac. de cens. d. 7. q. 5. p. 1. nu. 10.* Cōtra nonnullos aliter sentientes.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. q. qua petebatur, an Alphōsus Parochus, qui absoluerat Michaelē (qui quidem librum quēdā de Astrologia iudiciaria tractantē legerat) dubitans an propter hoc in excōicationem Summo Pontifici reseruatam ipse Michael incidisset, dico eum sic dubiū à tali casu absolutionem impendendo, lethali scelere se implicasse, nā ubi dubiū adest, quiuis abstinete debet, aliàs qui aliquid agit, esse mortale dubitans, contra conscientiam operatur, & ad gehēnam ædificat, & ob id mortifere peccat. *c. literas. de restit. spol. c. fin. de prascript. Nau. in c. si quis nu. 270. de pœnit. dist. 7.* Idque multo magis animæ fauor vrget, quia non solum in dubio abstinendum est, sed si aliquid factum esse scimus, sed dubii sumus, an quis v. g. in censuras inciderit, in foro conscientiæ incurrisse iudicandum est, & sic ut tutior uia eligatur, contra pœnitentem pśumere. *c. iuuenis. ext. de sponsf. Anch. cons. 343. Tusch in v. peccatum. concl. 193.* Et regulariter cū Confessarius dubitat, an id q̄ proponitur sit casus reseruatus, nec ne, non prius absoluere debet, & iudicare non esse reseruatū, aut è contra iudicare esse reseruatū, & nòn absoluere, q̄ ipse se resoluerit, uel per se, proprio studio libros legēdo, qui de moralib. qōnibus, uel de casibus conscientiæ tractant, uel doctiores consulendo, alias graui periculo se, & pœnitentē exponit. *Chap. de cas. reser. c. 6. reg. 10. Floren. p. 5. §. 3. nu. 2.* Et si ali qui velint in dubio casum reseruatum non censeri, eo quod reseruatio sit odiosa. *Sanch. tom. 5 de cens. d. 40 sect. 6. nu. 5. Henriq l. 6. de pœnit. c. 26. num. 7. Sanch. de precept. l. 1. c. 10. nu. 74. Molfes. tr. 7. c. 20. nu. 21. Idem Flor. d. c. 5. nu. 30. Cortol p. 1. sect. 1. ar. 5. Sà in v. casus. nu. 5 Nald. in v. casus. nu. 3.*

Sed

S... & si Alphonsus sic dub'e absoluendo, peccato, ut diximus graui sit infectus, non tamen censura est affectus. Nam licet hodie quicunque sacerdos absoluens à casib clare, vel dubie cōtentis in Bulla Cęnę Dñi, & etiā à clare reseruatis sedi Apostolicę extra d. Bullam ipso facto in excommunicationem incurrat, & eius absolutio Summo Pontifici reseruata sit, ut hab. ī in Decreto Clem. VIII. & in Declar. t. sacræ Congreg. Nihilominus verum non est, legentes libros Astrologiæ iudiciariæ, in Bulla Sixti V. Incip *Cæli & terra* contra Astrologos lata Papali excōicatione puniri, cōtra *Sāct. de hæresi c. 14. dub. 1. nu. 5.* Sed tantum constat sacræ Inquisitionis officio subijci. In qua sane Constitutione ex veriori, tutiori, & receptiori sententia, cum expresse loquatur contra iud cia, & hominum natiuitates facientes, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitis casibus, aut actionibus, ex humana voluntate dependentibus, aliquid affirmare ausi fuerint, illi ligantur, etiamsi id non certo, sed probabiliter tantum per coniecturas, & inclinationem affirmare asserant. &c.

Et ratio est, vel quia hic pronuntiandi modus, ob ecclesiæ prohibitionem scandalum affert, & christianæ reipublicæ perniciosus est futurus, cum eadē incommoda, & vanæ inuestigationes ex illo sequantur, vel quia semper ad occultandam malitiam, & diuinationem, ea verbi proferri præsumūtur. *Graffius. l. 2. decis aur. c. 5. num. 19. Flor. p. 2. c. 1. S... n. 8. Farinac. de hæresi. q. 181. §. 1. nu. 59. & de delictis, & pœn. quæst. 20. numero. 111. Cherubin. in schol. ad d. Bullam Sixti V.* contra alios præsertim *Suar. de relig. to. n. 1. l. 2. de superstit. c. 11. n. 30. Sanchez l. 2. de præcept. c. 38 nu. 34. Molfes. tr. 11. c. 7. nu. 20. Filliuc. tom. 2. tr. 24 c. 4. q. 3 vide sup par. 1. tr. 6. c. 5. q. 2. & p. tr. 2. tr. 1. 1. c. 7. q. 15.*

Quare non pauci Sapientes hanc prædicendi artem merito despexerūt, tùm quod incerta sit, & cōiecturis duntaxar nitatur, tùm quod vana, inutilis, imo u ilde, ut dixi, perniciosa sit. Senserat hoc Alphonsus Aragoniæ Rex, nam cum inter nonnullos quæsitum esset, cur præter morem (erat enim in omne hominum genus munificus, & liberalis) solos Astrologos præterirer, quādoquidem tales vnquam in curia eiusdem visi, qui dam astātium acute dixit, sidera stultos regunt, imp llunt que, sapiens astris imperat, stultos ergo Principes astrologos honorare consequens est, non uero sapientes, inter quos nomen Alphonsus obtinet. *Æneas Syluius l. 4. cōment. de rebus Alphōsi Beyerlinch. in apoph. christ. v. astrologia. Lu... in commentar. in Tobiā de superb. gr. e. 1.*

Vnde hinc q. resoluendo dicimus (quidquid sit. vsd... n... de peccato) Alphonsum qui dubius an posset, Michaelem, qui astrologiæ iudiciariæ librum legerat, absoluit, in excommunicationem per Decretum Clementis VIII. non incidisse; absoluere. n. ei integrum erat, modo aliās dispositus fuisset, & illum librum ad Inquisitorem deferre paratus, siquidem ex parte rei Michael excōmunicatus non erat, ac proinde sequitur Alphonsum Parochum celebrando, irregularitatem non contraxisse, nam ut sæpius aduertimus, propter conscientiam erroneā, nec censura, nec irregularitatis impedimentum incurritur. *Vict. de excom q. 9. Cordub. de cas. conscien. cas. 11. Henriq. de sacr pœnit. l. 2. cas. 7. nu. 2.*

VI. Q. RESOLVTIO.

AD 6 q. dum quærebatur, an recte respōsum dederit Alphonsus Blasio petenti, an collatio beneficij facta à Papa ei excōicato ob æs alienum, & debitum non solutum, in qua censura annexus indurato animo per annum insorduerat, in utroque foro valida sit, dico eum non tuto, nec recte respondisse, siquidem qui per annum in excōicatione perstitit, huic in neutro foro absolutio prodest, quæ in impetrationibus gratiarum, & collationibus beneficiorum, ad effectum gratiæ consequēdæ à sede Apostolica dari solet, cum iuxta *Conc. Trid. sanctionum. sess. 25. de refor c. 3.* sic perseuerās de christiana fide male sentire uideatur, nisi Papæ innotuisset, illum in excōicatione per annum insorduisse, & sic absoluisset, &c. *Sayr. l. 2 de cens. c. 5. nu. 13 Nau. c. 27. nu. 22. Auila de cens. p. 2. c. 6 d. 5. dub. 3. concl. 4. Roland. à Valle. vol 1. cons. 46 nu. 36 & seq. Henriq. de excom l. 13. c. 13. §. 3. Garz. de bene f p 7. c. 13 nu. 61. Roder. in qq. reg. tom. 2. q. 103. ar. 3. Zerula in praxi episcop. 1. v. clericus. Gratian. in discept. For. c. 119. Praxis Neap c. 8. Philiarc. de off. sacerd. p. 1. l. 3. c. 26. Sanctarel. de hæresi. c. 4. dub. 1. Farinac. de hæresi. q. 192. §. 2. & in Fragm. v. clericus. nu 264.*

Vbi etiam notant Primo ex recepta Sanctæ Romanę, & generalis Inquisitionis praxi, non solere procedi contra excommunicatos per annum, aut amplius, nisi ex causa hæresis excommunicati sint. Et clericum excommunicatum per annum, non ex causa fidei, sed ex alia rōne, beneficijs ex more non priuari. Secundo dictam clausulam, Teq; à quibus uis absoluentes, irregulari non prodesse, & propterea collationem beneficii ei factam nō esse ualidā, cū irregularitas non sit censura, nec absoluatur, sed dispensetur. Tertio illam absolutionē cū prædicta clausula à Papa impensā, non ualere, nisi ad effectū præsentiū duntaxat consequendū; vñ ei q sic ab excōicatione absolutus est, celebrare, ministrare, & diuinis interesse, &c. nō licebit, proinde sic absolutus si se diuinis ingesserit, irregularitatis labe afficietur, ut et obseruat *Nau. cons. 48 de sent. excom.*

Recte ergo Posseuinus *de off. cur. c. 15. nu. 10.* Parochos his verbis admonet; Oibus bene studeas, sed potissimum administrationi sacramentorum, & restitutioni. Si quis uerò adeptus erit curam, uideat ut informationem ingeniorum suę plebis, & casuũ, qui ibi maxime occurrunt, resolutionẽ prę manibus exactam habeat, in incertis, quæ postea emergunt facile dubitet, resolutionem suspendat, uel ad peritiorem remittat.

QVÆSTIO XVII.

Episcopus ante exactam 30. annorum ætatem consecratus, an irregularitatem contraxerit. An renuẽtem stare sponsalibus excommunicare possit. Num regularem in uniuersitate studentem, extra tamẽ cœnobium si delinquat, punire possit. Vtrù eleemosynas palam facere teneatur. Nunquid comœdys interessendo m p. An filium ante patris hæresim natum ab ordinibus suscipiendis, tanquam irregularem repellere possit, & quid de eo surdo, & balbo?

BArnabas cum ante triginta annos expletos, Episcopus fit consecratus, & episcopales quasdam functiones, nempe ordinis, & confirmationis sacramenta conferendo, obierit, Synodum celebrauerit, &c dubitat an irregularitatis impedimentũ contraxerit, & ab eo acta valeant. Secundo cũ Martinus Iustinæ puellæ promiserit, se eã in vxorem ducturum, & nunc à sponsalibus resilire velit, ac eum ea matrimonium contrahere renuat, in eundẽ Martinum sententiam excommunicationis tulit, & ad seruandum promissum cogere nititur, pœnasq; vel mulctas exigit pro eo tempore, quo in excommunicatione, & obstinatione persistit; statutum enim condidit, quo cauetur, vt in excõmunicationis censura perseuerans, quolibet mense certam pecuniæ quantitatem, pijs locis applicandam soluat. Tertio cum Iosephus regularis studiorum causa nempe, vt S. Theologiæ operam daret, ad quandam Vniuersitatem esset missus, & ibi in conuentu non habitet, cum ibi nullum sua religio habeat, deprehensus ab Episcopalis curiæ satellitibus in colloquio cuiusdam monasterij monialium, in carcerẽ est ductus, & ab eodem Episcopo punitus. Quarto cum ex sui muneris obligatione, eleemosynas erogare soleat, illas tamẽ, vel pauperibus, vel pijs locis clam, & oculte distribuit, vt proinde multi ex suo grege, cum ea quæ secreto fiunt nõ videant, cum auarum, & rei augendæ attentum opinentur, & scandalum inde sumãt. Quinto animi recreãdi causa, publicis comœdiis, quæ in vrbe fiunt interesse solet. Sexto Fabiũ, cuius pater hereticus mortuus est vel pro hęretico habetur (absens enim citatus cũ non comparuerit, eius statua combusta est) natum tñ antequam ipse eius parens in hæresim laberetur, tãquã irregularem à suscipiendis ordinibus repulit: Eo magis quod ipse Fabius surdus, & balbus est, vnde ex his sex totidem etiam quæstiones insurgunt. Primo an ad Episcopatus ordinem assumendum ante legitimam ætatem accedendo, lethaliter peccauerit, & in quam censuram inciderit, & cum postmodum sua munia exercuerit, in irregularitatem inciderit, & an secum in ea dispensare valeat. Secũdo an Martinum sponsalijs stare recusantẽ, excommunicationis gladio ferire potuerit, & tùm illam mulctam pro eo tempore quo in excõmunicatione persistit, exigere possit. Tertio nunquid io regularem illum in colloquio sanctimonialium deprehensum animaduertere ei licuerit. Quarto, vtrum eleemosynas sic occulte, & secreto erogando peccet. Quinto an pariter lethali peccato se obstringat, cũ comędijs, quæ in vrbe recitantur, interest. Sexto an Fabium ab ordinibus accipiendis arcendo iuste egerit, &c.

1. Q. RESOLVTIO.

AD 1. q. propositam respondendo dico, supposito ex *c. cum in cunctis. ext. de elect. & ex Côc. Trident sess. 7. de refor. c. 1.* ad cathedralium ecclesiarum regimen nullum assumendum, nisi ex legitimo matrimonio natus sit, & ætate matura, morũ grauitate, literarumque sciẽtia sit prædictus. Et quidem in Episcopo requiri vt 30. annos exegerit, id q fit, ut maiori prudentia, scientia, ac probitate fulgeat, esto in inferioribus ecclesię ministris exigatur, vt solum eam ætatem attigerint, quæ in eis postulatur, ex *Vgol. de Episcopo. c. 1. §. 1. num. 6. Barb. Alleg. 1. num. 26.* Hoc inquam supposito, Dico Barnabam à graui culpa non excusari, si scienter, & ex proposito, ante annos 30. completos, ad Episcopatus culmẽ se promoueri passus fuerit, cum absq; dubio, in re graui, ecclesiasticas sanctiones sit trãsgressus. Nõ tamen sui muneris functiones exercẽdo irregularitatis labem contraxisse; nam suspensionis pœna lata à Pio II. in Constit. Incip. *Cum ex sacrorum* in eo locum non habet, qui ante legitimã ætatem Episcopus cõsecratur, Primo ob illud generale principium aliàs à nobis allatum, quod suspensio generatim lata Episcopos non compręhẽdit, nisi eorũ specialis mẽtio fiat, iuxta *c. quia periculosum. de sent. excõ. lib. 6.* Secundo quia ex multis circunstantijs constat illam Extrauagantem de Episcopo non loqui, tùm quia licet Episcopatus sit ordo, attamẽ eius collatio propter excellentiã, consecratio potius, quàm ordinatio dicitur, tùm etiam quia illæ particulæ, literæ dimissoriæ, extra tempora, & similes, Episcopatui nõ accommodantur. *Suar. tom. 5. de censf. disp. 31. sect. 1. nu. 29. Campan.*

pan in diuerſ iur. Can. rub. 7. c. 4. nu. 17. Barb. n. 29. Vnde ſequitur, omnia ab ipſo geſta ualere, nec non opus non eſſe, vt à ſuſpenſione abſoluatur, & ab irregularitate diſpenſetur; & ſi aliàs uerum ſit, Epiſcopum poſſe alteri committere vices ſuas, ut ex facultate quam habet *ex c. licet. Conc. Trid. de refor. ſeſſ.* 24. à caſu Papali ſi aliquo conſtrictus ſit, vel occulta irregularitate, ſi qua irretiatur, ſecum diſpenſet. *Sanch. l. 8. de mat. d. 3. nu. 3. & l. 2. de precept. cap. 11. nu. 11. Sayr. l. 7. de cenſ. c. 9. nu. 5. Suar. l. c. d. 41. ſect. 2. nu. 9. Piaſec. in praxi epiſc. p. 2. c. 1. n. 17. Barboſ. alleg. 39. nu. 15.*

II. Q. RESOLVTIO.

AD 2. q. dicendum eſt integrum fuiſſe Barnabę Epiſcopo in Martinum renuentem ſponſalia cum Iuſtina cõtracta adimplere, excõicationis ſententiam ferre, ſi nulla ſubſit cauſa cur illis ſtare nõ debeat; commun ior enim, probabilior, & receptior in praxi ſententia docet, ſponſum prius monendũ fore, & ſi ſponſalia adimplere renuat, per cenſurã, & carcerem cogendum eſſe, niſi attentis circũſtantijs, Iudex prudenter arbitretur, ex inuitis nuptijs, grauia mala, & ſcãdala timeri, ut perpetuas diſſenſiones, iurgia inter coniuges, virum relicta vxore diſceſſurũ. *c. ex litteris. el 2. de ſponſ.* vbi dr̃, cenſuris poſſe cõpelli. *c. requiſiuit. ext. eod. tit.* q hẽt eſſe tantum admonendum, DD. n. in dictis locis cõiter illa iura diſtinctionis fœdere concordant, quod ſi non contrahendi iuſta cauſa ſubſit, tantum admonitio fiat; ſi vero abſq; rationabili cauſa reſiliatur, cõtrahere nolens excommunicari poterit; ſiquidem eccleſiaſticus Iudex ex officio compellere tenetur ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt, & ex iuſtitia debitum, ſed ſponſalia iniens ex iuſtitiæ lege fidem ſeruare tenetur: quamuis non iurauerit, ergo ipſum cenſuris cogere poterit. Quod multo magis procedit ſi fama eſſet per viciniam, eũ ſponſam violaſſe, uel ſaltem turpes tactus cum eadem habuiſſe. *Graff. conſ. 23. de ſent. excom. & de caſ. reſerv. l. 2. c. 37. Salon. 22. q. 62. ar. 2. cõt. 3. Marc. Ant. Genuen. in Praxi Cur. Arch. Neap. c. 34. Sanchez. de mat. l. 1. diſ. 29. Gutierez. c. 15. Riccius in praxi matrim. 231. Filliuc. tom. 1. tr. 10. c. 7. q. 10. nu. 262. Ceninch. d. 22. nu. 8. & ſeq. Molfeſ. tr. 4. c. 5. nu. 26.* Vbi etiam obſeruant, quod ſi Iudex cenſura lata ſponſum eſſe pertinacem uideret, nihilque cenſuram prodeſſe, ab ipſa abſoluere deberet, quamuis ſponſus abſolutionem minime petat, quia ſic excommunicatio non prodeſſet, ſed officeret *Iaſ. in l. quod iuſſit. num. 91. ff. de re iud Graff. l. 4. deciſ. c. primo, n. 25.* & alii cõiter. Vt propterea dicendum ſit, quod etſi Epiſcopi ſtatutum ualeat, quod excommunicatus in cenſura perſiſtens, quolibet menſe certam pecuniæ quantitatem ſoluat, & quod abſolutio impediri poſſit, niſi prius dicta pœna ſoluatur; quæ nõ ob abſolutionem, ſed ob contumaciam exigitur. vt per *Genuẽſ. l. c. c. 8. Vgol. de ſimonia. c. 50.* In hoc tamen noſtro caſu prædicta reſolutio locum nõ habeat, cum hoc animarum ſaluti, ac matrimonij libertati repugnare videatur.

III. Q. RESOLVTIO.

AD 3. q. ſic reſpondendum exiſtimamus, Barnabæ licuiſſe in Ioſephum religioſum animaduertere, eo quod in quadam Vniuerſitate manens, vt S. Theologiæ operam daret, abſque licẽtia, & iuſta cauſa ad colloquendum eum cuiuſdam monaſterij monialibus ipſi Ordinario ſubiectis, à ſuæ curiæ Curſoribus ſit deprehenſus: nam licet eius ſuperior cum conſenſu maioris partis conuentus, adeundi ſtudiũ extra conuentum ſuæ religionis de iure cõi veniã dare potuerit, per tradita à *DD. in c. vt periculoſa ne cler. vel monach l 6. Sanchez. de precept. l. 6. c. 8. nu. 72. & ſeq & Sanct. de apoſtaſia. c. 2. dub. 1. Praxis Neap c. 57.* Ex ſanction.b. tamẽ Conc. Trid. *ſeſſ. 6. de ref. c. 3. & ſeſſ. 24. de regul. c. 4.* & declaratione Card. Illi qui ſtudiorũ cauſa ad Vniuerſitates mittuntur, in conuentibus tantum habitare debent alioqui cõtra eos ab Ordinariis procedi poterit. Et regularis manens extra clauſtrum de licentia Superioris etiam in domo deputata ad erectionem monaſterii, niſi in dicta domo ſit regularis obſeruãtia, vt ſaltem viuat ſub Superiore conuẽtualiter, poteſt ab eodem Ordinario puniri. *Vgolin. de Epiſcop. cap. 20. § 8. Piaſecius praxi Epiſc. par. 2. c. 3. nu. 42. Barboſ par. 3. Alleg. 105. n. 16.* Grauiter autem, & lethaliter delinquere regulares, qui, abſque cauſa, & S. Congregationis Card. licentia, vel nunc cum Epiſcopi facultate, cum certis præſcriptis cõditionibus ſibi conceſſa, ad monaſteria monialium accedunt. tradit *Graffius par. 2 conſ. 2. de regul. Barch. de monial c. 9. Sayrus in claui regia l. 3. c. 10. nu. 34. Quar. in v. monaſteria monialium. Campan. in Diuerſ. Iur. canon. rub. 12. c. 16. num. 43. Nald. in v. monialis, vt & tetigimus in comment. de human. vita. ſtat. par. 1. c. 23. & ſeq & ſup. par. 1 de exam. tr. 7. c. 26. q. 110.*

IV. Q. RESOLVTIO.

AD 4. q. dico eleemoſynarũ largitionem inter præcipuas Epiſcopi virtutes relucere debere; nihil enim eſt, quod populi gratiam, & amorem Epiſcopi magis conciliare poſſit, quàm rerum liberalis diſpenſatio, quæ in plebe ipſa ſanctitatis opinionem parit, nam vtilitatis ſuæ ſtudioſa non alios bonos putat, quàm qui beneficentiam colunt. Hinc *D. Chryſoſt. de Sacerd. l. 3.* dixit, Epiſcopum debere diuitiis, ac opibus abũdare, ob multas eleemoſynas

quas

quas hospitibus, ægris, viduis, pauperibus, erogare oporteret (qua ratione D. Bernardinus Senensis, suæ patriæ Archiepiscopatum non semel à S. Pontifice oblatum recusauit, scite professus, se tanti muneris onus sustinere non posse, nisi Imperatoris diuitias possideret.) Quinimo etiam vbi est facta redituum diuisio multi uolũt Episcopum adhuc teneri de portione sua sub lethalis culpę reatu, q̃ superest pauperibus dare, modo superfluitas notabilis sit. *D. T hom. 22. q. 185 art. 7. vbi Caiet. & omnes. Nau. de reddit. eccles. q. 1. monit. 49. Val. 3 par. Disp* 10. q. 3. *pun. 7. Azor. p. 2. l* 12. *c.* 11. Siquidem Episcopus quò indigentibus tribuere possit, vilem suppellectilem, mensam, & victum pauperem habere debet, & dignitatis suæ decorem, in fide, misericordia, ac vitæ meritis, quærere. *c. Episcopus. d. 41. Conc. Trid. sess. 25. de refor. c. 1. Et Bannes 22. q. 32. ar. 6.* postquam illam positionem, & resolutionem iecit, Episcopos ratione status perfectionis, quem professi sunt, strictiori charitatis vinculo teneri erga proprias oues non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus esse misericordes, siue habeant patrimonium, siue bona ecclesiastica, siue sint illorum Dñi, siue dispensatores, imo etiam si nihil habeant, astringi ab alijs diuitibus eleemosynas exigere, & pauperibus dare, subdir, hæc pietatis opera, non esse ab ipsis clam, & occulte facienda, cum debeant uerbo, & exemplo docere, ita vt, sicut D. Gregorius loquitur, sit opus in publico, & semper intentio maneat in occulto. *Io. à S. Gemin. de simili. & exempl. l. 3. c. 31. Marc. Ant. Genues. in Man. Past. c.* 48. vbi excipit in Episcopo, qui spiritu debilis esset (quod tñ de eo, qui perfectus in uirtute esse debet, nõ esset præsumẽdũ) latius esse ut in secreto faciat, ne ex inani gloria boni operis meritum amittat. Siquidem famam, quæ est illa ex dignitatis status, legibus, & moribus comprobatus, habere, conseruare, & augere debent Episcopi, simul quę cauere, ne aliquo scandalo, uel quod scandali speciem habeat, illam perdant. *Gisbert. de vita & morib. Eccles. c.* 63. Quomodo autem eleemosyna facienda sit, docet *Bellarmi. tom. 3 de bonis oper. c.* 13. vbi quinque exigit conditiones. Primo ut fiat intentione placendi Deo, non autem ad popularem auram captandam. *Matt. c.* 6. Secundo ut prompte fiat, nõ uero ut precibus extorque atur, nec de die in diem differatur. *Prou. c.* 3. Tertio hilariter eroganda est. *Eccl. c.* 35. Quarto humiliter, ita vt etiam qui dat existimet, non tàm se dare, quã beneficium accipere, cum qui dat pauperi, Dño fœneretur. *Prou. c.* 19. Quinto abundãter, pro modo facultatum. *Tob. c.* 4. Vbi tamẽ obseruat, eleemosynæ largitatem magis in eo constitui debere, ut multis aliquid, quàm ut paucis multum detur, id. n. significat diuinus sermo *Psal.* 111. Dispersit, dedit pauperibus, &c. Sic pluribus subuenitur, plures pro dante orant, & ipse facile inanem gloriã uitat. *arg. Castr. l. 1. consi 97. n. 3.* Vnde ex his etiam facilis, & expedita 5. quæstionis resolutio colligi potest.

V. Q. RESOLVTIO.

AD 5. q. hæc resolutio asseritur, Barnabã Epm, qui pluries profanis comedijs interfuit, a mortali culpa ob datum scandalum non excusari: nam ut alias dixi, & si Eps, & aliis ecclesiasticis uiris, qui & ipsi humana infirmitate circumdati sunt, aliqua honesta remissio permittatur: quemadmodum enim iugi cessatione hominum mens marcescit, ac deficit, ita etiam assidua rerũ tractatione, nisi quandoque aliquo otio instauretur, cõteritur, atque flaccescit, illis tamen non conceditur, ut turpibus spectaculis, ac profanis comœdiis cum scandalo interlint: *c. non oportet. el. 2. de consec. d* 5. *D. Ant. in 2. p. tit. 3. c. 7. §. 5. Sanch. l. 9. de matr. d. 46. nu. 41. & seq.* vt scripsimus in *Comment de hum. vit stat. p 2. c. 14.* Vnde si Petrus Damianus, ut est apud *Baronium tom. 11. Annal. anno Domini* 1610. quendam Epm, qui latrunculorũ, uel scacchorum ludo interesset, his uerbis perstrinxit: Rectene, tuiq. erat officii, vespere in scacchorũ uanitate colludere, & manum dominici corporis oblatricem, linguam inter Deum, & hominem mediatricem, sacrilegi ludibrii contaminatione fœdare? &c. Quid dixisset, si turpis spectaculi spectatorẽ uidisset? Pij ac prudentes Epi acribus etiam inflictis pœnis, in synodalibus Edictis interdicere solent, ne clerici comœdias agant, nec spectent, ne aures, oculi ue diuinis officiis addicti, procacibus, impurisque actionibus, ac sermonibus polluantur, & animus à sacrorum munerũ cogitatione abductus, ad alia cum populi scandalo distrahatur, multo magis ab iis ipsi abstinere debent, ne vulgare illud, quod fere in prouerbium transiit, obiiciatur; Patere legẽ, quam tu ipse tuleris. *c. cum omnes. ext. de Constitut.* Nam ex Plat. sententia, Vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus qui a capite diffundit. Et recte admonuit *Cicero l. 3 de legib.* Principum peccata plus exẽplo, q̃ pctõ nocerent: nam ipsorum splendor, ac amplitudo plerosque qui ad peccandũ proni, ac lubrici sunt ad consimilem imitationem inuitat. Et vt ait Egisippus *de Excidio Hierosol. c. v.* Sicut probi Principis vita probitatis quędam præscriptio & per vniuersos viuendi forma est, ita Imperatoris colluuio lex flagitiorũ est, vt proinde, qui huiusmodi animi cęcitate status sui oblitus se tapi. permittit non vno tñ scelere se obstringere putet, nam multa in se piacula concipit, quem huiusmodi pessima, & perniciosissima occupatio delectat. Vnde certa positio moralium rerum scriptorum est, rõne scandali veniale peccatũ in mortale trãsire. &c. *Valẽt. tom. 3. disp. 10. q. 4. punct. 6. Sanchez. de precept. d. l. c. 6.*

&

& omnes alii cōmuniter, qui supra adducta ratione nituntur, quod qui in celsiore loco positi sunt, tanquam aliorum magistri, vitæ, morumq. exemplo, quasi tacita quadam voce, inferiores spectatores ad sui imitationem prouocant, atq. inde præcipites in ruinam eos agunt. Insuper & si venialium culparum manifestatio per se loquendo ad mortale peccatum detractionis constituendum sufficiēs nō sit, quia huiusmodi propalatio proximi famam multū lędere non soleat, cum ullus sine veniabili noxa non viuat, iuxta illud, *Nemo sine crimine viuit*, aliquando tamen contingere potest, vt qui veniale peccatum alicuius manifestat, ac prodit, lethali culpa se contaminet, vt Primo, quando quis per contumeliam coram alterum mendacem appellat, fore præuidens, vt ille hoc satis ægre ferat, mendacium enim magnam homini notā inurit, ideo Persę inter peccata duo grauissima numerabant, prius esse debitorem, alterum mentiri, quod obęrati plerumq. mentiantur, dum in diem pollicentur, nec quę spondēt pstant, ut scripsimus, *sup. tr. 7. c. 37. q. 143.*

Secundo quando quis Episcopum, aut alium religiosum virū aliquibus venialibus culpis deditum esse asserit, quæ bonam ipsius existimationē apud homines minuunt, vt quod sit inanis gloriæ cupidus, nimium ridere, & irasci soleat, nugis, otiosis verbis, aut aliis similibus vanitatibus, ac ineptiis crebro vti. Et ratio est quia fieri pōt, ut per huiusmodi leuium defectuum reuelationem, habita ratione personæ, eius fama grauiter lædatur, cum Episcopi status sit perfectionis iam adeptæ, religiosi vero adipiscendæ. *Petrus Nau. de rest. l. 2. c. 4. num. 3 & 5. Salon. & Arragon. 22. q. 73. art. 2. Sayrus in claui. reg. l. 11. c. 6. num. 9. Reginal. l. 24. num. 80. Bonac. de cont. d. 2. q. 4. punct. 2. c. 11. dub. 3. Faustus. de restit. d. sp. 31. q. 48.* Propterea *D. Anton. l. c.* de comœdiarum spectatoribus loquens, cōsiderata personarum conditione, ait clericis etiam, & religiosis talia aspicere, magnum peccatum videtur propter scandalum populi. Idque si de hoc cogitasset, multo magis de Episcopis, ac Cardinalibus asseruisset. Quippe Episcopi sanctissimi vocantur in *Authen. sanctiss. Episcopis. collat. 9. & in clemen. 1. §. nec super. de pœnis*, quia alios sanctos verbo, & exēplo efficere debent, & Cardinales cardines terrę, & Apostolorum vices gerentes dīt, eo quod Apostolica perfectione fulgere eos par est. *c. fundamenta de elect. l. 6.* Cōsulantur quæ diximus in *commēt. de hum. vita stat. p. 1. c. 5. & 6.* Nec hoc loco illud Christianum apophthegma prætereundum vr, quod cum quidā Episcopus, qui simul etiam Dominus temporalis erat, venationi deditus esset, ac variis spectaculis interesse soleret, atque ideo à quodam probo viro reprehensus esset, vtpote qui rem suo statu indignam, & scandalum prębentem ageret, at ille respondisset, quod non vt Episcopus, sed vt Dominarum, & Principatum gerens id faceret, scite, ac lepide, bonus ille vir subdidit, Domine mi quando Comitis, ac Principis anima in Inferno torquebitur, Episcopi anima vbinam erit? *Razzius in cent. cas. consc. casu 40.*

VI. Q. RESOLVTIO.

AD 6. q. respondendo dicimus illam ancipitē esse, & magnam vtrimq. probabilitatem habere, an. s. pœnæ contra hęreticorum filios statutæ et eos comprehendant, qui nati fueriāt priusquam eorum parentes in hęresim laberentur: nam Pōtificia cōstitutio in *c. statutū el. 2 de hær. in 6.* gńaliter loqui videtur de filijs eorum, qui mortis tempore hęresi infecti erant. Secūdo, quia causa punitionis hęreticorum eadem est in filijs quocunq; tempore natis. Tertio hæresis vitiū est mere spirituale, à carne cōmercium non trahens, quā ob causam distinctio illa locū nō habet, quę in alijs criminibus obseruari solet, qd. s. ij ex infecta radice nascantur, illi è contra. Et iure optimo intetdū filios ob parentū delicta puniri explorati iuris est, filius. n. ex Aristotele est res patris, & præcipua quædā eius possessio. Et sicut filii eorum qui de republica benemeriti sūt, diuitijs, honoribus, dignitatibus, alijsq; priuilegijs decorātur; sic iuste filij de republica mali meritorum, infamia notantur, & muneribus priuantur *l. quisquis. § filij C. ad l. Iul. Maiest.*

Ad hæc naturali quadā pręsumptione timetur fore, vt filij parentum mores imitentur *c. sigēs Anglorum. d. 56. glos. in c. si quis. 6. q. 1.* vbi vulgatum illum versiculum adducit,

Insequitur leuiter filia matris iter.

Hinc Ioānes Faber in *rubr. instit. de nuptijs.* inter cætera, quæ in ducendis vxoribus attendenda esse prudenter admonet, illud non prætermisit, vt boni, pacifici, ac fidelis generis filia ducatur, quia frequenter videmus, vt ipse dicit, non solum labem sanguinis, sed, & morum quoque ad posteros deriuare. Ac insuper ipsi filij ac filiæ parentum præceptis imbuti ad eorum cōsuetudinē, moresque deducuntur. Quam sententiam verissimam esse astruit. *Tiraq. in l. 3. & 7. Cōnub. & Cassan. in Catalogo gloria mun. p. 2. Consid. 24. Sanct. de heresi c. 34. dub. 3.*

Atque huius opinionis, nempe filium hęretici esse irregularem, etiam si ante lapsum parētis in hæresim conceptus, & natus sit, est *Conar. l. 2. var. resol. c. 8. Suar. tom. v. disp. 43. lect. 3. Bursat. cons. 7. Sanchez de precep. l. 2. c. 27. num. 29. Pegna in comment. ad Direct. Inquisit. par. 3. comment. 16 .* vbi alios adducit *Filluc. tom. 1. tr. 20. c. 9. q. 4. nu. 238.* & multi

& multi quos ref. it *Sanct. de hæres. c. 39 dub. 1. n. 2.*

Alii verò complures benigniorē sniam secuti asserunt, hæretici filiū catholicū ante patris hæresim natū, nec infamē, aliue irregularitatis nota nō affectū, nō posse tanquā irregularē, ab ordinib. suscipiendis arceri, qa nulla sit lex, quæ talē filiū noīatim exprimat; nā id *c. statutū. de her. in 6.* tūdent dicentes, adesse sufficientē rōnē distinguēdi, & explicandi illū textū loqui de filiis, qui post parēris hæresim nati sunt. Quib. rō illa uiua, & spirans suffragar: nā si filius ante patris dignitatē natus, eius honores, & prærogatiuas non consequitur; multo minus crimē a patre post eius natiuitatem commissum, illi nocere debet; si quidē odia restringi, & fauores conuenit ampliari. Et iniquissimum est, ut alterius odio quispiā prægrauetur. *c. odia. de reg. iur. in 6. l. si quis in suo. §. 1. C. de inoff. test. l. non dēt ff. de reg. iur. c. nō debet. eod. tit. in 6.* Atq. hanc sniam tuentur. *Simanc. in Cathol. Inst. tit. 29. Nau. cons. 23. tit. de hæret. Vgol. de irreg. c. 36. § 1. n. 6. Henriq. l. 14. c. 5 n. 4. Less. l. 2. c. 4. n. 121. Coninch. d. 18. nu. 53. Sanchez. l. 2. de præcep. c. 27 nu. 14. Bonac. d 7. q. 3. n. 9. Sanct. de hæresi. c. 34. dub. 1.* vbi referunr, in multis tribunalib. iuxta hanc sniam fuisse iudicatū. Et scimus ueram legū interpretationem à praxi sumendā esse, & semper illā opinionē præferendā, quæ praxi, ac stylo fauet. *c. dilecti. ext. de consuet. Berous cōs. 87. Rolād. à Val to. 2. cons. 2. Azor. p. 1. l. 1. c.* 10.

Cū aūt Barnabas Eps, qn̄ Fabiū à suscipiēdis ordinib repulit, probabilē sniam tot Doctorū sit secutus, quā ēt illorū multi praxi in aliquib. locis cōprobari testant. Imò *Pegna l. c.* ab ea in consulendo, & iudicando non esse recedendum credit, non est cur iniuste eum egisse dicendū sit: Cum illud resolurū sit in foro conscientię, probabilem opinionem relicta ēt probabiliori, nos amplecti posse. *Barbosa. de Episc. p. 2. alleg. 35. nu. 19. Sanch. l. 1. de præcep. c. 9. Molf. tr. 8. c. 9. n. 81. Filliuc. tom. 2. tr. 21. c. 4. q. 4.*

VII. DVBITATIONIS RESOLVTIO.

Hinc ēt illius annexæ dubitationis resolutio colligi potest, sic dicendo, cū surditatis, ac balbutiei vitiū irregularitatē producat, Epo integrū fuisse, eū ēt ex hoc capite à suscipiēdis ordinib. repellere. Extat. n. pceptio Innocētii 3. *īc. cū sit. ext. de æta. & qual.* iubēs diuinis officiis, & ecclesiasticis sacris eos præfici debere, q ea rite celebrare ualeāt. At quis dicat à surdo, & balbo, rite diuina officia, & sacramenta celebrari posse? Vnde & Clemens ad Iacobū fratrē Dñi ep. 1. ut refertur in *c. tales. d. 23,*

Tales inquit, ad ministeriū eligant clerici, qui digne possint dñica sacra tractare; Melius est namq. paucos hēre ministros, qui possint Dei opus exercere, quā multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant. Facit *c. pœnitentes. d. 35.* vbi Hilarius Papa prohibet, ne mem brorū dāna ppessi ad sacros ordines aspirare ualeant, ergò nec surdi aspirare queunt, ex quo dāna in sensu auditus patiunt. Quod pcedit ētsi ad motū labiorum, & signa aliqua intelligerent, ut de illo Nello de Gabrielis, refert *Bart. in l. 1. ff. de ver. oblig.* decipi. n. facile possunt, & non commode ecclesiasticas functiones obire valent. Idē dicendū de blesis, & balbis, q expeditā linguā non habent, irregularitatis nāq. labe afficiūtur, ubi uerba clare, & expedite non exprimunt, saltem ob scandalū, quod dare possunt: qn̄ quidē in proferendis in missa verbis, & in exprimendis sacramentorum formis errare facile queunt. Quare de Fabio sic statuendum vider, si eius uitium in aure, & in loquela sit insigne, sacrorum ordinum muneri ualde incōmodans, irregularem eum censeri debere, ac proinde iuste ab Epo arceri potuisse. &c. *Maiol. de irreg. l. 1. c. 25. & seq. Vgol. c. 47. Sayr. l. 7. c. 8. Reginal. l. 30. c. 5. nu. 50. Bonac. d. 7. q. 2. p. 2. Filliuc. tr. 19 c. 6. q. 4. Comitulus. in respon. mor. l. 6. q. 55. Barbosa. de Episcopo. p. 2. alleg. 42.*

Post hæc illud hic omittendū non vr, aliqn̄ contigisse, ut qui naturali vitio īpeditior esset lingua, vsu, & exercitio, & Dei virtute, uelocior, & expeditior euaderet, ut de Demosthene Scriptores tradūr, qui ita balbus erat, ut eius artis, cui operā nauabat, literā uidelicet. R. proferre nō posset, quam postea calculis sub lingua positis, probe didicit. teste *Cicerone l. 1. de orat.* Vt ēt de Thoma Sanchez ex Societate Iesu referunt, cum. n. blesus esset, & uerba fœde balbutiret. B. Mariæ precib. recte mox locutus est. Sed & multi legūtur ob apoplexiam, uel aliū morbum linguę, & aurium, & oculorum usum amisisse, qui postmodū tpe restituti sunt, ita ut impedimēto cessante, ipsa ēt irregularitas desierit, ac proinde in hmōi defectib. sicut ī multis aliis, Eps suo arbitrio uti debeat. iuxta doctrinā *Abbat. in c. cū de tua. ext. de corp. vit. & Maiol. l. 1. c. 20. & c. 26.*

Quia nāq oīa lege cōprehendi non potuerunt, recte factū est, dū prudēti illius iudicio, in diiudicandis causis multa cōmissa sint. *arg. l. non possunt. ff. de legib. Plato l 9. de legib. Arist. l. 1. Rhet.*

Et oīa quæ à iure determinata nō sunt, in quib. certa doctrina dari nō pōt, ei arbitraria sint. *Bellon. cons. 60. Menoch. l. 1. de arb. iud. in proœmio. & de recup. possess. remed 9. nu. 388. Tusch. v. arbitriū. concl. 471.* Cæterum in arbitrariis semper ab eo seruāda est æquitas, & iudicium temperandum, ut rō suadet, siquidē bonus uir dr Iudex, & arbitriū boni uiri est ut faciat quod Iudex faceret. *Fely. in c. ne innitaris. n. 5. ext. de cōst. Abb. in c. fi. n. 9. ext. de trāsac.* Hinc *Hor. l. 1. Epist. ad Quinctiū. Vir bonus est quis?*

Qui consulta Patrū, qui leges, iuraq. seruat. &c.

FINIS II. PARTIS.

RERVM, ET VERBORVM,

Index Copiosissimus.

A

Apologus

C

C

Com-

Consilium

D

De-

Quo-

b 2 Euchari-

An

Hominis

I

Iudicis

L

Libri

tuans

N

O

Obla-

cum

Q

R

Regu-

Sabi-

S

Spon-

T

V

omnes

Vsu.

Laus Deo, Virginiq; Mariæ.

Auctor ad Lectorem.

l. 1. §. 6. quid. C. de veter. iur. enucl.

HOsce nostros mentis partus, & opuscula, tumultuaria opera conscripta, discrete Lector, pietatis professione, vt in vita Agricolæ Tacitus loquitur, excusa, illius Imperatorij, pronuntiati memor, Omnium habere memoriam, & in nullo penitus errare, diuinitatis esse potius quàm mortalitatis. a

Nec te effugiat vt à Sapientibus est animaduersum, quatuor esse ex æquo impossibilia. Primo Ioui fulmen subtrahere. Secundo Herculi clauam. Tertio Homero versum. Quarto Typographis errata. Quandoquidem nec Argi oculi ad auertenda menda sufficerent si præcipue dum sub prælo opus desudat; Auctor absit, aut præsens (vt mihi accidit) vrgentioribus occupationibus detineatur.

Neque te prætereat illud salutare Ioannis Gersonis monitum. Quidquid ex charitate agitur, quantumcumque paruum sit, & despectum, totum efficitur fructuosum; magis siquidem Deus ex quanto quisq; agit, quàm quantum quis facit, respicit. Benefacit qui magis communitati, quàm suæ voluntati seruit & c. b non enim ausus essem rudes hos conatus (viribus maiora, & imparia tentans) ancipiti iudiciorum aleæ committere, si rem priuatis rationibus, & non Dei, proximiq; charitate, mensus fuissem.

In l. 1. c. 15. de imitat. Christi

Proinde tuam Lector humanitatem obtestor, vt has nostras lucubrationes non probe elucubratas, & hos labores non satis elaboratos, æqui, boniq; consulas, atq; in tuo Museo inter posterioris notæ codices, aliquem locum, & si infimum, eas tenere permittas.

Ad mentem tandem redige, prout in priori etiam parte admonuimus, in his Cõmentarijs de humanis actionibus, & rebus, ad conscientiam recte, aut praue factorum pertinentibus, formatis speciatim casibus, at fictis nominibus, in vniuersum, ac generaliter nos loqui; vt propterea cum D. Hieronymo dicere possimus, Neminẽ læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est, generalis de vitijs disputatio fuit. c

Epist. ad Nepot. c. hæc est fides 24. q. 1

Atque hæc omnia, quæ tàm in prima, quàm in secunda & in tertia parte mox proditura, continentur, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ censuræ, ac cuiuslibet recte sentientis correctioni, pie, humiliterq. subiecta esse volo, palamque profiteor. d Vale in Domino.

Insigniores menda quæ sensum immutare possent, si enim singula errata prosequi vellemus, in immensum, vt satyricus dixit, cresceret damnosa papyrus.

Hæc potissimum sic corrige.

pag.	col.	lin.	Errata	Corrige
2	1	48	præcetti	præcepti
9	1	48	consequenter,	consequentur
19	2	23	eundum	eundem
25	1	36	turconis	lurconis
68	1	5	quid in his	dele quid
80	1	46	londide	fordida
81	1	18	reuera	seuera
85	1	4	preti	pretium
103	2	15	ibi ext. de simonia,	adde Ricc. 3. p. Cur. Neap. decis. 220.
112	2	48	ibi cum collatio,	adde sin aliquos
114	1	34	ibi donatio	adde inter viuos
140	2	52	Et. Sic	adde ei
125	1	46	pleri	impleri
160	2	38	Apost.	Arist.
184	1	42	insisset	sciuisset
197			tit marg. Contract. de Cambijs	pone de fideiuss. affec. & pign.
200	2	14	apud	ad
211	1	43	quondam se imperitum	quendam imperitum. ibi modo. non.
244	1	10	fœdar.	fœdari:
225	1		in prin. dele resolutio.	
228	1		24. & seq. de bono opere.	adde c. 11. Clem. 1. adde de baptismo
319	1	26	qui ob grauem	dele qui
245	2	44	Suuecdo	secundo
291	2	13	diza	diæta
305	1	41	contumaciam	contumacia
319	1	22	qui ob grauem	dele qui
329	2	7	Nos perpetua	cum aliàs
333	2	32	oincommodum	incommodum
334	2	10	in certis	inertis
363	2	9	familiari.	fraiha
364	1	1	cum vna	dele vna
165	2	2	scribente	inscribente
371	1	1	toto	toro
380	1	17	post v. censuram,	adde scienter
384	1	13	se diuini	dele se
395	2	15	innititur	innuitur
410	1	13	ne enim. & col. 2. lin. 9. Doctorum fatoris,	dele fatoris
422	2	15	in lunatico plezi	dele in. & ad v. sim adde beneficiã
433	1	10	clericalum	clericalem
441	2	28	congium	coniugium
444	1	34	ex vltra	ex altera
447	2	45	irregulariter	irregularitate
449	1	35	regnatur	regantur
449	1	22	xuperiorem	Superiorem

